C2—4

C. G. H. DICKER
e Coll. Kebl. Oxon.
MCMXX



Revd. Carol. Huggins Rector Chinner in Com. Oxon.



R. Green fecit London

Case E.E. H.12. Barnsley

Tacitus £3/10/-

339

Fol.
1488

P· CORNELII TACITI

EQVITIS ROMANI ANNALIVM AB EXCESSV AVGVSTI SI-
cut ipſe uocat, ſiue Hiſtoriæ Auguſtæ, qui uulgo receptus titulus eſt, libri
ſedecim qui ſuperſunt, partim haud oſcitanter perlecti, partim nempe po-
ſteriores ad exemplar manuſcriptum recogniti magna fide nec minore iu-
dicio per BEATVM RHENANVM. Nihil hic fingi docebunt caſtiga-
tiones ſuis quæq; libris additæ. Libellus de Germanorum populis, Dialo-
gus de oratoribus, deniq; Vita Iulij Agricolę, non ſolum emaculatius pro-
deunt, ſed & explicatius adiunctis in hanc rem ſcholijs. Super hæc omnia
acceſſerunt in initio operis Theſaurus conſtructionũ locutionumq; & uo-
cum Tacito ſolenniũ citatis etiam ex Liuio plerunq; teſtimonijs, ac in calce
rerum memorabiliũ index copioſiſsimus. Nec deſunt aliorum in hunc au-
torem antè æditæ annotationes præfationesq; ſiue Beroaldi ſeu Alciati.

FRO BEN.

BASILEAE IN OFFICINA FROBENIANA
ANNO M D XXXIII

AMPLISSIMO PATRI ET PRINCIPI D. BERNARDO EPI/ SCOPO TRIDENTINO AC S. R. E. CARDINA/ LI, ETC. BEATVS RHENANVS S. D.

INTER ea dona, Præſul ornatiſsime, quæ mortalium generi beneficum in nos numen celitus largitũ eſt, ni/ hil ſecundum rationem diuinitatis imaginẽ maius aut præſtantius homini cõtigiſſe magni uiri cenſent, quàm ſapientię munus & huius conſeruatrices literas diuinas ob hoc cunctis ſeculis iudicatas. Quid enim uita huma na foret, niſi hęc artium excogitatrix, hęc inſtitutrix optimę cuiuſqꝫ rei, de/ niqꝫ prudentiæ mater, admirabili diligẽtia à præclariſsimis olim uiris quo ſempiterna eius monumenta exiſterent nõ in æs inciſa aut inſculpta ſaxo cæterũ libris & literis latiſsime cõmendata fuiſſet? Æquũ uero ſit ut quod tam immenſum theſaurũ continet, minime uulgari cultũ honore præful/ geat. Nam ſi thecas rerum pretioſarum auro argentoqꝫ dignas ducimus, ſi ſcrinia quibus reliquiæ diuorum inſunt reuerenter exoſculamur, quid li/ teris fieri conueniet quũ diuinæ tum humanæ ſapientiæ præſtantiſsimas opes in ſe continentibus? Itaqꝫ myſterio non uacat quod ueteres harum tutelam ſummis numinibus aſſcripſere, Ioui Palladiqꝫ, literarum dignita/ tem hoc inuolucro haud obſcure ſignificantes, Magnum enim ſit ac exi/ mium neceſſe eſt, cuius cura dijs excellentiſsimis attribuitur. Vnde porrò obſeruatum religioſe uidemus ut in aſſerendis literis ſummi reges enixè certarint, quum quod cognoſcerent harum præſtantiam, tum quod eos neutiquam fugeret quantum damnum maneat res humanas ſi per ſocor/ diam ignauiamqꝫ noſtram interirent. Notum eſt hic illius σοφωτάτου So lomonis, quem non piguit ædito monumento literarium augere theſau/ rum, atqꝫ aliorum ueterum principũ, Alexandri Magni, Ptolemæi, ac diui Auguſti feruentiſsimum ſtudium. Nec ullis uero temporibus defuere ta/ les literarum patroni, ne proximis quidem. Namqꝫ Sigiſmundus Cæſar, Matthias Coruinus Pannoniæ rex, ac pridem Maximilianus Aug. quan/ tum literis fauerint paucis arbitror obſcurum. quippe uere regium cenſe/ bant earum ſuſcipere patrociniũ quæ maximis retro principibus ſemper curæ fuiſſent. Nec eſt quod quiſquam diffidat huius temporis ſummos monarchas Carolum Aug. & Ferdinandum Cæſarem huius germanum, ab hac aui ſui laude degeneraturos: imò bona ſpes habet etiam ſuperatu/ ros quantũ potentia antecellunt, ſi modo liceat à bellis iſtis quibus quum priuatim tum publicè diſtinentur dum fines regnorum ſuorum ab inſidijs inuadentium defendunt, aut iam occupatos uendicant, dumqꝫ ſæuiſsimos hoſtes Turcas à ceruicibus Chriſtianorum arcent, aliquantulum reſpira/ re. non minus enim magnanimus ille heros literarum præconijs notus eſt

quàm ob orbem prudentiſsime gubernatum, uiciſſim ſcilicet ornantibus quas ornarat ipſe. Quod ſi principibus prophanis in laudem ſemper uertit literarum fauor, quanto magis eccleſiaſticos proceres decuerit hic non ceſſare, quorum æquiſsimo iure proprium eſſe debet hoc ſtudium, quum quod artes pacis alumnæ hijs inprimis cōueniunt, tum quod opes horum nuſquam melius collocari queunt quàm in exornandis literis. quanquam ut nunc habent res mundi, nihil piget quoſdam in ſtrepitū quiduis effundere, duntaxat hic manum contrahunt. At quum Chriſtiana pietas præſidio literarum ueluti fundamento quodam nitatur, ſine quibus non intelligi multo minus defendi queat, quanto conſultius fuerit & hanc partem reſpicere, efficereq; ut non ſolum non intereant literæ, ſed potius excultæ modis omnibus effloreſcant, ſintq; in admiratione & pretio mortalibus omnibus, pręſertim hoc tempore quo pax eccleſiaſtica improbis quorundam contentionibus propemodum diſſuta eſt. Nec uero hæc dicuntur quod celſitudo tua hortatore egeat ad ſubleuandas bonas artes & ſuſcipiendum diſciplinarum patrociniū, quando ſua ſponte literis literatiſq; omnibus fauet, nihil unquam omiſſura quod ad euehenda recta ſtudia pertinere poſſit. Eruditos enim etiam ex Italia accitos in aula tua tecum habes quibus cum diſputes, & ubi regiorum negociorum urgentes curæ nonnihil remiſerint, quas mira dexteritate ſolus propè ſuſtines apud illuſtriſsimum regem Ferdinandum, familiariter colloquia miſceas, ſolicitudinum moleſtias quibus animū in ea rerum adminiſtratione uerſantis conflictari neceſſe eſt, deterſurus. Siquidē quis ignorat quàm tu bene actum cum republica Chriſtiana cupias in emouendis ex inferiori Pannonia Turcis, qui hac iam plus ſemel deuaſtata uiam ſibi uidebātur feciſſe qua non Germaniam modo perpopularētur, ſed & Gallias deinceps inuaderent. Itaq; non ſine cōſilio tuo, de quo haud dubito, inſignis illa nuper expeditio contra irruēteis Turcas indicta eſt atq; ſuſcepta. Sed nimis cito hoſtes noſtri fuga e in Thraciam recepere ad famā ſolam tanti coëuntis exercitus, alioqui meritas daturi pœnas. tametſi populatorū copiæ qui pernicibus equis uecti priuſquam expectes omnia paſsim igne ferroq; euaſtare ſolent, mira noſtrorū ſolertia ad multa millia profligatæ ſunt atq; deletæ. Ac nunc lætiora rumor affert de exercitu regio, quem aduerſus occupatorem Hungariæ feliciter pugnaſſe ferunt non paucis locis receptis. Vnde ſpes eſt nihil profecturos aduerſariorum dolos quamlibet atrociſsimis Chriſtiani ſanguinis hoſtibus fidant. Tum recepta Pannonia magnum nobis contra Turcas propugnaculū rurſus accedet. ἀλλὰ ταῦτα θεῶν ἐν γούνασι κεῖται. Porrò quantum R. D. T. uiris eximiæ eruditis faueat, facile eſt diuinare, quum mihi qui nihil in literis ſum dono nuper miſerit nomiſma argenteum iconicam effigiem tui habēs. Quæ me res mouit ne prorſus uidear ingratus nunc nec aureū nec argenteum, ſed chartaceum munuſculū offerre

tibi,planè iuxta Homericam ἀμοιβὴν ærea aureis rependendo ſanè quod ad me attinet.Nam quum accepiſſem futurum ut Annales CORNELII TACITI denuo typis informarentur, primum experiri libuit an operæ pretium eſſet uulgatam æditionē conferre cum manuſcripto codice quem nactus fueram iampridem ex bibliotheca Budenſi, cuius autor Vngariæ rex Matthias ille Coruinus Martis & Palladis ſtudijs inclytus, donante Iacobo Spiegellio amico ac ciue meo chariſsimo: quem tibi uirum iamin/de à Maximiliani Cæſaris principatu, non ſolum apud illuſtriſsimum re/gem Ferdinandum,quorum utriuſq; conſiliarius fuit & à ſecretis,ob raras ingenij dotes & fidem ſincerā,haud ignotū eſſe certò ſcio. Deinde quum ſuccederet negociū,hoc eſt infinita loca fœde deprauata, quod nemo cre/didiſſet,hac opera reſtituerentur,à labore cœpto non deſtiti,donec uniuer ſum uolumen à capite ad calcem haud oſcitabundè contuliſſem. Quid au/tem effecerim,caſtigationes libris præfixæ docebunt. In quinq; prioribus uoluminibus quæ reperta apud Corbeiam in Saxonibus,paulopoſt Ro/mæ euulgata ſunt,item in libello Germanorū,Oratorum Dialogo, Agri/colæq; Vita,defuere quidem ſcripti codices cum quibus conferrem, cæte/rum ipſe æditionem uulgatam percurri non prorſum indiligenter, ac loca quædam accuratius excuſſi. Equidē multis de cauſis ſemper digniſsimum iudicaui TACITVM, qui inter ſcriptores rerum Romanarum in mani/bus aſſidue haberetur,uel hoc præcipue nomine,quod non tantum perpe tuam bellorum hiſtoriam contexit Liuij inſtar aut cæterorum, ſed ſubin/de res inſigneis interijcit,quarū utiliſſima cognitio, ſiue quod ab alijs om/nino non traduntur,ſiue quod hic plenius. Neceſſe uero fuit ſub monar/chis Cæſs. dum unius imperio ne libidini dicam omnia parēt, pluriū mul/ctas,exilia,cædesq; cōtingere,quàm dum populo Romano ſenatuiq; ſua ſtetit autoritas ac maieſtas incolumis. Vnde factum ut præſtantium in li/teris uirorum iudicio Liuio non ſit poſtponendus Tacitus,quin potius an teferendus:nō quod huius floridum ac meditationem & curam olens di/cendi genus, quale ſub Veſpaſianis placuit ac indies exin degenerauit in affectatam quandam compoſitionem exoleſcente paulatim ſermonis La tini puritate,Liuianæ dictioni illi naturaliter amabiliterq; fluenti, nam id ſeculum puriſſimū fuit,æquari debeat aut præferri: ſed quod ſingularium rerum narratio,quemadmodum hic non meritam mortem fortiter ſubie/rit,quid alius in ius calumnioſe uocatus dixerit aut fecerit, quā agendum cautè cum hijs qui ſolo nutu perdere poſſunt,quam parcè fidendū,& hijs ſimilia exempla multum conferant ad legentis pectus prudentiæ monu/mentis inſtruendum. Vtinam uero quod nos in Tacito nunc prꝺſtitimus, alij præſtent in Cicerone,Liuio,Plinio,& non minus deprauato L. Floro. Ab eruditis hoc operæ expectādum eſt,& in autorum lectione diligenter uerſatis. Sed deterret pleroſq; nō imperitia, uerum labor gloria carens,&

reprehenſioni indoctorum etiam obnoxius. quidam rident tantum, leuius ferendi, quidam nec à conuicijs abſtinent. Et tamen non eſt alia uia ſuccurrendi ueterum ſcriptis niſi hæc, nempe ut primum conferantur attentè exemplaria manuſcripta, dein iudicium adhibeatur. Tædium ego laboris, nec eſt ulla res in orbe faſtidioſior, facile cõtempſi ſubinde cogitans quantum utilitatis hinc peruenturũ eſſet ad ſtudioſos. Quos ut amplius demererer, adieci theſaurum locutionum conſtructionumqꝫ & uerborum, quibus Tacitus frequenter utitur. in quo fateor eſſe multa uulgo protrita, ſed tamen inſunt quædam non indigna ſtudioſorum adoleſcentium cognitione. In ſumma ſi R.D.T. hanc operam meam albo calculo dignata fuerit, bene res habebit. nam ſpes eſt cæteris quoqꝫ probatum iri tuo iudicio ſubſcripturis. Bene Vale Præſul & princeps ampliſsime. Seleſtadij Nonis Decembribus, An. M D XXXII.

ANNALIVM INSCRIPTIONIS REDDITA RATIO

VARIABAT titulus operis. Nam in ęditione ueteri quã Franciſcus Puteolanus adornauit, nunc Actionum diurnalium hiſtoriæ Auguſtæ nomen occurrit, nunc Actorum diurnalium. Philippus Beroaldus iunior, Ab exceſſu diui Auguſti hiſtoriarum libros inſcripſit. in codice Corbeienſi titulum hunc repererit, an excogitarit ipſe, incertum. Meum certe uolumen Buda allatum ἀνεπίγραφον erat. Fl. autem Vopiſcus non admodum purus autor in uita Taciti imperatoris Romani, Cornelium Tacitũ uocat hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptorem. Itaqꝫ quum uiderem iſtam titulorum diuerſitatem, & tamen cõſtaret hos ipſos libros, Annalium nomine inſignitos ab autore non ſemel, malui titulum eum præfigere. Sunt autem hæc loca quibus id apertè docetur. LIBRO TERTIO. Exequi ſententias haud inſtitui niſi inſigneis per honeſtum aut notabili dedecore, quod præcipuum munus ANNALIVM reor, ne uirtutes ſileãtur, utqꝫ prauis dictis factiſqꝫ ex poſteritate & infamia metus ſit. LIBRO QVARTO. Pleraqꝫ eorum quæ retuli, quæqꝫ referam, parua forſitan & leuia memoratu uideri non neſcius ſum: ſed nemo ANNALEIS noſtros cum ſcriptura eorum contenderit, qui ueteres populi Romani res cõpoſuere. ingentia illi bella, expugnationes urbium, fuſos captoſqꝫ reges, aut, ſi quãdo ad interna præuerterẽt, diſcordias Conſulum aduerſum Tribunos, agrarias frumentariaſqꝫ leges, plebis & optimatium certamina libero egreſſu memorabãt. Nobis in arcto & inglorius labor. Immota quippe aut modicè laceſſita pax, mœſtæ urbis res, & princeps proferendi imperij incurioſus erat. IN FINE EIVSDEM LIBRI. Ni mihi deſtinatum foret, ſuum quæqꝫ in annũ referre, auebat animus anteire ſtatimqꝫ memorare exitus, quos Latinius atqꝫ Opſius cæteriqꝫ flagitij eius repertores habuere. LIBRO XIII. Nerone ſecundum, L. Piſone

L.Piſone Cōſulibus,pauca memoria digna euenēre, niſi cui libeat laudandis fundamētis & trabibus,quîs molem amphitheatri apud campū Martis extruxerat, uolumina implere,quum ex dignitate populi Romani repertum ſit,res illuſtreis ANNALIBVS, talia Diurnis urbis actis mandare.Atque hoc poſtremo loco ipſis Taciti uerbis manifeſte euincitur,libros iſtos Actorum diurnorum nomine minimè donandos.Enimuero diuerſitatem inſcriptionis in æditione ueteri hinc accidiſſe reor,quoniam manuſcriptum exemplar nullum forte certum titulum præferret: quæ res arguit libros eſſe truncatos,quemadmodum alio adhuc argumento infra docebimus.Dein uiri docti modo Actionum diurnalium,modo Actorum nomen aſcripſerunt.quippe meminit Diurnorum urbis actorum libro XIII loco quem mox citauimus,& Diurnæ actorum ſcripturæ, quorum tamen ſe minime fert autorem.item libro tertio:Matrem Antoniam, inquit, non apud autores rerum, nō diurna Actorū ſcriptura reperio ullo inſigni officio functam,Sed hæc nomenclatura nō in hanc hiſtoriā competat, quum ipſe res illuſtreis perſequatur,humilibus & uulgaribus relictis. Proinde rectius inſcripſeris, Hiſtoriæ Auguſtæ annales, quàm Actiones diurnales, ſiue Acta diurna. Sanè Iornandes qui res Gothicas deſcripſit Alanus genere ceu mihi uidetur, Tacitum uocat Annalium ſcriptorē, Cornelius etiam,inquit,annalium ſcriptor narrat. Quod ſi cui parum idoneus is autor habetur propter infelicitatem illorum temporū, cogitet ueri ſimile eſſe ſic citatum Tacitum apud meliorē aliquem ſcriptorem cōperiſſe eum, quem ipſe ſit imitatus.Equidem quid in exemplari Saxonico Beroaldus repererit ignoro,ceu dixi.tametſi titulus quem ille prætulit operi, ſummè placet. Nam hiſtoriam Auguſtam aut interpretari ſanctā oportet,aut, ut ita dicam,Auguſticam,hoc eſt res Auguſtorum tractantem,quam rectius fortaſſe uoces Auguſtalem.Sic nimirum olim uulgus Romanum ciuitatibus quibuſdam Auguſtarum nomen accommodauit ab Auguſto Octauio. Iam non eſt quur huius noui tituli nos pœnitere debeat, quando T.Liuius libros ſuos Annales appellat.Id facit uolumine tertio dec.quintæ. Verba ſic habēt.Non ſum,inquit,neſcius ab eadem negligentia, qua nihil deos portendere uulgo nunc credunt,neq; nunciari admodum ulla prodigia in publicum,neq; in Annales referri.Cæterū & mihi uetuſtas res ſcribenti neſcio quo pacto antiquus fit animus,& quædā religio tenet,quæ illi prudentiſsimi uiri publicè ſuſcipienda cenſuerint, ea pro dignis habere, quæ in meos ANNALES referam.Hactenus Liuius.Quem locum eo lubentius in medium adduxi,quo optimus ſcriptor excuſetur à nemine non notatus quod in commemorandis prodigijs modū excedat.Annalium quos alij conſcripſerint crebra quum apud Tacitum,tum apud Liuium mentio. Cæterū huiuſmodi clauſulæ teſtantur Annales eſſe,Principio anni, Principio ueris.Eodē anno.Per idem tempus,Principio inſequentis anni,Idem

Annales T.Liuij

annus nouas cerimonias accepit,Peſtilentia quæ priore anno in boues ingruerat,eo uerterat in hominum morbos.Exitu anni,Fine anni.Quæ orationes apud autorem utrunq; frequẽter occurrunt. Porrò quia uetuſtum uolumen Taciti quod ad ſecula noſtra relictum eſt,unde cæteri libri propagati deſcriptiq; ſunt,ἀνεπίγραφον fuiſſe uidetur argumento codicis Budenſis,& mutati in æditione Romana tituli,ueri ſimillimũ eſt hiſtoriarum libros huius autoris prorſus confuſos eſſe, & fragmenta tantum extare ex truncatis ternionibus utcunq; collecta. Nam quod Tacitus libro 21. tradit de grege aſinorum agreſtium quos ſecutus Moſes largas aquarum uenas ſuis aperuerit,affirmat Septimius Tertullianus libro quinto contineri. Sic enim ſcribit in Apologetico.Hanc,inquit,Cornelius Tacitus ſuſpicionem eiuſmodi inſeruit. Is enim quinto hiſtoriarum ſuarum bellum Iudaicum exorſus,& quę illic ſequũtur.Ergo,niſi fallit in Septimio ſcriptura,ex quinto libro factus eſt uiceſimus primus.Non ſucceſſit in cõſeruandis neceſſarij ſui monumentis quod agebat Tacitus Auguſtus,etiamſi ſingulis annis Annales gentilis ſui curarit decies excribendos & in omnibus ponendos bibliothecis, quo ſaltem numero freti æternum durarent. Verum ſi quis reputet ſecum ruinam imperij Romani,prouinciarum omnium deuaſtationes,tot tamq; diuturna bella quibus totus Occidens concuſſus eſt,Francis,Alemannis,Gothis,Langobardis cuncta perpopulantibus, mirum uideri queat tantum adhuc ſupereſſe de ſcriptis autorum ueterum. Accedit Chriſtianorum à libris gentilium olim magis auerſus animus.Sed tamen in tanto monachorum numero ſemper reperti ſunt aliqui priſcis literis fauentes, qui deſcribenda autorũ monumenta curarint. Hanc utilitatem cœnobijs præcipue debemus. Sic nobis priores quinq; Taciti libros Corbeia Viſurgi fluuio uicina, Benedictinorum monaſterium eſt, conſeruauit, proximis annis illinc ad Leonẽ x.Pont.Max. allatos.

THESAVRVS LOCVTIONVM CON-STRVCTIONVMQVE ET VOCVM TACITO SOLEN-nium, per Beatum Rhenanum obiter collectus, adiunctis plerunq; ex T. Liuio teſtimonijs, cuius etiam haud pauci loci hic reſtituuntur.

Promptus ſeruitio, pro ad ſeruitium, & ſimilia.

ANNALIVM primo. Quanto quis ſeruitio promptior. Iterum. Sed diuitem, promptum artibus egregijs. Item, Laſciuiæ ſueta, laborum intolerans. Infra, Statuunt tempus, quo fœdiſſimum quemq; & ſeditioni promptũ, ferro inuadant. Item Secundo. Iuuenem improuidum & facilem inanibus. Item. Sed amici accendendis offenſionibus callidi. Rurſum, Prompta illi legionum ſtudia. Mox. Piſo promptus ferocibus. Ibidem. Ducitq; ualidam manum & prælio paratam. Tertio. Tiberium ſpernendis rumoribus ualidum. Quarto. Apud aures ſuperbas & offenſioni proniores. Infra. Cæſar ualidus alioqui ſpernendis honoribus. Item. Et promptum libertati, aut ad mortẽ animũ. Infra. Quod mater Agrippina promptior Neroni erat. Quinto. Nam Trio facilis capeſſendis inimicitijs. Item. Callidum olim & tegendis ſceleribus obſcurum. Item, miniſtri ſceleribus. In fine. Occultum ac ſubdolum fingendis uirtutibus. Vndecimo. Ille ut erat magnis auſis promptus, id eſt ad magna auſa. Item. Et adoptando Britannico paratum. Mox. Vt inſidijs incautum, ita iræ properum. Item. Et uenire promptum ultioni, afferrent. Duodecimo. Charitate, filiæ promptior. Libro 13. Neq; paci aut prælio paratum. Item. Et iuuenem imperitię ſuetum. Libro 14. Et iam iamq; affore obteſtans uindictæ properam. Item. Serendis frugibus incurioſos. Libro 15. Ille libertus cuicunq; flagitio promptus. Item. Qui ut faciendis ſceleribus promptus. Libro 17. Seruorũ manus ſubitis auidæ. Libro 18. Vt annexa claſsis & pugnæ parata. Item, Melioribus incurioſos, id eſt ad meliora. Infra. Apud Vitellium omnia indiſpoſita, temulenta, peruigilijs ac Bacchanalibus quàm diſciplinæ & caſtris promptiora. Item. Mutiani animus nec Veſpaſiano alienus. Libro 19. Et omnia prona uictoribus. Libro 20. Ciuitas pauida & ſeruitio parata. Rurſus. Vtq; Domitiani animum Varo haud alienum deliniret. Niſi malis Varo dictum auferendi caſu pro à Varo. In uita Agricolę ubi in uulgatis ęditionibus legebatur: Eoq; in bello faciles, & nos ſcripſimus, Eoq; in bellum faciles. quid ſi quis à Tacito ſcriptum fuiſſe putet, coq; bello faciles. Infra. Omniaq; prona uictoribus. Rurſus. Peſsimi malignitate & liuore pronum deterioribus principem extimulabant. Liuius libro 2. decadis quartę. Et campus terrenus omnis, operiq; facilis. Libro ſecundo dec. quintę. Cuius magna pars matura militiæ eſſet. L. Florus, Ille corpore, armis, ſpirituq; terribilis, & nomine quaſi terrori compoſito Vercingẽtorix. Sic enim illic lego.

Vita concedere. Fato concedere. Item concedere abſolute. Finem uitæ ſibi ponere. Mortalitatem explere. Animam reddere. Supremum diem explere. Fatum excipere.

Annalium primo. Vt Agrippa uita conceſſit. Quinto. Fine anni Poppæus Sabinus conceſſit uita. Hoc dixit libro ſecũdo, finem uitę implere. Finẽ, inquit, uitæ ſpõte an fato impleuit. Infra. Si fato concederem. Tertio. Fine anni conceſſere uita inſignes uiri. Quarto. Vt quandocunq; conceſſero. In fine Tertij. Supremum diem expleuit. Quinto. Finem uitę ſibi poſuit. In calce Quinti, de Tiberio. inter-

cluſa

cluſa anima creditus eſt mortalitatē expleuiſſe. Duodecimo. Tædio curarū feſſus Oſtorius conceſſit uita. Libro 13. At L. Voluſius egregia fama, conceſſit. Libro 14. Animam tandē poſt fera triſtem uulnera reddidit. Infra. Conceſſitq; uita Burrus incertum ualitudine an ueneno. Ibidem. Spiritū finiebat. Vſurpat finire abſolute in hūc ſenſum in calce libri Quinti. Sic Tiberius finiuit, octauo & ſeptuageſimo ætatis anno. Item, Sua manu cadere. Libro 15. E tribunis Granius Siluanus quamuis abſolutus, ſua manu cecidit. Libro 16. Neq; enim multo poſt, uim ſibi attulit. In uita Agricolæ. Conſtans & libens fatum excepiſti.

Indicere mortem, & ſimiles locutiones.

Libro 15. Ergo regredi & indicere mortem iubetur. Mox. Qui neceſsitatem ultimam denunciaret. Libro 16. Ergo nunciat patri abijcere ſpem, & uti neceſſitate.

Compertus flagitij. Manifeſtus delicti, & ſimiles locutiones.

Annalium primo. Nullius tamen flagitij compertum. Secundo. Cur in uxore delicti manifeſta, ultionem legis omiſiſſet. Tertio. Suſpectumq; iam nimiæ ſpei Seianum ultro extuliſſe. Item. Suſpectiq; capitalium criminum receptabantur. Quarto. Aduerſus unicum nullius ante flagitij compertū. Infra, Ne tamen offenſionis aut metus manifeſtus foret. Duodecimo. Spirantē ac uitæ manifeſtam aduertere paſtores. Libro 13. Aemulationis ſuſpectos. Infra. Exercendis apud ærarium ſectionibus famoſus, & tum uanitatis manifeſtus. Sic enim repoſuimus pro uanitatibus. Rurſum. Ac criminum manifeſtos merito ad ſeruitutem retrahi. Libro 14. Supremis teſtamēti uerbis, ambitionis manifeſtus. Libro 15. Atq; ipſe mœſtus, & magnæ cogitationis manifeſtus erat. Item. Non quia coniurationis manifeſtum compererat. Infra. Sed uerba ſua præpediens, pauoris manifeſtus.

Verſum pro euerſo, ſiue mutato. Item uerti.

Annalium primo. Igitur uerſo ciuitatis ſtatu. Tertio. Iidem illi ciuitatem uerti, &c. clamitabunt. Quarto. Antequā Veſuuius mons ardeſcens, faciem loci uerteret. Quinto. Verſæq; Artabani res. Vndecimo. Et ſi res uerterentur, formido. Duodecimo. Verſa ex eo ciuitas.

Differre pro in diuerſas partes ferre, hoc eſt ſpargere. Item pro iactare. Sermonibus diſtulerint.

Annalium primo. Pars multo maxima imminenteis dominos uarijs rumorib. differebant. Tertio. Differriq; etiam pex externos, tanquam ueneno interceptus eſſet. Quarto. Differtur per manipulos Tacfarinatē omnes notū tot prælijs conſectentur. In hūc ſenſum dixit in Octauio Auguſto Tranquillus. Rumore ab obtrectatoribus dilato. &c. Libro 21. Caſtraq; in plano ſita, ui fluminis differebātur, hoc eſt iactabantur. Sic enim illic legendū pro deferebantur. Non aliter dixit Terentius, differri doloribus, & differri cupidine Plautus. Græcorū eſt imitatio, qui in hunc ſenſum διαφέρεσθαι uerbum uſurpant. Liuius libro quarto decad. quartæ. Qui male commiſſam libertatem populo Romano ſermonibus diſtulerint. Idem uerbū dimittere ſic uſurpat, pro in diuerſas partes mittere. Vt libro quinto dec. 4. Nabis extemplo circa omneis uicos maritimos dimiſit ad ſeditiones in ijs miſcendas. Libro quinto dec. quintæ. Per omnes ciuitates cohortes dimiſit.

Eductus pro educato.

Annalium primo. Hunc & prima ab infantia eductum in domo regnatrice. Infra. Iam infans in caſtris genitus, in cōtubernio legionum eductus. Quinto. Et ſeuera patris diſciplina eductus. Infra. Artabanum Scythas inter eductum. Liuius libro primo dec. primæ. Et puerum ut in domo à paruo eductum. Sic enim locus ille legendus eſt, ut particula inſerta. neq; ſcribendum educatum, ceu peruulgatæ æditiones continent.

Suſpectare pro ſuſpectum habere.

Annalium primo. Et quidam ſcelus uxoris ſuſpectabant. Iterum. Et pari fama publice

publice, ſuſpectabat. Quarto. Ne pellici ſuſpectaretur. Vndecimo. Quum potentiam eius ſuſpectãtes. Duodecimo. Qui Agrippinam magis magiſq; ſuſpectans. Libro 13. Suſpectabat maxime Cornelium Syllam. Libro 15. Suſpectante Nerone, haud falſa eſſe etiam quæ uera non probabantur. Libro 18. Ad poſtremũ Valens è petulantia etiam perfidiam ſuſpectabat. Libro 19. Sed omnem prolatationem ut inimicam uictoriæ ſuſpectabant.

Deſpectari.

Libro ſecundo. Liberos eius, ut multum infra, deſpectare, id eſt deſpectabat. Libro 18. Ne ut uicti & ignaui deſpectarentur.

Aſpectare.

Primo. Omnis exuta æqualitate iuſſa principis aſpectare. Duodecimo. Iam uentum haud procul mari quod Hyberniã inſulã aſpectat. Decimoquinto. Cuncta etiam aſpectata, quæ in fœmina nox operit.

Omnis pro omnes.

Vt in exemplo quod mox citauimus. Omnis exuta ęqualitate iuſſa principis aſpectare. Hoc eſt, omnes aſpectabant.

Prouectus, aliquo uſq; uectus. Sic & Prouehi.

Annalium primo, de Auguſto. Poſtquam prouecta iam ſenectus. Item. Qua hæſitatione poſtremo eò prouectus eſt. Secũdo. Eò uſq; corruptionis prouectus eſt. Tertio. ætate prouecta. Libro 13. Prouecta nox erat. Item. Tanquã Agrippinę gratia prouectum. Libro 14. Eò prouectas Romanorũ cupiditates. Libro 15. Nec niſi prouecta nocte eniſi ſunt. libro 19. Baſſus honorata cuſtodia liburnicis nauibus Hadriam prouectus. Item. illuc uſq; prouecta. libro 20. Paulatimq; per altercationem ad continuas & infeſtas orationes prouecti ſunt. Libro 21. Sic prouecti, tentato telorum iactu dirimuntur. Liuius libro primo dec. quartæ. Vt inde prouehi ad primas anguſtias Eubœæ poſſet. Rurſus mox. Et tranquillo prouectus Chalcidem pauloante lucem.

Peruehi de eo qui deſtinatum locum contingit.

Peruectus, qui peruenit quo uoluit.

Secundo. Vſq; ad Amiſiam flumen ſecunda nauigatione peruehitur. Lib. 14. Geſtamine ſellæ Baias peruectam. Infra. Sylla ſexto die peruectis Maſsiliam percuſſoribus ante metum & rumorem interficitur. Libro 17. Titus aucto animo ad patrem peruectus. Paulopoſt. In Aſiam atq; inde Romam peruectum eſt.

Præuehi, de tranſeunte.

Præuectus, qui tranſijt.

Secundo. De Rheno. Quâ Germaniam pręuehitur. Sic uſurpat pręlatus libro quinto. Nec iterare ualuit prælatus equo. Libro 20. Paululum moræ in aſcenſu, dum miſsilia hoſtium præuehuntur. Libro 21. Hinc præuectus ad Germanicũ exercitum manus tendebat. Liuius libro ſeptimo dec. quartæ. Ciuitates quas præuectus eſt. &c.

Præteruectus.

Libro 17. Igitur oram Achaię & Aſię ac lęua maris pręteruectus. Libro 19. Cito agmine forum & imminentia foro templa præteruecti. Liuius libro 7. decadis quartę. Pręteruecti mœnia portum Phœnicum minus duum millium ſpacio inde diſtantem petiere. Eodẽ paulopoſt. Cuius peſtilentiæ metu profecti quũ præterueherentur Pamphylium ſinum. &c.

Deuectus, quoties deſcenditur.

Secundo. Rheſcuporis Alexandriã deuectus. Tertio. Nare ac mox Tiberi deuectus. Sic Seleſtadio deuehimur Argẽtoratũ Ello flumine. Annaliũ quarto. Ac ſimul utrunq; exercitũ Rheno deuectũ Friſijs intulit.

Inuectus.

Libro 18. Ita uictores latus hoſtium inuecti. Libro 20. Quum manipulariũ pe-

ctora ceruicibus inuecti. Virtute præpoſitionis, id eſt, uecti in pectora manipularium. Liuius libro quarto dec. quintę. Superato Leucata Corinthium ſinum inuectus. Infra. Ab inuectis iam portum audit.

In pręſens. In præſentiarum. & Ad pręſens, pro tum, de pręterito.

Annalium primo. Nulla in præſens formidine, dum Auguſtus ętate ualidus, ſeq; & domum & pacem ſuſtentauit. Infra. Achaiam ac Macedoniam onera deprecātes, leuari in pręſens Proconſulari imperio tradiq; Cęſari placuit. Secundo. Mittiq; ex ſenatu placuit qui pręſentia ſpectaret. Tertio. Modicum in præſens leuamentum fuere. Quarto. Quę in pręſens Tiberius ciuiliter habuit. Infra. Plerunq; tamen quid in pręſentiarum conduceret, oblitum. Libro 13. Plautus ad pręſens ſilentio tranſmiſſus eſt. Libro 15. Nec multo poſt omiſſa in pręſens Achaia. In calce libri. In pręſens haud animaduerſum, poſt arma Iulij Vindicis ad auſpicium & pręſagium futuræ ultionis trahebatur. libro 16. Aduerſum illuſtres diſſimulatum ad præſens, & mox redditum odium. Libro 20. Clara ea uictoria in pręſens, in poſterum uſui. Liuius libro quinto dec. quintæ. Satis quidem & tunc in pręſentia caſtigata illa legatio erat, cum tam triſti reſponſo ueſtro dimiſſa.

Species quam alibi imaginem uocat, uulgus formam.

Annalium primo. Specie recuſantis flagrantiſsime cupiuerat. Iterum. Quibus Rhodi ſpecie ſeceſſus exulē egerit. Ea ſola ſpecies adulationis ſupererat. Iterum. Sed Pompeium imagine pacis, & Lepidū ſpecie amicitię deceptos. Item. Per ſpeciem exoſculandi inſeruerunt digitos. Infra. Specie legis eius tractauit, hoc eſt, titulo. Item. Exercitum imagine cæſorū inſepultorumq;, tardatum ad prælia. Item. Quantoq; maiore libertatis imagine tegebantur. Secundo. Fauorabili in ſpeciem oratione uim imperij tenuit. Infra. Magnaq; illic imago triſtium lætorumq;. Tertio. Biduum ſuper hæc imagine cognitionis abſumptū. Infra. Speciem magis in amicitia principis q̄ uim tenuit. Paulopoſt. Reſpondit Blæſus ſpecie recuſantis. Item. Imaginem antiquitatis ſenatui præbebat. Rurſum. Magnaq; eius diei ſpecies fuit. Quinto. Speciem uenturi ſimulans. Libro 15. Iam enim ſubiectis campis magna ſpecie uolitabant. Eodem libro. Quod unum iam & tamē pulcherrimum habebat, imaginem uitę ſuæ relinquere teſtatur. hoc eſt exemplar. Libro 16. Nocturnæ quietis imaginem ad ſpem haud dubiā retraxit, hoc eſt, imaginationem. Libro 20. Manente tamen in ſpeciem amicitia. Liuius libro nono dec. quartę. Nihil enim in ſpeciem fallacius eſt, quàm praua religio.

Rumorē incedere. Tenebras incedere, pro ſubire, & ſimiles locutiones.

Primo. Quippe rumor inceſſerat. Item. Quū Pannonicas legiones ſeditio inceſſit. Rurſum. Nam ſpes inceſſerat, diſsidere hoſtem. Secūdo. De prætore in locum Vipſanij Galli quem mors abſtulerat, ſubrogādo, certamen inceſſit. Iterum. Occultus rumor incidebat. Legerim, incedebat. tertio. Incedebat enim deterrimo cuiq; licentia. Rurſum. Inceſſit dein religio. Mox. Quoties ualitudo aduerſa Flaminem Dialem inceſsiſſet. Quarto. Ac tum rumor inceſſerat. Infra. Fœdum anni principium inceſsit. Quinto. Si uanitatis aut fraudum ſuſpicio inceſſerat. Item. Quia rumor incedebat, fore. Vndecimo. Sed undiq; nuncij incedūt. Libro 13. Cęterum continuo exercitum ocio, fama inceſsit. Libro 15. Et poſtquam tenebræ incedebant. Libro 17. Atq; illum cupido inceſsit adeundi uiſendiq; templū Paphiæ Veneris. Libro 19. Multa cum ſtrage inceſſerat conctatio. Libro 20. Inceſſeratq; fama. Libro 21. Ciuilē cupido inceſsit. Liuius libro 7. dec. quartę. Timor inceſsit Liuium, ne & auxiliares circumuenirentur, & nauibus etiam ab terra periculum eſſet. Terentius. Vnde noua nunc religio in te iſthæc inceſsit, cedo.

Tranſpoſitio coniunctionum.

Primo. Aegro & corpore fatigabatur, Pro & ægro corpore fatigabatur. Quinto. Hæc mira quanquam, fidem ex eo trahebant.

In

In nominibus prouinciarum aut inſularum omiſſę prępoſitiones.

Annalium primo. Et comite uno Fabio Maximo Planaſiam uectum, pro ad Planaſiam. Inſulæ nomen eſt. Sic ſupra. Vti nepotem unicum Agrippam Poſthumum in inſulam Planaſiam proijceret. Secundo. Germanicus Aegyptum proficiſcitur. Quarto. Vt iudicio iurati ſenatus Cretam amoueretur, effecerat. Quinto. Graſidius Sacerdos prætori Vſticam inſulā deportatur. Sic enim nos eum locum emendandum opinamur. Tranquillus in Auguſto. Ab Actio quū Samum inſulā in hyberna ſe recepiſſet. Liuius libro primo dec. quintę. Baſtarnas primum ad terrorem omnium Dardaniam immiſit. Libro ſecundo. M. Lucretius Chalcidem aduenieus. Libro quinto. Si reducendi eius cauſa exercitum Aegyptum induxiſſet. Ibidem mox. Cyprum extemplo claſſem miſit. Item. Pars Cyprum nauigant. Libro primo dec. quartæ. Et equites mercede cōductos Aegyptum auexit. Libro ſeptimo. Quum Samum rei priuatę cauſa ueniſſet. Ibidem. Samum traiecerunt. Sic Cicero in Verrem dixit. Confugiſſe Delum, de Latona.

Inermus pro inermi.

Primo. Quem ignarum inermumqꝫ. Infra. Sine uulnere milites, qui ſemiſomnos, inermos, aut palanteis ceciderant. Sic infra dixit, ſemermos. Apud Liuium legitur etiam ſemiſomnus libro decimo dec. quartæ. E conuiuio & comeſſatione prope ſemiſomnus raptus ſum ad cauſam particidij dicendam.

Propius uero, pro eo quod eſt, magis ad ueritatem accedit. Propior fides.

Annalium primo. Propius uero Tiberiū ac Liuiam &c. Libro 18. Vnde illi ſuper ſimilitudinem oris propior ad fallendum fides.

Propius à contumelia qꝫ à laude.

Libro 15. A contumelia quàm à laude propius fuerit, poſt Vitellium eligi.

Minora uero.

Libro 17. Quidam minora uero, ne tum quidem obliti adulationis.

Maiora uero. Minora uero.

Libro 18. Sua quiſqꝫ facta extollentes, falſa, uera, aut maiora uero miſcebant. Liuius libro primo dec. tertiæ. Incerta in maius uero ferri ſolent. Libro ſeptimo, Omnia maiora etiam uero præſidia hoſtium, minora ſua, metu interprete ſemper in deteriora inclinato, ducebant.

Maior fama.

Libro 20. Maior hinc fama tradidit, deum ipſum appulſas littori naues ſponte conſcendiſſe.

Ambiguus imperandi. Rudis dicendi, & ſimilia.

Primo. de Tiberio. Tanquā uetere republica, & ambiguus imperandi. Eodem libro. Druſus orto die, & uocata concione, quanquam rudis dicendi. Tertio. Atqꝫ ille prudens moderandi. Infra. Furandi melior. Quarto. Maleficæ uitæ, ſed orandi ualidus. Paulopoſt. Erat illi prędarū receptor, ac ſocius populandi, rex Garamantum. Quinto. Præcipuus olim circumueniendi Titij Sabini, & tunc luendæ pœnæ primus fuit. Infra. Senſit uetus pugnandi. Sic ante dixit, ſcientiæ cerimoniarumqꝫ uetus. Libro 15. Audiendi quæ faceret, inſolens erat. Libro 20. Auido milite eruēdę ciuitatis. Lib. 21. Quippe miles Romanus armis grauis, & nandi pauidus.

Dare famæ, pro ſpargere in uulgus.

Primo. Dabat & famæ, ut uocatus, electuſqꝫ potius à repub. uideretur.

Irridere ſiue inridere, pro ridere, & irriſus participium.

Primo. Multum inridentibus, qui ipſi uiderant. Quarto. Ad uana & toties irriſa reuolutus.

Irriſus pro riſu.

Primo. Retinenteis centuriones inriſu & contumelijs poſtremo uerberibus inſectantur. Tertio. Non ſine irriſu audientium poſtulauit. Decimotertio. Irriſum ex eo ſperans pueri. Paſsiue. Libro 14. Sed hoſtibus irriſui fuit. Libro 15. Tum intellecto barbarorum irriſu. Libro 17. Ipſa ætas Galbæ & irriſui & faſtidio erat.

Libro 19. Nec defuit qui unum conſulatus diem (is enim in locum Cęcinæ ſuper erat) magno cum irriſu accipientis tribuentiſq; eblandiretur.

Obtentus pro prætextu. Item pro auxilio. Verbale nomen ab obtendo.

Primo. Pietatem erga parentem, & tempora reipub. obtentui ſumpta. Duodecimo. Cupido auri immenſa obtentum habebat, quaſi ſubſidiū regno pararetur. Libr. 17. Sed claritas natalium, & metus temporū obtentui, ut quod ſegnitia erat, ſapientia uocaretur. Libro 18. Deletæq; omnes copię forent, ni uictorē exercitum attinuiſſet obſcurum noctis obtentui fugientibus.

Obtendo.

Primo. Ad ea Druſus quum arbitriū ſenatus & patris obtenderet. Tertio. Matris preces obtendens. Item. Nubilem filiam obtenderet. Vndecimo. Falſo libertatis uocabulum obtendi. Libro 19. Curis luxum obtendebat. Libro 20. Manſuram diſcordiam obtendens, ni ſemina belli reſtinxiſſet.

Honorum pro honorifico, item pro honeſto. Sic & honoratus & honorate aduerbium.

Annalium primo. Quanquam honora oratione. Secundo. Quid ſi honorū per quinquennium agitent. Tertio. Quæ in Druſum patrem Germanici honora & magnifica Auguſtus feciſſet. Quarto. Simul honora de Germanico, Agrippinā miſerans diſſerebat. Libro 19. Baſſus honorata cuſtodia liburnicis nauibus Hadriam prouectus. Libro 20. Manentibus honorata militia, digredientibus ſpolia Romanorum offerebantur. Infra. Quod filium eius primo rerum motu in colonia Agrippinenſi deprehenſum, honorate cuſtodierant.

Sepultura, pro actu ſepeliendi.

Primo. de Auguſto. Auxilio ſcilicet militari tuendum, ut ſepultura eius quieta foret. Rurſum. Sepultura more perfecta. Item. Ne hoſtes quidem ſepulturam inuident. Secundo. Qui locus ſepulturæ deſtinabatur. Quinto. Et quia damnati publicatis bonis ſepultura prohibebantur. Libro 16. Accuſati poſt ſepulturā. Paulopoſt. Vt quomodo exequijs ac promiſcua ſepultura ſeparantur. Libro 17. Concedi corpora ſepulturæ, cremariq; permiſit. Mox. Humili ſepultura in priuatis eius hortis contexit.

Crudum ſeruitium pro incipiente. Cruda ſenectus.

Primo. Diem illū crudi adhuc ſeruitij, & libertatis improſpera repetita, quum occiſus Dictator Cæſar. In uita Agricolæ. Et quibus cruda ac uiridis ſenectus.

Prudens rei, pro eo qui ſcit aut intelligit rem.

Primo. At apud prudentes uitæ eius, uarie extollebatur arguebaturue. In uita Agricolę. Cæterum animorū prouinciæ prudens. Liuius libro quarto dec. quartæ. Ni Achęi locorū prudentes inſtitiſſent. Idem nono dec. eiuſdem. Prudentiſsimi uiri omnis diuini humaniq; iuris. Idem libro quarto dec. eiuſdem, uocat Hiſpanos Emporienſeis, quorum oppidum à mari retractius erat, imprudentes maris. Libro primo dec. eiuſdem. Duo iuuenes per initiorum dies non initiati templum Cereris imprudentes religionis, cum cętera turba ingreſſi ſunt.

Obtegens ſui.

Quarto. Animus audax, ſui obtegens, in alios criminator. Item. Quietam & intelligentem humani diuiniq; iuris mentem duint. Infra. Maris potens. Item. Vt erectum & fidentem animi oſtenderet. Quinto. Ille niſi laceſſeretur, modeſtię retinens. Item. Sed cōditoris Seleuci retinens. Duodecimo. Intelligēs falſi. Sic enim emendauimus quod ante legeretur, falli ſe. libro 14. Vt eſt uulgus cupiens uoluptatum. Libro 19. Amicorum inimicorumq; negligens. Libro 20. Impotens amoris. Libro 21. Corpora hominum ſalubria, & ferentia laborum.

Iacere aliquid pro enunciare, ſiue ſpargere in uulgus. Iacere probra.

Annalium primo. Quædā de habitu cultuq; & inſtitutis eius iecerat. Secūdo,

In ſe iacta

In ſe iacta nolle ad cognitionem uocari. Item. In Germanicū contumelias iacere. Tertio. Si uera forent, quę iacerentur. Infra. Mamercus antiqua exempla iaciens. Quarto. Neq; raro, neq; apud paucos talia iaciebat. Infra. Igitur Latiaris iacere fortuitos primum ſermones. Quinto. Et ſi qua diſcordes ieciſſent. Item. Per uaniloquentiam & minas iaciebat. Vndecimo. Inq; fœminas illuſtres probra iecerat. Duodecimo. Vocem Claudij quam temulentus iecerat. Libro 15. Inter ſe aut inter amicos iaciunt.

Corpus pro collegio, quod Iuriſconſultis quoq; uſurpatum uulgo uocant uniuerſitatem.

Primo. Neq; abſcedere à corpore. Declarat id infra. Vnum eſſe Reip. corpus, atq; unius animo regendum. Tertio. Neq; abſcedentem à corpore, ſimul urbem intrauiſſe. Decimotertio. Quippe late fuſum id corpus. Liuius libro octauo dec. quartæ. Achæorum aſſueſcerent legibus inſtitutiſq;, ita unius eos corporis fore. Libro nono. Vt corpus unum & concilium totius Peloponneſi eſſet.

Edicta in populum iecerat.

Libro 19. Quod edicta in populum pro Veſpaſiano magnifica, probroſa aduerſus Vitellium iecerat.

Struere pro adornare, ſiue inſidiari. Item pro conſtruere. Item pro inſtruere.

Primo. Varijs mox criminibus ſtruente Tiberio circumuenti ſunt. Secundo: Tumulum tamen nuper uarianis legionibus ſtructum. Eodem. Struxitq; aggerem. Infra: Struxitq; cauſas. Item. Et manebant ſtructis molibus literæ Aegyptiæ. Item. Structi & arcus. Item, ſtructas ſibi inſidias. Quarto. Structas principi inſidias. Infra. Et ſtruebatur agger. Item. Vltroq; ſtruebantur qui monerent perfugere ad Germaniæ exercitus. Rurſum. Strueret dolum, cęteri teſtes adeſſent. Quinto: Suis in terris ſtruere nidum. Vndecimo. Quo minus strueret crimina & accuſatores. Duodecimo. Nam ubi ſui matrimonij certa fuit, ſtruere maiora. Libro 14: Et ſcena in tempus ſtructa. Infra. Singulos per annos conſurgeret ac ſtrueretur. Libro 15. Et ſtructa ante auguralem aram ſubdita face accendi. Paulopoſt. Publicis locis ſtruere conuiuia. Rurſum. Enimuero liberales ſemper epulas ſtruxiſſe. Libro 17. Tanquam crimen ac mox inſidias Fonteio Capitoni ſtruxiſſet. Liuius libro 2. dec. quintæ. Caſtra ante urbem ponit, omneiſq; armatos in campo ſtruxit.

Flectere, abſolute.

Primo. Flexit paulatim. Rurſum infra. Tunc à ueneratione Auguſti orſus, flexit ad uictorias triumphoſq; Tiberij. Quarto. Quorū rumore arguebatur in ambitionem flexiſſe. Infra. Huc flexit, ut &c. Sic poſtea dixit, uertit in Sabinū. Quinto. Flexit ad grauiora. Ac rurſum. Ad Artabanum uertere. Libro 15. Sed flexiſſe ad Fenium pręfectum. Libro 17. Increpabat ultro, quod tanto ante traditum Vitellio imperium, ad Othonem uertiſſent.

Aduolui genua, uirtute præpoſitionis.

Primo. Ambulantiſq; Tiberij genua aduolueretur. Quinto. Quanquam genua patris aduolueretur. Libro 15. Genua ipſius aduolui. Libro 20. Quidam oculorum tabe notus genua eius aduoluitur. Sic dixit libro 19. Diſiecit obruitq; quos inciderat, pro in quos.

Aduehor illum, pro ad illum uirtute præpoſitionis.

Secundo. Vt quoſq; aduectus erat. Tertio. Agrippina Corcyram inſulam aduehitur. Quanquam hoc etiam referri poteſt ad claſſem eorum, ubi nominibus prouinciarum aut inſularum præpoſitiones non adduntur. Quarto. Et ſæpe mœnia urbis adſidentem. Item. Qui nunc patientiam ſenis, & ſegnitiā iuuenis iuxta inſultet. Quinto. Adſidendo caſtellum. Libro 19. Stœchadas Maſſilienſium inſulas affertur, hoc eſt, fertur ad inſulas. Poſſet etiam ad eum ordinem referri, ubi in

proprijs regionũ aut inſularum nominibus ad præpoſitio omittitur. Libro 21. Sed ut quoſq; eorum aduehebantur.

Aduolui pedibus.

Primo. Præceps & ſingulorum pedibus aduolutus. Item. Pedibusq; Cæcinæ aduolueretur.

Alicui aduenire, pro ad aliquem. Propinqua Seleuciæ aduentabat. Virtute præpoſitionis. Vt ſupra.

Annalium primo. Properantibus Blæſus aduenit. Sic mox. Iamq; pectori uſq; adcreuerat, pro ad pectus. Item. Sed Cattis adeo improuiſus aduenit. Quinto. Iamq; multa manu, propinqua Seleuciæ aduentabat. Libro 16: Tyridates accipiendo regno aduentabat. Libro 20: Cui excidium aduentabat.

Turbatum, abſolute.

Primo. Poſtquam turbatum in caſtris accepere.

Turbare, abſolute.

Annalium tertio. Si una alteraue ciuitas turbet. Quarto. Quum repete turbare fortuna cœpit. Libro 17. Quibuſdam, ut in tumultu, notabilius turbantibus. Libro 18. Quanquam conſularibus legatis nihil turbantibus. Libro 19. Denſo agmine obturbabat.

De communibus commodis, id eſt, ob communia commoda.

Primo. Quem miſſum ad uos à Germanico exercitu de cõmunibus commodis. Liuius libro quinto dec. quintæ. Qui de quacunq; cauſa tum aſpernati noſtra auxilia eſtis.

Morti depoſcere, pro ad mortem. Refertur autem depoſcendi uerbum frequenter ad ſupplicium.

Primo. Dum Centurionem cognomento Sirpicum, illa morti depoſcit.

Ex re conſulere, hoc eſt, pro ut occaſio tulerit. Simile illi, Pro re nata.

Primo. Nullis ſatis certis mandatis, ex re conſulturum.

Vt adſolet, pro ut conſuetum eſt.

Primo. Quaſi per officium obuiæ fuere legiones, non lætæ, ut adſolet. Tertio. Non alacri, ut adſolet, remigio. Quinto. Non, ut adſolet, lecto per magiſtros æſtimatoq; carmine. Libro 17. Præcipitibus, ut adſolet, nuncijs. Liuius libro primo decadis primæ. Vbi illuxit, paratis omnibus, ut aſſolet, uocari ad concionem utrunque exercitum iubet. Libro ſecundo quartæ dec. Quod legati ab Ardea queſti in ſenatu erant, ſibi in monte Albano Latinis carnem, ut aſſolet, datam non eſſe. Libro quarto decadis eiuſdem. Ludoſq; magnos, qui unà uoti eſſent, tãta pecunia, quanta aſſoleret, faciendos. Eiuſdem libro ſeptimo. Accepta à Liuio claſſe, & ſacrificio, ut aſſolet, rite facto.

Licentia ſimpliciter pro poteſtate ſiue permiſsione.

Primo. Quur ueniſſet, neq; augendis militum ſtipendijs, neq; adleuandis laboribus, deniq; nulla bene faciendi licentia. Expone priora, neq; ad augẽda militum ſtipendia, neq; ad alleuandos labores. Libro 14. Statuerent ut uellent, data & abſoluendi licentia. Paulopoſt. Mox licentia habendi obliuionem attulit.

Prouiſus us ui.

Primo. Ac prouiſu periculi hyberna caſtra repetentem, circumſiſtunt. Duodecimo. Quod prouiſu deûm uidua iungeretur principi ſua tantũ matrimonia experto. Intra. Cura, prouiſu, perinde agere, ac ſi hoſtis ingrueret. Libro 15. Nullo rei frumentariæ prouiſu. libro 18. Diſpoſitu prouiſuq; ciuiliũ rerum peritus. libro 19. Ne oculi quidem prouiſu iuuabant. libro 20. Sed paruum prouiſum, ni copiæ in caſtra conueherentur, rapi permiſere.

Aemulatus agere, pro æmulationes, hoc eſt æmulari.

Libro 13. Ne in urbe æmulatus ageret, prouinciæ Luſitaniæ præficitur.

Aduerſor

Aduerſor tibi.

Primo. Vt illic quoq; commodis legionum aduerſaretur. Quarto. Cæterũ neque tuis neque Liuiæ deſtinatis aduerſabor.

Aduerſor te.

Primo. Sua facinora aduerſari deos lamentatur. libro 17. Sed ambitionem ſcriptoris facile aduerſeris. Sic enim habet codex manuſcriptus, nõ ambitioni. Infra. Vidiſtis commilitones notabili tempeſtate etiam deos infauſtam adoptionẽ aduerſantes. libro 19. Neue ſe ut parricidam aduerſarentur. libro 20. Vulgus aduerſari regem, inuidere Aegypto, ſibi metuere.

Aliqua re gratus in uulgus.

Primo. Et ſi alij bonis artibus grati in uulgus. Sic & Cicero loquitur. Secundo. Multaq; in uulgus grata uſurpauit. Quinto. Tanto acceptius in uulgum, quanto modicus priuatis ædificationibus. libro 17. Lęta primoribus ciuitatis, celebrata in uulgus Celſi laus. Item. Fames in uulgus inopia quęſtus & penuria alimẽtorum. libro 18. In uulgus aduerſo rumore fuit. Infra. Vnde crebræ in uulgus mortes. libro 19. Spolia in uulgus cedebant.

Pertimere.

Primo. Nihil in uulgo modicum: terrere, ni paueant: ubi pertimuerint, impune contemni. libro 17. Sub Tiberio & Caio tantũ pacis aduerſa reip. pertimuere.

Oſtentus us ui.

Et hoc uſurpat in datiuo, ſicut & obtentui, Annaliũ primo. Corpora extra uallum abiecta oſtentui. Duodecimo. Auribus deciſis uiuere iubet, oſtentui clementiæ ſuæ, & in nos dehoneſtamento. libro 15. Iturum Tyridatem oſtentui gentibus, quanto minus quàm captiuum? Infra. Et ore ac membris in eum pallorem albentibus, ut oſtentui eſſet, multum uitalis ſpiritus egeſtum. libro 17. Noua iura Cappadociæ, noua Africæ, oſtentui magis q̃ manſura. Sic enim ibi legendum, non, oſtenta. libro 19. In Galliam Iulium Calenum tribunum, in Germaniam Alpinum Montanum &c. oſtentui miſere.

Curare exercitum. Aſiam curare. Curare legiones. Curare abſolute.

Primo. Inferiorem A. Cæcina curabat. Quarto. Qui proconſul Aſiam curauerat. libro quinto. Is Macedoniæ tũ intentus, Achaiã quoq; curabat. Infra. Getulicus ea tempeſtate ſuperioris Germaniæ legiones curabat. Vndecimo. Duo additi qui Romæ curarent. libro 16. Diurna po. Romani, per prouincias, per exercitus curantiũ leguntur. Ipſe actus executio appellatur. libro 15. Syriæq; executio Cincio, copiæ militares Corbuloni permiſſæ. libro 19. exploratores, ut mos eſt, longius curabant.

Moderor tibi.

Primo. Sed quibus Silius moderabatr̃. Secundo. Naueis ſoluit, moderabaturq; curſui. Tertio. Quia, ſibi quiſq; moderabatur. libro 15. Moderandum fortunæ ratus. Liuius libro primo dec. quartæ. Tum uero Athenienſium ciuitas, cui odio in Philippum per metum iamdiu moderata erat. &c. Libro ſeptimo dec. quartæ. Reliqua oratio fuit, ut memores rerum humanarum, & ſuæ fortunæ moderarentur, & alienam ne urgerent.

Exitij certus, pro de exitio. Ambiguus pudoris.

Primo. Iamq; lapidis ictu cruentus, & exitij certus. Secundo. Modo nõ omnia metuẽda ambiguus pudoris ac metus reputabat. Infra. Incerta ultionis, anxia ſui. Quarto. Relinquẽdæ uitæ certus. Quinto. Incertus animi. lib. 12. Nam ubi ſui matrimonij certa fuit. Infra. Retraxere ducẽ deſtinationis certũ. Infra. Tum Agrippina ſceleris olim certa, & oblatæ occaſionis propera. libro 18. Nequaquam trepidus, ſed conſilij certus. libro 19. Incertus animi, & infidis conſilijs obnoxius. lib. 20. Lætus & ſpei certus. Paulo inferius. Igitur ciuilis diſsidij certus. Sic enim manuſcriptus codex continet. Et ſequitur. Nunquam magis afflictam rem Romanam.

Quanquam in uulgatis æditionibus legitur. Igitur Ciuilis deſciſcendi certus. Vt Ciuilis ſit nomen proprium.

Tranſpoſitio præpoſitionum.

Primo. Non unus hæc, ut Pannonicas inter legiones Percennius, Infra. Cerni adhuc Germanorũ in lucis ſigna Romana. Item. Quantumꝗ Amiſiam & Lupiam amnes inter, uaſtatum. Item. Capto propere campo humentia ultra. Item. Multaꝗ eo coram. Secundo. Noſtra pro ripa. Secũdo. Quinta ab hora diei ad noctem cæſi hoſtes. Item. Tiberim iuxta, Rurſum. Oppido à Canopo. Infra. Danubium ultra. Tertio. Littora Calabriæ contra ſitam. Item. Senatu corà m. Et, patribus corà m. Item. Quos inter ambigebatur. Infra. Gentile apud ſolum. Item. Ornatum ad urbis. Rurſum. Vnum intra damnum ſtetiſſet. Item. Quod præturam intra ſtetit. Quarto. Miſenum apud & Rauennam. Mox. Sed pręcipuũ robur Rhenum iuxta. Item. Dum populatio lucem intra ſiſteretur. Rurſum. Ita Sardianos inter Smyrnęosꝗ deliberatum. Quinto. A carnifice laqueũ iuxta compreſsam. Item. Ripam apud Euphratis. Rurſum. Mare inter & extremos Albanorũ montes. Item. Quos ſuper eques &c. Paulopoſt. Ripã ad Euphratis. Vndecimo. Sed claritudine paucos inter ſenum regum. Item. Humũ infra moliri. Rurſum. Ea ſuper re. Item. Maximeꝗ, quos penes potentia. Duodecimo. Seu delecto die augendam ad inuidiam. Paulopoſt. Deducere iuuenẽ, ripam ad Euphratis iubet. Item. Vt templum iuxta, equos uenatui adornatos ſiſtant. Rurſum. Quum roſtra iuxta cuſtodibus circumdatus. libro 13. Quo ſolutius urbẽ extra laſciuiret. libro 14. Promontorium Miſenum inter & Baianum lacum. Item. Viam Miſeni propter & uillam Cæſaris Dictatoris. Paulopoſt. Viam Miſeni propter. Item. Cappadocum ex nobilitate. libro 15. Oceano abusꝗ petita. Infra. Occidendæ matris Neronis inter miniſtros. libro 18. Eſt Iudęã inter Syriamꝗ Carmelus. libro 19. Vtꝗ cumulo ſuper & recẽtia cæde ueſtigia inceſſere. libro 20. Alij uiã inter Moſellamꝗ flumen. libro 21. Hanc aduerſus urbem gentemꝗ Cæſar Titus &c. certare ſtatuit. Item. Inſulam inter Germanosꝗ. Liuius libro quarto dec. quintę. P. Naſica egregius adoleſcens omnibus ex unus quibus heſterna die pugnari placuit. Pro, unus ex omnibus. Libro primo dec. quartę. Excelſo in ſuggeſtu ſuperba iura reddentem. Libro octauo dec. tertiæ. Quos inter belli cauſa eſſet. Libro quinto. Vbi potentius iam eſſe id malum apparuit, ꝗ ut minores per magiſtratus ſedaretur.

Eximere conſtantiam, pro adimere. Miſerationem eximere.

Primo. Quippe plurium uęcordia conſtantiam exemerat. Tertio. Et ſi pręſumpta ſpes, hortandi cauſas exemerat. Vndecimo. Quanquam res aduerſæ conſilium eximerent. Sic enim repoſuimus, eraſo uerbo adimerent. libro 13. Quia diſſimulationem nox & laſciuia exemerat. Liuius libro quinto dec. quintę. Miſerationem omnem ſtultitia ignorantis fortunam ſuam exemit. libro ſecundo. Deinde ut pluriũ clamore & curſu à portis dubitatio exempta eſt. Virg. Poſtq̃ exempta fames epulis.

Materies pro materia.

Primo. Ea uetuſtiſsima militaribus odijs materies. Item. Conceſſam filio materiem. Secundo. Relinqueret materiem Druſi fratris gloriæ. Tertio. Præbuit iuueni materiem adipiſcendi fauoris. Quarto. Præbuitꝗ ipſi materiẽ. Quinto. Et materies criminandi. Item. Præbuitꝗ materiem doctiſsimis indigenarum. Duodecimo. Et materiem ſceleri detrahendam. libro 17. Sed plurima ad fingendum credendumꝗ materies.

Mulctare uerberibus. Mulctare exilio. Mulctare morte.

Primo. Proſtratos uerberibus mulctant. Infra. Et ſpectantium immodeſtiam exilio mulctandi poteſtas prætoribus fieret. Quinto. Exilio aut morte multarentur. libro 13. Vt quidam accuſatorum eius exilio multarentur. libro 14. Et qui alij ſeditionem conciuerant, exilio multati ſunt.

Exoluere

Exoluere pœna. Et ſimiles locutiones.

Libro 14. Titurium & Caluiſium pœna exoluit. Item. Donec Priſcus & Alphenus deſertis caſtris, ad Vitellium regreſsi, pudore proditionis cunctos exoluerent. Libro 20. Cōiectis in eum telis, initium exoluendæ in poſterum culpæ fecere. In libello Germanorum. Vt ſe quoq; pudore uictoriæ exoluant.

Ferox animi, & ſimiles locutiones.

Primo. Et animi ferox, inter obſtantes & armatos ferro uiam patefecit. Item. Sed fœmina ingens animi. Eodem. Rudem ſanè bonarum artium. Rurſus. Cæterorum immunes, niſi propulſandi hoſtis. Secundo. Sed hunc mitem erga amicos, modicum uoluptatum. Tertio. Cæſar Auguſtus potentiæ ſecurus. Item. Sed impiger militiæ. Rurſum. Quanquam pecuniæ modicus. Quarto. Ferox ſcelerum. Mox. Anum ſuapte natura potentiæ anxiam. Item. Fortunæ inops. Infra. Callidi temporum & ſapientes. Rurſum, Adeo factorum innocens ſum. Item. T. Liuius eloquentiæ ac fidei præclarus. Infra. Rerum ueſtrarum prouidum, offenſionum pro utilitate publica non pauidum. Item. Is recens prætura, modicus dignationis. Paulopoſt. At Agrippina peruicax iræ. Rurſum. Quod talis ſyluæ frequens fœcundusq; erat. Infra. Ingentium beluarū feraces ſaltus. Quinto. Præſtantiſsimus ſapientiæ. Item. Scientiæ cerimoniarumq; uetus. Infra. Magis ac magis trepidus admirationis & metus. Item. Continuus principis, pro eo qui continue agit apud principem. Mox. Aemilium genus fœcundum bonorum ciuium. Item. Oroden ſociorum inopem. Paulopoſt. Parthos abſentium æquos, præſentibus mobiles. Libro 12. Et ſubueniendum ſocijs uirium æmulis. Item. Atrox odij Agrippina, & facinorum non rudis. libro 13. Procax odij, & poteſtatis temperantior. libro 15. Magna uis camelorum onuſta frumenti. Infra. Atq; ipſe ut lætitiæ, ita mœroris immodicus egit. Item. Animi ualidus & corpore ingens. libro 16. Laſciuiæ inexperti. Mox. Inquietus animo, & occaſionum haud ſegnis. Infra. Sic ſpecie bonarū artium falſos, & amicitiæ fallaces. libro 17. Non tamen adeo uirtutum ſterile ſeculum. Item. Et pacis artibus belli inexpertus. Paulopoſt. Prouinciam aditu difficilem, annonæ fœcundam. Item. Conſilijq; quamuis egregij, quod non ipſe afferret, inimicus. Rurſum. Pecuniæ alienæ nō appetens, ſuæ parcus, publicæ auarus. Eodem libro. Corpore ingens, animi immodicus. Item. Vrbanę militiæ impiger, bellorum inſolens. Item. Non modo iacentia & plana urbis loca, ſed ſecura huiuſmodi caſuum, impleuit. libro 18. Veſpaſianus acer militiæ. Rurſum. Nec uirorum inopes, & pecuniæ opulentæ. Item. Coloniam uirium & opum ualidam. Infra. Namq; promptus animi Martius. Mox. Celſus doli prudens. Infra. Non tulit ludibrium inſolens cōtumelię animus. libro 19. Gregarius miles futuri ſocors. Item. Decoris ſecuros. Mox. Strenuus militiæ. Item. Futuri ambiguus. Paulo inferius. Ignarus militiæ, improuidus conſilij. Ibidem. Neq; fidei conſtans, neq; ſtrennuus in perfidia. Item. Ipſe æger animi. Et rurſus. Veluti captus animi. Et, Sermonis nimius erat. Mox. Ciuium ſanguinis parcum credidere. libro 20. Recti peruicax. Item. Tributorum expertes. Rurſum. Conſilij ambiguus. Paulopoſt. Ille, ut irritus legationis, redijt. Rurſus. C. Cæſar turbidus animi. Item. Ingens rerum. Rurſus. Nec ſubitum militem, ſed ueterem expertumq; belli. Item. Diuerſus animi. In libello Germanorum. Frugiferarum arborum impatiens, pecorum fœcunda. In uita Agricolæ. Frugum fœcundum. Rurſus. Animorū prouinciæ prudens. Item. Nos terrarum ac libertatis extremos, receſſus ipſe & ſinus fama defendit. Rurſus. Securus iam odij. Liuius libro ſexto dec. quartæ. Trepidiq; rerum ſuarum. libro octauo. Romanis Gallici tumultus aſſuetis etiam uanitates notæ ſunt.

In Centuriones inuadere.

Primo. Repente lymphati diſtrictis gladijs in centuriones inuadunt. Infra. Vt hi mox pedes in hoſtem inuaderent.

Exuere ſidem, Exuere tributa, Exuere uirtutes.

Primo. At ille moriturũ potius q̃ ſidem exueret, clamitans. Sic ſupra dixit. Exutoq; Lepido. Item. Exuta æqualitate. Infra. Alijs gentibus ignorãtia imperij Romani inexperta eſſe ſupplicia, neſcia tributa, quæ quãdo exuerint &c. Infra. Quã uirtutem diu retinuit, quum cæteras exueret. Secundo. Per cõmunes liberos orauit, exueret ferociam. Infra. Niſi certam ante diem profanos ritus exuiſſent. Tertio. Tum exuto iuſtitio reditum ad munia. Paulopoſt. Obſequium erga imperatorem exuit. Infra. M. Piſo exuta dignitate. Item. At poſtquam exui æqualitas. Quarto. Boniſq; exutus. Paulopoſt. Non enim exuere impoſita munia. Infra. Eo anno Friſij tranſrhenanus populus pacem exuere. Quinto. Seiani amicitiam cæteri falſo exuerant. Item. Virilibus curis fœminarum uitia exuerat. Rurſum. Dedit ſpaciũ exuendi pacta. Mox. Neq; exuerat pedorem. Vndecimo. Ac ne iuſſa exuerent. Mox. Ne tamen miles ocium exueret. Vbi uidetur legendũ, indueret. Duodecimo. Et miſſis corruptoribus exuendam ad ſidem hoſtes emercari. Infra: Territum exutumq; campis Mithridatem. Decimotertio. Exueret obſequiũ in matrem. Item. Vt hoſtem uagum exuerent ſedibus. Infra. Repertaq; ſpe ditioris coniugis, promiſſa exuere, id eſt exuebat. Libro 14. Auitis bonis exuuntur. Infra: Exueret magiſtrũ, ſatis amplis doctoribus inſtructus maioribus ſuis. Paulopoſt: Attamẽ neutrum datis à ſe pręmijs exuit. libro 16. Abrumperet uitam, ac ea ciuitate, cuius charitatem olim, nunc & aſpectum exuiſſet. Infra. Exutuſq; omnibus fortunis. libro 17. Ac ne reuerentiam imperij exuere uiderentur. libro 18. Prima iuuenta quietis cupidine ſenatoriũ ordinem exuerat. libro 19. Ac maiore ex diuerſo mercede, ius faſq; exuerent. Infra. Cuius ſacramentum cunctis circa hoſtilibus non exuerat. Libro 20. Quando etiam ſapientibus cupido gloriæ nouiſsima exuitur. Infra. Quid ſi Galliæ iugum exuant? Rurſus. Et ſi exuiſſent ſeruitiũ cupidine imperitandi. Item. In ciuitates quæ ſocietatem Ro. nõ exuerãt. libro 21. Nec quicquam prius imbuuntur, q̃ contemnere deos, exuere patriam, parentes, liberos, fratres, uilia habere. In libello Germanorum. Nec niſi hoſte cæſo exuere uotiuum obligatumq; uirtuti oris habitum. In uita Agricolæ. Et arrogantiam & auaritiam exuerat. Item. Exuere iugum potuere. Apud Liuium libro quarto dec. 4. L. Valerius contra M. Porcium Catonem mulierum cauſam agens, Nunquam inquit, ſaluis ſuis exuitur ſeruitus muliebris. Significat autem fœminas ſemper officioſas in ſuos eſſe, uel maritos uel liberos, niſi hijs per mortem priuentur. Libro ſeptimo. Exutoſq; magna parte prædę ad mare ac naues redegit. Idem rurſus libro ſeptimo dec. tertiæ. Ita repente exuit antiquos mores.

Induere munia ducis, induere ſeditionem.

Primo. De Agrippina Germanici Cæſaris uxore. Munia ducis per eos dies induit. Secundo. Qui, ne bellum tolerarẽt, ſeditionem induerint. Quarto. Habitum ac uoces dolentũ ſimulatione magis ꝙ libens induebat. Quinto. Qualem diem Tiberius induiſſet, pari habitu. Infra. Sceptuchi utrinq; donis acceptis, more gentico, diuerſa induere. Rurſum. Plurimũ adulationis Seleucẽſes induere. Vndecimo. Aut ditium familiarum hæredes Eſerninos & Aruntios magnum animum induiſſe. Duodecimo. Quorum rex Hyliates ſocietatem Meherdatis palàm induerat. Infra. Etiam aduerſus nos hoſtilia induerat. libro 15. Animũ bonis artibus nõ induerat. Infra. Quia ſpeciem iudicij induere nõ poterat. libro 16. Niſi contra inſtituta & cerimonias maiorum proditorẽ palàm & hoſtem Thraſea induiſſet. libro 20. Quæ ſuper inſtantia mala, falſos pauores induerat, deſciuiſſe Africam. Infra. Galbam & infracta tributa hoſtiles ſpiritus induiſſe.

In tempus.

Primo. Senſit miles in tempus cõficta. Secundo. Tmolum leuari idem in tempus

pus

pus tributis. Quarto. Quod unum malorum ſuffugium in tempus erat. Libro decimoquarto, Et ſcena in tempus ſtructa.

Reum ſubdi, ſubderi ue, Rumorem ſubdere.

Primo. Metuens, ne reus ſubderetur. Rurſum. Vtq; mos uulgo, quamuis falſis, reum ſubdere. Tertio. Maieſtatis crimina ſubdebantur. Quarto. Subditis qui accuſatorũ nomina ſuſtineret. Quinto. Et ſubdito rumore, tanq̃ Meſopotamiam inuaſurus. Intendere metum, pro intentare.

Primo. Spem offerunt, metum intendunt. Infra. Tradere uexillũ intento mortis metu ſubigunt. Tertio. Aduerſum os in hoſtem intendit. Item. Ob intenta Lepidæ pericula. Quarto. Quũ omnia alia conquirerent, intenderentq;. Vbi tamen potius pro augerent exponendum. Infra. Neq; tamen dubitabatur in Neronem & Agrippinam intendi. Quinto. Quur mutua accuſatione intenta. libro 13. Nero intellecta inuidia, odium intendit. Item. Quem metũ Graptus &c. tali mendacio intendit. Intendere pro augere.

Secundo. Langueſcet alioqui induſtria, intendetur ſocordia. Item. Intendere uera, adgerere falſa. Quarto. Vim præfecturæ modicam antea, intendit. Infra. Et huic negatus honor gloriam intendit. Duodecimo. Ardorem exercitus intendebant. Libro 14. Quibus exciſis, metum hoſtium intenderet. libro 17. Quippe hiantes in magna fortuna amicorum cupiditates, ipſa Galbæ facilitas intendebat. Infra. Intentis alimentorum pretijs. libro 18. Intendebat formidinem, quod publici cõſilij facie diſceſſum Mutina. Præſidium agitare.

Primo. At in Chaucis cœptauere ſeditionem, præſidium agitantes uexillarij. Sic & Liuius loquitur libro ſeptimo tertiæ decadis, quanquam is locus in uulgatis æditionibus eſt deprauatiſſimus. nam ſic habet. Qua Brutiorum præſidium eſſe agitatæ proditionis conciliator nunciauerat. Tu ſcribe. Quâ Brutiorum cohortem præſidium agitare, proditionis conciliator nunciauerat. Sic enim in manuſcripto codice legitur, quem nobis bibliotheca Spirenſis ſuppeditauit. Talibus mendis indigne conſpurcatus eſt paſſim Liuius, & tot iam annis hæc cura neminem tangit. O ſtudioſorum inanem fiduciam. Tacitus Annalium 15. Turrim in qua pręſidium agitabat, defendere auſo. *Liuij locus*

Agitare latrocinia.

Duodecimo. Aduentu Catthorum latrocinia agitantium.

Moliri fores.

Primo. Concurſuq; ad ianuam facto, moliuntur fores. Sic Liuius tertiæ decadis octauo libro dixit moliri naues. Et molientibus ab terra naues Philippus ſuperuenit. Item. Pœni ancoras molirentur. Rurſum Tacitus Annalium ſecundo. Moliuntur templorum fores. Vndecimo. Quæq; in aperto grauia, humum infra moliri. Duodecimo. Nuptiasq; Domitij &c. & Octauiæ Cæſaris filiæ, moliri. Itẽ: Molitur crimina & accuſatorẽ. Libro 13. Fratri eius L. Sillano necẽ molita. lib. 18: Subruit muros, inſtruit aggerem, molitur portas. Infra. In quam gladiatores nauibus molientes, Germani nando prælabebantur. Liuius libro ſexto dec. quartæ, Affecta labore ac uigilijs corpora ex ſomno moliebantur.

Molitor cædis.

Vndecimo. Et Appianæ cædis molitor Narciſſus.

Aduertere pro in ſe uertere cõmouereq;. Item pro attendere.

Annalium primo. Sed uelut in urbe uicta facies, gemitusq;, ac planctus, etiam militum aures oraq; aduertere. Et infra. Octo aquilæ petere ſyluas & intrare uiſæ, imperatorem aduertere. Quarto. Atq; illic eadem actitando recentia ueteraq; odia aduertit. Quinto. Vt atrox aduertebatur, id eſt, obſeruabatur. Infra. Vt uulgum miſeratione aduerteret. Duodecimo. Spirantẽ ac uitæ manifeſtã aduertere

pastores

paſtores. Decimotertio. Aduertere quoſdã cultu externo in ſedibus ſenatorum. Libro 14. Quæ ne in metu quidẽ pericula noſtra aduertit, id eſt attendit. Sic enim ſcripſimus pro auertit. Libro 15. Quoties nouum aliquid aduerterat. Libro 19. Aduertere proximi. Item. Turrim uicino ſitam lucere per noctem crebris luminibus aduertit. Item. Aduertit ea res Veſpaſiani animum.

Aduertere in aliquem, pro animaduertere ſiue punire.

Secũdo. In P. Martium conſules extra portam Exquilinam, quũ claſsicum canere iuſsiſſent, more priſco aduertere. Quarto. Aut ſi quis aduertit. Quinto. Placitum poſthac ut in reliquos Seiani liberos aduerteretur.

Aduertere parſimoniæ.

Tertio. Ne princeps antiquæ parſimoniæ durius aduerteret. Libro 13. Qui animum etiam leuiſsimis aduerterent.

Proiectum, pro contempto, & uili. Item pro abiecto.

Primo. An ciues quibus iam proiecta ſenatus autoritas? Tertio. Tam proiectę ſeruientium patientiæ tædebat. Libro 19. Vultus procul uiſentibus notabantur, Vitellij proiectus & degener. Libro 20. Interea Iulius Sabinus proiectis fœderis Romani monimentis Cæſarem ſe ſalutari iubet. Cicero proiectam audaciam dixit & Liuius proiectas ac proditas ad inconſultam atq; improuidam pugnam legiones, Germanice, ueruuægen.

Sacra legationis. Sacra menſæ.

Primo. Hoſtium quoq; ius, & ſacra legationis, & fas gentiũ rupiſtis. Decimotertio. Quanquam intra ſacra menſæ &c. properata ſit. ſ. mors. libro 15. Inuidiam prætendens, ſi ſacra menſæ, dijq; hoſpitales, cæde qualiſcunq; principis cruentarentur. libro 19. Sacrum etiam in exteras gentes legatorum ius, &c.

Animum cupido inuolat.

Primo. Truces etiamtum animos cupido inuolat.

Incautum pro eo quod non cauetur.

Primo. Conſultatq; ex duobus itineribus breue & ſolitum ſequatur, an impeditius & intentatum eoq; hoſtibus incautum.

Gnarum pro cognito.

Primo. Quod gnarum duci. Infra. Trudebanturq; in paludem gnaram uincentibus, iniquam neſcijs. Quinto. Conſpicui, eoq; gnari. Duodecimo. At nobis ea pars militiæ maxime gnara eſt. libro 15. Idq; nulli magis gnarum quàm Neroni. Libro 21. Campos madentes, & ipſis gnaros, paludes hoſtibus noxias.

Ignarum, pro ignoto.

Secundo. Per occulta & uigilibus ignara. Tertio. Non quidem ſibi ignara quę uulgabantur. Quinto. Sed quædam ſecus quàm dicta ſint cadere fallacijs ignara dicentium, hoc eſt ignota. Duodecimo. Nihil tam ignarum barbaris q̃ machinamenta & aſtus oppugnationum. Eodem. Quanto ignara barbaris, tanto tolerantiora capeſſeret. Sic enim illic repoſuimus è ſcripto uolumine pro ignoratiora. libro 15. Cui enim ignaram fuiſſe ſæuitiam Neronis? libro 19. Quæ ignara Veſpaſiano aut uetita.

Incedere itineri & prælio.

Primo. Inceſsitq; itineri & prælio, hoc eſt, ad iter & pręlium. Similis infra locutio. Sibiq; & prælio firmabat. Item libro tertio. Dein præſidio Africæ ducebatur. Hoc eſt, ad præſidium Africæ. Quarto. Proxima æſtuaria aggeribus & pontibus traducendo grauiori agmini firmat. libro 13. Subruendo uallo inducit. Mox. Qui uiæ pariter & pugnæ cõpoſuerat exercitum. Libr. 15. Nec recuſaturum Tyridatem accipiendo diademati in urbem uenire. Item. Dum auxilia libertati inuocat.

Comprimere pro opprimere.

Primo. Cõpreſsiſſe Germaniæ populos. Paulopoſt: Neq; duorũ adoleſcenti

um

um nondum adulta autoritate comprimi queat. Infra: Compreſſam à muliere ſe-ditionem. Tertio: Et comprimēdi procul prǽſidium. Infra: Compreſsis ſeditionibus. Libro 18. Conſenſu meliorum compreſsi. Libro 20. Sc cum cohorte cui præerat, Caninefatem tumultum compreſſurum. Vbi quidam ſcripſerunt, oppreſſurum. Liuius libro ſecundo dec. quintæ. Magis è repub. uiſum erat cōprimi ac ſedari exaſperatos Ligures. Idem libro 8. quartæ dec. eleganter compreſſam annonam uocat, cuius pretium per coemptionem eſſet intentum. Et duodecim, inquit, clypea ǽrata ab ædilibus currulibus P. Claudio & P. Sulpitio Galba ſunt poſita ex pecunia qua frumentarios ob annonam compreſſam damnarunt.

A contactu pro conſuetudine ſiue contagio.

Primo. Diſcedite à contactu, ac diuidite turbidos. Quinto. Plures infecti quaſi ualitudine & contactu. Libro. 17. Ita in fauorem aut odium cōtactu ualentiorum agebantur. Libro 18. Simul cæteræ legiones contactu, & aduerſus Germanicos milites inuidia, bellum meditabantur. In uita Agricolæ. Oculos quoq; à contactu dominationis inuiolatos habebamus. Participio cōtactus utitur Liuius libro primo deca. quartæ. Multis in Italia contactis gentibus Punici belli ſocietate. Libro octauo eiuſdem. Et ut omnia cōtacta ſocietate peculatus uiderentur.

Ludificor illum.

Primo. Quod dum patres & plebem, inualida & inermia, cunctatione ficta ludificetur. Sic & Terentius. Ludificatus uirginem. Tertio rurſum. Feſſumq; Romanum impune ludificabatur. Liuius libro nono quartæ dec. Qui ludificati priorem locationem erant. Idem uerbale nomen uſurpat libro 8. dec eiuſdē: Ferri iam ludificatio iſta nō poteſt. Idem libr. primo dec. quintæ: Munificentia inæquali ſeſe alioſq; ludificari. Libro 4. Ne hoſtem quidem ludificatos priores imperatores.

Cauillari uerba patrum.

Primo. Tiberium uigentem annis ſedere in ſenatu, uerba patrū cauillantem. Abſolute Liuius uſurpat lib. 9. quartæ dec. Tum quoq; ait eā cum Ebutio ſe amatore cauillari credere. Apud eundem legitur uerbale nomen libro 8. dec. quartæ. Et paulatim illiberali adiectione nunc per cauillationem, nunc precibus & ſimulatis lachrymis ad centum talenta eſt perductus.

Summus ſeueritatis & munificentiæ, & aliæ quædam locutiones.

Primo. Eundemq; ſeueritatis, & munificentiǽ ſummum uidiſſent. Vndecimo: Lætiſſimo faſtigij eius, hoc eſt de eo faſtigio. Sic enim illic legendum putamus pro leuiſsimum faſtigij eius. Libr. 14. Neq; morum ſpernendus habebatur.

Præſumere, ante ſumere, Præſumptus.

Primo. Ac ni ſupplicitū in malos præſumant. Tertio. Et ſi prǽſumpta ſpes, hortandi cauſas exemerat. Duodecimo: Ac perinde fortunam utriuſq; præſumeret. libro 14. Atq; ipſa, præſumēdo remedia, munierat corpus. libro. 17. Torpebat Vitellius, & fortunam principatus inerti luxu, ac prodigis epulis præſumebat. libro 19. Et partes præſumpſere. In uita Agric. Præſumpta apud militē illius anni quies.

Reſumere.

Libr. 19. Rerum nouarum cupido legati nomen reſumere & miſceri ciuilibus armis impulerat. Libr. 20. Reſumpto Veſpaſiani ſacramento. Infra: Inſtituta cultumq; patrium reſumite.

Diuerſus omnium, pro ab omnibus. Aduerſus illorum.

Primo. Diuerſa omnium quæ unquam accidere ciuilium armorū facies. Tertio. Veneno eum à Lepida petitum inluſtrium domuum aduerſa, pro illuſtribus domibus, id eſt familijs. Libr. 14. Vt par ingenio, ita morum diuerſus.

Arma pro bellis.

In primo exemplo præcedentis claſsis. Libro 13. rurſum. Vſq; ad ciuilia arma. Libro

Libro 15. Poſt arma Iulij Vindicis ad auſpicium & præſagium futuræ ultionis tra hebatur. Libro. 17. Sed per ciuilia arma etiam ſeueris ducibus uſurpatum. libr. 18. Sortem ciuilium armorum miſera lætitia deteſtantes. Infra: Quæ grauia atq; in toleranda, ſed neceſſitate armorum excuſata, etiam in pace manſere. libro 19. Miſceri ciuilibus armis impulerat. Item: Et unum militem, quotam ciuilium armorum partem? Vnde eleganter Liuius denunciationem armorum dixit pro denun ciatione belli, decade quinta, de Perſeo Macedonũ rege loquens. Græcas, inquit, urbes, alias obſideret, alias denunciatione armorum terreret.

Temerare pro uiolare ſtuprareq;. Temeratus.

Hoc uerbo ſæpe Tacitus utitur. Primo. Eandem Iuliam in matrimonio M. Agrippæ temerauerat. Et rurſus. Non aliud malorum leuamentum, q̃ ſi linquerent caſtra infauſta temerataq;. Libro 19. Ciuilis rabies uſq; in exitium temeraſſet. Libro 20. Prædixere haruſpices ne temeraret̃ opus ſaxo auroue in aliud deſtinato.

In prominenti littoris. Hoc eſt prominenti parte littoris. Aſperrimo hyemis.

Primo. Tum milites ad cædẽ miſsi inuenere in prominenti littoris nihil lætum opperientem. Tertio. Ipſum quippe aſperrimo hyemis, Ticinũ uſq; progreſſum. Infra: Aut diuerſo terrarum diſtineri. Quarto. Vel celeberrimo fori effigiem diui Auguſti amplecti. Quinto. Extremo anni. libr. 14. Quin ſi qua in parte lubricum adoleſcentiæ noſtræ declinat, reuocas. libro 18. Et lubrico itinerum adempta equorum pernicitate. Item: Ni uictorem exercitum attinuiſſet obſcurum noctis. Infra. Aut ubi lubrico uiæ uel occurſu alicuius procidiſſent. Libro 19. In extremo Ponticæ oræ. Libro 20. Extrema Gallicæ oræ &c. occupauere. Item: Illi raptim uecti, obſcuro adhuc cœptæ lucis, domum proconſulis irrumpunt. Libro 21. Terga hoſtium promittens, ſi extremo paludis eques mitteretur.

Occulta ſaltuum, Humida paludum, & ſimiles locutiones.

Primo. Præmiſſo Cæcina ut occulta ſaltuum ſcrutaretur, ponteſq; & aggeres humido paludũ & fallacibus campis imponeret. Sic dixit ſupra. Aliaq; honorum multiplicata, pro alij honores. Subiecta uallium. Primo. Subiecta ualliũ ac reſultanteis ſaltus compleret. Item. Illi ſanguine ſuo, & lubrico paludũ lapſantes. Item: Summa ualli prenſant. Secundo. Aut prominentia montium reſiſtunt. Ibidem mox. Campum & prima ſyluarum barbara acies tenuit. Infra: Diſiecitq; naues in aperta Oceani. Item: Neq; ſuſpiciones imbecillas aut inania famæ pertimeſcẽda. Tertio. Aliaq; funerum ſolennia. pro ſolitis. Ibidem: Complentur non modo portus & proxima maris. Infra: Per amœna Aſiæ atq; Achaiæ. Item: Longinqua imperij. Infra. Per incerta maris & tempeſtatum cotidie uoluitur. Rurſum. Multa laudis & artium imitanda poſteris tulit. Quarto. At apud idonea prouinciarum, hoc eſt apud idoneos locos prouinciarum. Mox: Aut aſperis maris. Infra: Iuſſa principis magis q̃ incerta belli metuens. Item: Quibus præcipua rerũ ad famam dirigenda. Paulopoſt. Sed altius metuens tacita ſuſpicionũ. Item: Qui montium æditis inculti atq; eo ferocius agitabant. Infra: Auxit uana rumoris. Item: Quo ſæua uentorum arcẽtur. In fine libri. Imperij extrema. Quinto. Simulationum tamen falſa, in ſinu aui perdidicerat. Vndecimo. Summaq; imperij ambigua. Item mox. Ad excindenda caſtellorũ ardua. Lib. 17. Niſi incerta noctis &c. timuiſſent. libro 18. Et læua maris prætervectus. Item: Altiora murorum ſagittis aut ſaxis inceſſere. Infra: Ac dubijs præliorum exemptus. Item: E gregario ad ſumma militiæ prouectum. Paulo inferius. Mihi bellum, & præliorum incerta trade. Libro 19. Ac ſumma ualli ruina ſua traxit. Item: Miſsis per proxima littorum liburnicis. Item: Prima rerum quieti ſpeculabantur. Item: Summa nauium tabulis augent. Et rurſus: Non intuta mœnium firmare, noctu dieq; fluxi, & amœna littorum perſonantes. Et, Per anguſta & lubrica uiarum flexerant. Lib. 20. Et fluxa ſeruitiorum

fides

ſides,ac fortuita belli ſperabantur. Item: Extrema Galliarum quaterent. Et, Qui pontes & uiarum anguſta inſiderent. Et, Recepta omnis præda, niſi quam uagi per inacceſſa mapalium ulterioribus uendiderāt. Rurſum. Statos æſtiuis flatibus dies & certa maris opperiebatur. Libro 21. Cuncta camporum. Item: Quando impetum & ſubita belli locus abnueret. Item: Extrema & latiſsima mœnium. In uita Agricolæ. Ludos & inania honoris modo rationis atq; abundantiæ duxit. Item: Montium profunda, tempeſtatum ac fluctuum aduerſa. Rurſus: Qui adhuc pugnæ expertes ſumma collium inſederunt. Mox. Quatuor alas ad ſubita belli retentas. Item: Media campi Couinarius eques ſtrepitu ac diſcurſu complebat.

Præcipere, pro Antecapere.

Primo. Quod quanquam in æſtatē ſumma ope parabat, initio ueris, & repentino in Cattos excurſu præcepit. Secundo. Quia ſpeciem libertatis Piſo prçceperat. Tertio. Præceperant animis orationem patres. libro 19. Ni Antonius idipſum metuens feſtinato prçlio uictoriā præcepiſſet. Hoc uerbo ſçpe Liuius in hūc ſenſum utitur. Apud quē tamē hæc ſimplex uerbi ſignificātia, ſed à cōmuni loquentium uſu paulo remotior hodie, quaſdam ſententias inuoluit, ac multis deprauationibus anſam dedit. Propter ſtudioſos Liuianæ lectionis proferam hic unū inſignem locum, cum quo multi eruditorum ante nos luctati ſunt, ſed nulli ſucceſsit conatus. Is locus eſt apud Liuium libro ſecundo primæ decadis in hæc uerba ſcribentem. Adeo in alteram cauſam non collega ſolum præceperat. Inſpexi locū in manuſcripto codice. nec aliam continebat lectionem. In margine tamen eius ueteſti uoluminis adnotatum reperi, præceps erat. Quam ſcripturam probat M. Antonius Sabellicus, addens etiam legi poſſe, præceps ierat. Ego uero quum eum locum excuterem, & ueniſſet mihi in mentem prçcipere ueteribus autoribus interdum eſſe præſumere ſiue antecapere, deinde cogitaſſem Appium uehemētis ingenij uirum fuiſſe, quippe quem Liuius paulopoſt immitem natura uocet, deprehendi germanam eſſe lectionem, ſi præceperat accipiamus pro anteceperat, tum pro in ſcribamus ui, hoc modo. Adeo ui alteram cauſam non collega ſolum præceperat, ſed omnis factio nobilium. Significat Liuius Appium ui cauſam alteram occupaſſe, quum prius propoſita ſententia, nobiles omnes habuit aſtipulatores. Hoc indicant uerba quæ præceſſerunt, Appius uehementis ingenij uir imperio conſulari rem agendam cenſebat, uno aut altero arrepto, quieturos alios. Seruilibus lenibus remedijs aptior, concitatos animos flecti q̄ frangi putabat, quum tutius tum facilius eſſe. Nec uero quicquā dubito, ſi ſupereſſet optimus uir Sabellicus, quin mihi ſubſcriberet. nam candorem hominis ædita ſcripta ſatis teſtantur. Hoc uerbo rurſus utitur in hunc ſenſum Liuius libro tertio decadis primæ. Nec ex quo caſtris caſtra conlata ſunt, inquit, ceſſatum à leuibus prælijs eſt, facile patiente Dictatore, cōferendo uires, ſpem uniuerſæ uictoriæ tentato paulatim euentu certaminum ſuos præcipere. Emenda Liuij codicem libro tertio primæ decad. Dum præriperent iter nuncij miſsi in caſtra. Et ſcribe, dum præciperent iter. Rurſus eiuſdem decadis libro ſexto. Nobiles homines in poſſeſsionem agri publici graſſari, nec, niſi, antequam omnia præripiant, diuiſus ſit, locum ibi plebi fore. Tu ſcribe, antequam omnia præcipiant. Eodem libro. Non præripiam gratiā publici beneficij. Repone, Non præcipiam gratiam publici beneficij. Libro primo dec. 4. Vt id nouit, quod animis præceperat. Libro ſecundo. Ipſe tribus quinq;remibus expeditis Piræeum præcepit. Libro quinto. Ne ſe ad bellum Achaicum, aut rem ullam, quam ſua quiſq; opinione præcipere poſſet, crederent miſſos eſſe. Libro 6. Aliquantum uiæ præceperat rex. Libro 8. Conſul, quia non cōminus pugnā, ſed locis oppugnandis futuram præceperat animo. Libro ſecundo dec. quintę. Ex eo quod acciderat ſpem futuri præcipiētes. Libr. quinto nō procul initio, ubi legitur,

Liuij locus

 Præcer/

Præcerptam tamen eius rei lætitiam inuenerunt. Malim ſcribere, præceptam. Id declarant quæ illic ſequuntur. Sanè qui prçcerptam ſcripſit, intellexit defloratam, quemadmodum dixit libro 8. dec. quartę. Gloriamq́ eius uictorię defloratam ad Thermopylas eſſe. Verum hic magis quadrat prçceptam. L Florus de Ptolemęo Cyprio rege. Et ille quidem ad rei famam ueneno fata prçcepit. Apud eundem Florum in fine quartę Epitomes, ubi de Cantabris agit, uulgo legitur. Poſtquam extrema barbari uident, certatim igni, ferro, inter epulas, uenenoq́ quod ibi uulgo ex arboribus taxis exprimitur, percepere mortem. Ego uero ſcribo, præcepere mortem.

Antecapere.

Libro 20. Quia pontem Moſę fluminis anteceperat.

Properare iter. Et properatus participium. Feſtinare mortem. Item Properato aduerbium.

Primo. Siccitate & amnibus modicis inoffenſum iter properauerat. Secundo. Ni deditionem properauiſſent. Infra: Niſi uoluntariam mortem properauiſſet. Item: Ne tela quidem niſi agreſtia ad ſubitum uſum properata. Tertio. Prçmatura uel cum exitio properant. Quarto. Mortem in ſe feſtinauit. Infra: Properata inde accuſatio. libro 13. Neque minus properatò Narciſſus Claudij libertus &c. ad mortem agitur. Item: Ante oculos inimici properata. Loquitur de morte Britannici. libro 14. Sed cędes, patibula, ignes, cruces tanquam redditurі ſupplicium, ac prçrepta interim ultione feſtinabant. libro 15. Continuum die noctuq́ iter properabant. libro 16. Interciſis uenis, mortem approperauit. libro 17. Pleraq́ contra decus ex prçſenti uſu properando. libro 19. Et ſi cœptum iter properaſſet. Infra: Feſtinare comitia, hoc eſt, feſtinabat.

Auctus us ui, pro augmento.

Primo. Imbresq́ & fluminum auctus regredienti metuebatur. Secũdo. Auctu imperij adoleuiſſe etiam priuatas opes. libro 17. Subita inundatione Tiberis, qui immenſo auctu &c. Libro 20. Sed Transrhenanis gentibus inuiſa ciuitas opulentia auctuq́.

Quod illi moris, pro, Qui illi mos.

Primo. Non auſo hoſte, terga abeũtium laceſſere, quod illi moris, quoties aſtu magis, quàm per formidinem ceſsit.

Id morum Tiberij fuit. Hoc eſt, Id in moribus Tiberio fuit: ſiue, Id in moribus Tiberius habuit.

Primo. Id quoq́ morum Tiberij fuit, continuare imperia.

Huc illuc.

Primo. Sed exterruit Cęcina huc illuc ferens arma. Quarto. Quũ ex uſu temporis huc illuc mearent. Duodecimo: Enimuero Caractacus huc illuc uolitans. libro 15. Per noctem huc illuc curſaret incuſtoditus. libro 19. Huc illuc tracturus interpretationem, pro ut conduxiſſet. libro 20. Vt uero huc illuc diſtrahi cœpere. libro 21. Et pluribus nuncijs huc illuc curſantem, poſſe medio intercipi.

Quanto quis audacia promptus, & ſimiles locutiones.

Primo. Nam barbaris quanto quis audacia promptus, tãto magis fidus, rebus cõmotis potior habetur. Infra: Quãto inopina, tanto maiora offundũtur. Tertio. Quanto pecunia dites, & uoluptatibus opulentos, tanto magis imbelles. Quarto. Tanto infenſius cęſi, quanto perfugę & proditores ferre arma ad ſuũ patrięq́ ſeruitium incuſabantur. Infra: Quanto intentus olim publicas ad curas, tanto occultior in luxus. Quinto. Tanto acceptius in uulgum, quanto modicus priuatis ędificationibus. Duodecimo: Quanto ignara barbaris, tanto tolerãtiora capeſſeret. Sic enim illic ſcripſimus pro ignoratiora. libro 18. Quantumq́ hebes ad ſuſtinendum laborem miles, tanto ad diſcordias promptior.

Pretium

Pretiũ ſimpliciter,ut pretiũ operę,ſiue laboris.Pretiũ exitus,hoc eſt mortis.

Primo.Germanico pretium fuit cõuertere agmen.Secundo:Res eo anno prolatas haud referrem,ni pretium foret.libro 19.In Veronenſibus pretiũ fuit . lib.20. Neq; aliud pretium exitus, q̃ fides famaq;.Item:Poſtquam nullũ mendacio pretium.In uita Agricolę:Bonę tantum conſcientię pretio ducebantur.

Pacem quàm bellum probabam, & ſimiles locutiones.

Primo.Et pacem quàm bellum probabam. Tertio: Quem haud fratris interitu trucem, quàm remoto æmulo æquiorem ſibi ſperabat. Eodem libro.Reſpondente nullo,miſeratio quàm inuidia augebatur.Infra : Et nobilitatem ſine probro actam,honori quàm ignominiæ habendam ducebat . Quarto: Aſinius Agrippa claris maioribus quàm uetuſtis. Quinto : Ne memoriam noſtri per mœrorem q̃ læti retineatis . Decimotertio : Pleraq; in ſumma fortuna auſpicijs & conſilijs,q̃ telis & manibus geri.Infra:Nec grata Pallantis innocẽtia , quàm grauis ſuperbia fuit.libro 14.Deniq; ſi id rebus conducat,libens quàm coactus acciret dominam. libro 19.Ne ſuas quidem legiones opperiebãtur,ut prędæ quàm periculorum ſocias.Infra:Cur enim è roſtris , fratris domum imminentem foro,& irritandis hominum oculis,quàm Auentinum & penates uxoris petiſſet . libro uigeſimo.Is ſe è maioribus ſuis hoſtis populi Ro. quàm ſocius,iactabat.Et rurſus. Non imperitia adoleſcentuli uerba & conciones quàm ferrum & arma meditantis , ſed &c. Infra: Vbi ſecuritas redijt,uoluptatum quàm religionũ appetens,negligere paulatim,hoc eſt,negligebat.lib.21.Corpora condere quàm cremare , è more Aegyptio.In libello Germanorum. Cedere loco dummodo rurſus inſtes , conſilij quàm formidinis arbitrantur . Hunc loquendi modum uſurpat & Liuius libro ſeptimo dec. primæ.Quicquid,inquit,hinc aut illinc communis Mars bello aufert,multiplex quàm pro numero damnum eſt. Vbi uero legitur uulgò apud eundem autorem libro 9.tertiæ decadis. Veram certe uictoriã eius rei ſibi quiſq; mallet , quàm ulla imperia,deprehendi ex ueſtigijs manuſcripti codicis legendum. Veram certe uictoriam eius rei cupias quàm ulla imperia . Porrò ſubauditur in huiuſmodi locutionibus aduerbium potius aut magis.Sic eſt & illud Nazianzeni.

Θέλω τύχης ςαλαγμὸν,ἢ φρενῶν πίθον.

Reum facere,hoc eſt accuſare,ſiue reum agere.

Primo. Violatorem fœderis ueſtri Arminium , apud Varũ qui tum exercitui præſidebat,reum feci.Sic & Suetonius in Tiberio, de eo ipſo loquens. Fannium Cœpionem,qui cum Varrone Murena in Auguſtum conſpirauerat , reum maieſtatis apud iuuenes fecit, & condemnauit.

Bellum inuitis aut cupientibus eſſe,& ſimiles locutiones.

Primo . Fama dediti benigneq; excepti Segeſtis uulgata , ut quibuſq; bellum inuitis aut cupientibus erat, ſpe uel dolore accipitur. Græci dicunt ἀχθομένοις aut ἡδομένοις εἶναι,id eſt, inuitis aut lubentibus eſſe , quum ſignificant moleſtum exiſtere quicquam aut gratum . Xenophon ἑλλωικῶν quinto . ἦν δὲ ὀυ τῷ ἀγησιλάῳ ἀχθομένῳ ταῦτα. Hæc Ageſilao grauanti nõ erant.Plato in Phædone . ὅθεν δὲ ἀπελίπομεν ἐπανέλθωμεν, εἴ σοι ἡδομένῳ ἐςί. Quod reliquimus eò reuertamur, ſi tibi lubenti eſt . Rurſum Tacitus Annalium libro 15.Hæc atque talia plebi uolenti fuere . Sic enim caſtigauimus nos,quum ante legeretur,ualentia fuere . Iterum libro 19. Cæteriſq; remanere , & in uerba Veſpaſiani adigi uolentibus fuit . Nam uocem liberum illic à quopiam inſultam, autoritate manuſcripti uoluminis ſubmouimus.Hanc Græcam figuram & in uita Agricolę retulit.Eoq; initio erecta prouincia,ut quibus bellum uolentibus erat,probare exemplũ, ac recentis legati animum opperiri.Nazianzenus.ὕβριζε,ἀπείλει,ποίει ὅτι ἂν ᾖ βουλομένῳ σοι.Contumelioſus eſto,inſulta,fac quicquid fuerit tibi uolenti . Xenophon, ἑλλωικῶν quarto.

 τὶ οὖν

τί οὖν ἔφη, οὐ πυνθάνῃ εἰ καὶ ἐκείνῳ βουλομένῳ ταῦτ᾽ ἐστί; Quin igitur rogas, an hæc illi uolenti ſint. Plato. ἀλλ᾽ ὅρα εἰ σοὶ βουλομένῳ εἴη ἃ λέγω. At uide num tibi uolenti ſint quæ dico. Macrobius. Si uobis uolẽtibus eſt. Huius locutionis exempla Græca retulit callentiſsimus utriuſq; linguæ Guilielmus Budæus, immortale Galliarum ornamentum, & literarum uirtutisq; columen in utiliſsimis illis ſuis Græcæ linguæ cõmentarijs. Hic habes exempla Latina. Porrò de hijs meminimus in Caſtigationibus etiam ſuis ubiq; locis.

Neſcium paſsiue, pro eo quod neſcitur.

Primo. Alijs gentibus ignorantia imperij Romani inexperta eſſe ſupplicia, neſcia tributa.

Aſyndeton.

Primo. Simulq; pedes, eques, claſſes apud prædictum amnem conuenere. Secundo. Inter quos inſignis Arminius, manu, uoce, uulnere, ſuſtentabat pugnam. Paulopoſt: Arma rapiunt, plebes, primores, iuuentus, ſenes. Item: Ac poſtulauit modum argento, ſupellectili, familiæ. Quarto. Bellumq; impeditum, arduum, cruentum minitabantur. Mox. Iisq; permiſſum uaſtare, urere, trahere prædas. libro decimoquinto. In quam certatim nomina dederant, ſenatores, eques, miles. Paulopoſt: Sed mirum quàm inter diuerſi generis, ordinis, ætatis, ſexus, diuites, pauperes, taciturnitate omnia cohibita ſint. Libro 7. Equos, arma, pecunias, offerentes: ut quiſq; corpore, opibus, ingenio ualidus. libro 19. Conſilio, manu, uoce inſignis hoſti, conſpicuus ſuis. Mox. Simul cæteri ut cuiq; ingenium, ſpoliare, capere arma, abripere equos. Item. Præterita, inſtantia, futura, pari obliuione dimiſerat. libro 21. Vt perfidum, ignauum, uictum hoſtem in ęternũ excinderent. Mox: Coniugum, parentũ, patriæ memores. Liuius libro quinto decadis quintæ. Terra mari trepidatur.

Miſſu. Ablatiuus.

Primo. Bructeros ſua urenteis expedita cum manu L. Stertinius miſſu Germanici fudit. Secundo. Quàm hijs qui ſorte aut miſſu principis obtinerent. Sic dixit
Accitu accitu libro eodem. Earum quippe accitu uenire. Item, conceſſu. libro tertio. Au-
Conceſſu ctam hinc conceſſu Herculis, hoc eſt conceſſione Herculis. Sic libro duodecimo. Conceſſu fratrum regnũ adeptus. libro decimoquarto. Ipſe audito, ueniſſe miſſu Agrippinæ nuncium Agerinum. Et libro decimoſeptimo. Donec miſſu Galbæ Vitellius aderat. Libro 21. Miſſu Neronis Veſpaſianus &c. uictore exercitu te-
Obiectu nebat. Item quarto libro Obiectu. Cœli temperies hyeme mitis obiectu montis
Diſtinctu quo ſæua uentorum arcentur. Quinto. Ac diſtinctu pinnarum à cæteris auibus
Subuectu diuerſum. libro 15. Et prouiſi ante commeatus, quorũ ſubuectu &c. libro 16. Niſi
Indutui ea quam indutui gerebat, ueſte detergeret. libro 18. Diſpoſitu prouiſuq; ciuilium
Diſpoſitu rerum peritus. Libro 20. Tutor Treuirorum copias recenti Vangionum, Cara-
Recenti lectu catium, Tribocorũ lectu auctas, ueterano pedite atq; equite firmauit. Item. Hæc
Aduectu de origine & aduectu dei, celeberrima. libro 21. Cuius obiectu reuolutus amnis.
Obiectu Et rurſus in libello Germanorum. Conſtantia precum & obiectu pectorum. Sic
Diuiſui diuiſui dixit Liuius libro tertio quartæ dec. de publicis uectigalibus Carthaginen-
Armatu ſium loquens. Partim, inquit, prædæ ac diuiſui principũ quibuſdam & magiſtra-
Receptus tibus erant. Item armatu libro ſeptimo eiuſdem. Inde Neocretes mille, & eodem armatu Cares. Et mox. Et humor toto ferè graui armatu, nihil gladios aut pila hebetabat. Libro quinto. Ne aut tyrannus quum uellet, receptũ ad urbem haberet.

Permiſſu.

Secundo. Vetitis, niſi permiſſu, ingredi ſenatoribus. Liuius libro ſeptimo quartæ decadis. Niſi permiſſu imperatoris, qui eam prouinciam obtineret &c.

Incedunt mœſtos locos. Virtute præpoſitionis, pro incedunt in mœſtos locos.

Primo. Incedunt mœſtos locos, uiſuq; ac memoria deformes. Libr. 14. Poſtremus

mus ipſe ſcenas incedit. Sic enim repoſuimus pro aſcendit. Item. Græci amictus, quos per eos dies pleriq; inceſſerant, tum exoleuerant. Mox. Quia fontem aquæ Martiæ ad urbem deductæ nando inceſſerat.

Elabor cum accuſatiuo.

Primo. Pugnam aut uincula elapſi. Quarto. Eiuſq; ſtatuā uim ignium bis elapſam. Libro 19. Cuſtodias Vitellij elapſum.

Eluctor niues.

Libro 19. Et uix quieto agmine niues eluctantibus, patuit, quantum diſcriminis adeundum foret. In uita Agricolę. Super uirtutem hoſtium, locorum quoque difficultates eluctatus.

Soluere ſuprema alicui, pro parentare. Item ſuprema pro funere, ſiue exequijs. Item pro fine uitæ. ſupremis ſuis conſulere.

Primo. Igitur cupido Cæſarē inuadit ſoluendi ſuprema militibus duciq;. Item: ſuprema pro morte. Tertio. Poſt celebre carmen quo Germanici ſuprema defleuerat. Quarto. Habitus tamen ſupremis honor, oſſaq; tumulo Octauiorum illata. libro quinto uocat ſuprema officia. Quod ſupremis in matrē officijs defuiſſet. Infra. Sanè paucos (& ſuprema principis) dies poſſe uitari. Mox. illic cum appropinquare ſupremis, tali modo compertum. Duodecimo. Ne admotus ſupremis Claudius, & dolo intellecto, ad amorem filij rediret. Libro 15. Animum aduerſum ſuprema firmat. Infra. Ita codicillis præſcripſerat, quū etiamtum diues & præpotens, ſupremis ſuis conſuleret. Libro 16. Tris modo lectulos ad ſuprema retineri iubet. Infra. Segnes & pauidos ſupremis ſuis ſecretū ocium dare. Circa libri calcem. Arriamq; tentantem mariti ſuprema & exemplum Arriæ matris ſequi, monet retinere uitam. libro 19. Supremo erga parentem officio fungi. libro 20. Planctum & lamenta, & ſupremorū imaginem præſenti ſibi circundata. Infra. Digreſſum Voculam, & de ſupremis agitantem, liberti ſeruiq; prohibuere fœdiſsimam mortem ſponte præuenire.

Medio campi. Medio montium. Medio diei. Medio temporis. Minimo temporis.

Primo. Medio campi albentia oſſa. Paulopoſt. Nam medio montium & paludum porrigebatur planicies. Duodecimo. Tunc medio diei. Decimotertio. Medio temporis cōtradicere liceret. Sic enim legendum. Infra. Vt medio diei, quum id temporis Nero per uinum & epulas incaleſceret. libro 14. Medio temporis tantum honorum atq; opum in me cumulaſti. Item. repertus eſt certe per mediū diei nudus exercitando corpori. Libro 17. Medio diei temulentus, & ſagina grauis. libro 19. Sed medio diei exarſerant. Infra. Ne minimo quidem temporis uoluptates intermiſſæ. Liuius libro 7. dec. quartæ. Poſtero die inſidijs medio fermè uiæ poſitis. Infra. Quum medio forte diei agreſtis quidam ad prætorem adductus nunciat. Item. Quinto die Romani proceſſere in medium campi.

Sonore pro ſono.

Primo. Læto cantu, aut truci ſonore. Libro 4. Sonorem alterius prælij nō acciperet. Quanquam dubito num librarius aliquis Sidonianæ lectioni ſuetus pro ſono ſonorem inſulſerit.

Metu an contumacia, Pro dubium metu an contumacia, & ſimiles locutiones.

Primo. Cœpta luce, miſſæ in latera legiones, metu, an contumacia locum deſeruere. Secundo. De ſe nihil addidit, metu inuidiæ, an ratus conſcientiam factis ſatis eſſe. Infra. Pauore an auitæ nobilitatis etiā inter anguſtias fortunæ retinens. Item. Finem uitæ ſponte an fato impleuit. Rurſum. Atq; illic, fugam tentans, an ficto crimine interficitur. Quinto. Contemptu ambitionis an per ſenectutē haud dedicauit. Decimotertio. Quo bellum ex æquo modo pararet, an ut æmulationis

ſuſpectos per nomen obſidum amoueret. Item. Fato quodam, an quia præualent illicita. Libro 15. Is forte an prudens ad eum diem ex campania remeauerat. Item: Nihil metuens an diſsimulando metu. Libro 17. Mobilitate ingenij, an ne altius ſcrutaretur.

Pedes in hoſtem inuaderent, & ſimiles locutiones.

Primo. Vt hi mox pedes in hoſtem inuaderent. Sapit conſtructionē Græcam, ut pedes ſit ſecundum pedes, in pedibus, uel per pedes. Eiuſdem generis eſt quod infra dixit. Auctus Tiberis plana urbis ſtagnauerat. Hoc eſt, in planis ſiue per plana. Sic etiam accipiendum quum inquit libro ſecundo. Lacus inde & Oceanum uſq; ad Amiſiam flumen ſecunda nauigatione peruehitur. Hoc eſt, in lacubus & Oceano, ſiue per lacus & Oceanum. Niſi forte præuehitur, legendum eſt, quod mihi magis arridet. Eodem. Quorum pars onuſta uulneribus tergū. Paulopoſt: Oblitus faciem ſuo cruore ne noſceretur. Quarto. Adſeuerabatq; innocentē Cornutum & falſa exterritum. Quinto. Mox crebris prolationibus ſpem ac metum iuxta grauatus. Id eſt, ſpe ac metu æque grauatus. Infra. Clari genus. Item. Cætera, equeſtri familia erat. Supra de Cotta Meſſalino. Arguitur pleraq;, hoc eſt, in pleriſq;. Infra: Ac ſæpe modum obſidij ſtationibus cingebat, id eſt, modo ſeu per modū obſidij. Item. Cætera degenerem. Paulopoſt. Alleuatur animū. Lib. 13. Annotatusq; miles &c. prerigui ſſe manus. Libro 15. Frigidus iam artus, & cluſo corpore aduerſum uim ueneni. Sic etiā illud dictū uidetur lib. 17. Secreta male audiebat, id eſt, ſecundū ſecreta ſiue in ſecretis. Equidē in uulgatis æditionibus legitur ſecretò. Verum manuſcriptum uolumen habet ſecreta. Eodem libro. Animum uultumq; cōuerſi. Libro 20. Denſi undiq;, & frontem tergaq; ac latus tuti.

Peruadere, abſolute. Item cum accuſatiuo.

Primo. Peruaſerat interim circumuenti exercitus fama. Secundo. Niſu tamen corporis & impetu equi peruaſit. Quarto. Neq; tamen peruaſere hoſtes, niſi admodum pauci. Libro 15. Quia peruaſerat rumor, ipſo tēpore flagrantis urbis &c. Libro 17. Piſo in ædem Veſtæ peruaſit. Libro 19. Nam peruaſiſſe in Germanias Valentem, & ueteres illic nouosq; exercitus ciere credebat.

Ingeſtum, pro eo quod uiolenter oblatum eſt. Ingerere.

Primo. Nomen patris patriæ Tiberius à populo ſæpius ingeſtum repudiauit: Alibi dixit, ingeſtis pilis pro infixis, ubi uulgo legit̄ infeſtis pilis. Et ingeſtis uulneribus concidit, pro inflictis, lib. 19. Libro 20: Vera erant, & à tribunis præfectisq; eadem ingerebantur. In Dialogo Oratorum. Quorum nomina prius parentes liberis ſuis ingerunt.

Aſperare pro exaſperare incitareq;. Aſperatus.

Primo. Hunc quoq; aſperauere carmina incertis autoribus uulgata. Secundo: Ita moderans, ne lenire, néue aſperare crimina uideretur. Libro 15. Aſperari ſaxo, & mucronem ardeſcere iuſsit. libro 18. Irent propere, neu remorādo iram uictoris aſperarent. libro 19. Vbi aſperatum Vitellium & poſſe Blæſum peruerti, ſatis patuit. Quo loco uulgatæ æditiones perperam continebant, aſpernatum. Et rurſus. Ne aſperatus prælio miles, non ſenatui, &c. In libello de Germanis. Sola in ſagittis ſpes, quas inopia ferri oſſibus aſperant.

Modicus pro tenui. Aliquando opponitur magnifico.

Primo. Haud pigebit referre in Falanio & Rubrio, modicis equitib. Romanis prætentata crimina. Quinto. Funus eius modicum. Vndecimo. Se modicos ſenatores. Libro 18. Othoni ſepulchrum extructum eſt modicum & manſurum. lib. 19. Vitellij modica & uulgari mentione. Et rurſus. Modicum ſacellum Ioui Conſeruatori aramq; poſuit. Hoc eſt, exiguum. In uita Agricolæ. Cultu modicus, ſermone facilis.

Faceſſere periculum.

Primo. Mox clariſsimo cuiq; periculū faceſsit. Quinto. Et Abudius Ruſo functus

ctus ædilitate, dum Lentulo Getulico ſub quo legioni præfuerat, periculum fa-ceſsit. Libro 20. Qui perinde diues & eloquentia clarus, nulli unquam ſub Nerone periculum faceſsiſſet.

Facere periculum pro inferre.

Libro 13. Tanquam inſonti periculum feciſſet. Libro 16. Fregitq; anulum, ne mox uſui eſſet ad facienda pericula.

Facere periculum, pro adire diſcrimen.

Libro 14. Eiuſdem pecuniæ periculum facerent, cuius ij qui imperatorem appellauere. Libro 15. Corbulo meritę tot per annos glorię nō ultra periculū faceret.

Super aduerbialiter, pro ſupra.

Primo. Raro ſuper milite, & quaſi ob metum defixo.

Inuenire mortem. Inuenire perniciem.

Primo. Vbi infelici dextera & ſuo ictu mortē inuenerit. Infra. Perniciem alijs ac poſtremum ſibi inuenere.

Formidoloſior hoſtium, actiue pro metuentior hoſtium.

Primo. Exercitum imagine cæſorū inſepultorumq; tardatum ad prælia & formidoloſiorem hoſtium credebat. Sic infra uulgus formidoloſum uocat.

Formidoloſus paſſiue.

Vndecimo. Formidoloſum paci uirum inſignem, & ignauo principi prægrauem. Libro 13. Formidoloſum id imperatori dictitans. Libro 17. Atq; ipſis etiam qui occiderant, formidoloſus. Libro 19. Id quoq;, propinquis hoſtibus, formidoloſum. In uita Agricolæ. Quippe legatis quoq; conſularibus nimia ac formidoloſa erat. Rurſus infra. Id ſibi maxime formidoloſum, priuati hominis nomen ſupra principis attolli.

Demotus. Demouere. Demutare, Deuſtus. Tranſmotus.

Primo. Ne Clanis ſolito alueo demotus in amnem Arnum transferretur. Secundo. Sed Tiberius demouerat Syria Creticum Syllanum. Item. Seueros tribunos demoueret. Quarto. Placitum, inſtituto Flaminū nihil demutari. Item. Si priorem ætate & iam labefactum demouiſſet. Infra. Deuſto monte Cælio. Quinto. In inſulas interdicto igni atq; aqua, demoti ſunt. Infra. Idem annus graui igne urbem adficit, deuſta parte circi. Vndecimo. Cenſendo nomen & effigies priuatis ac publicis locis demouendas. Libro 13. Demouet Pallantem cura rerum. Libro 20. Nec terrore aut minis demouētur. libro 13. Quippe Syria tranſmotę legiones.

Decedere ſententia. Decedere fide. Decedere ab officio. Decedere inſtituto.

Libro 14. Non ideo aut conſules mutauere relationem, aut Thraſea deceſsit ſentētia. Sic Liuius libro quinto dec. quartæ dixit, decedere fide. Potuiſſe ſe extra id periculū eſſe, ſi decedere fide, ſi coniurare cum cæteris uoluiſſent. Libro ſexto dec. eiuſdem. Cuius fiducia ab officio deceſsiſſent. Libro ſeptimo. Et non decedere inſtituto ueſtro.

Superſtagnare.

Primo. Si amnis Nar, in riuos diductus ſuperſtagnauiſſet.

Firmare pro adſeuerare. Item pro confirmare.

Primo. Vix quicquam firmare auſim. Quarto. Lacedæmonij firmabant annalium memoria. Quinto. Nihilq; uſurpauiſſe ex hijs quę uetus memoria firmauit. Infra. Nec ultra biduum duraturū, Macroni firmauit. Libro 18. Et paratis omnium animis reuerſuros firmauerunt. Tertio. Vt baſilicam Pauli Aemylia monimenta, propria pecunia firmaret ornaretq;. Quarto. Vetuſtum aſyli ius ut firmaretur petentibus. Vndecimo. Iret in caſtra, firmaret prætorias cohortes.

Affirmare pro confirmare ſtabilireq;. Affirmatus.

Libro 20. Et populi Romani uirtutem armis affirmaui. Sic participium affirmatus uſurpat Liuius libro 8. quartæ dec. Rhodijs affirmata, quæ data priore decreto erant.

Agitare abſolute, pro conſultare ſiue agitare in animo.

Secundo. Quod ludibrium ut effugere agitauerit Vonones. Paulopoſt. Quonam id modo incorruptum foret, ſecum agitabat. Infra. Quàm quia pop. Romanum æquo iure complecti reddita libertate agitauerint. Quinto. Etiam de Claudio agitanti. Vndecimo. Ac primo Caliſtus & Narciſſus, & Pallas agitauere. Libro 13. An expeditis legionibus nocte Artaxata pergeret &c. agitauit. Lib. decimonono. Illic agitauere, placeret ne &c.

Idem uerbum cum accuſatiuo.

Libro 15. Prouincias Oriētis maxime Aegyptū ſecretis imaginationib. agitās.

Agere abſolute, pro uiuere.

Tertio. Non modo apud illos homines qui tum agebant, etiam ſecutis temporibus uario rumore iactata.

Druſo ſitam, pro poſitam, ſiue conſtitutam Druſo. Macedonibus ſitæ, pro à Macedonibus conditæ.

Secundo. Et ueterem aram Druſo ſitam diſiecerant. Tertio. Vrbemq; Philoppopolim à Macedone Philippo ſitam. Quinto. Cæteraſq; urbes, quę Macedonibus ſitæ, Gręca uocabula uſurpant. Libro 19. de Capitolio. Iiſdem rurſus ueſtigijs ſitum eſt. Sequiturq; libro 20. Templum ijſdem ueſtigijs ſiſteretur.

Penetralis Germaniæ dij, Pro dijs penitioris Germaniæ, hoc eſt, interioris.

Secundo. Ille fas patriæ, libertatem auitam, penetralis Germaniæ deos. Liuius libro primo quintæ dec. Cyzici prytaneū, ubi publice quibus is honos datus erat, ueſcebātur, uocat penetrale urbis. Sic hoc loco Tacitus Cheruſcorum regionem uidetur appellare penetrale Germaniæ, quod penitior ſit atq; interior. Aut potius templum Cheruſcorum. Liuius libro quinto dec. quintæ. Et quum omnis prę fatio ſacrorum eos quibus non ſint puræ manus ſacris arceat, uos penetralia ueſtra contaminari cruento latronis corpore ſinetis? Loquitur autem de templo Samothracum. In uita Agricolę. Quia nobiliſsimi totius Britanniæ, eoq; in ipſis penetralibus ſiti &c.

Audere oppugnationem, Audere pœnam.

Secundo. Et tunc dubijs rebus eius ultionem auſus. Iterum. Auſuroſq; nocturnam caſtrorum oppugnationem. Item. Vt ſe eadem auſum. Infra. Nec Tiberius pœnam eius palàm auſus. Tertio. Ipſo Germanico coràm, id auſum. Infra. Auſis ad Cæſarem codicillis. Quarto. Si barbari ſucceſſu noctis alacres prælium auderent. Item. Neque id imperatorem palàm audere. Vndecimo. Fuſo qui prælium auſus erat, Demonacte præfecto. Duodecimo. Obuio hoſti & in aciem auſo. Paulopoſt. Nō auſis aciem hoſtibus. Infra. Vim cultoribus ac oppidanis, ac plerunq; in mercatores & nauicularios audebant. Libro 14. Cecidiſſe legionem, quæ prælium auſa ſit. Infra. Ea in pace auſi, quæ uix bello euenirent. Libro 17. In ipſis principijs ſtuprum auſa. Libro 18. Non auſis ducibus eodem die oppugnationem caſtrorum. Libro 19. Neq; periculum in aperto audebant. Libro 20. Pater eius multa hoſtilia auſus. Rurſus. Machinas etiam, inſolitum ſibi, auſi.

Suggredi, pro latenter gradi. Item pro ſubire.

Secundo. Suggreſsiq; propius ſpeculatores. Quarto. cum accuſatiuo. Quos dux Romanus acie ſuggreſſus. Libro 13. Dein reſidentibus flammis propius ſuggreſsi. Libro. 14. Poſtquā propius ſuggreſſus hoſtis certo iactu tela exhauſerat.

Video, de uiſu per inſomnium. Viſus.

Secundo. Nox eadem lætam Germanico quietem tulit, uiditq; ſe operatum. Duodecimo. Nocturno uiſu demonſtrat. Libro 20. Aduocata concione, iuſſa numinis, ſuos Ptolemæiq; uiſus, ingruentia mala exponit.

Inſidere iuga. Villarum molibus inſidere.

Secūdo. Soli Cheruſci iuga inſedere. Infra. Clauſtraq; terrę ac maris inſediſſet.

Tertio

Tertio. Qui effugia inſederant. Item. Supplicibus Amazonū quæ aram inſederant. Quarto. Quanquā inſideret urbem proprius miles. Infra. Sed tum Tiberius duodecim uillarum nominibus & molibus inſederat. Quinto. Duos colleis, quos Barbari inſederāt. Duodecimo. Quando ea loca inſiderēt. Libro 13. Agrosq; uacuos & militum uſui ſepoſitos inſedere. Libro 16. Duæ prætoriæ cohortes armatæ templum genitricis Veneris inſidere. Libro 19. Tandem flagitante exercitu Meuaniam inſederat. Item. Arcem Capitolij inſedit. Lib. 20. Nec ideo Rhenum inſedimus.

Illâ ſicut illac.

Secundo. Incubueratq; ſagittarijs, illâ rupturus. Libro 19. Ac ne peruium illâ Germanicis exercitibus foret, obſepſerat. Lib. 21. Inter quę perfuga Batauus adijt Cerialem, terga hoſtiū promittens, ſi extremo paludis eques mitteretur, ſolidum illâ. In libello Germanorum. Ipſum quinetiam Oceanum illâ tentauimus.

Verto abſolute. Item. Malo uertere.

Secundo. Aſtusq; hoſtium, in perniciem ipſis uertebat. Quarto. Quod aſpere acceptum ad præſens, mox in laudem uertit. Item. Nam quæ ſaxo ſtruuntur, ſi iudicium poſterorum in odium uertit, pro ſepulchris ſpernūtur. Quinto. Adeo facinora atq; flagitia ſua, ipſi quoq; in ſuppliciū uerterant. Infra. Ac ne dubium haberetur magnitudinem pecuniæ malo uertiſſe. Vbi uero deinde legitur, nomen Cæſarum in ludibria & contumelias uerterent, Opinor ſcribendum, uerteret. Vndecimo. Seu forte lapſa uox in præſagium uertit. Duodecimo. Per intempeſtiua nouercæ officia, in ludibria uertebat. Loquitur de Britannico Claudij Cæſ. filio. Decimotertio. Idq; illi imperitāte Claudio impune, mox ad gloriam uertit. Infra: Ne per tot annos ſiue querela tolerata, nouis acerbitatibus ad inuidiam uerterēt. Libro 14. Quod contra uertit. Libro 19. Læta ad præſens male parta, mox in perniciem uertere. Item. Et poſtquam regnum in formam prouinciæ uerterat. Libro uigeſimo. Quæ ſæuitia, recētibus odijs, ſanguine explebatur, dein uerterat in auaritiam. Libro 20. Quod tum in morem uerterat. In libello Germanorum. Et alijs Germanorum populis uſurpatum, rara & priuata cuiuſq; audentia apud Cattos in conſenſum uertit. In Dialogo de oratoribus. Niſi frequēs ac aſſidua nobis contentio iam prope in conſuetudinem uertiſſet. In uita Agricolæ. Ac niſi felicitas in ſocordiam uertiſſet, exuere iugum potuere. Liuius libro ſeptimo dec. tertiæ. Cauſam &c. reticuiſſem, ni ex mala fama in bonam uertiſſet. libro ſecundo dec. quartæ. Verterat periculū in Romanos. libro quarto dec. eiuſdem. Bene uertat, inquit, obſideamus Lacedæmonem. Idem libro ſeptimo dec. eiuſdem. Deinde quod fraude capti, quod à ciue potiſsimum ſuo forent, in iram luctus uertit. Ac rurſus. Poſteaquam uidere ex alto claſſem, in fugam uerterunt. Libro 8: Verteratq; Scipionum inuidia in prætorem, & conſilium eius, & accuſatores. Libro 9. Hæc quæ augendæ amplitudinis eius cauſa facta erant, extemplo in inuidiam, mox etiam in perniciem adoleſcenti uerterunt. Libro primo dec. quintæ. Delectus cōſulibus eo difficilior erat, quod peſtilentia quæ priore anno in boues ingruerat, eo uerteret in hominum morbos. libro ſecūdo. Aruſpices in bonum uerſurum id prodigium prolationemq; finium & interitum perduelliū portendi reſponderunt. libro quinto. Quæ omnia, ſi tamen populo foret, in capita noxiorū uerſura. Item. Hęc Rhodum nūciata, quę per ſe triſtia fuiſſent, quia maioris mali leuatus erat timor, quā bellum timuiſſent, in gaudium renunciata uerterunt.

Eniti aggerem. Eniti in æquum.

Secundo. Pars obiectum aggerem eniteretur. Infra. Non ultra dubitatum, quin dum Romanæ cohortes in æquū eniterentur. Libro primo. Eniſæq; legiones ueſperaſcente die in aperta & ſolida. Libro 16. Dum per anguſtias aditus, & ingruentem multitudinem enitūtur. Libro 17: Pyrenæum & alpes, & immenſa uiarum

ſpacia

ſpacia, ægre ſub armis eniterentur. Succedere murum.

Secundo. Vt ſi murum ſuccederent. Sic Liuius libro 7. tertię dec. Et aſſuetudine ſuccedendi muros, & pertinacia animi ſubierunt primi. Idem libro 8. quartæ decadis. Id quum per colloquia principũ ſuccedens murum parũ proficeret &c.

Aeſtate adulta. Adulta coniuratio, ſeditio, per metaphoram, & ſimiles locutiones.

Secundo. Sed æſtate iam adulta. Per metaphorã. Adulta uitia pro ualidis. Tertio. Neſcio an ſuaſurus fuerim omittere potius præualida & adulta uitia. Vndecimo. Adulto autumno ſimulachrum uindemiæ per domũ celebrabat. lib. 15. Cæterum cœptam, adultamq́ & reuictam coniurationem neq́ tunc dubitauere. Libro 17. Si incipiens adhuc & necdum adulta ſeditio melioribus conſilijs flecteretur. libro 19. Donec adulta nocte, luna ſurgens oſtenderet acies. libro 21. Tum Iudæi Macedonibus inualidis, Parthis nondum adultis, & Romani procul aberant, ſibi ipſi reges impoſuere.

Oceano inuehere, pro in Oceanum uehere. Inuehi latus hoſtium.

Secundo. Legiones claſsi impoſitas per Amiſiam Oceano inuexit. Libro 18. Ita uictores latus hoſtium inuecti. Nullo illic hominum cultu.

Secundo. Mileſq́ nullo illic hominum cultu, fame abſumptus. Subauditur, exiſtente. Significat autem inſulas illas cultoribus habitatoribusq́ uacuas fuiſſe. Rurſum infra. Nullo etiamtum urbium cultu. Tertio. Addidit inſulam Gyarum immitem & ſine cultu hominum eſſe. Patrari pro confici.

Secũdo. Et ſi proxima æſtas adijceretur, poſſe bellum patrari, hoc eſt, poſſe debellari. Ipſe infra conficere uocat. Bellumq́, quia cõficere prohibitus erat, pro confecto accipiebatur. Rurſum ſecundo. Maluit patrati quàm incepti facinoris reus eſſe. Tertio. Tum demum Tiberius ortum patratumq́ bellum ſenatui ſcripſit. Quarto. Cæde eius patrata. Quinto. Ita nihil triſte illo die patratũ. Duodecimo. At ni prælium nox diremiſſet, cœpta patrataq́ expugnatio eundem intra diem foret. Infra. Quibus patratis. libro 13. Vtq́ inter feſtos referretur dies quo patrata uictoria, quo nunciata, quo relatum de ea eſſet. libro 19. Gratiã patrati belli penes eum qui urbẽ occupaſſet. libro 20. Propexũ rutilatumq́ crinem patrata demum cæde legionum depoſuit. Liuius libro quarto dec. quintæ. In monte ſacrificio rite perpetrato. Et mox. Modo pacis patrandæ cũ Romanis paciſcebatur mercedem. Item. Pugna perpetrata. Hinc apud Tacitum libro uiceſimo, ubi legitur in uulgatis æditionibus. Deniq́ peracti remedij gloriã penes Cæſarem eſſe, & manuſcriptum uolumen habet, parati remedij, uiſum eſt mihi, poſſe etiam patrati remedij legi. Sed tamen magis placet, ut parati remedij legatur. nimirum ut Veſpaſianus à facilitate promptitudinéque præbendi remedij commendetur, non reluctans ſed obſequens.

Vetuſtiſsimus liberorũ, pro, Maximus natu. Veterrimus liberorum. Vetuſtiſsimi familiarium. Vetuſtiſsimus militum.

Secundo. Qui Vononem uetuſtiſsimum liberorũ eius accirent. Quinto. E uetuſtiſsimis familiarium Rhodum ſecuti. Infra. Arſacem liberorum ſuorum ueterrimum impoſuit. Vndecimo. Et Vibidiam uirginum Veſtalium uetuſtiſsimam orauit. Libro 17. Vetuſtiſsimum quenq́ militum, nomine uocans.

Curatius pro accuratius.

Secundo. Finem curatius differam.

Excuſatius.

Tertio. Quo excuſatius ſub exemplo acciperentur.

Mandare aliquid ad quempiam.

Secundo. Extremas preces P. Quirino propinquo ſuo ad principem mandat.

Antiſtare

Antiſtare pro antecellere.

Sed ut locis,ordinibus,dignationibus antiſtent.

Abſiſtere,pro deſiſtere à cœptis.

Secundo.Nec aut Vrgulania obtemperauit in domum Cæſaris ſpreto Piſone uecta,aut ille abſiſtit.Lib.13.Igitur abſiſtentibus hijs,pari metu exterritis Bructeris:Sic enim emendauimus quum ante legeretur, aſsiſtentibus. Decimoquarto: Abſiſtentium facie abſceſſerat cohors militum. Sic enim legendum ſuſpicamur. Libro 19.Stantem pro gradibus palatij Vitellium, & preces parantem, peruicere ut abſiſteret.Libro 20.Et miſſus cum mandatis Montanus ad Ciuilem,ut abſiſteret bello.Liuius libro primo dec.quartæ. Vt quum nox prælíū diremptura eſſet, rex prior territus rabie eorum,pugna abſtiterit.Et rurſum.Sed naues Romanæ à Piræeo uenientes,intromiſſumq́ præſidium abſiſtere incœpto coegerunt.Libro ſecundo. Si Antiochus regno Attali abſtineat,belloq́ abſiſtat.Et rurſus. Quum haud abſiſteret petere.Libro ſexto.Abſiſtere ijs Flaccus iuſsit. Item. Ne ingratis quidem benefacere abſiſtam.Rurſum.Tandem abſtiterūt.Libro 7.Tandem ſub noctem uano incepto quū abſtitiſſent.Infra.Si abſiſtere furore uellent.Item.Nuncia meis uerbis, bello abſiſtat. Libro 8. Non tamen ita infregit animos eorum,ut abſiſterent imperio.Libro ſecundo dec quintæ.Si abſiſtere bello & facere imperata uelint.In calce libri.Abſtitit incepto. Libro quarto. Huius noui præſidij fama abſiſtere oppugnatione ſimul Romanos regemq́ coegit. Item.Neq́ priuſquam debellauero abſiſtam.

Amores,de amore honeſto.Item de inhoneſto.

Secundo.Breues & infauſtos populi Romani amores.Quinto.Amores iuuenum & impudicitiam nepoti obiectabat. Infra. Dein multorū amoribus famoſa Albucilla &c.defertur impietatis in principem.

Forma haud diſsimili in dominum.

Secundo.Nam ætate & forma haud diſsimili in dominum erat.Similis locutio libro 13. Veſtæ ſeruili in diſsimulationem ſui compoſitus.

Concipere.Concipere iuriſiurandi uerba,de iurante.Item, de dictante ſeu inſtituente.

Secundo. Et fraude aut ui raptum Agrippam ferre ad exercitus Germanicos non ſeruili animo concepit. Libro 18. Abijt iam & tranſuectum eſt tempus, quo poſſes uideri concepiſſe.libro 20.Et quum cętera iuriſiurandi uerba conciperent, Veſpaſiani nomen hæſitantes,aut leui murmure,& plerunq́ ſilentio tranſmittebant.Infra.Senatus inchoantibus primoribus,iuſiurandum concepit &c.

Promittere barbam pro ſummittere.

Secundo. Donec crinem barbamq́ promitteret. Vnde promiſſa barba Liuio libro ſecundo primæ dec.Quanquam in uulgatis æditionibus perperam prolixa ſcriptum eſt.Nam promiſſa habet manuſcriptus codex, quem ex Borbetomago nactus ſum.Sic autem legenda Liuij uerba.Adhoc promiſſa barba & capilli efferauerant ſpeciem oris.Quomodo rurſum libro quinto loquitur eiuſdem decadis. Barbam ſuam,ut tum omnibus promiſſa erat.Libro 8.dec.quartę de Gallis.Procera corpora, promiſſæ & rutilatæ comæ, uaſta ſcuta, prælongi gladij. Rurſum libro quarto dec.quintę, Sordidati,barba & capillo promiſſo. *Liuij locus*

Simulata conſcientia.Conſcientia.

Secundo.Hortatur,ſimulata conſcientia adeant, offerant pecuniam. Hoc eſt, ſimulato,ſiue,poſtquam ſimulauerint ſe conſcios eius rei eſſe.Libro 12.Prouiſam iam ſibi Xenophontis medici conſcientiam adhibet. libro 15. Neq́ tum omiſſa, dum aſpectui conſulitur,ſpreta conſcientia.Senſus eſt, erāt ſibi conſcij rem ſecus habere,cæterum hoc non curabant.Libro 17.In conſcientiā facinoris pauci aſciti.

Paulopoſt. Præbuit pleriſq; ſuſpicionem conſcientię. Libro 19. Tanquam nimius pauor conſcientiam argueret. Libro 20. Quin idem ille arguebat ultro conſcientiam ducis. In uita Agricolæ. Et conſcientiã generis humani aboleri arbitrabãtur.

Vacuus pro ocioſo. Item pro ſolo. Item pro carente. Vacuus à tributo. Vacua nomina. Vacuum fuit.

Secundo. Quoniam tres uacuas legiones, & ducem fraudis ignarum perfidia deceperit. Paulo ante. Vacui externo metu. Quinto libro. Duobus Blæſis extinctis, domum eorum uocat uacuam. Tunc ut uacua contulit in alios. Vndecimo. Vacuoq; adultero potiretur. Duodecimo. Vacuam æmulatione. Paulopoſt. Domeſtica cura uacuus. Infra. Quorũ uirtute uacui à ſecuribus & tributis. Rurſum. Vt omni tributo uacui in poſterum Coi &c. Libro 13. Sed ubi mulier uacua fuit. Loquitur autem de Pontia quæ omiſerat maritum ſuum. Libro 14. In Syriam acceſsit morte Vinidij legati uacuam ac ſibi permiſſam. Mox. Nam antea uacuum id ſolutumq; pœna fuerat. Libro 15. Verbis magnificas, rerum uacuas. Libro decimoſexto. Non ſexus, non ætas periculo uacua. libro 17. Si reſpublica & ſenatus & populus, uacua nomina ſunt. lib. 18. Sed ubi ſubacto orbe & æmulis urbibus regibusq; excisis ſecuras opes concupiſcere uacuum fuit.

Adoleſcere, pro incipere uigere. Item pro ſuccreſcere, & augeri per metaphoram.

Secundo. Adoleſcebat interea lex maieſtatis. Duodecimo. Vtq; Domitij pueritia tali magiſtro adoleſceret. Libro 13. Donec uer adoleſceret. Libro 18. Vetus ac iam pridem inſita mortalibus potentiæ cupido cum imperij magnitudine adoleuit. Infra. Vix credibile memoratu eſt, quantũ ſuperbiæ ſocordiæq; Vitellio adoleuerit &c. libro 19. de Cremona. Igitur numero colonorum &c. adoleuit floruitq; lib. 20. Nõ Primi Antonij neq; Mutiani ope Veſpaſianũ magis adoleuiſſe. Rurſus. Prauo certamĩe legatorũ ius adoleuit. Infra. Tũc Velledę autoritas adoleuit.

Augendæ dominationi certaretur, hoc eſt, ad augendam dominationem certaretur, & ſimiles locutiones

Secundo. Et contra augendę dominationi certaretur. Simile eſt quod primo libro dixit. Diſtrahendo hoſti per Bructeros ad flumen Amiſiam mittit. Item. Subducit ex acie legionem faciendis caſtris. Infra. Si patrandæ neci uenenum mitteretur. Tertio. Dein præſidio Africæ ducebatur. Infra. Quaſi firmandæ ualitudini in Campaniã conceſsit. Item. Aut adſumendis auxilijs uagabãtur. Quarto. Quoties parando regno finguntur. Similes locutiones ſunt. Subſidio uenerant, Auxilio uocare. Subſidio miſſos. Quinto. Ita caſtigandæ plebi compoſitũ ſenatuſconſultum priſca ſeueritate. Infra. Vbi data fides reddendæ dominationi ueniſſe. Vndecimo. Accuſandis utriſq; immittit. Mox. Quibus abluendis cubiculo egrediẽs. Duodecimo. Quod acquirendis uulgi ſtudijs ædebatur. Infra. Dum res firmando Neronis imperio componuntur. Id eſt, ad firmandum Neronis imperium. Decimotertio. Factum & S. C. ultioni iuxta & ſecuritati, Id eſt, ad ultionem & ſecuritatem æque pertinens. Infra. Vlteriores etiam nationes ſociaſq; bello uocabant. Decimotertio. Repertus eſt certe per medium dici nudus exercitando corpori. libro 15. Ea dum à Corbulone tuendæ Syriæ parantur. libro 16. Quæ per tantũ æui occulta præſentibus bonis augendis, id eſt, ad præſentia bona augenda. ſ. fuerint. libro 19. Num ſecures, dolabras, & cætera expugnãdis urbibus ſecum attuliſſent. Infra. Quæ ſeditioſa & corrumpendę diſciplinę.

Quæſitiſsimus, pro exquiſitiſsimo. Et quæſitiores, pro exquiſitiores.

Secundo. Excepere Græci quæſitiſsimis honoribus. Tertio. Quæſitiores iam & plures Solon perſcripſit. Infra. Quo quæſitior adulatio fuit.

Sanctor

Sanctor legum, à ſanciendo.

Tertio. Sed præcipuus Seruius Tullius ſanctor legum fuit. Sanctus participium uſurpat Liuius libro decimo primæ decadis. De prouocatione legem diligentius ſanctam. Annalium libro 21. Regnum ab Antonio Herodi datum uictor Auguſtus ſanxit. Sic enim legendum putamus pro auxit.

Degredi, quoties deſcenditur de alto.

Secundo. Tum in ſpeciem degreſſus. Infra. Tum Seleuciam degreditur. Libro decimoſeptimo. Cæcina propiore tranſitu Pœninis iugis degredi iuſſus. libro decimonono. Pullo amictu palatio degreditur, mœſta circum familia.

Diſſentire manifeſtus.

Secundo. Atrox ac diſſentire manifeſtus. Quarto. Et quoquo facinore properus clareſcere. Libro 20. Ne paratis quidem corrumpi facilis, adeo metuens incerta. In Dialogo oratorum. Tanquã minus obnoxium ſit offendere, poetarũ quàm oratorum ſtudium. Hoc eſt, obnoxium ad offendendũ. Et rurſus. Et ipſe ſatis manifeſtus eſt iamdudum in contrarium accingi, nec æquo animo perferre hanc noſtram pro antiquorum laude concordiam. In uita Agricolæ. Peritus obſequi, eruditusq; utilia honeſtis miſcere.

Proficiſcitur Aegyptum cognoſcendæ antiquitatis. Subauditur, gratia, uel nomine. Defectiua oratio eſt helleniſmum ſapiens. Et ſimiles locutiones.

Secundo. Germanicus Aegyptũ proficiſcitur, cognoſcendæ antiquitatis. Tertio. Erectis omnium animis, petendæ è Piſone ultionis. Mox. Eaq; res agitata rumoribus, ut in agmine atq; itinere crebrò ſe militibus oſtentauiſſet ab Narnia, uitandæ ſuſpicionis. Infra. Pulſo Tarquinio aduerſum patrum factiones multa populus parauit, tuendæ libertatis & firmandæ cõcordię. Rurſum. Spectatus & Sacrouir intecto capite pugnam pro Romanis ciens, oſtentandæ, ut ferebat, uirtutis. Quinto. Quia pecuniã à Vario Ligure omittendæ delationis ceperãt. Subauditur, cauſa. Sic uidetur & illud dictum libro 16. Ac nuperrimæ coniurationis in Sardiniam exactus. Quanquam in uulgatis æditionibus legitur. Ac nuper crimine coniurationis in Sardiniam exactus. Similis uidetur illa apud Liuium locutio librò quinto dec. quintæ, de Paulo Aemilio loquentem. Et ipſe illachrymaſſe dicitur ſortis humanę. Vt ſubaudiat̃, cauſa. Alioqui dixiſſet, ſorti humanę. quemadmodum libro decimo dec. quartę. Qui meo infelici errori unus inlachrymaſti.

Sponte principis. Et ſimiles orationes.

Secundo. Quod contra inſtituta Auguſti, non ſponte principis Alexandriam introiſſet. Quarto. Extructa iam ſponte præfecti caſtra. Infra. Et proxima ſponte inimicorum recepta. Quinto. Vt ſponte Cæſaris. Duodecimo. Gnarum tamen cuius ſponte præficeretur. Libro 13. Et alia, ſponte incolarum in deditionem ueniebant. Infra. An grauius æſtimandum ſponte litigatoris prẽmium honeſtæ operæ aſſequi. libro 19. Nec ſponte Antonij properatum. libro 20. Vnde ſuſpicio, ſponte legatorum excitari bellum.

Aetas militaris, pro robuſta ac apta ad militiam. Aetas ſenatoria.

Secundo. Referebat habitaſſe quondam ſeptingenta millia ætate militari. Libro 15. Et Viuianus Annius gener Corbulonis, nondum ſenatoria ætate, ſed pro legato quintæ legioni impoſitus. libro 20. Magnam eo die pietatis eloquentiæq; famam Vipſanus Meſſala adeptus, nondum ſenatoria ætate. Liuius libro primo dec. quartæ. Tum militaris ætas iurare, neminem uiuum, niſi uictorem, acie exceſſurũ. Et rurſus. Nec ullo iam, qui militaris ætatis eſſet, nõ aut cæſo, aut fugato.

Poſtremum, aduerbialiter. Ad poſtremũ. Supremum aduerb. ultimum.

Secundo. Dein cupido augendi pecuniam, poſtremum obliuio patriæ. Tertio,

Poſtremum obiere eo anno uiri illuſtres. Vndecimo. Ac poſtremũ mollitiam corporis obiectante. Liuius libro decimo dec. quartæ. Vouiſſe quo die poſtremum cum Celtiberis pugnaſſet. Tacitus libro 18. Ad poſtremum Valens è petulantia etiam perfidiam ſuſpectabat. libro 20. Ad poſtremũ gubernatores centurionesq; niſi eadem uolenteis, trucidant. Liuius libro 5. dec. 4. Vt Syriæ quoq; ad poſtremum reges ſtipendium dare non abnuerent. libro 9. Et ad poſtremũ quum auxilium L. Scipioni polliceretur, adijcit. Tacitus libro 20. Inſtare delectum, quo liberi à parentibus, fratres à fratribus uelut ſupremum diuidantur. Sic Liuius etiam ultimum aduerbialiter uſurpat libro decimo dec. quartæ. Vltimum de cœlo quod comitia turbaret interuenit. Item libro quinto dec. 5. An ultimũ mori iuſſurum?

Perfugere pro confugere. Vnde perfugium, pro aſylo. Suffugium. Effugium. Diffugium. Transfugium.

Primo. Quum quidam ad Germanicum perfugiſſent. Secundo. Neque aliud perfugium. Tertio. Neq; quenquam in capitoliũ, aliáue urbis templa perfugere. Infra. Vti Dianę Leucophryenæ perfugiũ inuiolabile foret. Quinto. Qui monerent perfugere ad Germanię exercitus. Quinto. Nam incolumi Auguſta erat adhuc perfugium. Paulopoſt. Quaſi fidiſsimum ad ſubſidium perfugiſſet. Duodecimo. Tutum Vannio perfugium promittens, ſi pelleretur. Mox. Ad claſſem in Danubio opperientem perfugit. Libro 19. Interea ad L. Vitelliũ ſeruus Verginij Capitonis perfugit.

Renunciare amicitiam alicui, pro diremptam ſignificare.

Secundo. Componit epiſtolas, quis amicitiam ei renunciabat. Sic Suetonius in Caio Caligula. Ac ne tunc quidem ultra progreſſus quàm ut & amicitiam ei more maiorum renunciaret. Liuius libro octauo quartæ dec. Decreuerunt renunciandam ſocietatem Achæis.

Concedere ſimpliciter pro cedere. Concedere uictoriam. Item pro mori. Concedere ad Germanos.

Secũdo. Dein Marſus ſeniori, & acrius tendenti Sentio cõceſsit. Tertio. Mox Varro inualidus ſenecta, uigenti Silio conceſsit. Quarto. Vt quandocunq; conceſſero. Hoc eſt mortuus fuero. Quinto. Victoriãq; conceſſere. Vndecimo. Atq; ipſi inter ſe concedere. Item. Nec amore in hanc patriam nobis concedunt. Libro decimotertio. Ne ſi cõceſsiſſet obſidioni. Infra. Sola Anſibariorum gens retro ad Vſipios & Tubantes conceſsit. Libro 15. Quum mihi per ætatem ſummo nomine conceſsiſſet. libro 19. Simul iuncta turris, ictibus ſaxorum conceſsit. Et rurſus. Ne Antonio Varoq; de gloria concederet. Liuius libro 6. quartæ dec. Ita Athamania omnis in ius ditionemq; Philippi conceſsit. Et rurſus. Pulſi loco intra munimenta ſubductis ordinibus conceſſerunt.

Gratans. Gratari. Gratabundus.

Secundo. Inter uenerantes gratantesq; aſpici ſolita. Quinto. Et incolumem fore gratatur. Infra. Et multo gratantum concurſu. Duodecimo. Obuium apud forum præbet ſe gratantibus. libro 14. Vt ad gratandum ſe expedire. Mox. Prehenſantium manũ, gratantiumq; quod diſcrimen improuiſum & matris facinus euaſiſſet. libro 17. Tribuni tamen centurionesq; & proximi militum gratabundi reſpondent. Sic enim repoſuimus pro grata auditu. libro 18. Laudantes gratantesq; circundatum aquilis ſignisq; in tribunal ferunt.

Seneſcere de rumoribus, pro uaneſcere, & conſumi.

Secundo. Relinquendum etiam rumoribus tempus, quo ſeneſcant. libro 18. Et ſeneſcens exercitus ſui fama. Liuius libro quinto dec. quartę. Agitandum aliquid miſcendũq; rati, ne cunctãdo ſeneſcerẽt cõſilia.

Occanere pro occinere.

Secũdo, Tũ Sentius occanere cornua tubasq;, & peti aggerẽ, erigi ſcalas iuſsit.

Deruptum

Deruptum pro abrupto ſiue prærupto.

Secundo. Colle arduo & derupto. Quarto. Dimiſſo equo per derupta & auia, ſequenteis fruſtratus eſt. Quinto. Per auia ac derupta. Liuius libro octauo quartæ decadis. Multi pauore in derupta præcipitati. Quod ibidem uero mox præcedit, in altiorem diruptioremq; undiq; tumulum conceſſere, cogitandum an legi debeat, deruptioremq;. Libro nono. Et pars maxima inermes per inuia & rupes diruptas præcipitantes fugerunt. Forte, deruptas.

Fungor, cum accuſatiuo conſtructum.

Tertio. Suprema erga memoriam filij ſui munera fungerentur. Quarto. Et hominum officia fungi. Liuius libro primo dec. primæ. Maiorem partē ætatis eius, quam ciuilibus officijs fungantur homines, Romæ ſe quàm in uetere patria uixiſſe. Sic enim in uetuſto codice legitur, non, Qua ciuilibus officijs fungãtur homines. Eandem conſtructionem & apud Tranquillum reperias.

Filij familiarum.

Primo. Nunquámne niſi ad ſe filios familiarum uenturos? Tertio. Exceptum comiter, iuuenem, ſueta erga filios familiarum liberalitate auget. Tranquillus filios familias appellat in Veſpaſiano Auguſto. Néue filiorum familias fœneratoribus exigendi crediti ius unquam eſſet. Rurſum Annalium undecimo Tacitus. Sæuitiam creditorum cohercuit, ne in morte parentum pecunias filijs familiarum fœnori darent.

Publico abſtinere.

Tertio. Tiberius atq; Auguſta publico abſtinuere. Hoc eſt, domi ſe cōtinuere. Libro 15. Et paululum in publico uerſatus. Libro 20. Non in publicū egreſſus eſt, neq; ſe ſtudijs uulgi permiſit.

Penetrare ad perſonam relatum.

Tertio. Nihil tamen Tiberium magis penetrauit. Simile eſt quod ſequitur. Ne quo affectu perrumperetur. Item quarto libro. Eaq; diſcordia nepotes ſuos conuelli. Et quinto. Vi dominationis conuulſus.

Superſtes bellorum. Superſtes iniquorum, ſiue inimicorum. Superſtes Tiberio.

Secundo. Et tot bellorum ſuperſtitem. Tertio. Integram illi ſobolem, ac ſuperſtitem iniquorum precarentur. Quinto. Tiberio ſuperſtes fuit. In libello Germanorum. Multiq; ſuperſtites bellorum, infamiam laqueo finierūt. Et rurſus. Superſtitem principi ſuo ex acie receſsiſſe. In uita Agricolæ. Pauci & ut ita dixerim nō modo aliorum, ſed etiam noſtri ſuperſtites ſumus. Liuius libro decimo quartæ decadis. Eo uſq; me uiuere uultis, donec alterius ueſtrū ſuperſtes haud ambiguum regem alterum mea morte faciam.

Porta tenus, uſq; ad portam. Ore tenus. Nomine tenus. Solo tenus. Ianua ac limine tenus. Littore tenus. Verbo tenus. Vulneribus tenus.

Tertio. Non patruum ſaltem porta tenus obuium. Sic dixit libro primo, Modo pectore, modo ore tenus extantes. Hoc eſt, uſq; ad os. Libro 15. Vſurpatas nomine tenus urbium expugnationes dictitant. Infra. Tres ſolo tenus deiectæ. libro decimoſeptimo. Dum egregius imperator cum fortibus amicis, ianua ac limine tenus, domum claudit. In uita Agricolæ. Vnum addiderim, nuſquã latius dominari mare, multum flaminum huc atq; illuc ferre, nec littore tenus accreſcere aut reſorberi. Sic uſurpat aduerbium uerbo tenus Liuius libro quarto decad. quartæ. Rem defendam, non nos, in quos iecit magis hoc Cos. uerbotenus, quàm ut re inſimularet. Idem eleganter dixit, uulneribus tenus libro primo decadis quintæ. Et modo uulneribus tenus, modo ſine miſsione etiam.

Imitamenta doloris. Imitamenta triſtitiæ.

Tertio. Meditata ad memoriã uirtutis carmina, & laudationes & lachrymas, uel doloris imitamenta. Decimotertio. Peractis triſtitiæ imitamētis. Decimoquar

to. Sed ueterum Romanorum imitamenta prȩferre.

Meditamenta.

Libro 15. Nomina ſummæ curæ & meditamenta. Libro 20. Et cæteris belli meditamentis militem firmabant.

Placamenta.

Libro 15. Non largitionibus principis aut deum placamentis, decedebat infamia. Libro 17. Quæq; alia placamenta hoſtilis iræ.

Turbamenta.

Libro 17. Quæque alia turbamenta uulgi.

Tentamenta.

Libro 18. Et in urbe ac foro tentamenta ciuilium bellorum.

Libramenta.

Libro 19. Vincula & libramenta tormentorum abſcidiſſent. Liuius libro octauo quartȩ dec. In arietes tollenonibus libramenta plumbi aut ſaxorum, ſtipitésue robuſtos incutiebant.

Eiectamenta.

In libello Germanorũ. Diu quinetiam inter cætera eiectamenta maris iacebat.

Spiramenta.

In uita Agricolæ. Quo Domitianus non iam per interualla ac ſpiramenta temporum, ſed continuo & uelut uno ictu rempublicam exhauſit.

Solennia, pro ſolitis. Solennia nuptiarum. Solennia pietatis.

Tertio. Aliaq; funerum ſolennia. Rurſum. Proin repeterẽt ſolennia. In fine libri. Neq; prohibuit quo minus laudatione pro roſtris, cæteriſq; ſolennibus funus cohoneſtaretur. Quinto. Mox conſultans quo nam die ſolennia regni capeſſeret. Vndecimo. Cuncta nuptiarum ſolennia celebrat. Duodecimo. Necdum celebrare ſolennia nuptiarum audebãt. PauloPoſt. At enim noua nobis in fratrum filias coniugia, ſed alijs gentibus ſolennia. Infra. Et funeris ſolenne perinde ac diuo Auguſto celebratur. Libro 15. In modum ſolennium coniugiorum denupſiſſe. Infra: Sine ullo funeris ſolenni crematur. Libro 16. Principio anni uitare Thraſeam ſolenne iuſiurandum. Libro 17. Inferioris tamen Germaniæ legiones ſolenni kal. Ianua. ſacramento pro Galba adactæ. In uita Agricolæ. Igitur ad ſolennia pietatis profectus Agricola. Liuius libro 7. dec. 4. Cum ſolenni habitu ante portã occurrunt. Libro 8. Et in ſolennibus uerbis habet. Infra. Quibus ita in publicum ſolenne ſponſalibus rite factis, quum ſe domũ recepiſſet. Libro nono. Si quis tale ſacrum, ſolenne & neceſſariũ duceret. Libro decimo. Ibi die per ſolennes epulas conſumpto. Item mox. Forte luſtrãdi exercitus uenit tempus, cuius ſolenne eſt tale. Rurſus: Solenne luſtrale exercitus.

Poſtulare ſimpliciter, pro poſtulare ad pœnam.

Tertio. Fulcinius Trio Piſonem apud Conſules poſtulauit. Quarto. Claudia Pulchra ſobrina eius poſtulatur. Quinto. Mamercus dein Scaurus rurſum poſtulatur. Libro 13. Poſtulatuſq; apud conſules à patre interfectæ.

Fallere pro latere.

Tertio. Haud ſallebat Tiberium moles cognitionis. Quarto. Neq; diu fefellit. Quinto. Et per ſpeciem officij manum complexus, pulſum uenarum attigit, neq; fefellit. Significat id ſenſiſſe Tiberium. Vndecimo. Et nõnulla fallendi ſpe. Decimotertio. Ab ijs proconſuli uenenum inter epulas datum eſt, apertius quàm ut fallerent. Item. Quæ mutatio neq; Neronem fefellit. Libro 15. Cæterum militaris quoq; conſpiratio non ultra fefellit. Libro 17. Per ſocordiam præfecti, quem nota pariter & occulta fallebãt. Item. Non fallebat duces impetus militum. Lib. 18. Nihil eorum Vitellianos fallebat, crebris ut in ciuili bello transfugijs. Infra. Plures fefellere, fide amicorum aut ſuomet ſtatu occultati. Libro 19. Neq; ad fallendũ aptus numerus, neq; ad penetrandum. Item. Nec fefellere ea Mutianum. Mox. Nec exploratione occulta fallere Antonium tentauit. Infra. Poſtremo abiectis armis,

fugam

ſugam & fallendi artes circumſpectabant. Libro 21. Vtq; ad fallendum ſilentio, ita cœpta cæde, & quo plus terroris adderent, cuncta clamoribus miſcebant. Mox. Non feſellit Ciuilem ea inclinatio. Hoc eleganter Liuius uocat furto fallere, libro quarto dec. 5. libro primo dec. quartæ. Quũ abire inde & fallere abiens hoſtem uellet. Rurſus dec. quintæ libro primo. Nec quicquam eos quæ terra mariq; agerentur fallebat. Inire ſimpliciter, pro ingredi. Item cum accuſatiuo.

Tertio. Vt ouans iniret. Quinto. Quoties curiam iniſſet. Libro 13. Qui nõ ſtationem, non uigilias iniſſent. Libro 15. Namq; ad eam diem indiſcreti inibãt. Paulopoſt. Quum Veſtæ quoq; templum iniſſet. Item. Si conuiuiũ, ſi ſpectaculum ſimul iniſſent, pro crimine accipi. Libro 20. Percunctatur ſacerdotes num illo die Baſilides templum iniſſet.

Prolatum, pro dilato in aliud tempus.

Tertio. Prolato honore urbem intrauit. Quarto. Inter quæ, diu meditato prolatoq; ſæpius conſilio. Prolatare. Prolatatum. Prolatatio.

Quinto. Sed ubi diem ex die prolatabant. Vndecimo. Interim Meſſalina Lucullianis in hortis prolatare uitam. Decimotertio. Prolatatum inter Parthos Romanosq; de obtinenda Armenia bellum acriter ſumitur. Libro 18. Seu domũ extruere, ſeu prolatare agros, ſeu ampliare ſeruitia. Libro 19. Sed omnem prolatationem ut inimicam uictoriæ ſuſpectabant. Liuius libro primo dec. tertiæ, de Annibale. Nihil prolatandum ratus. Libro 7. dec. quartæ. Quod poſſumus, ſi ex hoc impetu rerum nihil prolatando remittitur, ante hyemẽ dijs uolentibus perfeciſſe.

Super eum diſcumbebat. Cunctis ſuper uota fluentibus.

Tertio. Quũ ſuper eum Piſo diſcumberet. Sic dixit Tranquillus in Auguſto. Superq; ſe ſubſellio ſecũdo collocauit. Libro 14. Annalium. Superq; ipſum collocata. Libro 18. Cæterum uulgus ſuper humum relictum. Libro 19. Cunctis ſuper uota fluentibus. Et rurſus. Multi ſemianimes ſuper turres & propugnacula mœnium expirauere. Libro 20. Iamq; ſuper caput legiones.

Contrectandum uulgi oculis permittere.

Tertio. Nam quò pertinuit nudare corpus, & contrectandũ uulgi oculis permittere? Sic Lactantius in de opificio dei. Quæ à nobis longe remotæ, neq; oculis contrectari, neq; tangi manu, neq; percipi ſenſibus poſſunt.

Noxæ eſſe. Abſolutioni eſſe.

Tertio. Quod neq; conuictum noxæ reo ſi recentia purgaret, neq; defenſum abſolutioni erat, ſi teneretur maioribus flagitijs. Liuius libro ſecundo dec. quartæ. Nihil hijs aut ſocijs eorum noxæ futurum, fraudiue. libro quarto. Publica fide accepta, nihil eam rem noxæ futuram.

Diurna Actorum ſcriptura. Diurna pop. Romani.

Tertio. Non apud autores rerum, non diurna Actorum ſcriptura reperio. Decimoſexto. Diurna pop. Romani per prouincias, per exercitus curantiũ, legũtur.

Dicta impune erant.

Primo. Facta arguebãtur, dicta impune erant. Tertio. Deterrima quæq; impune, ac multa honeſta exitio fuere. Duodecimo. Et cũcta malefacta ſibi impune ratus tanta potentia ſubnixo. Libro 20. Caianarum expeditionum ludibriũ impune ſpreuerat. Si ita ferret, pro ſi ita contingeret.

Tertio. Et, ſi ita ferret, comitem exitij promittebat. Libro 13. Et ſi ita ferret, honeſtius in acie perituros.

Experiri, de iudicio. quod alibi, Ius experiri.

Tertio. An adhuc experiretur, dubitans. Liuius libro decimo dec quartæ. Se ei permittere, uti ſi quod ſeu ius, ſeu auxilium ſe habere ad eos libros repetẽdos exiſtimaret, experiretur.

Augere liberalitate quempiam. Auctus pecunia, liberis, omine, auxilio, ſocietate. Augeri cognomento. Aucto animo. Auctus filia.

Tertio. Exceptum comiter iuuenem, ſueta erga filios familiarum nobiles liberalitate auget. Quomodo pecunia auctum Cicero dixit. Sic ſupra dixit, auctus liberis. Tanquam auctus liberis Druſus domũ Germanici magis urgeret. Et libro primo. Omine auctus. libro 17. Titus aucto animo ad patrem peruectus. Quinto. Auctus auxilio Pharaſmanes. Duodecimo. Augeť & Agrippina cognomento Auguſtæ. Decimotertio. Exin largitione potiſsimos amicorum auxit. libro uigeſimo. Ciuilis ſocietate Agrippinenſium auctus. libro 21. Magna colluuie, & cæterarum urbium clade aucti. In uita Agricolæ. Auctus eſt ibi filia in ſubſidium & ſolatium ſimul.

Auctitare.

Ab augeo uerbo frequentatiuum uſurpat Tacitus libro quinto. Qui pecunias fœnore auctitabant.

Facere bellum patriæ.

Tertio. Quando M. Antonij qui bellum patriæ feciſſet.

Facere pugnam.

Tertio. Proſperam aduerſus Numidas pugnam facit.

Facere auxilia mercede, de militibus ſubſidiarijs.

Quinto. Mittit qui auxilia mercede facerent.

Facere hoſtilia.

Libro 15. Quod pro Armenijs, &c. hoſtilia faceret.

Facere metum, pro inferre.

Libro 13. Inanem metum fecerant. libro 16. Metũ Neroni fecerant. libro 18. Metum proditionis fecere. Infra. Et metum Batauis feciſſent. libro 19. Vanam formidinem, ut hoſtes, fecere.

Facere caſtra.

Libro 21. Haud procul Hieroſolymis caſtra facit. libro ſecundo. Iamq; ſero diei ſubducit ex acie legionem faciendis caſtris.

Facere uim reſiſtenti. Facere uim commeatibus.

Libro ſecundo. Et reſiſtenti uim facere. Sic enim illic lego pro, reſiſtentium facere. libro 13. Sed neq; comeatibus uim facere potuit. Liuius libro ſecũdo decadis quartæ. Ipſum priorem uim omnibus feciſſe.

Facere perniciem.

Libro 18. Quæ læta in præſens, mox perniciem ipſis fecere.

Gliſcens. Gliſco.

Primo. Temporibusq; Auguſti dicendis non defuere decora ingenia, donec gliſcente adulatione deterrerentur. Tertio. Et gliſcit utrunque poſteritate. Paulo poſt. Cæterum multitudo periclitantiũ gliſcebat. Iterum. Minutura, quoties gliſcat poteſtas. Quarto. Quum ex uſu temporis huc illuc mearet, gliſcerent numero, & aliquando minuerentur. Infra. Vtq; gliſceret dignatio ſacerdotũ. Mox. Neque aliud gliſcentis diſcordiæ remedium. Paulopoſt. Quæ gliſcebat immenſum. Infra. Punitis ingenijs gliſcit autoritas. Quinto. Quantumq; ſæuitia gliſceret, miſeratio arcebatur. Vndecimo. Dein gliſcentibus negocijs. Duodecimo. Mox gliſcente pernicie. libro 14. Inde gliſcere flagitia & infamia. libro 15. Quo gliſcentibus periculis etiã ſubſidij laus augeretur. Infra. Vnde gloria egregijs uiris, & pericula gliſcebãt. Item. Ac ne gliſceret inuidia crudelitatis. libro 16. Gliſcebat interim luxuria, ſpe inani. Infra. Fruſtra Caſsium amouiſti, ſi gliſcere & uigere Brutorum æmulos paſſurus es. libro 18. Gliſcẽtem in dies famam ſors diſcuſsit. Item. Gliſcere famam ipſo ſpacio ſinebat. libro 20. Quum gliſceret certamen.

Flagitij ratus.

Tertio. Et illam obſidionem flagitij ratus.

Deſertus ſuis, pro à ſuis. & ſimiles locutiones omiſſa præpoſitione.

Tertio. Neq; præliũ omiſit, donec deſertus ſuis caderet. Paulopoſt. Aſiæ ſorte

depellendũ

depellendum. Infra. Medio cum delectis caſtella & munitiones idoneis locis imponens. Hoc eſt in medio. Quarto. Prodere de his quos mors odio aut gratia exemiſſet. Hoc eſt, ex odio aut gratia. Libro 12. Modo pecorum Barbaris trahebatur, id eſt, à Barbaris. Eodem. At Hercule olim Italiæ regionibus longinquas in prouincias commeatus portabant, pro ex Italiæ regionibus. Libro 14. Nam Antio aduẽtabat, hoc eſt ab Antio. Eodem. Quia pluribus ſalus eius curabatur, hoc eſt à pluribus. libro 15. Quas Tigillino paratas, pro à Tigillino. Item. Et quũ foribus arceretur, pro, à foribus. Libro 18. Nudus & auxilij inops balneis interficitur. Hoc eſt in balneis. libro 19. Poſſe coloniã plano ſitam impetu capi. Hoc eſt in plano ſitam. Infra. Turrim uicino ſitam, id eſt in uicino. Libro 20. Patibulo affixus, in ijſdem annulis quos acceptos Vitellio geſtabat. Hoc eſt, à Vitellio. Paulopoſt. Auertere accita Vitellio auxilia, hoc eſt à Vitellio. Item. Cẽturio Mutiano miſſus, hoc eſt à Mutiano. In uita Agricolæ. Siquidẽ Hybernia medio inter Britanniam atq; Hiſpaniam ſitu. Medio, id eſt in medio. Liuius libro quarto dec. 5. Quũ aſſidue Pantauco &c. ſtimularetur, id eſt, à Pantauco. Libro 5. Fortunam deosq; quorum templo erant, nulla ope ſupplicem iuuanteis accuſans, hoc eſt in templo.

Secundo rumore, hoc eſt grato. Secunda fama apud Liuium.

Tertio. Vtq; hæc ſecundo rumore, ita aduerſis animis acceptum. Sic Liuius libro quarto dec. quintæ dixit, ſecundam famam. Ea profectio famam haud quaꝗ ſecundam habuit.

Aduerſo rumore. Aduerſa fama.

Libro 14. Sed Seneca aduerſo rumore erat, quod oratione tali confeſsionẽ ſcripſiſſet. Liuius libro quarto dec. quintæ. Neq; enim omnes tam firmi & conſtantis animi contra aduerſum rumorem eſſe poſſent, ꝗ Fabius fuit qui ſuum imperium minui per uanitatem populi maluit, ꝗ ſecunda fama male rem gerere. Sic Liuius dixit aduerſa fama libro 7. decad. quartæ. Aduerſa omnium fama, ꝙ prouinciam Siciliam &c. reliquiſſet.

Secundis numinibus euenire.

Libro 15. Vt ipſe, prouidum potius, & ſecundis numinibus euenire.

Secunda tempeſtate.

In uita Agricolę. Et ſimul claſsis ſecũda tempeſtate ac fama Trutulenſem portum tenuit. Sic & Tranquillus in Tito Veſpaſiano. Sabinos petit aliquãto triſtior, quod ſacrificanti hoſtia aufugerat, quodq; tempeſtate ſerena tonuerat. Quæ exempla docent tempeſtatem etiam in bonam partem uſurpari.

Secundum prælium facere. Secundum mare. Secundum flumen.

Libro 20. Secundũ præliũ fecit. Liuius libro octauo quartæ dec. In agro eorum pluribus prælijs ſecundis factis. Libro 20. Illis mare ſecundum. libro 21. Iis ſecundum flumen.

Secundante uento.

Libro ſecundo. Tandem relabente æſtu, & ſecundante uento.

Suam pro eius.

Tertio. Neq; per tormenta interrogari paſſus eſt de his quæ ad domum ſuam pertinerent. Nam loquitur de domo Lepidæ, non de ſua ipſius domo. Libro quinto. Adeo facinora atq; flagitia ſua ipſi quoq; in ſupplicium uerterãt. Liuius libro quinto dec. quartæ. Si quæreret, ubi miles noſter, ubi nauis intra præſidia ſua fuiſſet, quid reſponderemus? Hoc eſt, intra præſidia eius. ſ. Perſei Macedonũ regis. Sic accipiendum quod dixit libro 3. dec. eiuſdem. Tum quæ primo C. Lucretius in populares ſuos prætor Romanus ſuperbe, auare, crudeliter feciſſet. Intellige populares nõ C. Lucretij Romanos, ſed Chalcidenſeis Micionis. Rurſus libro quinto. Dardanis repetentibus Pæoniam, quod & ſua fuiſſet, & cõtinens eſſet finibus ſuis. Tacitus libro 17. Sed ſua immanitas, ſua luxuria ceruicibus publicis depulere. libro 20. Octauius Pontiam Poſthumiam ſtupro cognitam, & nuptias ſuas abnuentem, impotens amoris interfecerat, ſuas, hoc eſt eius. ſ. Octauij.

Frequentari,pro frequens reddi.

Tertio.Nec ideo coniugia & educationes liberũm frequentabantur.Liuius libro tertio quartæ dec.de Lyſimachia. Partim nouos colonos ſpe commodorum propoſita,aſcribere,& omni modo frequentare,id eſt frequentẽ facere. Eiuſdem dec.libro quarto.Sicut ipſam Lyſimachiam,& reuocatis cultoribus frequentauerit,& quæ ſtrata ruinis atq; incendijs erãt,ingẽtibus impenſis ædificauerit. Eiuſdem libro ſexto. Nunc ad triumphum frequentandum deductos eſſe milites,qui egregiam nauare operam reipublicæ potuiſſent.

Frequentare aliquem,pro inuiſere aliquem & adhærere.

Libro 18.Digreſsis qui Pacarium frequentabant,nudus & auxilij inops balneis interficitur.

Immenſum uiguit.

Tertio.Quis domus illa immenſum uiguit.Infra.Qui immenſum proruperat ad cuncta quis pecunia prodigitur.Quarto.Quę gliſcebat immenſum.Item:Immenſumq; attolli prouideret. Quinto. Nunciauere accolæ Euphraten nulla imbrium ui ſponte & immenſum attolli. libro 21. Nam duos colles immenſum æditos claudebant muri per artem obliqui.

Sororis nepos,hoc eſt,Nepos ex ſorore.

Tertio.Sororis nepotem in nomen aſciuit.Sic & Tranquillus loquitur in Iulio Cæſare.Tres inſtituit hæredes ſororum nepotes.Quarto. Nam dubitauerat Auguſtus Germanicum ſororis nepotem,& cunctis laudatũ rei Romanę imponere.

Luxu propior, pro luxui.

Tertio. Per cultum & munditias copiaq; & affluentia luxu propior. libro 13. Cruciatu aut pręmio cuncta peruia eſſe.

Collegium.pro conſortio officij ſiue ſocietate, ſicut collega.

Tertio.Cõſulatus patris atq; filij collegio inſignis. libro 17. Vitellio tres patris conſulatus, cenſuram,collegium Cæſaris, imponere iampridem imperatoris dignationem.Liuius libro decimo primæ decadis. P. Decium expertum mihi concordi collegio,uirum dignum uobis,dignum parente ſuo, quæſo mecum conſulem faciatis. Rurſum libro nono quartæ dec. Eiuſdem collegij alterum è duobus tribunis plebis ſuas inimicitias remiſiſſe reipub.alterum alienas & mandatas exercuiſſe. Idem eleganter conſortionis uocabulum in ſimili ſignificatu uſurpat libro decimo dec.eiuſdem. Sociabilem,inquit,conſortionem inter binos Lacedæmoniorum reges.

Sex partus enixa.

Tertio.Concordem ſibi coniugem,& ſex partus enixam.Liuius libro decimo quartæ dec.Et apud eum plures enixa partus.

Satias,pro ſacietas.

Tertio. An ſatias capit. Hoc uocabulo Terentius etiam uſus eſt & Saluſtius. Item Liuius libro ſeptimo tertiæ dec. Cædisq; ceperat ſatias. Sic enim in codice Spirenſi manuſcripto legitur.Quanquã uulgatæ æditiones habent ſatietas. Rurſus Annaliũ tertio.Pauperes neceſsitas, diuites ſatias in melius mutet. Quinto. Tempus,preces,ſatias,mitigabant.

More gentico,pro more gentili.

Tertio.Quibus more gentico continuũ ferri tegimen.libro quinto. Sceptuchi utrinq; donis acceptis,more gentico,diuerſa induere. Et tamẽ libro quarto dixit. Qui ante uallum more gentis cum carminibus & tripudijs perſultabant.Rurſum libro 20.Impoſitusq; ſcuto,more gentis,& ſuſtinentiũ humeris uibratus, dux deligitur. Vt dubitem de fide librarij. Dicam ingenue quid ego ſentiã de hoc loco. Quum forte ſcriptum eſſet libro tertio, Quibus more gentis continuum ferri tegimen,indoctus quiſpiam deſcribens librum,iunxit primas duas literas ſequentis dictionis cum genitiuo gentis,ut fieret gentiſco. Quã uocẽ ſciolus aliquis emendare

dare uolens, uertit in gentico. Hoc uocabulum corruptum quum adhuc in memoria haberet librarius, auſus eſt libro quinto pro more gentis ſupponere, more gentico. Atq; hæc eſt mea coniectura. Nam hic loquendi modus magis Sidonium ac Fulgentium linguæ Latinę corruptores, decuerit meo iudicio quàm Tacitum. Et erat olim monachis creber in manibus Sidonius, cum quia Chriſtianus, tum quia rithmicæ compoſitionis optimus magiſter. Idem ſentimus de Sonore. Quippe librarijs olim mira licentia fuit ſiue potius libido priſcas nonnunquã uoces inſulciendi, quale poteſt eſſe apiſci pro adipiſci. Sanè ego reor Tacitũ adipiſci ſcripſiſſe. Neq; enim hiſtorico remota ab uſu uocabula conueniunt. Et adhuc ſatis purum fuit Taciti ſeculum. Liuius libro octauo dec. quartę. A pueris ij more quodã gentis &c.

Præſideo exercitum, & exercitui.

Tertio. Is proximum exercitũ præſidebat. Supra. Præſediſſe nuper fœminam exercitio cohortium. Quarto. Proximumq; Galliæ littus roſtratæ naues præſidebant. Rurſum. Et haud ſpernenda illic ciuium ſociorumq; manus littora Oceani præſidebat.

Competere oculis & auribus.

Tertio. Neq; oculis neq; auribus ſatis competebant. libro 19. Dux ſegnis, & ueluti captus animi, non lingua, non auribus competere. Libro 18. Et tempora reputantibus initium finemq; miraculi cum Othonis exitu competiſſe.

Supereſſe fide, uirtute, conſilijs, pro adiuuare.

Tertio. Sed fide ac uirtute legatos, ſe conſilijs ſuperfuiſſe. Sic & Tranquillus in Auguſto. Ne ſi ſupereſſet, eriperet legibus reum.

Vaniloquentia. Magniloquus.

Tertio. Socru eius coram multisq; illuſtribus fœminis per uaniloquentiam legerat. Quinto. Per uaniloquentiam ac minas iaciebat. Liuius libro quarto dec. quartæ. Hæc uaniloquentia primum Ariſthenum prætorem Achæorum excitauit. libro quinto. Vaniloquus maria terrasq; inani ſonitu uerborum compleuit. In uita Agricolæ. Atq; illi modo cauti ac ſapientes, prompti poſt euentum ac magniloqui erant.

Paratus pro apparatu.

Tertio. Veneris & ganeæ paratus aſsiduis ſermonibus uulgati fecerãt curam. Mox. Vt quiſq; opibus, domo, paratu, ſpecioſus. Quinto. Gazam & paratus regios adijcit. Vndecimo. Poſtremo uelut translata iam fortuna, ſerui, liberti, paratus principis, apud adulterum uiſebantur. Rurſum. Ne domum, ſeruitia, & cæteros fortunę paratus repoſceret. Sic enim ibi legendũ, non, apparatus. libro 13. Prouiſo ante funebri paratu, qui modicus erat. libro 15. Vt Parthi omiſſo paratu inuadendæ Syriæ, ſpem omnem in Armeniam uerterent. libro 17. Studia militum iam pridẽ ſpe ſucceſsionis, aut paratu facinoris affectauerat. libro 18. Nullo principali paratu, ſed uetere egeſtate conſpicuus. Item. Et æmulantium inter ſe regum paratus. Mox. Igitur nauium, militum, armorum paratu ſtrepere prouinciæ. Rurſum. Celebrauere ingenti paratu, & ante illum diem inſolito. Paulo inferius. Ita Vitellij paratus noſcebãtur. In uita Agricolę. Paratu magno, maiore fama, uti mos eſt de ignotis, oppugnaſſe ultro caſtella adorti.

Adeptus rerum.

Tertio. Ad ea arma quis Ser. Galba rerum adeptus eſt.

Sex liberos. Tres liberos. Gemini liberi. Duo liberi.

Secundo. Numerate ſex liberos. Tertio. Retulit eſſe illi coniugem, & tres liberos. Quarto. Ex qua tres liberos genuerat. Infra. Alterum ex geminis Druſi liberis extinguendo. Duos liberos Liuius dixit libro tertio dec. quartæ. Vxorem ac liberos duos ſuperſtites habuit.

Deridiculo fuit. Deridiculum.

Tertio. Deridiculo fuit, ſenex fœdiſsimæ adulationis. Quinto. Per dericulum auditur. Duodecimo. Ignauia animi, & deridiculo corporis iuxta deſpiciendus.

Liuius libro nono quartæ dec, Alterum deridiculum eſſe, ſe reddere rationẽ, quos portus mercatores aut nautici petant, Alterum moleſtum &c.

Notio, pro cognitione cauſæ.

Tertio. Tiberius dilata notione de iure Flaminis. Quinto. Igitur tunc quoque notioni quindecimuirûm is liber ſubijcitur.

Cummaxime.

Tertio. Littora & lacus Campaniæ cummaxime peragrantẽ. Sic enim emendauimus, quum ante legeretur. tum maxime. Quarto. Cœptantem cummaxime coniurationem diſiecit. Ita nos eo loco ſcripſimus pro tum maxime. Libro 17. Vt qui aduerſas expertus, cummaxime diſcam ne ſecundas quidem minus diſcriminis habere. Eodem libro. Nõ hercle illi quibus cummaxime Vitellius in nos ciet, Germani audiant. Libro 20. Cæſas legiones, uaſtatam Italiam, capi cummaxime urbem. Paulo inferius. Tolerant cummaxime inopiam obſidiumq́ apud Vetera legiones. Rurſum. Muros ciuitatis cõgregantibus ſe cummaxime Romanorum exercitibus, augere nobis q̃ diruere tutius eſt. Liuius libro 7. dec. tertiæ. Quippe nunc cummaxime florens uiribus. Rurſus libro tertio dec. quintæ. Deinde quæ tum cummaxime L. Hortẽſius faceret. De hoc aduerbio plura habes in Caſtig.

Grauor aſpectum, pro moleſte fero.

Tertio. Sanè grauaretur aſpectum ciuium ſenex imperator. Quomodo Tranquillus in Auguſto dixit. Ampla & operoſa prætoria grauabatur. Libro 18. Vxorem quoq́ eius Saloninam, quanquam in nullius iniuriam inſigni equo oſtroq́ ueheretur, tanquam læſi grauabantur.

Damnare, pro reum peragere ſiue condemnari facere. In quem ſenſum uerbum condemno Cicero Tranquillusq́ uſurpant.

Tertio. Abolitas leges & funditus uerſas, ubi in foro, in limine curię, ab Annia Rufilla, quam fraudis ſub iudice damnauiſſet, probra ſibi & minæ intendantur.

Libero, ut quondam quid firmaret. Abſolute.

Tertio. Libero, ut quondam, quid firmaret mutarétue. Hoc eſt, quum liberum eſſet. Subauditur exiſtente. Græcorum imitatione dictum. Huc pertinent illæ locutiones. Contracto quod erat militum. Item. Neq́ dum comperto quos illa uis perculiſſet. Et quod infra ſequitur. Adiecto, ſibi trepidam uitam. Item. Diu quæſito, quos neptibus ſuis maritos deſtinaret Cæſar. Rurſum. Tentatoq́ per longum iter, ubi par oneri, par meatui ſit. Et quod Vndecimo libro legitur. In cuius tranſgreſſu multum certato. Item. Comperto quoq́ Græcam literaturã non ſimul cœptam abſolutamq́. Rurſum. Non diſtincto, ſua an aliena manu. Libro 16. Montanus patri conceſſus eſt, prædicto, ne in repub. haberetur. libro 19. Non ſi pateant portæ, niſi explorato, niſi die intrandum. Libro 20. Nec diu certato, Tungrorum cohors ſigna ad Ciuilem tranſtulit. Liuius libro primo dec. quartæ. Profectus neque explorato circa, nec ſtationibus ſatis firmis. Item. Satis comperto Erduæam petituros Romanos.

Super pro præter Tacito ſolenne.

Tertio. Super eas ciuitates quas memoraui. Mox. Super tot ſenatores aduerſos. Infra. Nec ſuper cæterorum æqualitatẽ. Suetonius ſic uſurpat ſæpenumero. Tacitus rurſum Annalium quarto. Super id quod nullo autore certo firmantur, prompte refutaueris. Item. Super conſulatum & triumphalia de Getis, gloriæ fuerat bene tolerata paupertas. Paulopoſt. Super hominum ingeniũ. Duodecimo. A Tiberio ſuper propriam ſtirpem Germanicum aſſumptum. libro 16. Aderat filia ſuper ingruens periculum, longo dolore atrox. Liuius libro primo dec. quartę. Aetas, inquit, & forma, & ſuper omnia Romanum nomen te ferociorem facit.

In ipſos, in ſocios, Pro in commodũ ipſorũ, inq́ cõmodũ ſociorum.

Tertio. Quãto fore mitius in ipſos, melius in ſocios, prouideri ne peccaretur.

Expertum

Expertum, pro explorato. Inexpertum.

Tertio. Præponitq; centuriones uirtutis expertæ. libro 18. Et inexperti belli fauor. Infra. Suas legiones ciuili bello inexpertas. libro. 20. Ignotum adhuc ingenium, & nullis defenſionibus expertũ. In uita Agricolę. Et expertũ bellis animum. Liuius libro octauo quartæ dec. Mille ad eam rem ex omni numero, audaciæ expertæ delegerunt equites. libro decimo eiuſdem dec. dixit. Expertos inter fratres certaminum. Conducere pro cogere ſiue congregare. Conductus.

Secundo. Quum Furius Camillus Proconſul Africæ legionem & quod ſub ſignis ſociorum, in unũ conductos ad hoſtem duxit. Quarto. Diſperſas per urbem cohortes una in caſtra cõducendo. Cicero. Tunc Crotoniatæ publico de conſilio uirgines locum in unum conduxerunt. Iterum Annalium quarto. At Sabinus donec exercitus in unum conduceret, datis mitibus reſponſis. libro 15. Et auxilia regum in unum conducta. libro 20. Dum diſperſas ſuorum copias conducunt.

Diductum, pro diuiſo diſtractoq;. Item pro aperto. Diducere.

Secundo. Quia diductis terris hauriebãtur. Quarto. Prætendebat laſciuire militem diductum. Infra. Incuſabatq; diductam ciuitatem. Duodecimo. Foribus palatij repente diductis. libro 19. Diductis in latera turmis, uacuum in medio relinquit iter. libro 20. Ea ultio, incertũ maior an iuſtior, ſenatum in ſtudia diduxerat. In uita Agricolæ. Diductis ordinibus. Liuius lib. 8. dec. 3. Ita diductis cornib. &c.

Contra tendere. Tendere abſolute, pro tentoria figere.

Secundo. Dein Marſus ſeniori & acrius tendẽti Sentio conceſsit. Tertio. Contra Vitellius ac Verannius cæteriq; Germanicum comitati tendebant. Quarto: Et contra tendentis os uerberauerat. libro 17. Hij diſcordes & rebus minoribus, ſibi quiſq; tendentes. Eodem libro. Ac ſi contra tenderet, exitiũ metuens. libro decimooctauo. Infamibus Vaticani locis magna pars tetendit. Simile eſt Liuianum illud libro 7. dec. tertiæ. Et coartatio plurium in anguſto tendentium facilis futura erat: Id accipiendum de tentorijs explicandis. Nam mox ſequitur. Ab ſui quiſque ordinis hominibus in tentoria adducti. Dicũtur autem tentoria ſiue tabernacula, detendi perquameleganter. Liuius libro primo dec. quintæ. Nautici tabernacula detendunt. Sed nos redeamus ad exempla prioris ſignificationis. Tacitus libro uigeſimo. Hinc multi boniq;, inde pauci & ualidi pertinacibus odijs tenderẽt. Liuius libro decimo primæ dec. Minus autem tetendere, aſſueti iam tali genere certaminum uinci. Libro 4. dec. quartæ. Quum aduerſus tendendo nihil moueret ſocios. libro 8. Cn. Manlium ſumma ope tetendiſſe, ut eam pacem turbaret. libro decimo. Poſtquam in conſpectum adductus ſit Xychus, non ultra tetendiſſe.

Frequens ſenatoribus, In datiuo, pro ſolitum.

Secũdo. Erat quippe adhuc freques ſenatoribus. Quarto. Specie artis frequẽs ſecretis, hoc eſt in ſecretis.

Eodem loci, pro eodem loco.

Quarto. Quanquam arduum ſit eodem loci potentiã & concordiam eſſe. Sic quoq; legendum apud Tranquillum in Auguſto. Cauit etiam ſenatuſconſulto, ut eodem loci perpetuo contineretur. In Caio Cęſare. Vt neq; eodem loci præ ardore conſiſteret. *Tranquilli locus*

Eo loci, pro eo loco.

Libro 14. Non eo loci res ſuas agi, ut de matrimonio certet.

Neceſsitudinem principi fecit, pro coegit.

Tertio. Iuliæ Auguſtæ ualitudo atrox neceſsitudinem principi fecit feſtinati in urbem reditus.

Supplicia, pro ſupplicationibus.

Tertio. Sed tum ſupplicia dijs ludiq; Magni ab ſenatu decernuntur. Saluſtius. Non uotis neq; ſupplicijs muliebribus deorum auxilia parantur. Decimotertio. Et ſenatuſconſulto ſupplicationes habitæ.

Simul

Simul aduerbium cum datiuo conſtructum more Græco.

Tertio. Et quindecimuiri ſeptemuiris ſimul & ſodalibus Auguſtalibus æderent. Nam ſic ſuum ἅμα Græci cum datiuo copulare ſolent. Vt, ἅμα δὲ χιτῶνι ἐκδυομένῳ, ἐκδύεται καὶ τὴν αἰδῶ γυνή. Quarto. Verum Hypæpeni Trallianiq; Laodicenis ac Magnetibus ſimul tramiſsi. Quinto. Aceruatim ex eo Annius Pollio, Appius Sillanus, Scauro Mamerco ſimul, ac Sabino Caluiſio, maieſtatis poſtulantur.

Propolluere.

Tertio. Obſcura initia impudentibus auſis propolluebat.

Proſperſum.

Libro 15. Templum & ſimulachrum deæ proſperſum eſt.

Copia pro copijs militaribus.

Quarto. Quæ tum Romana copia in armis. Infra. Is diſpoſita claſsiariorum copia. Rurſum. Addita præſenti copia, ad hoſtem pergit. Item. Miſſa nauali copia. Sic accipiendũ illud Tranquilli in Auguſto. Tribus eorum ducibus cum magna copia cæſis. Liuius libro quinto dec. quartæ. Ipſe tum ex cætera copia militũ &c. delectos &c. educit.

Copia pro poteſtate.

Libro 14. de Nerone. Vetus illi copia erat curriculo quadrigarum inſiſtere. Sic enim manuſcriptũ uolumen habet. Liuius libro quarto dec. quintæ. Præmiſſisq; nuncijs ut ſibi appellandi prætoris poteſtas fieret, copia facta in caſtra uenit.

Copia pro commeatu ſeu annona. Copiæ, Annuæ copiæ.

Quinto. Et quanto maiorem quàm Auguſtus rei frumentariæ copiam aduectaret. Copias Cicero dixit in libello de ſenectute. Et Tacitus lib. 13. Suarũ opum, inquit, quæ haud procul imperatorijs aberãt, copias tradebat. libro 15. Pro cuiuſq; ordine, & rei familiaris copijs. Pro commeatu, libro 15. Contraq; prodiderit Corbulo Parthos inopes copiarum, & pabulo attrito, relicturos oppugnationem. Libro 18. Nec coloniæ modo aut municipia congeſtu copiarum. libro 19. Simul coloniam copijs ualidam auferre Vitellio. loquitur de Verona. Item. Vt ſpecie parandarum copiarum, ciuili præda miles imbueretur, id eſt ſpecie parãdi commeatus. Infra. Tuto copiarum aggeſtu. libro 20. Nihil æque exercitus noſtros quàm egeſtas copiarum fatigabat. In libello de Germanis. Quem ſuper arma ferramentis quoq; & copijs coonerant. In uita Agricolę. Nam aduerſus moras obſidionis annuis copijs firmabantur.

Poſitu & Poſitus.

Quarto. Quæ poſitu regionis, à tergo illis. Quinto. Ille poſitus ſiderum ac ſpacia dimenſus. In uita Agricolæ. Et poſitu contra Iberos. Sic enim lego pro poſita. Ouidius quarto Faſtorum. Trinacris à poſitu nomen adepta loci.

Contendere quempiam cum quopiam, pro componere ſiue comparare

Libro quarto. Sed nemo Annales noſtros cum ſcriptura eorũ contenderit, qui ueteres populi Romani res compoſuere.

Vt amat, pro, ut ſolet.

Quarto. Vt fermè amat poſterior adulàtio. Tractum à Græcis qui φιλεῖ γενέσθαι, hoc eſt, amat fieri, pro ſolet fieri, uſurpant.

Exitus pro morte. Finis pro morte.

Quarto. Atrociore ſemper fama erga dominantium exitus. Infra. Statimq; memorare exitus, quos &c. habuere. Secũdo. Comperto fine Auguſti. Quinto. Niſi ſi negatis alimẽtis adſimulatus eſt finis, qui uideretur ſponte ſumptus. Item. Nec diſpares Trebellieni Ruſi & Sextij Paconiani exitus. Infra. Voluntario exitu cecidere. Rurſum. Repentinum & informem exitum delegit. Vndecimo. Hortantibus dehinc quibuſdam inediam & lenem exitum. libro 13: Non quia ingenij uiolentia exitum irritauerit. libro 15. Conſtantia exitus docuit. Infra. Veniam quam ab imperatore acceperat, uanitate exitus corrupit. In fine libri. Quod ad omen olim ſui exitus uerteret. Libro 16. Quamuis honeſtos ciuium exitus, triſtes tamen

& con-

& continuos aſpernantium. Infra. Diſtingui certe apud poſteros memoriam honeſti exitus ab ignauia per ſilentium pereuntium. In calce libri. Lentitudine exitus graues cruciatus afferente. Libro 17. Et laudatis antiquorum mortibus pares exitus. Infra. Infamem uitam fœdauit etiam exitu ſero & inhoneſto. Item. Exitu demum Neronis, poſitis odijs in medium conſuluere. Libro 19. Ea cura etiam morientibus decori exitus fuit. Mox. Deformitas exitus miſericordiam abſtulerat. Liuius libro 8. dec. quartę. Multa alia in Scipionis maxime exitu uitę, dieque dicta, morte, funere, ſepulchro in diuerſum trahunt.

Peruertere ſolenne uerbum Tacito pro perdere calumnijs, ſiue ſubuertere, quo ipſe quoque uerbo in eum ſenſum utitur.

Quarto. Volutare ſecum quo nam modo Germanici liberos peruerteret. Infra. Neque aliud gliſcentis diſcordiæ remedium, quam ſi unus alterue maxime prompti, ſubuerterentur. Tertio. Quum omnis domus delatorum interpretationibus ſubuerteretur. Item. Qui ſcelerum miniſtros ut peruerti ab alijs nolebat, ita plerunque &c. Mox. Quæ florentes priuignos cum per occultum ſubuertiſſet, miſericordiam erga adflictos palàm oſtentabat. Duodecimo. Et Calphurnia illuſtris fœmina peruertitur. Item de Agrippina loquens. Quæ Statilium Taurũ opibus illuſtrem, hortis eius inhians, peruertit. Libro 13. Quo autore Claudius nuptijs inceſtis & adoptione exitioſa ſemet peruerterat. Item. Nam Olliũ honoribus nondum functum amicitia Seiani peruertit. Libro 15. Mox eorũ indicio Subrius Flauius Tribunus peruertitur. libro 18. Et propria ui Criſpus incubuerat, delatorem fratris ſui peruertere. Infra. Ne ab alijs apud Vitellium anteirentur, peruertiſse ipſum Vitellium uidẽtur. libro 19. Vbi aſperatũ Vitellium, & poſſe Blęſum peruerti ſatis patuit. Liuius libro primo dec. tertiæ. Quippe ubi pedes inſtabilis, ac uix uado fidens uel inermi equite equo temere acto peruerti poſſet.

Antehabere.

Primo. Vetera nouis, & quieta turbidis antehabeo. Quarto. Diuulgata atque incredibilia, auide accepta, ueris neque in miraculum corruptis antehabeant.

Pręuertere.

Quarto. Aut ſi quando ad interna pręuerterẽt. Eodem. Et Silius imminentem damnationem uoluntario fine pręuertit. Liuius libro quinto dec. quartæ. Non ueritus maieſtatẽ uiri, primo aliud in pręſentia quod magis inſtaret, pręuertendum ſibi eſſe dixit. Libro ſeptimo. Rhodij impigre præuerterunt.

Mortem ſumere. Quod Tacitus alibi uocat, uim uitæ ſuæ afferre.

Quarto. Et uxor ſponte mortẽ ſumpſiſſet. Quinto. Vim uitæ ſuæ attulit. Duodecimo. Vim uitæ ſuæ attulit ante ſententiã ſenatus. Lib. 13. Haud creditus ſufficere ad conſtantiã ſumendæ mortis. libro 14. Et pudore deprehenſi ſceleris ſponte mortem ſumpſiſſe confingeret.

Bellum ſumere, periculum, arma.

Libro 19. Qui exautorati à Vitellio bellum ſponte ſumebant. Infra. Conſilium ab omnibus datum eſt, periculum pauci ſumpſere. Libro 20. Quippe ſumpta per Gallias Hiſpaniasque ciuilia arma. Infra. Non ideo inquit, bellũ ſumpſimus, ut Bataui & Treuiri gentibus imperẽt. Eodem libro. Et ſumi bellum etiam ab ignauis, ſtrenuiſſimi cuiuſque periculo geri.

Subimpetrandus participium à uerbo Subimpetro.

Quarto. Nam priores duces ſubimpetrando Triumphalium inſigni, ſufficere res ſuas crediderant.

Raptare cum accuſatiuo.

Quarto. Et adhuc reptabat Africam Tacfarinas. Suſpicor tamen illic ſcribendum raptabat. Nam libro tertio dicit illum renouaſſe bellum uagis primũ popu-

lationibus & ob pernicitatẽ inultis, Dein uicos excidiſſe, traxiſſe graues prædas. In fine eius libri uocat latronem, & furandi meliorem. Quibus argumentis ſatis conuincitur hic raptabat legendum. Et ſequitur hic, Erat illi prædarũ receptor ac ſocius populandi rex Garamantũ.

In mortẽ adficere. In mortẽ adfligere.

Quarto. Vno uulnere in mortẽ adfecit. Infra. Et illi quidem quos principium ſtragis in mortem adflixerat.

Poſtero, abſolute pro poſtero die. Pugna in poſterum extracta. Subauditur, diem. Poſtero iduum die.

Quarto. Idem ꝗ quũ poſtero ad quæſitionẽ retraheretur. Eodẽ. Mox compertum à transfugis nongentos Romanorũ apud lucum quẽ Baduheimæ uocãt, pugna in poſterũ extracta, confectos. libro 15. Sic primus quęſtionis dies cõtemptus. Poſtero quũ ad eoſdem cruciatus retraheretur. libro 17. Vt poſtero iduũ die, redeuntem à cœna Othonem rapturi fuerint.

Propter pro prope.

Primo. Stratis etiã tum per cubilia propterq; menſas. Secundo. Propter ædem Saturni. Quarto. Translata dehinc caſtra hoſtẽ propter. Infra. Quũ propter diſcumberet. Liuius libro 4. dec. 5. Vbi propter Octolopum diximus regis caſtra.

Adpugnare pro oppugnare, cum accuſatiuo, uirtute præpoſitionis.

Secundo. Interim Piſo claſſem haud procul opperientẽ adpugnare fruſtra tentauit. Quarto. Alij caſtra Romana adpugnarent.

Tolerandũ habere.

Quarto. Poſſe ipſam Liuiam ſtatuere, nubendũ poſt Druſum, an in penatibus iiſdem tolerandũ haberet. Videtur imitatione Græca dictũ. Vt illud epigrammatum tertio, οὐκ εἶχον δὲ εἰδέειν. id eſt, nõ habebam cognoſcere, hoc eſt, non potui cognoſcere. Tum hic expone, tolerandum haberet, pro poſſet tolerare uitã in penatibus iiſdem. In dialogo Oratorũ, Quũ in aliquã inuidiam aut crimen uocati, ſua uoce reſpondendũ haberent. Et mox. Nam multũ intereſt utrum de furto, aut formula & interdicto dicendum habeas.

Falſum renidens.

Quarto. Enimuero Tiberius toruus, aut falſum renidens uultu.

Id ætatis, pro eius ætatis.

Quinto. Id ætatis corpora in Gemonias abiecta.

Id autoritatis, pro eius autoritatis.

Duodecimo. Romanorum nemo id autoritatis aderat, ut promiſſa eius magni penderentur.

Idem ætatis, pro eius ætatis.

Decimotertio. Mos habebatur principum liberos cũ cæteris idem ætatis nobilibus ſedentes ueſci in aſpectu propinquorum.

Id honoris, pro eius honoris.

Libro 16. Poſtq̃ id honoris indicibus, tamq; promptũ ad cędes principem accepit. Expone, id honoris indicibus, ſubaudi exiſtentibus, id eſt, quũ eo in honore agerent indices.

Libita.

Quinto. Suaq; ipſi libita uelut in captos exercebant. Duodecimo. Arripi coniuges ad libita Cæſarũ. libro 14. Pari cupidine uſq; ad libita Pallantis prouoluta.

Noteſcere. Pernoteſcere. Enoteſcere.

Quarto. Bonis conſilijs noteſcere uolebat. Quinto. Libertis quoq; ac ianitoribus eius noteſcere pro magnifico habebatur. Duodecimo. At Agrippina ne tantum malis facinoribus noteſceret. Infra. Adeoq; cuncta mox notuere. libro 13. Vbi Cæſarem eſſe qui graſſaretur, pernotuit. libro 14. Atq; ubi incolumem eſſe pernotuit. libro 16. Ambigenti Neroni quonam modo noctiũ ſuarũ ingenia noteſcerẽt. libro 19. Quod ubi enotuit.

Incuſare quippiã in aliquem.

Quinto. Quum in Blæſum multa fœdaq; incuſauiſſet.

Indicibus accedere aliquem.

Quinto. Sed Minutius & Seruæus damnati, indicibus acceſſere. Arbitror eſſe

ſenſum

ſenſum, Bona illorum indicibus accuſatoribusq́ ceſſere premij loco. Simile eſt illud apud Liuiũ libro 5. dec. 5. ſed alijs prolatum uerbis. Bonaq́ eorũ qui interfecti eſſent, & exulum, poſsidere qui arguebant.

Immiti reſcripto, Ablatiui abſolute poſiti.

Quinto. Immiti reſcripto uenas reſoluit.

Repens pro repentino.

Quinto. Quid repens aut uetuſtate obſcurũ. libro 15. Acceſſerat repens cauſa. libro 17. Sed ſceleris cogitatio incertũ an repens. libro 18. Atq́ illũ ſupremas iam curas agentem, repens tumultus auertit. libro 20. Quũ accurſu tot prouinciarum extingui repens perfidia potuerit. Liuius libro 10. primæ dec. Si quod repens bellum oriatur. Idem libro primo dec. 3. Mirari ſe quinam pectora ſemper impauida repens terror inuaſerit.

Tela in falſum iacere.

Quarto. Teliſq́ non in falſum iactis.

Iuxta ſeditionem uentum. Prope ſeditionem uentum.

Quinto. Iiſdem conſulibus grauitate annonæ iuxta ſeditionem uentum. Infra. Nam populi imperiũ, iuxta libertatẽ, paucorũ dominatio, regiæ libidini propior eſt. libro 19. Id uero ægre tolerante milite, prope ſeditionem uentum.

Iuxta deos pro, per fauorem deorum.

Libro 18. Iuxta deos, in tua manu poſitum eſt.

Appetente luce. Appetere. Inumbrante ueſpera.

Quarto. Appetente iam luce truſere ad ſumma caſtelli. libro. 18. Poſtq̃ in conſpectu Padus, & nox appetebat. libro 19. Inumbrãte ueſpera uniuerſum Flauiani exercitus robur aduenit.

Prouoluere.

Quarto. Congeſtas lapidũ moles prouoluere. Quinto. Multiq́ fortunis prouoluebantur. Vndecimo. Cæſaris genibus prouoluta. Duodecimo. Genibusq́ eius prouolutus.

Ambigens patriam.

Quinto. Ambigens patriam & declinans.

Ambigue agere.

Libro 19. Ne manente adhuc ciuili bello ambigue agerent.

Amplius unciario fœnore, pro plus.

Quinto. Ne quis unciario fœnore amplius exerceret. Liuius dicere ſolet, Capti amplius M & D C C. Item, pugnatũ eſt amplius treis horas, libro ſecundo dec. 5.

Adhoc.

Quinto. Adhoc ſenatus præſcripſerat. Duodecimo. Adhoc reges feroces, uagos populos. Sic enim illic legendũ, non, Adhæc. libro 17. Multi adhoc & innumeri è Germania ac Britãnia & Illyrico. Sic enim repoſuimus. Infra. Adhoc tantum maiori fratri prælatus eſt, ut prior occideretur. Liuius lib. 2. dec. 4. Adhoc & muri pars adhuc integra utraq́ tuta præſtabat latera. libro 2. dec. 5. Adhoc foſſa triplici ac uallo munitũ reliquit.

Statuere exilium in aliquem.

Quinto. Etiam in Pompeiam Macrinam exilium ſtatuitur. Sic Cicero dixit. Et in quos aliquid exempli populus Romanus ſtatui putat oportere.

De ſe ſtatuere, eſt ſeipſum damnare.

Quinto. Eorũ qui de ſe ſtatuebant, humabantur corpora, manebant teſtamenta, pretium feſtinandi. Secundo. Satis uiſum de Viſtilia ſtatuere. Duodecimo. Ius ſtatuendi etiam de procuratoribus dederat.

Omnis ætas.

Quarto. Affluxere auidi taliũ, imperitante Tiberio procul uoluptatibus habiti, uirilis ac muliebris ſexus, omnis ætas, ob propinquitatem loci effuſus. Quinto. Iacuit immenſa ſtrages, omnis ſexus, omnis ætas, illuſtres, ignobiles, diſperſi aut aggerati.

Diuerſus pro diſcordi.

Quinto. Quippe ſapientiſsimos ueterum, quiq́ ſectam eorum æmulantur, diuerſos reperies.

Exſpes uitæ.

Quinto. Mox ubi uitæ exſpes fuit.

Prouixiſſe à prouiuere, quod eſt uitam producere.

Quinto. Quam interfecto Seiano ſpe ſuſtentatam prouixiſſe reor.

Vrgeri male adminiſtratæ prouinciæ. Liberare eius culpæ regem apud Liuium. Deferri impietatis.

Quinto. Quia male adminiſtratæ prouinciæ aliorumq; criminum urgebatur. Græcorũ imitatione dictũ eſt, ceu Liuianũ illud libro primo dec. 5. Senatus nec liberauit eius culpæ regẽ neq; arguit. Tacitus eodẽ libro. Dein multorũ amoribus famoſa Albucilla &c. defertur impietatis in principem.

Aequabilis pro æquo.

Quinto. Fidus Romanis æquabilis in ſuos. lib. 20. Cunctis uitæ officijs æquabilis.

Ex æquo agere.

Libro 20. Aut ex æquo agetis, aut alijs imperitabitis. Infra. Et laudatorũ principum uſus, ex æquo quãuis procul agentibus. In uita Agricolæ. Quibus rebus multæ ciuitates quæ in illum diem ex æquo egerãt, datis obſidibus iram poſuere. Liuius ex æquo dixit, pro ex ęquitate libro ſecundo dec. 5. Et ſi in animũ inducerent, ut ex æquo fœdus fieret, & ſe uiſurũ quid ſibi faciundũ eſſet, & illos credere reipublicæ conſulturos.

Ademptæ uirilitatis, de ſpadone. Inceſtę uirilitatis, de ſtupratore ſororum Caio Caligula.

Quinto. Et proximus huic Abdus ademptæ uirilitatis. Supra de Cotta Meſſalino. Arguitur pleraq;. Caiũ Cæſarẽ quaſi inceſtæ uirilitatis &c. dixiſſe. Sic enim nos ſcripſimus quũ ante legeretur, inceſta uirilitatis. Id aũt ideo de Caligula dixerat Meſſalinus, quod is cum omnibus ſororibus ſuis ſtupri conſuetudinem fecit, ut ſcribit Tranquillus, cuius uerbis uſus ſum.

Breuia profundis opponit.

Primo. Neq; diſcerni poterant incerta ab ſolidis, breuia à profundis. Quinto. Breuia littorũ nudãtur. libro 14. Nauesq; fabricatur plano alueo aduerſus breue littus & incertum.

Infenſare, pro infeſtare.

Quinto. Adequitare caſtris, infenſare pabula. libro 13. Sed palàm infenſare Armeniam. Infra. Vt quaſi infenſantibus deis exitio tradi crederetur.

Ruere pro irruere.

Quinto. Contis gladijsq; ruerẽt. libro 17. Refractis palatij foribus, ruere intus, ac ſe Galbæ oſtentare. Item. Ruere cuncti in caſtra, anteire proximos. lib. 17. Non compeſcere ruentes. Infra. Dum ruentibus obſiſtũt. libro 18. Sed indomitus miles & belli ignarus, correptis ſignis uexilliſq; ruere. Item. Quãdo hoſtis impudentia rueret. Infra. Et ruebat ad conuiuiũ miles, mortẽ Verginij expoſcens. libro 19. Et ſi qua alia uis per alpes rueret. libro 20. Nam Ciuilis omiſſa diſſimulatione, in populum Ro. ruere. In uita Agricolæ. Quo modo ſyluas ſaltusq; penetrãtibus fortiſſimum quodq; animal ruere. Mox. Inſtinctos ruenteſq; ita diſpoſuit.

Conſilire fugientibus.

Tertio. Tanto magis imbelles Heduos euincite, & fugientibus conſilite.

Autor ſępe pro duce negotij.

Quinto. Nomine tantũ & autore opus. Paulopoſt. Qui metu magis q̃ beneuolentia ſubiecti, repertis autoribus ſuſtulerant animũ. Duodecimo. Mox nullo in diuerſum autore, quæ offerebãtur ſecuti ſunt. libro 13. Autore Verrito & Malorige, qui nationẽ eam regebant. libro 16. Coniungit utrunq;. Aut noua cupientibus auferatur dux & autor. libro 19. Eo grauior autor, quod Paulino patria Forumiulij

rumiulſij.Item ſupra. Tum progreſſus Lucillius autorem ſe præbet palàm claſsi. Mox.Britanni ſuſtulere animos autore Venuſio. In uita Agricolæ. Ad autorem & ducem,ut miniſter,fortunã referebat. Liuius libro 4. dec.4. Clamitans, ut qui ſaluã remp.uellent,autorẽ & ducem ſe libertatis ſequerentur.

Altor pro educatore.

Quinto.Hunc Phrahatis aui,ut altoris Cæſaris, quæ utrobiq; pulchra,meminerit.

Neq; in barbarum corrupta.

Quinto.de Seleucia.Ciuitas potens,ſepta muris, neq; in barbarum corrupta. Viceſimoprimo. Aucto in barbarũ cognomẽto. Vbi in uulgatis æditionibus quidam accuſatiuum morem infulſerant,nos ſuſtulimus.

Alimenta arcu expedire.

Quinto.Illuuie obſitus,& alimenta arcu expediens. Significat aũt illũ uenatũ toleraſſe uitã.lib.14. Qui me nõ tantũ præuiſa, ſed ſubita expedire docuiſti.

Inteſtabilis.

Quinto.Quanq; inteſtabilis,tamen impunita agebat.In fine libri. Inteſtabilis ſæuitia,ſed obtectis libidinibus.libro 15.Incuſat ultro inteſtabilẽ & cõſceleratum. libro 20.Idem crediderant qui Tiberio,qui Caio ſuperſtites fuerunt, quũ interim inteſtabilior & ſæuior exortus eſt.

Ferre.

Quinto.Tormẽtis ſeruorũ Macronem præſediſſe, cõmentarij ad ſenatũ miſsi ferebant.Paulopoſt.Aliaq; in eundẽ dolorẽ mœſta & miſeranda diu ferret.Duodecimo. Ferre crimina in Syllanũ. Quod quidã in uulgatis æditionibus in ſerere fuit auſus mutare.Infra.Ipſa ſemet parti à maioribus ſuis imperij ſociam ferebat. libro 13.Quippe erant qui Gn. quoq; Pompeiũ incuſatũ à ſenioribus ferrent. libro 15.Ex C.Cæſare ſe genitũ ferebat. libro 18. Timuiſſe ſe Paulinus ferebat,&c. Infra. Extiterat quidã Scribonianũ ſe Camerinũ ferens.libro. 20.Proditor corruptorq; amicitiæ,cuius ſe magiſtrũ ferebat.Paulo inferius.Et Sertoriũ ſe aut Hannibalem ferens,ſimili oris dehoneſtamẽto.Item.Quos ſpiritus geſsiſſet,uultu ferebat.Liuius lib.4.dec.4.Quũ ob id ſe pro ciuibus Romanis ferrent.libro 5.dec. eiuſdẽ.Qui ſe oriundũ à Magno Alexandro ferens.Dec.5.libro 5. Libertumq; ſe P.R.ferre.

Conflictare Remp.Conflictatus pro afflicto ſiue uexato.

Quinto.Plura per ſcelera remp.cõflictauiſſet.libro.19.Ii tantũ conflictati ſunt, qui in partẽ ſiniſtram urbis &c. flexerant. In uita Agricolæ. Quanq; conflictatũ ſæuis tempeſtatibus exercitum,laceſſere nõ auſi.Liuius libro decimo 4.decadis. Multis per eos dies difficultatibus conflictatus.

Defectio,debilitas uirium naturalium.

Quinto. Quamuis manifeſtam defectionẽ tegebat. Paulopoſt. Vocariq; qui recreandæ defectioni cibum adferrent.Germani ſua lingua uocãt onmacht,quaſi dicas,deſtitutionem uirium,quod ſanè poſteriori exemplo conuenit.

Fœdus iacere.

Vndecimo.Fœdus repente iaciunt,cognitis popularium inſidijs.

Præualidi ciuium, pro præualidi ciues. Intimum conſiliorum, pro intimum cõſilium.& ſimiles orationes Tacito ſolennes. Sic Græci dicunt οἱ χρηστοὶ τῶν ἀνθρώπων. οἱ κάλλιστοι τῶν ἐρώτων.

Tertio.Complebãtur templa peſsimis ſeruitiorũ.Mox.Supplicibus Amazonum.libro 15. Vt ſolent præualidi prouincialiũ.Item.Quod erat ſæuienti principi intimum conſiliorũ.Paulopoſt.Reſpergens proximos ſeruorũ.Item. Reliqui coniuratorum.libro 17.Deterrimi ſeruorũ.libro 13.Acerrimos militum duceret in partes.Item. Chariſsima ſuorũ pignorũ.libro 17.rurſum.Flagrantibus iam militum uelut faces addiderat. Vbi datiuũ animis ſuppoſititiũ,nos eraſimus.lib. 18. Quoniam prima conſiliorum fruſtra ceciderãt. libro 20. Et peſſimi ſeruitiorũ prodere

ultro dites dominos. Rurſus. Etiam medijs patrũ annitẽtibus. Paulo inferius. Ordeonius exemplareis omniũ literarũ &c. exercitui recitauit. Et, Tum celerrimas nauium frumento onuſtas, ſæuo adhuc mari cõmittit. Liuius libro 7. dec. 4. Inde quum præſto fuiſſent equites peditumq́ expediti &c. libro 8. dec. tertiæ. Et cum expeditis peditum equitumq́ prius pugnam conſererent.

Perinde quàm.

Vndecimo. Si perinde amorem inter populares, quàm metũ apud hoſtes queſiuiſſet. Sic Tranquillus in Domitiano. Nulla tamen re perinde commotus eſt, q̃ reſponſo caſuq́ Aſcletarionis mathematici.

Exoleſcere. Exoleta ſtirpe. Res memoriæ iam exoletæ.

Quarto. Sed nõ omiſerim eorundem temporũ rumorem ualidũ adeo, ut nondum exoleſcat. Et rurſus. Nondũ ea clades exoleuerat. Vndecimo. Ne uetuſtiſſima Italiæ diſciplina per deſidiã exoleſceret. libro 14. Græci amictus, quos per eos dies pleriq́ inceſſerant, tum exoleuerãt. libro 20. Nihil eueniſſe cur antiquitus inſtituta exoleſcerẽt. Sic uſurpat Liuius ab hoc uerbo participiũ exoletus. lib. ſeptimo dec. 4. Bellicoſiores ea tempeſtate erãt Gallogræci adhuc, nondũ exoleta ſtirpe, gentis ſeruantes animos. Item in eiuſdem libri initio. Res aut noua, aut uetuſtate exemplorũ memoriæ iam exoletæ. Idem libro 7. dec. 3. Prætor non exoletis uetuſtate annaliũ exemplis ſtare ius, ſed recentiſſimæ cuiuſq́ conſuetudinis uſu uolebat.

Subactus pro coactus. Subigere pro cogere.

Quinto. Multitudine periclitantiũ ſubactus. Vndecimo. Quis ſubactus miles &c. componit occultas literas. libro 13. Donec ui amoris ſubactus. libro. 14. Notos quoq́ equites Ro. operas arenæ promittere ſubegit. Item. Ac ſpem belli amittere ſubegit. Liuius libro 5. dec. 5. Prima percontatio fuit, qua ſubactus iniuria contra P. R. bellũ tam infeſto animo ſuſcepiſſet. Aliter idem dixit eiuſdem dec. libro ſecundo. Ipſi à pueris eruditi artibus militiæ, tot ſubacti atq́ durati bellis. Significat enim uſu crebro exercitatos. ſumpta metaphora à luto quod ſubigitur ſi ualere debeat, aut farina.

Inſcitia ut opponitur ſcientiæ ſiue cognitioni. Item pro imperitia.

Vndecimo. Isq́ illi finis inſcitiæ erga domũ ſuam fuit. libro 15. Sed quo fidem inſcitiæ pararet. libro 13. Omniaq́ temeritati & inſcitiæ propiora. libro 15. Ne cuius alterius inſcitia rurſum peccaretur. Mox. Aduerſam inſcitiam Pæti declinans. libro 17. Primũ inſcitia reip. ut alienæ. Item. Per tenebras, & inſcitia cæterorũ ociderentur. Infra. Inſcitiam potius legionum quàm audaciam increpans.

Suſcipere liberos.

Secundo. Ducere uxorem, ſuſcipere liberos, ne clariſsima familia extingueretur. Vndecimo. Velut ſuſcipiendorum liberorum cauſa conueniſſe.

Exitio dare.

Vndecimo. Ne indefenſa coniunx exitio daretur.

Id repente ſolitudinis erat, pro eo quod eſt, Ea repente ſolitudo erat.

Vndecimo. Id repente ſolitudinis erat.

Ad honeſta ſeu praua iuxta leui.

Vndecimo. Ad honeſta ſeu praua iuxta leui. Sic Sueto. in Veſpaſ. Auguſti. Iactatum exemplar epiſtolæ ueræ ſiue falſæ. libro 19. Loco ſeu numine defenſum. libro 20. Et Neruiorum cohortes metu ſeu perfidia, latera noſtrorum nudauere.

Peccare magna.

Vndecimo. Sponte an coactus tam magna peccauiſſet, nihil referre. Sic enim legendum.

Dominatio.

Quarto. Quo facinore dominationẽ captauerit expediam. Duodecimo. Nihil domi impudicum, niſi dominationi expediret. Mox. Et cõſilijs eiuſdem ad ſpem domina-

dominationis uteretur. Paulopoſt. Aduerſus dominationẽ Gotarzis. Infra. Dum adipiſcerentur dominationes multa charitate, & maiore odio poſtq̃ adepti ſunt. Decimotertio. Segnis & dominationibus alijs faſtiditus. Item. Quæ cunctis malis dominationis cupidinibus flagrans. Libro 14. Cuncta eius dominationis flagitia in matrẽ tranſtulit. libro 20. Nec quiſquã alienũ ſeruitium, & dominationẽ ſibi concupiuit, ut nõ eadem iſta uocabula uſurparet. Liuius libro 4. dec. 4. Si audire iuuat uera dominationis impotentiſsimæ crimina. Et mox. Et ipſum uelut comprobata dominatione firmiorem futurum.

Ex eo, pro ex eo tempore.

Duodecimo. Verſa ex eo ciuitas. Quomodo Suetonius quoq; loquitur.

Id uirium, pro eæ uires. Idem uirium.

Libro 13. Nec id nobis uirium erat, quod firmando præſidio & capeſſendo bello diuideretur. Libro 14. Nec bonis artibus idem uiriũ erat, altero uelut duce amoto. Sic Liuius dixit, hoc copiarũ, pro hæ copiæ, libro ſecũdo dec. 5. Hoc copiarum in Hiſpanias cum Pr. nouis portatum eſt. Item libro 10. dec. 4. Quid hoc noctis? pro hac parte noctis.

Id temporis, pro id tempus.

Duodecimo. Id temporis, importunum, quia hyems occipiebat.

Id temporis, pro eo tempore.

Libro 13. Quod domos, uillas, id temporis quaſi prædas diuiſiſſent. Mox. Solitus alioqui id temporis luſus principis intendere.

Nouiſsima exempla meritus, hoc eſt ultimum ſupplicium.

Duodecimo. Meritum quidẽ nouiſsima exempla Mithridatem. libro 15. Vnde quanquam aduerſus ſontes, & nouiſsima exempla meritos, miſeratio oriebatur.

Bellum ducere, pro extrahere.

Duodecimo. Impar multitudini hoſtium, eoq; caſtellis ſeſe defenſare, bellumq; ducere ſtatuerat. libro 18. Proinde duceret bellũ. Sic eleganter dixit, ducere ſpiritum Liuius pro uitã extendere, libro 2. dec. 5. Perire nanq; ſemel ipſis ſatius eſſe, q̃ ſub acerbiſsimi carnificis arbitrio ſpiritum ducere.

Ducere abſolute.

Libro 20. An ſi ad mœnia urbis Germani Gallię duxerint, arma patriæ inferetis? Liuius libro quarto dec. quintæ. Parabat ducere in Illyricum.

Cœpta luce. Nocte cœpta. Cœpta hyeme. Luce prima. Ad ſerum uſq; diem. Præcipitante in occaſum die. Flexo in ueſperã die.

Primo. Cœpta luce, miſſæ in latera legiones. Infra. Nocte cœpta egreſſus Augurali. libro 15. Igitur cœpta luce Milichus in hortos Seruilianos pergit. Duodecimo. Et cœpta hyeme iturũ obuiã non rebantur. libro 19. Luce prima, Sabinus antequam hoſtilia cœptarẽt &c. Rurſus. Vitelliani ad ſerum uſq; diem ſaxis piliſq; ſubeuntes arcebant. Et in fine. Pręcipitante in occaſum die. Quanquã in uulgatis æditionibus legitur, præcipiti in occaſum die. At Liuius elegantiſsime dixit libro quarto primæ dec. Præcipitiq; iam die. Quomodo Curtius uocat præcipitem ſenectutẽ. Tacitus Annal. primo. Flexo in ueſperam die. Huc pertinet ſolennis illa Liuio locutio pro cœpta nocte, primis tenebris. Vt libro primo dec. quartæ. Primis tenebris mouit. Item innumeris alijs locis. Et quod libro 4. dec. quartæ dixit. prima ueſpera. Tabellas conſcriptas celeberrimo loco ſupra ſedem cotidianã magiſtratuum prima ueſpera ſuſpendit. libro quinto. Primo ueſpere ut lumina in caſtris hoſtiũ cõſpexere. libro 9. dixit. Principio lucis. Et infra. Iam inueſperaſcebat.

Accedo ſocietatem, & ad ſocietatem.

Duodecimo. Quia ſocietatẽ noſtrã uolẽtes acceſſerãt. libro 14. Vt quamq; nationẽ acceſſerat. Supra. Corbulo in Syriã acceſsit.

Accedo illius ſentẽtię.

Libro 18. Accedebat ſentẽtiæ Paulini Marius Celſus. Infra. Iisdem dieb. acceſſiſſe partibus utranq; Mauritaniã &c.

Euado amnem, pro tranſeo. Matris facinus euaſit.

Duodecimo. Amnemq; haud difficulter euadit. Liuius libro 5. dec. 5. Inter præſidia ſaltum ad Petram euaſi. Tacitus lib. 14. Quod diſcrimẽ improuiſum, & matris facinus euaſiſſet. libro 16. Mox Neronẽ circa ſumma ſcelera diſtentum, quaſi minores euaſere. Præiacere caſtra, uirtute præpoſitionis.

Duodecimo. Campo qui caſtra præiacet. Abſcedere. Abſceſſus.

Vndecimo. Abſcedunt leuitate gentili. Quinto. Et continuo abſceſſu, uelut exilium obiectando. Duodecimo. Vt aditus, abſceſſus, cuncta nobis importuna, & ſuis in melius eſſent. Item. Pactus inducias abſcedit. Item. Abſceſſu ſuorũ. Hoc uerbo ſubinde Liuius utitur. Pro meliore fuit.

Duodecimo. Dein nobis pro meliore fuit, effugere hoſtes tenui damno.

Expedire copias, arma.

Libro 13. Duoſq; ueteres reges Agrippam & Iocchũ expedire copias. ſ. iubet. libro 20. Quidã expedire arma, teliſq; tanq̃ in aciem accingi. Liuius lib. 8. dec 4. Et expedire tela, animoſq; equitib. iuſſis. Ac mox. Quũ tela equoſq; expediſſent.

Expedire pluteos.

Libro 18. Vitelliani pluteos crateſq; & uineas &c, Othoniani ſudes & immenſas lapidũ ac plumbi ærisq; moles &c. expediunt. Expedire conſilia.

Libro 19. Neq; alienis conſilijs regi, neq; ſua expedire. Liuius dicit etiam, iter expedire, lib. 8. dec. 4. Iter fugæ non expedientes.

Expedire abſolute, pro accingi in bellum.

Libro 17. Multos è magiſtratibus, magnã Conſulariũ partem &c. ſecum expedire iubet. libro 18. Cæcinam ac Valentem expediri ad bellum iubet.

Expedire rurſum abſolute.

Libro 20. Ea de cæde quamuerisſime expediam.

Habere in partibus aliquem.

Id ſignificat addictum aliquem habere fauentemq;. Nam partes pro factione accipiuntur. libro 13. Habebat in partibus Pallantẽ. Infra. Quaſi quæreret ducem & partes. libro 15. Et militũ acerrimos duceret in partes. libro 16. Seceſsionem iam id, & partes: & ſi idem multi audeãt, bellũ. libro 17. Et metu, tanq; alias partes fouiſſent. Itẽ. Primus in partes tranſgreſſus. Infra. Acceſſere partibus Valerius Aſiaticus Belgicæ prouinciæ legatus &c. Rurſum. Quanq; bene de partibus meritus. Mox. Tranſire in partes. libro 18. Quod ſolum illis partibus defuit.

Neq; fas neq; fidem penſi habere. Et ſimiles locutiones.

Libro 13. Neq; fas neq; fidem penſi haberet, olim prouiſum erat. libro 17. Neq; modũ oneris quiſquã, neq; genus quæſtus penſi habebat. In dialogo Oratorum. Nec quiſquã in tota domo penſi habet, quid coràm infante domino, aut dicat, aut faciat. Liuius lib. 4. dec. quartæ. Si tales eſſetis, quales eſſe Carthaginenſes fama eſt, apud quos nihil ſocietatis fides ſancti haberet, in me quoq; uobis quid facere tis minus penſi eſſe, non mirarer. Eodem libro. Sed illis nec quid dicerẽt, nec quid facerent, quicq; unquam penſi fuiſſe. libro ſecundo dec. 5. Id illi cuinihil penſi ſit, facile eſſe. Libro tertio. Quibus nihil neq; dicere penſi, neq; facere.

Illudere alicui, pro corrumpere ſeu ſtuprare.

Decimotertio. Tradunt pleriq; eorũ temporũ ſcriptores, crebris ante exitium diebus illuſiſſe pueritiæ Britannici Neronem. Nam ſequitur. Stupro prius quàm ueneno pollutũ. libro 15: Siue C. Cæſar ſcortorũ quoq; cupiens, etiã matri eius illuſit. Illudere pecuniæ.

Libro 18. Tanquam in ſumma abundantia pecuniæ illudere.

Dignatio.

Decimotertio. Sed ope Senecę dignationẽ Burro retentam. Paulopoſt. Quàm

ueterem ac olim partam dignationem ſubitæ felicitati ſubmittere.libro 17. Vitellio tres patris conſulatus,cenſuram,collegiũ Cæſaris,imponere iampridẽ imperatoris dignationem.libro 19.Auxit inuidiã ſuper uiolatũ legati prætoriſq; nomen, propria dignatio uiri.In libello Germanorũ.Inſignis nobilitas aut magna patrum merita,principis dignationẽ etiam adoleſcentulis aſsignãt. Et rurſus. Quos mox inter ſe ſecundũ dignationẽ partiuntur.

Dignitas.

Libro 18. Poſtulante exercitu, ut libertũ ſuum Aſiaticũ equeſtri dignitate donaret.

Deerrare.

Decimotertio.Quia ſors deerrabat ad parum idoneos.

Facies.In faciem pacis.

Primo.Non florentis Cæſaris,neq; ſuis in caſtris,ſed uelut in urbe uicta facies. Libro 4.Antequã Veſuuius mons ardeſcens faciem loci uerteret.Libro 13. Dum poſitis loricis & galeis,in faciẽ pacis ueniretur. Decimoquarto. Aliam ferè littore faciem.Paulopoſt.Non ut hominum uultus, ita locorũ facies mutantur. Item. Abſiſtentium facie abſceſſerat cohors militũ. Sic enim legendũ illic conijcimus. Libro 18.Non una pugnæ facies.Infra.Intendebat formidinẽ quod publici conſilij facie,diſceſſum Mutina.Libro 19.Nec quiſquã adeo rerum humanarũ immemor,quẽ non cõmoueret illa facies.Et rurſus.Sæua ac deformis urbe tota facies. libro 21. Superfuſus amnis paluſtrẽ humilemq; inſulã, in faciem ſtagni oppleuit. In uita Agricolæ.Ea enim pugnæ facies erat.Mox. Proximus dies faciem uictoriæ latius aperuit.

Fruſtra habitus.

Libro 13.Igitur Corbulo quæſito diu prælio, fruſtra habitus. Infra. Quæ breui ſeruata,dein fruſtra habita ſunt.

Super octingentos annos.

Quemadmodũ Tranquillus in Auguſto dixit. Erant enim ſuper mille. Sic & Annalium 13.Tacitus protulit,Quæ ſuper octingentos & quadraginta annos Remi Romuliq; infantiam texerat.

Fruſtra oblatum.

Infauſtæ rei impedimentiq; plerunq; indicatrix eſt præpoſitio ob in cõpoſitis, uiolentiæ nõnunquã. Vnde elegantior illa apud optimos quoſq; autores, ſed remotior paulo,offerẽdi oblatiq; ſignificatio. Proinde quomodo Liuius dixit libro ſexto primæ dec.Oblatam uani furti inuidiam. Item. Pœnam oblatã oculis deorum. Terentius. Vitium oblatũ, ſtuprum oblatũ, & incendiũ oblatũ ac oblatam mortem Cicero,Sic Annal.14.Tacitus ſcripſit. Ac poſtea quã fruſtra oblata ſint &c.de Agrippina Neronis matre loquens, quæ Reip. quantũ in ſe fuit dedecus obtulerit,ſed fruſtra,quũ tentata non ſucceſſerint. Cuius illic criminis Nero matrem inſimulat.

Perduellis pro hoſte.

Libro 14. Receptæq; Armeniæ decus æquare domitis perduellibus cupiens. Liuius libro 2.dec.5. Aruſpices in bonũ uerſurum id prodigiũ, prolationemq; finium & interitum perduellium portendi reſponderunt.

Hybernacula,pro Hyberna.

Libro 14.Cohortes alæq; nouis hybernaculis locatæ.libro 15.Et tunc relictis hybernis.Liuius lib.10.dec quartæ. Loca pacata me ad hybernacula electurũ.Libro primo.Frumentũ quod ex hybernis extulerat.

Manſitare.

Libro 13.Quippe manſitaſſe una cõuincebatur.libro 14. Quũ uetere ex more familiam omnem quæ ſub eodem tecto manſitauerat,ad ſuppliciũ agi oporteret.

Oblectamenta.

Libro 14.Nec deerant qui uoce uultuq; triſti inter oblectamenta regia ſpectari cuperent.Suetonius in Tiberio.Erat ei in oblectamentis ſerpens draco.Eodem libro rurſum.Nam oblectamentis principis palàm iniquum.

Doctores ſapientiæ,pro philoſophis.Sapientiæ profeſſores.

Libro decimoquarto, Etiam ſapientiæ doctoribus tempus impartiebat. Infra.

Doctoreſq;

Doctoresq́ꝫ ſapientiæ, Cœranum Græci, Muſoniũ Tuſci generis, conſtantiã &c. ſuaſiſſe. libro 16. Maxime intentus Demetrio Cynicæ inſtitutionis doctori. libro 20. Doctores ſapiẽtiæ ſecutus eſt, qui ſola bona quæ honeſta, mala tantũ quæ tur/ pia &c. In uita Agricolæ. Expulſis inſuper ſapientiæ profeſſoribus.

In extremum adducta. Vſqꝫ in extremas res. In extrema.

Libro decimoquarto. Sed uitam ipſam in extremũ adductã. libro 17. Et Galbæ uſqꝫ in extremas res amicũ ſidumq́ꝫ. libro 19. Et uſqꝫ in extrema obſtinatum.

Ad extremum, pro poſtremo.

Libro 17. Et ad extremũ bella ciuilia ruebant. Libro 19. Multa cum hoſtiũ ſtra/ ge, & ad extremũ moriens ſeruauerat. In uita Agricolæ. Eò ad extremum inopiæ uenere. Liuius libro primo dec. 5. Et ipſe conſul quũ fruſtra reuocare fugiẽteis co natus, nec imperio, nec autoritate, nec precibus ad extremũ ualuiſſet. Idem libro ſecũdo dec. eiuſdem. Vel ad extremũ ſi gratia plus q̃ ueritas apud eos ualeret, ſe/ mel ſtatuerẽt, quid donatũ ex alieno Maſiniſſæ uellent. Aliter idem Liuius dixit libro primo dec. 3. Miſſile telum haſtili oblongo, & cætera tereti, præterquam ad extremũ, unde ferrum extabat. Hoc eſt in extrema parte. Apud eundem reperies, Ad ultimũ non uſurpatũ pro poſtremo, ſed quaſi dicas, ad ultimũ conatum. Vt li/ bro ſecundo dec 5. Quũ experienda omnia ad ultimũ, nec prætermittendũ ſpem ullam cenſuiſſet. Rurſus libro 5. Pietatẽ conſtantiamq́ꝫ laudaturos ſi fidem ad ul/ timum fratri præſtitiſſet. Hoc eſt, ad finem uſqꝫ. Tacitus libro 19. Acerrimũ mili/ tem, & uſqꝫ in extrema obſtinatum.

Abedere, cui reſpõdens uerbũ habet ſermo Germanicus, Abeſſen. Adeſus.

Libro 15. Nam exorta uis locuſtarũ, abederat quicquid herbidũ aut frondoſum libro 13. Nec ſi Iturius & Caluiſius adeſis omnibus fortunis, nouiſsimã ſuſcipien/ dæ accuſationis operã anui rependiſſẽt. libro 17. Aut qui adeſis bonis, per dedecus alebãtur. Habere gloriã cũ modo. Vſus uerbi habeo, participiorũq́ꝫ eius.

Libro 15. Si aut gloriã cum modo, aut prædã cum cura habuiſſet. Mox. Ac di/ ſperſo milite, qui in unum habitus, uagũ hoſtem promptius ſuſtentauiſſet. Infra. Nõ infenſum, nec cũ hoſtili odio Corbulonis nomẽ etiã barbaris habebatur. libro 13. Damnatus iiſdem cõſulibus Vipſanius Lænas ob Sardiniã prouinciam auare habitam. libro 4. Quæ in præſens Tiberius ciuiliter habuit. Liuius lib. 5. dec. 5. Fi/ liam cum minore filio à Samothrace accitos Amphipolim, omni liberali cultu ha buit. libro 12. Moxq́ꝫ uulgus duro imperio habitũ, probra ac uerbera intentabat. Rurſus eodem. Antiqua diſciplina milites habuerat. libro 18. Quocũqꝫ caſu acci/ dit, dum atrociora metuebantur, in leui habitũ. libro 19. Neqꝫ enim in procinctu & caſtris habitos. Quarto. Vel quũ patres pollerent noſcẽda uulgi natura, & quibus modis temperanter haberetur. Libro ſecundo. Et Maroboduum regis nomen in/ uiſum apud populares, Arminiũ pro libertate bellantẽ fauor habebat. Mox. Ma/ gnetes à Sipylo, proximi damno, ac remedio habiti. Libro 3. Idemq́ꝫ ſeruos Lepi/ dæ, quũ militari cuſtodia haberetur, tranſtulit ad conſules. Item. Quod haud per/ inde publice uſui habitũ, q̃ꝫ exitioſum multis. Liuius lib. 9. quartæ dec. Nec om/ nia, in quæ coniurauerunt, edita facinora habent. Eodem libro. Qui uias latroci/ niis paſcuaq́ꝫ publica infeſta habuerant, id eſt, infeſtauerant. Libro 10. Senatus cenſuit ſatis habendũ, quod pretor iuſiurandũ polliceretur. Idem lib. 2. dec. 5. Tem plum auguſtiſsimũ regionis eius, quod non Pyrrhus, non Annibal uiolaſſent, ui/ olare parum habuiſſe, niſi detexiſſet fœde, ac prope diruiſſet. Et infra. Et quanquã diſsimulare & tacite habere id patiq́ꝫ ſtatuerat. Libro 2. eiuſdem dec. Non portas claudere regi ſatis habuerunt, ſed probris quoqꝫ in ipſum Macedonasq́ꝫ procaci- bus iaculati ſunt. Libro 9. Bene habet, inquit, & poculo impauide exhauſto, haud ita multo poſt expirauit.

Quã

Quâ proximum.

Libro 15. Quâ proximum & cōmeatibus non egenum, regionē Comagenam &c. petiuit. Libro. 19. Vt quâ cuiq; proximū, omiſſa præda, prælio occurrerēt. Liuius lib. 1. dec. 3. Paſſim ſine ullius imperio, quâ cuiq; proximū eſt, in amnem ruunt. Rurſus libro 8. dec. eiuſdē. Nihil iam ordinū memores, paſſim quâ cuiq; proximum fuit, in fugam effunduntur. Item libro 5. dec. quartæ. Domitius ab Arimino, quâ proximū fuit, Quintius per Ligures in Boios uenit. Rurſus libro 7. dec. eiuſdē. Ne deeſſet principijs rerū, quâ proximū fuit, in caſtra Romana cū parua manu contendit.

Dignum Arſacidarū, pro dignitatē Arſacidarum.

Libro 15. Adieciſſet eos, dignum Arſacidarū, ſimul & de legionibus Romanis ſtatuerēt. Neq; enim arbitror Græcam conſtructionē uoluiſſe Tacitum referre, digne Arſacidis, hoc eſt, pro merito Arſacidarum.

Aegreſcere.

Decimoquinto. Ne tam promptus in pauorē, lōgiore ſolicitudine ægreſceret.

In ſummam.

Libro 15. Ergo Vologeſes neq; atrox in ſummā. libro 13. Quia cōmeantibus inuicem nuncijs, nihil in ſumma pacis proficiebatur. libro 18. Tanta mole belli nihil in ſumma profutura, ipſi exitioſa. Mallem utrobiq; legere, in ſummam. Liuius libro primo dec. quartæ. Quod ſi modum in inſequendo habuiſſent, nō in præſentis modo certaminis gloriam, ſed in ſummā etiam belli profectum foret.

Summæ rei periculum facere. Summa rerum.

Libro 20. Crebris interim nuncijs Valentinū monuere, ne ſummæ rei periculum faceret. libro 21. Ad maturandum ſummæ rei diſcrimen. In uita Agricolę. Ac ſumma rerum & recuperatæ prouinciæ gloria in ducem ceſsit.

Enorme pro eo quod certo ordine caret.

Libro 15. Arctis itineribus, hucq; illuc flexis, atque enormibus uicis, qualis uetus Roma fuit. Nam ſequitur infra. Sed diuerſis uicorum ordinibus.

Compoſita pro iuxta ſiue coràm poſita.

Libro 15. Accita quippe Epicharis, & cum indice compoſita.

Seſquiplaga.

Decimoquinto. Quū uix duobus ictibus caput amputauiſſet, ſæuitiam apud Nerone iactauit, ſeſquiplaga interfectū à ſe dicendo.

Inſociabilis. Diſſociabilis.

Libro 13. Antiquas fratrū diſcordias, & inſociabile regnum exiſtimantes. libro 15. Quia præcipitem & inſociabilem credebant. In uita Agricolę. Et quanq; primo ſtatim beatiſsimi ſeculi ortu res olim diſſociabiles miſcuerit principatum ac libertatem. Liuius lib. 7. dec. 4. Quia nō ut hoſtibus modo, ſed tanq̄ indomitæ & inſociabili genti ſuccenſebant.

Quàm maturrimū. Q; maturrimè.

Libro 12. Amplecti Britannicum, robur ætatis quàmmaturrimū precari. Libro decimoquinto. Vt templū diuo quàmmaturrime publica pecunia poneretur.

Viſores pro inſpectoribus exploratoribusq;.

Libro 16. Nec miſsis uiſoribus, per quos noſceret, an uera aſſererentur.

Egreſſa ſexum.

Libro 16. Aliquando ſexum egreſſa. Libro 13. Aetatis ſuæ fœminas pulchritudine ſupergreſſa. libro 20. Tanquā terminos ætatis, & conceſſa filio egrederetur.

Præuentus.

Libro 17. Præuentamq; gratiam intelligit. Infra. Atq; in eo ipſo ſacramēto uexillis inferioris Germaniæ præuentus erat.

Non ultra uerba ac uoces errare.

Libro 17. Quartam & duoetuiceſimam legiones, paucis ſeditionis autoribus, non ultra uerba ac uoces erraſſe, & breui in officio fore. Similē ſenſum eleganter

enunciat

enunciat Curtius per intra. Vtinam,inquit,Philotas quoq; intra uerba peccaſſet. Et intra uerba deſipere Celſo eſt non ultra uerba deſipere. Eodem 17. libro. Quintadecima ac ſextadecima legiones nihil ultra fremitum & minas auſæ.

Imponere cum datiuo pro decipere.

Libro 17. Falluntur quibus luxuria ſpecie liberalitatis imponit. Vbi hactenus in uulgatis æditionibus lectum eſt ſpeciem liberalitatis imponit.

Eleuare pro minuere ſiue leuiorem reddere.

Libro 14. Et præſentem ſæuitiā melioris olim fortunæ recordatione eleuabāt. Quanquā & hic uulgo lectum eſt, alleuabant. Liuius lib. 6. dec. 3. Et primo eleuabatur index, indiciumq;. Rurſum lib. 7. dec. 4. de Port. Catone. Cuius autoritatē perpetuo tenore uitæ partam, toga candida eleuabat. Idem libro 2. dec. eiuſdem. Eleuabat Romanū bellū. Libro 3. dec. 5. Ignominiā Claudij temeritate acceptam eleuare eos Patres acceperunt, qui perpaucos Italici generis, & magna ex parte tumultuario delectu conſcriptos ibi milites amiſſos referebāt. Libro 4. Simul eleuat famā aduerſæ pugnæ. Libro 5. Cum magno aſſenſu auditus eſt, nō magis eo quod multitudinis noxam eleuabat, quàm quod culpam in autores uerterat.

Exarmare, armis ſpoliare.

Libro 17. Longinum manibus coercent, exarmantq;. Tranquillus in Domitiano. Negantemq; ultra ſe tueri eum poſſe, quod exarmata eſſet. Libro 18. Spargit legiones, exarmat legiones.

Adulor cum accuſatiuo.

Libro 16. Ne codicillis quidem (quod pleriq; pereuntium) Neronē aut Tigillinum, aut quē alium præpotentiū adulatus eſt. Libro 15. At nūc colimus externos & adulamur.

Vt ſi in circo &c.

Libro 17. Vt ſi in circo ac theatro ludicrum aliquod poſtularent. Sic & Tullius in cōmentario de ſenectute. Similesq; ſunt, ut ſi qui gubernatorem in nauigando agere nihil dicant. Infra libro 17. Quū tamen ardor & uis militum ultro ducis munia implebat, ut ſi adeſſet imperator.

Notabilis pro inſigni, nec in malam ſemper partem.

Libro 17. Notabili tempeſtate etiam deos infauſtam adoptionē aduerſantes. Infra. Ob aliquam notabilem illa die operam. Item. Quibuſdā, ut in tumultu, notabilius turbantibus. Libro 18. Notabile inde iurgium fuit. Libro 19. Eo notabilior cædes fuit, quia filius patrem interfecit. Infra. Notabili conſtantia centurio Iulius Agreſtis &c. In libello Germanorū. Nec quicq̄ notabile in ſingulis. In uita Agricolæ. Ac ne notabilis celebritate & frequentia occurrentium introitus eſſet.

Componere pro ſepelire. Compoſitus.

Libro 17. Piſonem Verania uxor ac frater Scribonianus: T. Iunium Criſpina filia compoſuere, quęſitis redemptisq; capitibus, quæ uenalia interfectores ſeruauerant. In uita Agricolę. Paucioribus tamen lachrymis compoſitus es.

Secundum auaritiam, pro per auaritiam.

Libro 17. Raptus penatium hauſerant animo, ſecundum auaritiam & arrogantiam præcipua ualidiorum uitia.

Secundum Flauianos data uictoria, hoc eſt, pro Flauianis data.

Libro 19. Vulgata uictoria principio belli ſecundum Flauianos data.

Ingrate ferre.

Libro 17. Oppreſſa Capitonis conſilia ingrate tuliſſet.

Precarium. Precario.

Libro primo. Meq; precariā animam inter infenſos trahere. Libro 17. Precarium ſeni imperium, & breui tranſiturum. Libro. 20. Redituram in animos formidinem, fugam, famemq;, ac toties captis precariā uitam. In libello Germanorum. Eoq; unus imperitat, nullis iam exceptionibus, non precario iure parendi. In uita

Agricolæ

Agricolæ.Precariò mox præfuit. Liuius lib.9. dec.4. Apud Achæos precaria li/bertas, apud Romanos etiam imperium eſt. Eiuſdem dec.libro 4. non procul à calce.Precariò ab ſe iter per eum ipſum agrum,tanꝗ hauddubie Carthaginenſi/um iuris petiſſet.Et mox.Quantũ ſecto bouis tergo amplecti loci potuerint, tan/tum ad urbem cõmuniendã precariò datum.

Recolere.

Relatum ad rem.libro 3. Quo tum exemplo Lepidus, quanꝗ pecuniæ modi/cus,auitum decus recoluit. Ad perſonam. Libro 17. Et recens ab exilio reuerſos nobileis adoleſcentulos auitis ac paternis ſacerdotijs in ſolacium recoluit. Libro 19.Poſtꝗ Galbæ imagines diſcordia temporũ ſubuerſas in omnibus municipijs recoli iuſsit Antonius.Liuius lib.9.dec.4.Sed metalla etiam,& uetera intermiſſa recoluit,& noua multis locis inſtituit.

Fruſtra eſſe.

Libro 17. Vtriſꝗ fruſtra fuit.In uita Agricolæ. Ni uelox ingenio, mobilis pœ nitentia,& ingentes aduerſus Germaniam conatus fruſtra fuiſſent.

In cuſtodiam habitos.

Docet A.Gellius in præpoſitionem à ueteribus nõ tam ablatiuo ꝙ accuſatiuo coniunctam. Vnde illa,In mentem eſſe.Et,In poteſtatem eſſe.Quomodo dictum uideri queat illud à Tacito libro 17. Et ſæuitia Galbæ in cuſtodiã habitos, in nu/mero legionis cõpoſuerat.Dixit tamen eodẽ libro paulo ſuperius. Ita in cuſtodia habitus.

Factitare delationes. Accuſationes exercere.

Libro 17.Qui temporibus Neronis delationes factitauerat. Mox eodem loco Accuſationes exercere uocat. Quippe ipſum,inquit,Criſpum eaſdem accuſatio nes cum præmio exercuiſſe meminerant.Hoc eſt quod in Bruto accuſationes fa/ctitare Cicero dixit.

Humiles pro uili, & humillimus pro eo qui ſit infimæ con/ditionis, id eſt uiliſsimus.

Libro 17.Humili ſepultura in priuatis eius hortis contexit. libro 17.Et ut cuiꝗ humillimus cliens.libro 18.Humillimo cuiꝗ credulus.

Deflagrans.

Libro 18.Deflagrante paulatim ſeditione.Liuius libro 10. dec.4.Sed interdum ſpes animũ ſubibat,deflagrare iras ueſtras, purgari ſuſpiciones poſſe.

Intercurſus.Interuentus modò pro deprecatione,modo ſim/pliciter pro mediatione,ut ita dicam.

Libro 18.Quum intercurſu tribunorũ centurionumꝗ protegitur. Liuius libro ſeptimo dec.4.Et impeditus intercurſu ſuorum uſus prælongarũ haſtarum. Ta/citus libro 19. Sed exoluta ſtatim uincula interuentu Hormi Cæſaris liberti.libro 20.Sed neꝗ hæc continua,& interuentu meliorum penſantur. Eodem libro.Pa/rum decore Domitianũ confecto prope bello alienæ gloriæ interuenturũ. In uita Agricolæ. Et interuẽtus ciuiliũ armorũ præbuit iuſtam ſegnitiæ excuſationem.

Surrexit rumor. Surgens luna.

Libro 18. Is rumor ab exploratoribus Vitellij diſperſus, an ipſa Othonis par/te,ſeu dolo ſeu forte ſurrexerit,parum compertum.Libro 19. Donec adulta nocte luna ſurgens oſtenderet acies.

Surgentes partes.

Libro 19.Sed ut conſulare nomen ſurgentibus tum maxime partibus, honeſta ſpecie prætenderetur.

Multo adhuc die.by guoter tagzeit,by hellem tag.Extremo iam die. Multo iam noctis. Multa luce.

Libro 18.Multo adhuc die,uallum ingreſſus.Sic ſupra.Multa iam nocte. libro 19.Et extremo iam die ſua quiſꝗ in tentoria dilaberetur.Infra. Antonius per Fla/miniam ad Saxa rubra,multo iam noctis,ſerum auxilium uenit. Libro 21.Multa luce reuecti hoſtes.

Mœrere cum accuſatiuo.

Libro 18.Nec quiſquam adeo mali expers,ut non aliquam mortem mœreret.

ff Quod

Quod caſtrorum. Militũ quod, ſiue quod militũ. Quantũ peditũ erat.

Libro primo. Et quod maxime caſtrorum ſyncerum erat. Libro 18. Supereſſe cum ipſo Othone militũ quod trans Padum fuerit. Paulo inferius. Et à Flauio Sabino præfecto urbis, quod erat in urbe militũ ſacramento Vitellij adactum. libro 20. Signa uexillaq;, & quod militũ, in ſuperiorem inſulæ partẽ cõgregantur. libro 20. Fortiſsimus quiſq; e Batauis, quantũ peditum erat, funduntur. Item. Contracto quod erat militum Magonciaci. libro 21. Complet & quod biremium, quæq; ſimplici ordine agebantur. Liuius libro 7. dec. 4. Quod floris, quod roboris in iuuentute erat, amiſerãt. Idem libro 4. dec. 5. Nunc & Appiũ & quod cum eo præſidij ſit, in ſummo periculo eſſe. libro 8. dec. 3. Quod roboris in acie hoſtium erat.

Tanto, omiſſum.

Libro 18. Quãto plus ſpei oſtenditis, ſi uiuere placeret, pulchrior mors erit. Siquidem in manuſcripto codice tanto non legitur. libro 19. Et propinqua Cremonenſium mœnia, quanto plus ſpei ad effugium, minorem ad reſiſtendũ animum dabant. Eodem libro. Nam amicorum eius quanto quis clarior minus fidus. libro primo. Cæteri nobiliũ, quanto quis ſeruitio promptior, opibus & honoribus extollerentur.

In commune congredi.

Libro 18. Nec ultra in commune congreſſi, ſibi quiſq; conſuluere.

In communi ſitum.

Libro 20. Cætera in communi ſita ſunt.

Inſtaurare ſacrũ, pro adornare, ſic enim hoc uerbũ uſurpãt autores aliquãdo.

Libro 18. Inſtaurabat ſacrũ dijs loci. Liuius libro 9. dec. 4. Et plebeij ludi ab ędilibus C. Sempronio Blæſo, & M. Furio Luſco, diem unum inſtaurati ſunt.

Flammare pro inflammare. Flammandus.

Libro 18. Namq; omnes exercitus flammauerat arrogantia uenientium à Vitellio militum. libro 15. Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarũ tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atq; ubi defeciſſet dies, in uſum nocturni luminis urerentur. Libro 20. Hijs inter ſe uocibus inſiſtenteis, flammauere inſuper allatæ à Veſpaſiano literæ.

Abunde ratus, pro ſatis ratus.

Libro 18. Ipſe abunde ratus, ſi præſentibus frueretur.

Non ultra quàm tribunos aduocauit, pro tantum tribunos.

Libro 18. Commotus primo Vitellius, non tamen ultra q̃ tribunos plebis in auxilium ſpretæ poteſtatis aduocauit. Sic & Tranquillus loquitur in Auguſto. Coſiniũ, inquit, ſeruũ grauiſsime de ſe opinantẽ, nõ ultra q̃ cõpedibus coercuit.

Aſſurgere è morbo.

Libro 18. Valentem è graui corporis morbo tum primum aſſurgentẽ infirmitas tardabat.

Interuertere, pro decoquere.

Libro 18. Nonies millies ſeſtertium paucíſsimis menſibus interuertiſſe creditur.

Conſciſcere fugam.

Libro 19. Deſerta Italia, turpem fugam conſciuiſſent. Liuius lib. 5. primæ dec. Exiliumq; ac fugam nobis ex eo loco cõſciſceremus. libro 3. dec. 4. de Annibale. Et alij fugã conſciſſe (id quod erat) alij fraude Ro. interfectũ, idq; magis ferebãt.

Incurioſus, pro uacuus cura.

Libro ſecundo. Dum uetera extollimus, recentium incurioſi. libro. 4. Et princeps proferendi imperij incurioſus erat. libro decimooctauo. Incurioſos milites, uernacula urbanitate, quidã ſpoliauere abſciſsis furtim balteis, an accincti forent rogitãtes. libro 19. Placuit occaſio inuadendi incurioſos. Rurſum de Vitellio. Recentiſsimum quodq; uulnus pauens, ſummi diſcriminis incurioſus. libro 21. Nauibus remeabat diſiecto agmine, incurioſis uigilijs. In uita Agric. Ne noſtris quidẽ tempori-

temporibus,quanquã incurioſa ſuorum ætas omiſit. Sic & aduerbium incurioſe uſurpat libro 20.Cæſæ cohortes eorum in uico Marcoduro incurioſius agentes.

Laxati ordines.

Libro 19.Laxati ordines abrumpuntur.

Semineces.

Libro 19.Integri cum ſaucijs,semineces cum expirantibus uoluuntur.

Sepulta urbs, de exciſa.

Lib.19.Cęterũ aſſidere ſepultæ urbis ruinis, noxia tabo humus haud permiſit.

Famoſum,pro celebri,non in malam partem.

Libro 19.Nota per eos dies Iunij Blæſi mors & famoſa fuit. Sic urbem Hieroſolymorum libro 21 famoſam uocat.Sed quia famoſæ urbis,inquit,ſupremum diem tradituri ſumus,congruens uidetur primordia eius aperire.

In malam partem.

Quinto. Dein multorum amoribus famoſa Albucilla &c. Libro 20. Crebris apud Neronem delationibus famoſos.

Offenſæ.

Libro 19.Satis patuit ijs qui principum offenſas acriter ſpeculantur.Infra. Vnde quanquã manente in ſpeciem concordia,offenſarũ opera metuebantur. libro 20.Nec ipſe deerat uocare offenſas,nimius cõmemorandis quæ meruiſſet.

Obſtinatio fidei,in bonam partem,pro obfirmatione.Obſtinatus.

Libro 19.Blæſo ſuper claritatem natalium,& elegantiam morum,fidei obſtinatio fuit. libro 21. Et quia apud ipſos fides obſtinata, miſericordia in promptu &c. Rurſum de Iudæis. Obſtinatio uiris fœminiſq; par. Liuius libro 6. dec. primæ, Tum etiam quibus animi in ſpe ultima obſtinati ad decertandum fuerant. Item de Tarquinio Lucretiæ ſtupratore. Vbi obſtinatam uidebat. Et, Quum uiciſſet obſtinatam pudicitiam.

Affecta fides,pro læſa. Affectæ res.

Libro 19.Et credebatur affectam eius fidem præiuuiſſe, domo agriſq; pignori acceptis.Sic Liuius dixit affectas res libro ſexto primæ dec. Quorũ legati opem rebus affectis orantes quũ ſenatum adiſſent.Idem lib. primo dec.5. affectum peſtilẽtia uocat exercitum,imminutũ ſignificans. Et exercitus,inquit,qui Arimini peſtilentia affectus erat,domũ dimiſſus.Sic libro 6.dec.4.dixit, affecta labore ac uigilijs corpora. Aetoli, inquit, pars ſopiti affecta labore ac uigilijs corpora ex ſomno moliebantur. Libro 4.dec.5. Statuit ſic affectos recenti atq; integro hoſti non obijcere.libro primo dec.3. Pauliſper tamẽ affectos animos recreauit repentina profectio Annibalis in Oretanos,Carpetanoſq;,hoc eſt imminutos debilitatoſq;.

Afflicta fides.

Libro.17.Multi afflicta fide in pace,ac turbatis rebus alacres,& per incerta tutiſsimi.

Tenere ſedẽ Iouis opt.max.pro uincere ſiue captã obtinere.

Libro 19.de Capitolio ſede Iouis optimi maximi loquens. Quam nõ Porſena dedita urbe,neq; Galli capta tenere potuiſſent. Sic enim manuſcriptũ uolumen habet,pro quo temerare legitur in uulgatis æditionibus.Tranquillus in Domitiano.Eaq; conditione permiſit,ut accuſatori qui cauſam non teneret,exiliũ pœna eſſet.libro 20.Tenebãtur uictore exercitu Treuiri.Rurſum libro 21. Cuncta camporũ omneſq; præter Hieroſolymã urbes,uictore exercitu tenebat. In uita Agricolæ.Atq; omnis propior ſinus tenebatur.Item. Finem Britanniæ non fama nec rumore,ſed caſtris & armis tenemus. Liuius lib. nono dec.4.Magno certamine cum prætore habito,tenuerunt cauſam.

Sacricolæ.

Libro 19.Turbæ ſacricolarum immixtus.

Inhumana pars uiæ.Inhumana ſecuritas.

Libro 18. Protritis arboribus atq; frugibus dira uaſtitas, nec minus inhumana pars uiæ,quã Cremonenſes lauro roſiſq; cõſtrauerãt,extructis altaribus, cæſiſq;

incũmis,regium in morem.libro 19.Nec tunc minus crudelitatis, nũc inhumana ſecuritas.Sic dixit Liuius dec.tertia, inhumana crudelitas.

Intererat Vitellium uinci.

Libro 19.Hauddubie intererat Vitellium uinci.Quo nos loco genitiuũ reipublicæ ſubmouimus.Liuius lib.4.dec.5.Neq; ipſe quod plurimũ intererat, certamini affuit.libro 7.Aut ſi detrectaret hoſtis certamen,quod plurimũ intererat ad animos ciuitatum,timoris confeſſionem exprimerent.

Intereſt cum genitiuo.

Libro 17.Non interfuit occidentium, quid diceret.

Remittere nomen.Remiſerunt imbres apud Liuium abſolute.

Libro 20. Vim principis complecti,nomen remittere.Sic in ſuperioribus libris alicubi.Remiſſum id munus.Pro quo legitur in uulgatis æditionibus, Omiſſum id munus. Liuius libro 5.dec.4. Multa homines, ne bellare neceſſe ſit,uoluntate remittere,quæ bello & armis cogi nõ poſſint.libro ſexto.Et quum uterq; ſe cum omnibus copijs in Aetoliam uenturum,belloq; interfuturum polliceretur,Ptolemæo id remiſſum.libro ſecũdo dec.5.Omnibus gratiæ actæ, remiſſum omnibus. Mire eleganter idem abſolute remitto uerbum uſurpat libro decimo dec. 4. Vbi primum remiſerunt imbres.

Modo pecorum,pro ritu ſeu more pecorum. Modo pacis. Ruinæ modo.Modo rationis.Indaginis modo.

Libro 12.Modo pecorum Barbaris trahebatur. Sic enim caſtigauimus, quum in uulgatis æditionibus legatur corrupte, Quod dedecorũ Barbaris trahebatur. Liuius libro 8.dec.4.Eos ex eo tempore per ducentos iam annos pecorũ in modum conſternatos cædunt,fugantq;.Sic dixit rurſum Tacitus,Pacis modo, libro 20.Dein uagos & pacis modo effuſos lixas negociatoresq; Romanos inuadunt. Item.Ruinæ modo. Vt uentum ad manus,deturbati ruinæ modo præcipitantur. In uita Agricolę.Ludos & inania honoris,modo rationis atq; abundantię duxit. Infra.Quod ni frequens ubiq; Agricola ualidas & expeditas cohortes indaginis modo &c.Liuius libro 8.dec.4.Latrocinij magis quàm belli modo.Habes rurſus iſtam loquendi formam,modo pecorum,apud Liuium libro decimo dec.quartę. Sed ijs,inquit,qui hos ipſos Ligures aliquoties pecorum modo fugientes per ſaltus inuios conſectati ceciderunt?

Immortalia tributa.Mortales materiæ pro fluxis. Mortale opus.

Libro 20.Niſi ingratam militiam,immortalia tributa,uirgas,ſecures,& dominorum ingenia.lib.21.Prophanos qui deûm imagines mortalibus materijs in ſpecies hominum effingant.In libello Germanorum. Candidi & nullo mortali opere contacti.In uita Agricolæ.Sed ut uultus hominum, ita ſimulachra uultus imbecilla ac mortalia ſunt.Liuius libro 4.dec.4.leges quaſdã mortales dixit & temporarias.Sed tamen addit, ut ita dicam.

Præter os.Præter omnium oculos.

Libro 20. Præter ſuorum ora &c. intra caſtra effundebantur. Sic Liuius libro octauo 4.dec.dixit,præter omnium oculos.An non,inquit, præter omnium oculos tantum auri argentiq; in triumpho L.Scipionis,quantum non decem alijs triumphis,ſi omne in unum conferatur,ſit latum? Apud eundem Liuiũ habes,præter mœnia ipſa fluere, Præter Caralliten paludem agmen ductum, præter Thebas Demetriadẽ curſum dirigerent.Prȩter oram Hetruſci maris Neapolin tranſmiſit. Decade quarta.

Incerto Marte.

Libro 20.Pugnatum longo agmine,& incerto Marte,donec prȩlium nox dirimeret. Liuius libro 5.dec.4.dubium prælium uocat. Aliquandiu dubiũ, inquit, prælium fuit. Vocat ancipitem Martẽ lib.1.dec.3. Et adeo uaria belli fortuna,ancepsq; Mars fuit.

Extra

Nauare flagitium. Nauare bellum. Militarem operam nauare.

Libro 20. Cæteros, ut quiſq; flagitiũ nauauerat, premijs attollit. libro 21. Si Veſpaſiano bellum nauauerint, Veſpaſianũ rerum potiri. Liuius libro 4 dec. quintæ. Vbi datum ſignum ſit, tum militarem operam nauare.

Internatus ab internaſcor, participium.

Libro 20. Virgulta poſtremo & ſtirpes & internatas ſaxis herbas uellẽtes, miſeriarum patientiæq; documentum fuere.

Retentare.

Libro 20. Dat cuſtodes, qui pecuniam, calones, ſarcinas retentarẽt. Hoc uerbo ſupra quoq; uſus eſt. libro 21. Ciuilis dum fugiẽtes retentat, agnitus, petitusq; telis, relicto equo, tranſnatauit.

A metu infamiæ preſsit iras. A quo ſe muniebat.

Libro 20. Cerialis à metu infamiæ ſi licentia ſæuitiaq; imbuere militẽ crederetur, preſsit iras. In uita Agricolæ. Quum denotandis tot hominũ palloribus ſufficeret ſæuus ille uultus & rubor, à quo ſe contra pudorem muniebat. Hoc modo ſæpe loquitur Liuius, ut libro octauo tertiæ dec. Dextra Pœnos tenere caſtra, à ſtationibus, uigilijs, omni iuſta militari cuſtodia tuta & firma. Quanquã in uulgatis æditionibus à particula omiſſa eſt. Nos repoſuimus ex manuſcripto codice quem nobis bibliotheca Spirenſis ſuppeditauit. Rurſus libro quinto primæ decadis. Nunc, inquit, ab ſecundis rebus magis etiam inſolito incauti. libro ſexto. Criminabantur multo eum infeſtiorem agrum ab nobilitate eſſe, quàm à Volſcis fuerit. Item compluribus alijs locis.

Decernere pro confligere.

Libro 21. Paratusq; decernere, haud procul Hieroſolymis caſtra facit. Liuius libro decimo quartæ dec. Decernite criminibus, mox ferro decreturi.

Præpotuere. Præiuuare.

Libro 21. Poſtq; Macedones præpotuere &c. libro 19. Et credebatur affectam eius fidem præiuuiſſe, domo agrisq; pignori acceptis.

Prælium ſerere. Serere certamen. Pugnam conſerere.

Libro 21. Et ſequentibus diebus crebra pro portis prælia ſerebãt. Sic Liuius dixit libro decimo quartæ decadis. Indies maiora certamina ſerebat. Item alibi. Ex bellis bella ſeruntur. Rurſum libro ſecundo dec. eiuſdem. Et temperatũ ægre eſt, quin miſsilibus, quia dirempti medio amne fuerant, pugnam inter ſe cõſererent. libro quinto dec. eiuſdem. Boij diripi ſua impune, quàm tuendo ea conſerere certamen malebant.

Operatus abſolute, pro operatus ſacris. Operari liberalibus ſtudijs. Cædendis materijs operatus, pro operam dare.

Secundo. Nox eadem lætam Germanico quietem tulit, uiditq; ſe operatum. libro tertio. Armatis cohortibus Sacrouir occupauerat nobiliſsimarũ Galliarum ſobolem, liberalibus ibi ſtudijs operatam. Sic enim legendũ putamus pro ſibi ſtudijs operatam. libro 21. Egreſſum militẽ & cædendis materijs operatũ, turbauere.

Circundare gratiam & pecuniam. Circundare famam alicui.

Libro 14. In oratione Senecæ ad Neronem. At tu gratiam immenſam, innumeram pecuniam circundediſti. Sic enim illic legendum autoritate manuſcripti codicis. In dialogo Oratorum. Catilina, & Milo, & Verres, & Antonius, hanc illi famam circundederunt. In uita Agricolæ. Egregiam famam paci circundedit.

Remiſsiones.

In uita Agricolę. Iam uero tempora curarum remiſsionumq; diuiſa. In dialogo Oratorum. Ac non ſtudia moresq;, ſed remiſsiones etiam luſusq; puerorum, ſanctitate quadam ac uerecundia temperabat.

Minus triennium.

In uita Agricolæ. Minus triennium in ea legatione detentus.

Inuictum. ad rem relatum.

In uita Agricolæ. Vt obſtupefacti hoſtes qui claſſem, qui naues, qui mare exſpectabant, nihil arduum aut inuictum crediderint. libro 19. Annalium. Sed cuncta feſtinatione, deinde ignauia Sabini corrupta, qui ſumptis temere armis, inuictiſſimam Capitolij arcem, & ne magnis quidem exercitibus expugnabilem, aduerſus treis cohortes tueri nequiſſet. Sic enim illic ſcribe, pro ſuppoſititio uocabulo munitiſsimam.

Lauream mittere. Laureatis geſta proſequi. Laureatæ literæ ſiue tabellæ.

Libro 19. Ipſe lauream proſpere geſtæ rei ad fratrē miſit. In uita Agricolæ. Ne laureatis quidem geſta proſecutus eſt. Subauditur literis. Liuius libro quinto decadis quintæ. C. Licinio conſuli ad quadrigas mittēdas aſcendēti, tabellarius qui ſe ex Macedonia uenire diceret, laureatas literas. Igitur (ſic enim illic legendū ſuſpicor pro dicitur.) quadrigis miſsis Conſul currū cōſcendit, & quum per circum reueheretur ad foros publicos laureatas tabellas populo oſtendit.

Veſcor, cum accuſatiuo.

In uita Agricolæ. Eò ad extremum inopiæ uenere, ut infirmiſsimos ſuorum, mox ſorte ductos ueſcerentur.

Annus.

In libello Germanorum. Nec arare terram aut expectare annū tam facile perſuaſeris, quàm uocare hoſtes & uulnera mereri. Sic in prouerbio. Annus fructificat non tellus.

Spectabilis uictoria.

In uita Agricolæ. Defixere aciem in hijs ueſtigijs, in quibus pulchram & ſpectabilem uictoriam ederetis.

Intercedere imaginibus, per metaphoram, pro obſtare imaginibus & prohibere.

Intercedit tribunusplebis ſententiæ, quum opponit ſe & ſic prohibet ne quid ſtatuatur. Liuius libro octauo quartæ decadis. Pronunciauit, prætori non intercedere tribūnos, quo minus ſua poteſtate utatur. Et mox. Se nō intercedere prætori. Vnde per metaphoram Tacitus dixit in uita Agricolæ. Non quia intercedendum putem imaginibus quæ marmore aut ære fingūtur. Id eſt, Non quia negem habendas imagines quæ marmore aut ære finguntur. Plinius in Panegyrico. Intercedere iniquitatibus magiſtratuum.

Extranei.

In uita Agricolæ. Extraneis etiam, ignotisq; non ſine cura fuit, Tranquillus in Claudio. Ac ne hæredem quidem, niſi inter tertios ac penè extraneos.

Inſcientia ab inſciens, ſic ut à negligens negligentia.

Libro 17. Inde atrox rumor, affirmantibus pleriſq; interfectos, ac ni ſibi conſulerent, fore ut acerrimi militum & præſentia conqueſti, per tenebras & inſcientiam cæterorum occiderentur. Sic enim continet manuſcriptum exemplar. quanquam in uulgatis æditionibus omnibus, etiam noſtra, legitur: per tenebras & inſcitiam cæterorum occiderentur. Hoc uocabulum rurſus reperi in dialogo Oratorum. Quis enim ignorat & eloquentiam & cæteras artes deſciuiſſe ab iſta uetere gloria, non inopia hominū, ſed deſidia iuuentutis, & negligentia parentum, & inſcientia præcipientium, & obliuione moris antiqui.

Circum pro circa aduerbialiter.

Libro quarto. Ita quanquam diuerſis ſuper rebus conſulerentur, aram clementiæ, aram amicitiæ, effigiesq; circū Cæſaris ac Seiani cenſuere. lib. 15. de incendio urbis ſub Nerone. Neq; tamen ſiſti potuit, quin & palatium, & domus, & cuncta circum, haurirentur. Apud Liuium tamen motum ſignificat libro ſecundo deca-

dis quintæ. Inde legatio ſub idem tempus in Aſiam circum inſulas miſſa. Idem tamen circa frequentius in hunc modum uſurpat.

Cerimonia.

Libro 14. Videbaturq́ potius ſacros & cerimoniã loci corpore toto polluiſſe. Liuius libro decimo dec. quartæ. Ad ſtatum ſacrificium, quod conditori Aeneæ cum magna cerimonia quotannis faciunt.

Si non fuit, pro non licuit, ſiue datum eſt aut permiſſum.

Libro 20. Te Quirine Romanę parens urbis, precor ueneror q́, ut ſi uobis non fuit, me duce hæc caſtra incorrupta & intemerata ſeruari, at Claſsico ne ſinatis. Liuius libro ſecundo dec. quintæ. Eorum autem quę obiecta ſunt mihi, partim ea ſunt quibus neſcio an gloriari debeam, partim quæ fateri non erubeſcam, partim quæ uerbo obiecta, uerbo negare ſit.

Reſtaurare.

Libro tertio. At Pompei Theatrum igne fortuito hauſtum, Cæſar extructurum pollicitus eſt, eo quod nemo è familia reſtaurando ſufficeret. Iuſtinus libro 21. Ita facta ſocietate & auxilijs Gallorũ auctus, bellũ uelut ex integro reſtaurat.

Effuſus in amorem, in luxum. Effundi in preces, lachrymas, uota. Effuſio, Abſolute.

Libro primo. Dum Mecœnati obtemperat effuſo in amorẽ Bathylli. libro uigeſimo. Effuſi in luxum & epulas & nocturnos cœtus. Rurſus lib. 1. At patres quibus unus metus, ſi intelligere uiderentur, in queſtus, lachrymas, uota effundi. id eſt, effundebãtur. Liuius libro ſecundo dec. quintæ. Pars ita in Romanos effuſi erant, ut autoritatem immodico fauore corrumperent. Idem libro quarto dixit effuſam licentiam pro immodica. Rurſum infra. Nondum hac effuſione inducta beſtijs omnium gentium circum complendi. Proinde quod apud Tacitũ in manuſcripto codice legitur libro 19. Cauſam effuſionis quærenti, ſic accipiendũ eſt, ut ſignificet Imp. Vitellius ſe mirari quur frater ipſius tam immodice ſupplex ſit, in preces atq́ lachrymas effuſus, qui filium imperatoris ſinu complexus genibus illius acciderat. Quanquam in uulgatis æditionibus legitur confuſionis, quemadmodum indicauimus in Caſtigationibus. Adiuuat hoc quod dixi locus adhuc alter libro quarto dec. quintæ. Et principium orationis ab accuſatione ſtultitiæ orſus ſuæ, poſtremo ad preces lachrymasq́ effuſus, genibus pretoris accidens in poteſtatem ſeſe dedit. Ergo Taciti uerba expone. Cauſam effuſionis. ſ. in preces lachrymasq́, quærenti &c.

Dandarica, pro terra Dandaridarum. Indica. Medica. Biſaltica. Belgica. Romana.

Libro 12. Ventumq́ Soza oppidũ Dandaricæ. Sic enim repoſuimus pro Dandaridæ. Non aliter Liuius Indicam uſurpat libro ſecundo dec. quintæ. At Hercule nunc nõ de ultimis Indicæ oris, ſed de ipſius Macedoniæ poſſeſsione certamen fortunã indixiſſe. Item libro decimo quartę dec. In Mędicam ducere pergit. Rurſum libro 4. dec. quintæ, Circa Deſudabam in Mędica exercitus Gallorum conſederat, mercedem pactam opperiens. libro quinto. Trans Strymonem autẽ uergentia ad occaſum, Biſalticam omnem cum Heraclea quam Sinticen appellant. Sic & Belgicam dixit Tacitus libro 17. Pompeius Propinquus procurator Belgicæ ſtatim interfectus. Et Panegyriſtes ad Maximianum Aug. in Romanam. Tot exciſæ undiq́ Barbaræ nationes, tot translati ſunt in Romanã cultores. Ita nanq́ ſcribendum illic pro Romam.

Admouere ſimpliciter, pro admouere exercitum ſiue copias.

In libello Germanorũ. Ne Parthi quidem ſæpius admouere. Sic enim legimus pro admonuere. lib. 3. dec. 5. Si propius copias admouiſſet, paratos fore qui proderent urbem. Item alijs compluribus locis.

Spoletinus, à Spoletio, non Spoletanus. Spoletium.

Quod in manuſcripto Taciti codice legitur Spoletinus, pro quo Spoletanus quiſpiã in uulgatis æditionibus ſuppoſuit, idem reperitur apud Liuium, ut libro tertio dec. quintæ. Itaq; quum ſpei nihil ad reſiſtendum eſſet, C. Caruilius Spoletinus, & C. Afranius à præſidio Romano miſsi. Et mox. Magno uſui Caruilius Spoletinus erat in colloquijs. libro quinto dec. eiuſdem. Rex Gentius cum liberis & coniuge & fratre Spoletium in cuſtodiam ex ſenatuſconſulto ductus.

Vſq; pontem, ſine præpoſitione.

Tacitus aduerbium uſq; cum accuſatiuo conſtruit ſine intermedia præpoſitione ad. Sic & Liuius libro 4. dec. 5. Vſq; alterius initiũ pontis prolabi eũ leuiter cogebat.

Vacuam arcem furtim tradi futurum.

Libro 19. Vacuam arcem furtim tradi futurum. Sic enim in manuſcripto codice legitur, non, furtim traditurum, quemadmodum æditiones peruulgatæ continent. Neq; uero ſeruus Verginij Capitonis intra arcem erat, ut ipſe tradere poſſet aduenientibus arcem. Non abſimilis eſt illa Liuij locutio libro ſecundo decadis quintæ. Neminem eorum per Italiam ire liciturum.

Finis, pro finibus, hoc eſt termino.

Libro 16. Oſtorius longinquis in agris apud finem Ligurum id temporis erat. Liuius libro quarto dec. quartæ. Piſanum deinde finem tranſgreſſos, omnẽ oram maris peragraſſe. Vide Caſtigationes in librum 16.

Mittere uocem, pro emittere.

Mittere uocem Tacitus uſurpat. quanquam in uulgatis æditionibus legitur emittere. Sed habenda fides manuſcripto codici. Liuius libro quinto dec. quartę. Qui uocem liberam mittere aduerſus regis legatum auderent. libro decimo. Mihi quoq; ferrum in me ſtrictum cernenti uocem mittere liceat. Item decimo decadis tertiæ. Sed ſi captiuæ, apud dominum uitæ neciſq; ſuæ, uocem ſupplicẽ mittere licet.

Circuli.

Libro tertio. Nec ignoro in conuiuijs & circulis incuſari iſta, & modũ poſci. In uita Agricolæ. Vulgus quoque, & hic aliud agens populus, & uentitauere ad domum, & per fora & circulos locuti ſunt. Liuius libro quarto dec. quintæ. In omnibus circulis, atq; etiam, ſi dijs placet, in conuiuijs ſunt qui exercitus in Macedoniam ducant.

Genus.

Libro 20. Infeſtius in Vbijs quos genus Germanicæ originis, eiurata patria, Romanorum nomine Agrippinenſes uocarent. L. Florus. Aquitani callidũ genus in ſpeluncas ſe recipiebant. Ibidem de Germanis. Sed in ſaltus & paludes genus omne diffugerat.

Percenſere. Permunire. Peruigere. & ſimilia uerba.

Gaudet Tacitus huiuſmodi uerbis cõpoſitis cum præpoſitione per, quale eſt Percenſere. libro 4. Percenſuitq; curſim numerum legionum. Permunire. Quinto. Locorumq; opportuna permuniuit. Peruigere. Et uterq; opibuſq; atq; honoribus peruiguere. Peruincere. libro 12. Quod patres odio delatoris contra ambitum Agrippinæ peruicere. Perlicere. Decimotertio. Necem & arma perliceret. Perpopulari libro 14. Cædibus & incendijs perpopulatus. Perornare. libro decimoſexto. Detraheret potius ſenatui quem perornauiſſet, infamiam tanti flagitij. Percolere. libro 18. Pleroſq; ſenatorij ordinis honore percoluit.

Prætexere.

In libello de moribus Germanorum. Vtreq; nationes uſq; ad Oceanum Rheno prætexuntur. Item. Eaq; Germaniæ uelut frõs eſt, quatenus Danubio prætexitur. Sic enim legendum, non Danubio pergitur.

FINIS

PHILIPPVS BEROALDVS IVNIOR, ACADEMIAE ROMANAE PRAEPOSITVS, LEONI X. PONT. MAX. S.

QVID nam eſſe cauſæ dicam Pont. Max. quod egregia animorum monumenta, quę ſola communem hanc humanarum rerũ moriendi ſortem effugere poſſe uidebantur, ipſa quoq; pręteritis ſeculis fati cõtagionẽ ſenſerunt? Nanq; ut de plurimis bonis auctoribus taceam, qui omnino perierunt, unus Cornelius Tacitus qui res Roma- *Cor. Tacitus* nas ab exceſſu diui Auguſti ad ſuam ætatẽ cõplexus eſt triginta uoluminibus, lacer & ueluti ſine capite ſtatua diu iacuit. Nihil miſero profuerat Romani imperij res geſtas diligenter, fideliter, & floride ſcripſiſſe. Nihil eum iuuerat ſequẽtibus temporibus nactum fuiſſe imperatorẽ Tacitum, *Tacitus imp.* qui cum inter ſuos progenitores annumerari glorioſum duxerit: qui illius hiſtorias quotannis multis uoluminibus tranſcribendas ac per bibliothecas diſſeminandas imperarit, quo pluribus munimentis, pluribus theſauris diuturnitatẽ gentili ſuo cuſtodiret. Ac mihi quidem uidetur per tot ſecula Cornelius non tam caput ſuũ perdidiſſe, quàm ultro ipſe occultaſſe. Audiebat enim eam eſſe ignauiam temporũ, eum bonarũ literarum contemptum, ut non modo nõ quenquam uidere, ſed ne à quoquam uideri quidem dignum eſſe exiſtimaret. At uero ubi tui Pontificatus effulſit alma lux, ſeſe ipſe extulit, ad nominis tui uocẽ caput exeruit. Odor nanq; tuarum uirtutum non uiuentes modo in uenerationẽ ſui cõmouit, ſed ipſos penè dixerim intermortuos excitauit. Falleris enim Leo Max. ſi arbitraris quenquam *LEO X* fuiſſe per multa ſecula, qui in iſtam maieſtatis altitudinẽ adſcenderit, tam cõmuni omniũ mortalium lætitia, tam cõſtanti opinione bonitatis, quiq; tantam de ſe cõmorit expectationẽ, quantã ipſe de te concitaſti. Et enim anteactæ uitæ incredibilis ſanctitas, morũ candor, ſpectata fides in eam ſpem omnes adducebãt, ut unũ eſſe te affirmarẽt, qui demiſſus è cœlo per auream illam Homeri cathenã feſſo orbi ſuccurrere & poſſes, & uelles. In primis uero bonæ artes ſtudiaq; ipſa literarum ſibi de te plurimũ ſtatim promiſere, Sciebant enim fuiſſe te ſemper egregia in ſe uoluntate, præclara mente: unam modo non affuiſſe facultatẽ, quam uidebant iſta cum dignitate acceſſiſſe, eamq; permagnã. Norant bibliothecã Mediceam, quæ *Bibliotheca Medicea* difficillimis Italiæ temporibus parem cũ reliqua domus tuæ fortuna ſenſerat calamitatem, à te extorre, ac perquàm modicis fortunis, pecuniarũ magna ui recuperatã. Viderant ædes tuas nobilib. ingenijs patuiſſe ſemper. Meminerant præterea diuini illius uiri auream eſſe te ſobolem, qui bonas literas iam fugientes reuocauit. Ex cuius te ortum radicibus affirmabant non poſſe non cõſimiles fructus dare, atq; etiam tanto uberiores, quãto illum

ipſum

Leo X ſtudijs literarũ conſulit

Lau. Medices

Ioan. Laſcaris

Pueri Græcorum Romæ erudiuntur

Indagatorib. librorũ præmia propoſita

Apud Corbeiam Benedictinorum cœnobium

Cor. Tacitus ſumme utilis

ipſum patrẽ tuum opulentia, maieſtate, amplitudine ſuperaſti. Et me hercule huic opinioni (quantum in primordio & quaſi infantia Pontificatus effici potuit) præclare reſpondiſti. Nanq; adauctis profeſſorũ ſtipendijs, accitisq; undiq; ſummis in omni ſtudiorũ genere uiris, Romanũ gymnaſium multis ingeniorũ luminibus illuſtraſti. Ac LAVRENTIVS quidem parens tuus Ioannẽ Laſcarem ſingularis eruditionis uirum in Græciam miſit, quo libros undiq; cõquiſitos Florentiã ad extruẽdam bibliothecam comportaret: tu uero qui quod utranq; linguã optime calles, ad perfectam eruditionẽ, literarũ Græcarũ cognitionẽ ſciebas eſſe perneceſſariam, eodem Laſcare auctore, ipſam propemodũ Græciam in Italiam quaſi in nouam coloniã deduxiſti. Pueros enim ex tota Græcia in quibus uis ingenij & bona indoles ineſſe uidebatur, cum ſuis præceptoribus Romam euocaſti, ut & linguã ipſis noſtrã cõmodius nos traderemus, ſuamq; illi nobis liberalius impartirent, ac per hoc ſeminariũ utriuſq; gentis literæ altioribus radicibus innixę, transferri ac latius propagari poſſent. Age uero quanta hoc ipſum laude dignũ eſt? quod propemodũ præconis uoce ingentia præmia indagatoribus librorũ propoſuiſti, ſi quos libros uetuſtas nobis inuidit, alicunde è latibulis eduxiſſent. quæ uenatio Cornelij Taciti hos primos quinq; libros qui per longũ ſeculorũ ambitum latuerant, in ſaltibus Germaniæ inuenit. quam tu prædã ad te allatam, ac magna mercede comparatã, non uelut aliqua librorũ ſepultura rurſus occultaſti, ſed tanq; uerus omniũ pater, utilitati omniũ conſultũ eſſe uoluiſti. Siquidem ubi tu totos ſumma cum uoluptate cognouiſti (nam poſt negotiorum fluctus ex antiqua tua cõſuetudine, aut aliquid ipſe legis, aut alios recitantes audis) eos mihi ut ad cõmunẽ ſtudioſorũ utilitatẽ publicarem, tradidiſti. Quo nomine, cum ego præter cæteros, quem, quod huius prouinciæ rectorem nõ omnino malũ exiſtimaſti, laus nõ parua ſecutura eſt, tum boni omnes, ad quos huius beneficij inopinata utilitas latiſſime prouentura eſt, debere tibi, ſi grati eſſe uolent, fateãtur, neceſſe eſt. Nam ſummum ego auctorẽ, & ſumme utilem Corneliũ Tacitum ſemper iudicaui, cum priuatis hominibus & optimatibus, tum uero etiã principibus ipſis atq; imperatoribus. & enim cũ ex reliquis hiſtoricis alij res tantũ domi foriſq; in Rep. geſtas perſcribant, ut Salluſtius, ut Liuius: alij principũ uitas oſtendiſſe cõtenti ſint, ut Suetonius, ut Plutarchus: hic unus utrunq; munus ſummo ordine, diligenti cura, magno iudicio, multa concinnitate complexus eſt. His autẽ quinq; libris decem reliquos cõnectere placuit, ut ſuo tandẽ capite Cornelius, ſuã faciem multo integrior ſpectandã, tuoq; munere agnoſcendã præberet. Atq; utinã alij quoq; & permulta linguæ noſtræ uolumina quæ deperdita ſunt iampridẽ, nunc te clauum Chriſtianæ cymbæ moderante inueniantur. ſpondere enim omnibus audeo, ac pro te præſtare me uadem, ut quicunq; uolumen aliquod egregium, ex his ipſis

quæ

quæ uetuſtatis iniuria interciderunt,repertū ad te attulerit,fore ut tanti au ctor muneris non minorem in ſe tuam ſenſurus ſit,q̄ hic ipſe ſenſerit, qui hos quinq; attulit,liberalitatē.Nam cum tu multas Laurentij parentis tui excellentes animi dotes nobis repræſentes,nullā te magis exprimere ac referre animaduerto,q̄ ut de literis bene meruiſſe iudiceris. Atq; id quoq; ut reliquas actiones tuas & prudenter inſtituis,& ſapienter facis. & enim Laurentius quanq̄ ſuæ Reip.fuerit columen, Italiā uniuerſam quoad uixit prudentia & cōſilio præſtiterit immunē ab incurſionibus barbararum gentium & rapinis,regum illuſtriū toto orbe ſummā beneuolentiā multis officijs ſibi conciliarit,fueritq; planè uir unus qui de humano genere optime meritus iudicari poſſit,nullā tamen pleniorem gratiā, nullum uberius meritū tulit q̄ idipſum,quo literæ ſunt eum remuneratæ. memores enim illius in ſe beneficentiæ,ne ingratæ haberentur eum mortalitate ereptum æternitati cōſecrarūt. Ita neſcias utrū maius præſidiū literis attulerit Laurentius,an ab eis maius ipſe nomen,ampliorem dignitatē fuerit conſecutus.Huic autē inſtituto & propoſito tuo tam recto,tam magnanimo fortuna quoq; ipſa ſubſeruire,occaſionesq; offerre uiſa eſt, quibus animi tui nobiliſsimas cogitationes exprimere poſſes. Si quando enim clari in literis uiri extitere,affirmare auſim tuis temporibus extare ſummos,nec in literis modo, ſed in Muſica, pictura, ſtatuaria, architectura celeberrimos: quorū tu artes liberaliter foues, opera intelligēter laudas, ingenia magnifice extollis. Magna ſanè felicitas hæc eſt ingeniorū, ut ſuarum uirtutum intelligentē & amantē principem nacta ſint. Sed nec principis eius fortuna minor,qui eo ſeculo natus ſit,quo poſſit eos habere ſpectatores,& ſuarum actionum teſtes, qui poſteris illas quoq; narrare poſſint incorrupte. Deus igitur Opt Max. hanc tibi mentē,hunc animū perpetuo conſeruet, incolumitatē q̄ diutiſsime tueatur, ut unus poſt hominū memoriā fuiſſe Pontifex dicaris,qui magni principis numeros abſolueris,religionem ſanctiſsime colueris, fontes beneficentiæ in bonorū tantum cōmoditates deriuaris,uirtutes demū omnes cognoueris,amaueris,illuſtraueris. Vale.

PH. BEROARDVS AD LECTOREM.

SED quoniam uetus codex,unde hunc ipſum deſcribendū atq; inuulgandum curaui,pluribus mendis ſcatet,æquum uidetur lectorem in primo quaſi operis limine conſilij mei, quo in hoc toto negocio ſum uſus, admonere. Namq; errores qui poterant nulla temeritatis nota emendari, conſultis primo nonnullis eruditis & acris iudicij uiris correxi. At quæ loca in ſe maiorem in corrigendo difficultatem habere uidebātur,ſicut erant reliqui,appoſitis interiori margini ſtellulis,quæ uitioſum codicem teſtarentur.

EX LIBRO PRIMO.

Neu triſtior.) Forte corrigendum erit,triſtiores,uel ſit numerus pro numero, quod amicum eſt huic ſcriptori.

Multa Antonio tunc interfectores.) Deeſſe arbitror particulam,ut, uel,quo. quam correctionem qui non reſpuit, ſuo addat codici.

Quæ

Quæ Tedij & Vedij.) & infra. Grauius domui Cæſarũ.) Opinor corrigendum: Qui Tedij & Vedij, &, Grauis domui Cæſarum.

Mox celebratio annum.) Poſſes non abſurde emendare. Mox celebratio annuum ad prætorem.

Intus operis.) Quid ſi legas, inuictus operis: ut qui uinci à magnis laboribus neſciret, uel immitis operis. ſequitur enim atq; eò immitior: nam qui nimius eſſet in imponendis militi laboribus.

Concædes Latera concædibus munitus.) Non eſt corruptus locus, ſed non obuia omnibus loquutio. Sunt autem concædes ueluti ſepes firmiores è ſylua Cædua arboribus cæſis conſtructæ. Cæſar in commentarijs & Ammianus ea dictione utuntur. Et hodie quoq; tali caſtrorum munimento uti uidemus ductores exercitus, prout ratio loci in caſtrametando ſuaſerit.

Clariore penè cœlo.) Codex uetus habet, clamore pena cœlo. ſi cui noſtra correctio diſplicet, ipſe meliorem inueniat.

Apud principium ponti.) Sine controuerſia legendum eſt, pontis.

EX LIBRO SECVNDO.

Imprompto iam ob continua pericula.) Adderem ego nomen Arminij, & legerem: Imprompto iam Arminio ob continua &c.

In Hiona.) corrigeres forte non inepte, in hyberna.

Quaſi auretur poteſtas.) Si corrigeres, augeretur, planè bene cõſiſtet ſenſus.

EX LIBRO TERTIO.

Et lege Pappia Poppæa præmijs inducti uiſi à priuilegijs.) Dictio illa, uiſi, toto ſenſui officit, quare eam excutiendam cæteris relinquimus. Sed ut hunc locum nõ facile correxerim, ita Suetonij codicẽ in Claudio emendare auſim. Vbi enim mentio fit legis Pappiæ, ita codices habent, Pappiæ Pompeiæ, emendarem ego, Pappiæ Poppææ.

EX LIBRO QVINTO.

Simul populus effigies.) Hoc loco & paulo infra, multa deſunt, & illa in primis, Agrippinæ & eius filiorum Neronis & Druſi relegatio, Seiani coniuratio & pœna, multorumq; eius amicorũ ſupplicia & Liuiæ uxoris Druſi, quæ Liuilla à Suetonio nuncupatur. Item initium conſulatus Trionis & Reguli.

Si quæ alia ſunt loca præter hæc, duriuſcula, ea ſibi quiſque pro captu ingenij interpretetur aut corrigat, mihi ſatis fuerit ex fide omnia rettuliſſe.

NEque uero quemq; mirari uolumus, ſi quaſdam dictiones inueniet ab uſu cotidiano paulum remotiores, ſed tamen antiquitatẽ redolentes, quas inuertere, & ſecus q; erant in uetuſto codice publicare, nõ modo temerarij, ſed planè indocti uiri fuiſſet, Vt Sulla pro Sylla, Donuſa pro Donyſa, Sibulla pro Sibylla: inclutos pro inclytos: inritum, inridere, inluxit, pro irridere, irritum, illuxit. Antire pro anteire: ſatias pro ſatietas, qua dictione etiam Terentius uſus eſt. Apiſci pro adipiſci, more Lucretiano: tramiſſus pro tranſmiſſus: epiſtula pro epiſtola: & Lucaris, quod mercedem & præmium ſignificat: ut mulcatum corpus pro percuſſo & quaſſato. Inueniet etiam reſtaurari duobus in locis, niſi ſit uitium in codice uetuſto, quanq; ſunt qui affirment Liuium & Iuſtinum & iuris conſultos eo uerbo uſos. Inuenies etiam, in præſentiarum, qua locutione auctor rhetorices ad Herennium uſus eſt. Inuenies etiã numeros quoſdã uirgula ſuperpoſita deliniatos, ut erãt in codice uetuſto. quę uirgula deſignat augmentũ millenarij numeri.

P. Cornelij

P. CORNELII TACITI

AB EXCESSV DIVI AVGVSTI ANNALIVM LIBER PRIMVS

VRBEM ROMAM à principio reges habuere. Libertatem,& Conſulatum L. Brutus inſtituit. Dictaturæ ad tempus ſumebãtur:neq; Decemuiralis poteſtas ultra bienniũ,neq; Tribunorum militum conſulare ius diu ualuit. Non Cinnæ, non Sullæ longa dominatio. & Pompeij Craſſiq; potentia cito in Cæſarem:Lepidi, atq; Antonij arma in Auguſtum ceſſere, qui cuncta diſcordijs ciuilibus feſſa, nomine principis ſub Imperium accepit. Sed ueteris populi Rom.proſpera uel aduerſa claris ſcriptoribus memorata ſunt: temporibusq; Auguſti dicẽdis non defuere decora ingenia,donec gliſcente adulatione deterrerentur. Tiberij,Caijq;,& Claudij, ac Neronis res,florentibus ipſis ob metum falſæ,poſtquam occiderant recentibus odijs compoſitæ ſunt.Inde cõſiliũ mihi pauca de Auguſto,& extrema tradere:mox Tiberij principatum,& cætera ſine ira,& ſtudio,quorum cauſas procul habeo. Poſtquã Bruto,& Caſsio cæſis,nulla iam publica arma,Pompeius *Auguſtus* apud Siciliam oppreſſus,exutoq; Lepido,interfecto Antonio,ne Iulianis quidẽ partibus, niſi Cæſar dux reliquus,poſito Triumuiri nomine,Conſulem ſe ferens,& ad tuendam plebem tribunitio iure contentum: ubi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otij pellexit, inſurgere paulatim,munia Senatus,magiſtratuum,legum,in ſe trahere,nullo aduerſante:cum ferociſsimi per acies, aut proſcriptione cecidiſſent: cæteri nobilium,quanto quis ſeruitio promptior,opibus & honoribus extollerentur, ac nouis ex rebus aucti,tuta & præſentia, q̃ uetera,& periculoſa mallent. Neq; prouinciæ illũ rerum ſtatum abnuebãt,ſuſpecto Senatus populiq; imperio ob certamina potentium,& auaritiam magiſtratuum,inualido legum auxilio:quæ ui,ambitu, poſtremo pecunia turbabãtur. Cæterum Auguſtus ſubſidia dominationi Claudium Marcellum,ſororis filium admodum adoleſcentem,Pontificatu & curuli ædilitate:M.Agrippam ignobilem loco,bonum militia & uictoriæ ſocium,geminatis conſulatibus extulit:mox defuncto Marcello generũ ſumpſit:Tiberiũ Neronem,& Claudiũ Druſum priuignos imperatorijs nominibus auxit, integra etiamdum domo ſua:nam genitos Agrippa Caium ac Lucium in familiã Cæſarum induxerat: necdum poſita puerili prætexta principes iuuentutis appellari, deſtinare conſules ſpecie recuſantis flagrantiſsime cupiuerat. Vt Agrippa uita conceſsit, L. Cæſarem euntem ad Hiſpanienſes exercitus,Caium re-

meantem Armenia,& uulnere inualidum,mors fato propera, uel nouercæ Liuiæ dolus abſtulit, Druſoq́ pridē extincto, Nero ſolus è priuignis erat,illuc cuncta uergere:filius,collega imperij,conſors tribunitiæ poteſtatis adſumitur,omniſq́ per exercitus oſtentatur,non obſcuris ut antea matris artibus,ſed palàm hortatu. nam ſenem Auguſtū deuinxerat adeo,uti *Agrippa Poſthumus* nepotem unicū Agrippam Poſthumum in inſulam Planaſiam proijceret, rudem ſanè bonarum artium, & robore corporis ſtolidè ferocem,nullius *Germanicus* tamen flagitij compertum. At hercule Germanicum Druſo ortum, octo apud Rhenum legionibus impoſuit, adſciriq́ per adoptionem à Tiberio iuſsit, quanq́ eſſet in domo Tiberij filius iuuenis,ſed quo pluribus monumentis inſiſteret. Bellum ea tempeſtate nullum,niſi aduerſus Germanos ſupererat,abolendæ magis infamiæ ob amiſſum cum Quintilio Varo exercitum,quàm cupidine proferēdi imperij,aut dignū ob præmium. Domi res tranquillæ, eadem magiſtratuum uocabula. iuniores poſt Actiacam uictoriam, etiā ſenes pleriq; inter bella ciuiū nati, quotus quiſq; reliquus, qui rempub. uidiſſet? Igitur uerſo ciuitatis ſtatu, nihil uſq́ priſci & integri moris,omnis exuta æqualitate iuſſa principis aſpectare, nulla in præſens formidine dum Auguſtus ætate ualidus,ſeq́ & domum,& pacem ſuſtentauit. Poſtquam prouecta iam ſenectus ægro & corpore fatigabatur,aderatq́ finis & ſpes nouæ, pauci bona libertatis in caſſum diſſerere, plures bellum pauēſcere, alij cupere: pars multo maxima imminentis dominos uarijs rumoribus differebant. trucem Agrippam,& ignominia accenſum, *Tiberius* non ætate,neq; rerum experiētia tantæ moli parem. Tiberium Neronem maturum annis,ſpectatū bello:ſed uetere atq; inſita Claudiæ familiæ ſuperbia:multaq́ indicia ſæuitiæ, quanq́ premātur,erumpere: hunc & prima ab infantia eductum in domo regnatrice, cōgeſtos iuueni conſulatus, triumphos: ne ijs quidē annis, quibus Rhodi ſpecie ſeceſſus exulē egerit, aliquid quàm iram,& ſimulationem,& ſecretas libidines meditatum:accedere matrem muliebri impotentia,ſeruiendū fœminæ, duobusq́ inſuper adoleſcentibus, qui rempub. interim premant, quandoq; diſtrahant.

Hæc atq; talia agitantibus,graueſcere ualitudo Auguſti,& quidam ſcelus uxoris ſuſpectabant. Quippe rumor inceſſerat,paucos ante mēſes,Auguſtum electis cōſcijs, & comite uno Fabio Maximo Planaſiam uectum,ad uiſendum Agrippam: multas illinc utrinq; lachrymas,& ſigna charitatis, ſpemq́ ex eo fore,ut iuuenis penatibus aui redderetur. Quod Maximum uxori Martiæ aperuiſſe, illam Liuiæ, C. Nauum id Cæſari. Neq; multo poſt,extincto Maximo (dubiū an quæſita morte) auditos in funere eius Martiæ gemitus ſemet incuſantis,quod cauſa exitij marito fuiſſet. Vtcūq; ſe ea res habuit,uixdum ingreſſus Illyricum Tiberius,properis matris literis accitur. neq; ſatis compertum eſt,ſpirantem adhuc Auguſtum apud urbem Nolam,an exanimem repererit. acribus nanq; cuſtodijs domum,&

uias

uías ſepſerat Liuia, lætiq́; interdū nuncij uulgabantur,donec prouiſis quæ
tempus monebat,ſimul exceſſiſſe Auguſtū, & rerum potiri Neronē fama
eadem tulit. Primum facinus noui principatus fuit, Poſthumi Agrippæ *Agrippæ Poſthumi cædes.*
cædes,quem ignarū inermémq;,quamuis firmatus animo centurio ægre
confecit.Nihil de ea re Tiberius apud ſenatum diſſeruit.patris iuſſa ſimu/
labat,quibus præſcripſiſſet tribuno cuſtodiæ adpoſito, ne cunctaretur A/
grippam morte adficere, quandocunq; ipſe ſupremum diem expleuiſſet.
Multa ſine dubio, ſæuáq; Auguſtus de moribus adoleſcentis queſtus, ut
exilium eius ſenatus conſulto ſanciretur,perfecerat.cæterum in nullius un/
quam ſuorum necem durauit.neq; mortem nepoti pro ſecuritate priuigni
inlatam credibile erat. propius uero Tiberiū ac Liuiam,illum metu, hanc
nouercalibus odijs ſuſpecti & inuiſi iuuenis cædem feſtinauiſſe.Nuncian/
ti centurioni(ut mos militiæ)factum eſſe quod imperaſſet, neq; imperaſſe
ſeſe,& rationem facti reddendam apud ſenatum reſpondit.Quod poſtq̃
Salluſtius Criſpus particeps ſecretorum (is ad tribunū miſerat codicillos) *Sall. Criſpus, C. Salluſtij ex ſorore nepos.*
comperit,metuens ne reus ſubderetur,iuxta periculoſo,ficta ſeu uera pro/
meret,monuit Liuiam,ne arcana domus,ne conſilia amicorum,miniſteria
militum uulgarentur,néue Tiberius uim principatus reſolueret,cuncta ad
ſenatum uocando:eam conditionē eſſe imperandi,ut non aliter ratio con/
ſtet,quàm ſi uni reddantur. At Romæ ruere in ſeruitiū Conſules,Patres,
Eques,quanto quis inluſtrior,tanto magis falſi ac feſtinantes uultuq́; com
poſito,ne læti exceſſu principis,neu triſtior primordio,lachrymas, gaudi/
um,queſtus,adulatione miſcebāt.Sex.Pompeius & Sex. Apuleius Coſs.
primi in uerba Tiberij Cæſaris iurauere, apudq́; eos Seius Strabo, & C.
Turranius,ille prætoriarum cohortiū præfectus, hic annonæ. Mox ſena/
tus,milesq́; & populus.nam Tiberius cuncta per Conſules incipiebat,tan
quam uetere Rep.& ambiguus imperandi: ne edictum quidem quo pa/
tres in curiam uocabat,niſi tribunitiæ poteſtatis præſcriptione poſuit ſub
Auguſto acceptæ.uerba edicti fuere pauca,& ſenſu permodeſto:de hono/
ribus parentis conſulturum.neq; abſcedere à corpore,idq́; unum ex publi
cis muneribus uſurpare.ſed defuncto Auguſto ſignum prætorijs cohorti/
bus,ut imperator dederat,excubiæ,arma,cætera aulæ:miles in forum, mi/
les in curiam comitabatur,literas ad exercitus, tanquā adepto principatu
miſit,nuſquam cunctabundus,niſi cum in ſenatu loqueretur. cauſa præci/
pua ex formidine,ne Germanicus in cuius manu tot legiones,immenſa ſo
ciorum auxilia,mirus apud populum fauor,habere imperium, quàm ex/
pectare mallet.Dabat & famæ,ut uocatus,electusq́; potius à Rep.uidere/
tur,quàm per uxorium ambitum,& ſenili adoptione inrepſiſſe.Poſtea co/
gnitum eſt,ad introſpiciendas etiam procerum uoluntates inductam du/
bitationem.nam uerba,uultus,in crimen detorquens recondebat. Nihil
primo ſenatus die agi paſſus,niſi de ſupremis Auguſti, cuius teſtamētum

inlatum per uirgines Veſtæ, Tiberiū, & Liuiam hæredes habuit. Liuia in
familiam Iuliam,nomenq́; Auguſtæ adſumebatur.In ſpem ſecundam,ne
potes pronepotesq́; : tertio gradu primores ciuitatis ſcripſerat, pleroſque
inuiſos ſibi,ſed iactantia gloriaq́; ad poſteros. Legata nō ultra ciuilē mo-
dum, niſi quod populo & plebi CCCCXXXV. prætoriarū cohortium
militibus ſingula nummûm milia, legionarijs autem cohortibus ciuium
Romanorum trecenos nummos uiritim dedit. Tum conſultatum de ho-
noribus.ex quîs maxime inſignes uiſi: ut porta triumphali duceretur fu-
Gall. Aſinius nus,Gallus Aſinius,ut legumlatarum tituli,uictarum ab eo gentium uoca
L.Arruntius bula anteferrentur,L.Arruntius,cenſuere.addebat Meſſala Valerius,reno
Meſſala Vale- uandum per annos ſacramentum in nomen Tiberij. interrogatusq́; à Ti-
rius. berio,num ſe mandante eam ſententiā prompſiſſet,ſponte dixiſſe,reſpon
dit:neq; in ijs quæ ad Remp.pertinerent,conſilio niſi ſuo uſurum,uel cum
periculo offenſionis. ea ſola ſpecies adulandi ſupererat. Conclamant pa-
tres,corpus ad rogum humeris ſenatorum ferendum. Remiſit Cæſar ad-
Adrogans roganti moderatione,populumq́; edicto monuit,ne, ut quondam nimijs
moderatio ſtudijs funus diui Iulij turbaſſent,ita Auguſtum in foro,potiusquā in cam
po Martis,ſede deſtinata cremari uellent. Die funeris milites uelut præſi-
dio ſtetere:multum irridentibus,qui ipſi uiderant, quiq́; à parentibus ac-
ceperant diem illum crudi adhuc ſeruitij,& libertatis improſpera repetita,
cum occiſus dictator Cæſar, alijs peſſimum, alijs pulcherrimū facinus ui-
deretur:nunc ſenem principem longa potentia, prouiſis etiam hæredum
in Remp.opibus,auxilio ſcilicet militari tuendum,ut ſepultura eius quieta
foret. Multus hinc ipſo de Auguſto ſermo, pleriſq; uana mirantibus,
quod idem dies accepti quondā imperij princeps,& uitæ ſupremus:quod
Nolæ in domo & cubiculo, in quo pater eius Octauius, uitam finiuiſſet:
numerus etiam conſulatuum celebrabatur, quo Valerium Coruinum &
C.Marium ſimul æquauerat:continuata per ſeptem & triginta annos tri-
bunitia poteſtas,nomen imperatoris ſemel atq; uicies partum, aliaq́; ho-
norum multiplicata aut noua.at apud prudentes uita eius uarie extolle-
batur arguebatúrue. Hi pietate erga parentem, & neceſſitudine Reip. in
Pro Auguſto. qua nullus tunc legibus locus,ad arma ciuilia actum,quæ neq; parari poſ-
ſent neq; haberi per bonas artes. * multa Antonio tunc interfectores pa-
tris ulciſceretur,multa Lepido conceſſiſſe:poſtquam hic ſocordia ſenuerit,
ille per libidines peſſum datus ſit,nō aliud diſcordantis patriæ remedium
fuiſſe,quàm ab uno regeretur.Non regno tamen,neq; dictatura,ſed prin-
cipis nomine conſtitutam Remp.mari Oceano, aut amnibus longinquis
ſeptum imperium:legiones,prouincias,claſſes,cuncta inter ſe connexa:ius
apud ciues,modeſtiam apud ſocios,urbem ipſam magnifico ornatu: pau-
ca admodum ui tractata,quo cæteris quies eſſet. Dicebatur contrà,pie-
tatem erga parentem,& tempora Reip.obtentui ſumpta:cæterū cupidine

dominandi concitos per largitionem ueteranos, paratum ab adoleſcente priuato exercitum, corruptas cõſulis legiones, ſimulatam Pompeianarum gratiam partium: mox ubi decreto patrũ, faſces, & ius prætoris inuaſerit, cæſis Hircio & Panſa (ſiue hoſtis illos, ſeu Panſam uenenum uulneri adfuſum, ſiue milites Hirciũ, & machinator doli Cæſar abſtulerat) utriuſq; copias occupauiſſe: extortum inuito ſenatu conſulatum, armaq; quæ in Antonium acceperit, contra Remp. uerſa, proſcriptionem ciuium, diuiſiones agrorum, ne ipſis quidẽ qui fecere laudatas: ſanè Caſſij & Brutorum exitus paternis inimicitijs datos, quanquam fas ſit priuata odia publicis utilitatibus remittere, ſed Pompeium imagine pacis, ſed Lepidum ſpecie amicitiæ deceptos: poſt Antoniũ Tarentino Brundiſinoq; fœdere, & nuptijs ſororis inlectum ſubdolæ adfinitatis pœnas morte exoluiſſe: pacem ſine dubio poſt hæc, uerum cruentã, Lollianas, Varianasq; clades, interfectos Romæ Varrones, Egnatios, Iulios. Nec domeſticis abſtinebatur: Abducta Neroni uxor: & conſulti per ludibriũ pontifices, an concepto, nec dum edito partu rite nuberet:* quæ Tedij & Vedij Pollionis luxus: poſtremo Liuia grauis in Remp. mater, grauius domui Cæſarum nouerca: nihil deorum honoribus relictum, cum ſe templis & effigie numinũ per flamines, & ſacerdotes coli uellet: ne Tiberium quidem charitate, aut Reip. cura ſucceſſorem adſcitum, ſed quoniam adrogantiam ſæuitiamq; eius introſpexerit, comparatione deterrima ſibi gloriam quæſiuiſſe. Etenim Auguſtus paucis ante annis, cum Tiberio tribunitiam poteſtatẽ à patribus rurſum poſtularet (quanquam honora oratione) quædã de habitu cultuq;, & inſtitutis eius iecerat, quæ uelut excuſando exprobraret. Cæterum ſepultura more perfecta, templũ & cœleſtes religiones decernuntur. Verſæ inde ad Tiberiũ preces. & ille uariè diſſerebat, de magnitudine imperij, ſua modeſtia: ſolam diui Auguſti mentem tantæ molis capacem, ſe in partem curarum ab illo uocatum, experiendo didiciſſe, quàm arduum, quàm ſubiectum fortunæ regẽdi cuncta onus: proinde in ciuitate tot inluſtribus uiris ſubnixa, non ad unum omnia deferrent: plures facilius munia Reip. ſociatis laboribus executuros. Plus in oratione tali dignitatis quàm fidei erat. Tiberioq; etiam in rebus quas non occuleret, ſeu natura, ſiue adſuetudine, ſuſpenſa ſemper & obſcura uerba. tunc uero nitẽti ut ſenſus ſuos penitus abderet, in incertum & ambiguum magis implicabantur. At patres quibus unus metus, ſi intelligere uiderentur, in queſtus, lachrymas, uota effundi: ad deos, ad effigiẽ Auguſti, ad genua ipſius manus tendere, cum proferri libellum recitariq; iuſſit. Opes publicæ continebantur, quantum ciuium, ſociorumq; in armis, quot claſſes, regna, prouinciæ, tributa, aut uectigalia, & neceſſitates ac largitiones. quæ cuncta ſua manu perſcripſerat Auguſtus. addideratq; conſilium, coërcendi intra terminos imperij, incertum metu, an per inuidiam. Inter quæ ſenatu ad infimas obteſtationes

Contra Aug.

Vedius Pollio

Tiberij ſuſpẽſa ſemper & obſcura uerba.

procumbente,dixit forte Tiberius,ſe,ut non toti Reip.parē, ita quæcunq;
Aſin.Gallus pars ſibi mandaretur,eius tutelam ſuſcepturum . Tum Aſinius Gallus,in-
terrogo,inquit,Cæſar quam partē Reip.mandari tibi uelis?Perculſus im-
prouiſa interrogatione paulū reticuit,dein collecto animo reſpondit: Ne-
quaquam decorum pudori ſuo legere aliquid,aut euitare,ex eo cui in uni-
uerſum excuſari mallet.Rurſum Gallus(etenim uultu offenſionem conie-
ctauerat)non idcirco interrogatū ait,ut diuideret,quæ ſeparari nequirent:
ſed & ſua cóſeſſione argueretur,unum eſſe Reip.corpus,atq; unius animo
regendum.addidit laudem de Auguſto , Tiberiumq́; ipſum uictoriarum
ſuarum,quæq́; in toga per tot annos egregie feciſſet,admonuit.Nec ideo
iram eius leniuit pridem inuiſus,tanquam ducta in matrimonium Vipſa-
nia M.Agrippæ filia, quæ quondam Tiberij uxor fuerat , pluſquā ciuilia
agitaret,Pollioniſq́; Aſinij patris ferociam retineret.Poſt quæ L.Arrunti-
us haud multum diſcrepans à Galli oratione perinde offendit , quāquam
Tiberio nulla uetus in Arruntium ira,ſed diuitem,promptū artibus egre-
gijs,& pari fama publicè,ſuſpectabat.Quippe Auguſtus ſupremis ſermo
nibus cum tractaret,qui nam adipiſci principem locum,ſuffecturi abnue-
rent,aut impares uellent,uel idem poſſent cuperentq́;,M. Lepidum dixe-
rat capacem,ſed aſpernantem,Gallum Aſinium auidū & minorem,L.Ar-
runtium non indignum,& ſi caſus daretur auſurum.De prioribus conſen-
titur,pro Arruntio quidam Cn.Piſonem tradidere, omneſq́; præter Lepi
dum uarijs mox criminibus ſtruente Tiberio circumuenti ſunt. Etiam
Q.Haterius & Mamercus Scaurus ſuſpicacem animum perſtrinxere. Ha
terius cum dixiſſet,quouſq; patieris Cæſar nō adeſſe apud te Reip?Scau-
rus quia dixerat,ſpem eſſe ex eo non irritas fore ſenatus preces , quod re-
lationi conſulum iure tribunitiæ poteſtatis nō interceſſiſſet . In Haterium
ſtatim inuectus eſt, Scaurum cui implacabilius iraſcebatur ſilentio trami-
ſit.feſſuſq́; clamore omnium,expoſtulatione ſingulorum,flexit paulatim,
nō ut fateretur ſuſcipi à ſe imperiū,ſed ut negare & rogari deſineret.Con-
ſtat Haterium cum deprecandi cauſa palatiū introiſſet, ambulantiſq́; Ti-
berij genua aduolueretur,propè à militibus interfectum,quia Tiberius ca
ſu,an manibus eius impeditus,prociderat.neq; tamē periculo talis uiri mi-
tigatus eſt,donec Haterius Auguſtam oraret, & uſq; accuratiſſimis preci-
Parēs patriæ bus protegeretur. Multa patrum & in Auguſtā adulatio,alij parentem,
Iulia alij matrem patriæ appellandam,plerią; ut nomini Cæſaris adſcriberetur,
Mater patriæ Iuliæ filius,cenſebant.Ille moderandos fœminarū honores dictitans , ea-
demq́; ſe temperantia uſurum in his quæ ſibi tribuerentur,cæterū anxius
inuidia,& muliebre faſtigium in diminutionem ſui accipiens, ne lictorem
quidem ei decerni paſſus eſt:aramq́; adoptionis,& alia huiuſcemodi pro-
hibuit.At Germanico Cæſari proconſulare imperium petiuit , miſſiq́; le-
gati qui deferrent, ſimul mœſtitiam eius ob exceſſum Auguſti ſolarētur.

quo

quo minus idem pro Druſo poſtularetur, ea cauſa, quod deſignatus conſul Druſus præſensq; erat. Cãdidatos præturæ duodecim nominauit, numerum ab Auguſto traditum. & hortante ſenatu, ut augeret, iureiurando obſtrinxit, ſe non exceſſurum. Tum primum è campo comitia ad patres translata ſunt. nam ad eam diem, & ſi potiſſima arbitrio principis, quædã tamen ſtudijs tribuum fiebant. neq; populus ademptum ius queſtus eſt, niſi inani rumore: & ſenatus largitionibus, ac precibus ſordidis exolutus, libens tenuit, moderãte Tiberio, ne plures quàm quatuor cãdidatos commendaret, ſine repulſa & ambitu deſignãdos. Inter quæ tribuni plebei petiuere, ut proprio ſumptu ederẽt ludos, qui de nomine Auguſti faſtis additi Auguſtales uocarentur. ſed decreta pecunia ex ærario, utq; per circum triumphali ueſte uterentur. curru uehi haud permiſſum. mox celebratio annum ad prætorẽ translata, cui inter ciues, & peregrinos iuriſdictio euenisſet. Hic rerum urbanarum ſtatus erat, cum Pannonicas legiones ſeditio inceſſit, nullis nouis cauſis, niſi quod mutatus princeps licentiam turbarum, & ex ciuili bello ſpem præmiorum oſtendebat. Caſtris æſtiuis tres ſimul legiones habebantur, præſidente Iunio Blæſo, qui fine Auguſti, & initijs Tiberij auditis, ob iuſtitium, aut gaudiũ intermiſerat ſolita munia. Eo principio laſciuire miles, diſcordare, peſſimi cuiuſq; ſermonibus præbere aures, deniq; luxum & otium cupere, diſciplinam & laborem aſpernari. Erat in caſtris Percennius quidam, dux olim theatralium operarum, dein gregarius miles, procax lingua, & miſcere cœtus hiſtrionali ſtudio doctus. Is imperitos animos, & quæ nam poſt Auguſtum militiæ conditio ambigentes, impellere paulatim nocturnis conloquijs, aut flexo in ueſperam die, & delapſis melioribus, deterrimum quenq; congregare. Poſtremo promptis iam & alijs ſeditionis miniſtris, uelut concionabundus interrogabat, cur paucis centurionibus, paucioribus tribunis in modum ſeruorum obedirent? quando auſuros expoſcere remedia, niſi nouum & nutantem adhuc principem precibus, uel armis adirent? ſatis per tot annos ignauia peccatum, quod tricena, aut quadragena ſtipendia ſenes, & plerique truncato ex uulneribus corpore, tolerent: ne dimiſſis quidẽ finem eſſe militiæ, ſed apud uexillũ retentos, alio uocabulo, eoſdem labores perferre: ac ſi quis tot caſus uita ſuperauerit, trahi adhuc diuerſas in terras, ubi per nomen agrorum, uligines paludum, uel inculta montium accipiant. enimuero militiã ipſam grauem, infructuoſam: denis in diem aſſibus animam & corpus æſtimari: hinc ueſtem, arma, tentoria, hinc ſæuitiã centurionum, & uacationes munerum redimi. at hercule uerbera, & uulnera, duram hyemem, exercitas æſtates, bellum atrox, aut ſterilem pacem ſempiterna: nec aliud leuamentum, quàm ſi certis ſub legibus militia iniretur, ut ſingulos denarios mererent, ſextuſdecimus ſtipendij annus finem adferret, ne ultra ſub uexillis tenerentur, ſed ijſdem in caſtris præmium pecunia ſolueretur.

Cãdidati præturæ XII.

Comitia è cãpo ad patres translata.

Auguſtales ludi

Pãnonicarum legionum ſeditio

Percennius

An prætorias cohortes quæ binos denarios acceperint, quæ poſt ſexdecim annos penatibus ſuis reddantur, plus periculorum ſuſcipere? non obtrectari à ſe urbanas excubias, ſibi tamen apud horridas gentes è contubernijs hoſtem aſpici. Adſtrepebat uulgus diuerſis incitamentis, hi uerberum notas, illi caniciem, plurimi detrita tegmina, & nudum corpus exprobrantes. Poſtremo eò furoris uenere, ut tres legiones miſcere in unam agitauerint. depulſi æmulatione, quia ſuæ quiſq; legioni eũ honorẽ quærebant, aliò uertunt, atq; unà tres aquilas, & ſigna cohortium locant, ſimul congerunt ceſpites, extruunt tribunal, quo magis conſpicua ſedes foret.

Blæſus legatus legionum Pannonicarũ

Properantibus Blæſus aduenit, increpabatq́;, ac retinebat ſingulos, clamitans, mea potius cæde imbuite manus: leuiore flagitio legatum interficietis, quàm ab imperatore deſciſcitis: aut incolumis fidem legionum retinebo, aut iugulatus pœnitentiam adcelerabo. Aggerebatur nihilominus ceſpes, iamq́; pectori uſq; adcreuerat, cum tandem peruicacia uicti incœptum omiſere. Blæſus multa dicendi arte, nõ per ſeditionem & turbas deſideria militum ad Cæſarem ferenda ait: neq; ueteres ab imperatoribus priſcis, neq; ipſos à diuo Auguſto tam noua petiuiſſe: & parum in tempore, incipientes principis curas onerari. ſi tamen tenderent in pace tentare, quæ ne ciuilium quidem bellorũ uictores expoſtulauerint, cur contra morem obſequij, contra fas diſciplinæ uim meditentur? decernerent legatos, ſeq́; coràm mandata darent. Adclamauere ut filius Blæſi tribunus legatione ea fungeretur, peteretq́; militibus miſſionem ab ſexdecim annis: cætera mandaturos ubi prima proueniſſent. Profecto iuuene modicum otium, ſed ſuperbire miles, quod filius legati orator publicę cauſæ, ſatis oſtenderet, neceſſitate expreſſa, quæ per modeſtiã non obtinuiſſent. Interea manipuli ante cœptam ſeditionem Nauportum miſſi, ob itinera, & pontes, & alios uſus, poſtquam turbatum in caſtris accepere, uexilla conuellũt, direptiſq́; proximis uicis, ipſoq́; Nauporto quod municipij inſtar erat, retinentis centuriones irriſu & contumelijs, poſtremo uerberibus inſectantur, præcipua in Aufidienum Rufum præfectum caſtrorum ira: quem direptum uehiculo ſarcinis grauãt, aguntq́; primo in agmine per ludibrium rogitãtes, an tam immenſa onera, tam longa itinera libẽter ferret? Quippe Rufus diu manipularis, dein centurio, mox caſtris præfectus, antiquã duramq́; militiam reuocabat, * intus operis ac laboris, & eo immitior quia tolerauerat. Horum aduentu redintegratur ſeditio, & uagi circumiecta populabantur. Blæſus paucos maxime præda onuſtos ad terrorem cæterorum adfici uerberibus, claudi carcere iubet. nam etiam tum legato à centurionibus, & optimo quoq; manipulariũ parebatur. Illi obniti trahentibus, prenſare circumſtantium genua, ciere modo nomina ſingulorum, modo centuriam quiſq; cuius manipularis erat, cohortem, legionem, eadem omnibus imminere clamitantes: ſimul probra in legatum cumulant, cœlum

Aufidienus Rufus

ac deos

ac deos obteſtantur,nihil reliqui faciunt,quo minus inuidiam, miſericor/
diam,metum,& iras permouerēt. Adcurritur ab uniuerſis, & carcere effra/
cto,ſoluunt uincula:deſertoresq́;,ac rerum capitalium damnatos ſibi iam
miſcent. Flagrantior inde uis,plures ſeditioni duces:& Vibulenus quidam
gregarius miles, ante tribunal Blæſi adleuatus circumſtantium humeris
apud turbatos,& quid pararet intentos,Vos quidem,inquit, his innocen
tibus,& miſerrimis lucem & ſpiritum reddidiſtis, ſed quis fratri meo ui/
tam,quis fratrem mihi reddit? quem miſſum ad uos à Germanico exerci/
tu de communibus commodis, nocte proxima iugulauit per gladiatores
ſuos,quos in exitium militum habet atq; armat. Reſponde Blæſe, ubi ca/
dauer abieceris. ne hoſtes quidem ſepulturam inuident:cum oſculis, cum
lachrymis dolorem meum impleuero,me quoq; trucidari iube,dum inter
fectos nullum ob ſcelus,ſed quia utilitati legionum conſulebamus,hi ſepe/
liant. Incendebat hæc fletu,& pectus atq; os manibus uerberans: mox
diſiectis quorum per humeros ſuſtinebatur,præceps & ſingulorum pedi/
bus aduolutus,tantū conſternationis inuidiæq́; conciuit,ut pars militum,
gladiatores qui è ſeruitio Blæſi erant,pars cæteram eiuſdem familiam uin
cirent,alij ad quærendum corpus effunderētur. ac ni properè neq; corpus
ullum reperiri,& ſeruos adhibitis cruciatibus abnuere cædem, neq; illi fu/
iſſe unquam fratrem pernotuiſſet,haud multum ab exitio legati aberant.
Tribunos tamen,ac præfectum caſtrorum extruſere. ſarcinæ fugientium
direptæ.& centurio Lucillius interficitur,cui militaribus facetijs uocabulū,
cedò alteram,indiderant:quia fracta uite in tergo militis,alteram clara uo *Cedò alteram*
ce,ac rurſus aliam poſcebat. cæteros latebræ texere, uno retento Clemen/
te Iulio,qui perferendis militum mandatis habebatur idoneus ob prom/
ptum ingenium. Quin ipſæ inter ſe legiones octaua & quintadecima fer/
rum parabant,dum centurionem cognomento Sirpicum,illa morti depo/
ſcit,Quintadecumani tuētur,ni miles Nonanus preces,& aduerſum aſper
nantis,minas interiecisſet. Hæc audita,quanquā abſtruſum, & triſtiſſi/
ma quæq; maxime occultantem Tiberium perpulere, ut Druſum filium *Druſus ad le/*
cum primoribus ciuitatis, duabusq́; prætorijs cohortibus mitteret, nullis *giones Panno*
ſatis certis mandatis ex re conſulturū: & cohortes delecto milite ſupra ſo/ *nicas mittitur*
litum firmatæ. additur magna pars prætoriani equitis, & robora Germa/
norum, qui tum cuſtodes imperatori aderant, ſimul prætorij præfectus
Ælius Seianus collega Straboni patri ſuo datus, magna apud Tiberium
autoritate, rector iuueni, & cæteris periculorū præmiorumq́; oſtentator.

Druſo propinquanti,quaſi per officium obuiæ fuere legiones, non læ/
tæ(ut adſolet)neq; inſignibus fulgētes,ſed inluuie deformi & uultu,quan/
quam mœſtitiam imitarentur,contumaciæ propiores. Poſtquam uallum
introit,portas ſtationibus firmant,globos armatorum certis caſtrorum lo
cis,opperiri iubent,cæteri tribunal ingenti agmine circumueniunt. Stabat

Druſus

Druſus,ſilentium manu poſcens:illi quoties oculos ad multitudinem retu lerant uocibus truculẽtis ſtrepere,rurſum uiſo Cæſare,trepidare. murmur incertum,atrox clamor,& repente quies,diuerſis animorum motibus pa/ uebant terrebantq́ȝ. Tandem interrupto tumultu literas patris recitat, in quis perſcriptum erat,præcipuam ipſi fortiſſimarum legionũ curam, qui/ bus cum plurima bella tolerauiſſet. ubi primũ à luctu requieſſet animus, acturum apud patres de poſtulatis eorũ:miſiſſe interim filium,ut ſine cun ctatione concederet quæ ſtatim tribui poſſent: cætera ſenatui ſeruanda, quem neq́ȝ gratiæ, neq́ȝ ſeueritatis expertem haberi par eſſet. Reſpon/ ſum eſt à concione,mandata Clementi centurioni quæ præferret: is ordi/ tur de miſſione à ſexdecim annis,de præmijs finitæ militiæ:ut denarius di urnum ſtipendium foret,ne ueterani ſub uexillo haberentur. Ad ea Dru/ ſus cum arbitrium ſenatus & patris obtenderet, clamore turbatur: cur ue/ niſſet,neq́ȝ augendis militum ſtipendijs,neq́ȝ adleuãdis laboribus, deniq́ȝ nulla bene faciendi licentia.at hercule uerbera, & necem cunctis permitti. Tiberiũ olim nomine Auguſti deſideria legionum fruſtrari ſolitũ,eaſdem

Filij familiarũ artes Druſum retuliſſe:nunquam ne niſi ad ſe filios familiarum uenturos? nouum id planè, quod imperator ſola militis commoda ad ſenatum reij/ ciat: eundem ergo ſenatum conſulendum quoties ſupplicia, aut prælia in/ dicantur:an præmia ſub dominis,pœnas ſine arbitro eſſe? Poſtremo de/ ſerunt tribunal,ut quis prætorianorũ militũ, amicorúmue Cæſaris occur/ reret,manus intentantes,cauſam diſcordiæ,& initium armorum, maxime

Cn. Lentulus inſenſi Cn. Lentulo, quod is ante alios ætate & gloria belli,firmare Dru/ ſum credebatur, & illa militiæ flagitia primus aſpernari. Nec multo poſt digrediẽtem cum Cæſare,ac prouiſu periculi hyberna caſtra repetentem, circumſiſtunt,rogitantes,quò pergeret? ad imperatorem,an ad patres? ut illic quoq́ȝ commodis legionum aduerſaretur? ſimul ingruũt,ſaxa iaciunt. iamq́ȝ lapidis ictu cruentus,& exitij certus,adcurſu multitudinis quæ cum Druſo aduenerat,protectus eſt. Noctem minacem,& in ſcelus erupturam fors leniuit.nam Luna clariore penè cœlo uiſa langueſcere. Id miles ratio/ nis ignarus omen præſentium accepit,ac ſuis laboribus defectionem ſide/ ris adſimulans,proſpereq́ȝ ceſſura quę pergerẽt,ſi fulgor & claritudo deæ redderetur. Igitur æris ſono,tubarum cornuumq́ȝ cõcentu ſtrepere, prout ſplendidior,obſcuriórue,lætari aut mœrere:& poſtquam ortæ nubes offe cere uiſui,creditumq́ȝ conditã tenebris,ut ſunt mobiles ad ſuperſtitionem perculſæ ſemel mentes,ſibi æternum laborem portendi,ſua facinora auer ſari deos lamẽtatur. Vtendum inclinatione ea Cæſar, & quæ caſus ob/ tulerat in ſapientiam uertenda ratus,circumiri tentoria iubet. Accitur cen/ turio Clemẽs,& ſi alij bonis artibus grati in uulgus:in uigilijs,ſtationibus, cuſtodijs portarum ſe inſerunt,ſpem offerunt,metum intendũt. Quouſq́ȝ filium imperatoris obſidebimus? quis certaminum finis? Percennio ne,&

Vibuleno

Vibuleno ſacramentum dicturi ſumus? Percennius & Vibulenus ſtipendia militibus, agros emeritis largientur? deniq; pro Neronibus & Druſis imperium populi Ro. capeſſent? quin potius ut nouiſſimi in culpã, ita primi ad pœnitentiam ſumus. Tarda ſunt quæ in commune expoſtulantur, " priuatam gratiam ſtatim mereare, ſtatim recipias. " Commotis per hæc mentibus, & inter ſe ſuſpectis, tironem à ueterano, legionẽ à legione diſſociant. Tum redire paulatim amor obſequij. omittunt portas, ſigna unum in locum principio ſeditionis congregata, ſuas in ſedes referunt. Druſus orto die, & uocata cõcione, quanquam rudis dicendi, nobilitate ingenita, incuſat priora, probat præſentia: negat ſe terrore, & minis uinci, flexos ad modeſtiam ſi uideat, ſi ſupplices audiat, ſcripturum patri, ut placatus legionum preces exciperet. orãtibus, rurſum idẽ Blæſus & L. Apronius eques Romanus è cohorte Druſi, Iuſtusq; Catonius primi ordinis centurio ad Tiberium mittuntur. Certatum inde ſententijs, cum alij opperiendos legatos, atq; interim comitate permulcendum militem cenſerent, alij fortioribus remedijs agendum. nihil in uulgo modicũ: terrere, ni paueant: ubi pertimuerint, impune contemni: dum ſuperſtitio urgeat, adijciendos ex duce metus ſublatis ſeditionis autoribus. Promptum ad aſperiora ingenium Druſo erat, uocatos Vibulenum & Percennium interfici iubet. Tradunt pleriq; intra tabernaculũ ducis obrutos, alij corpora extra uallum abiecta oſtentui. Tum ut quiſq; præcipuus turbator cõquiſiti: & pars extra caſtra palantes à centurionibus, aut prætoriarum cohortiũ militibus cæſi: quoſdam ipſi manipuli documentum fidei tradidere. Auxerat militũ curas præmatura hyems imbribus continuis, adeoq; ſæuis, ut non egredi tentoria, congregari inter ſe, uix tutari ſigna poſſent, quæ turbine atq; unda raptabantur. durabat & formido cœleſtis iræ, nec fruſtra aduerſus impios hebeſcere ſydera, ruere tempeſtates: nõ aliud malorum leuamentũ, quàm ſi linquerent caſtra infauſta temerataq;, & ſoluti piaculo ſuis quiſq; hybernis redderentur. primum octaua, dein quintadecuma legio rediere. Nonanus opperiendas Tiberij epiſtolas clamitauerat, mox deſolatus aliorum diſceſſione imminentem neceſſitatem ſponte præuenit, & Druſus non expectato legatorum regreſſu, quia præſentia ſatis conſyderat, in urbem redijt. Iiſdem fermè diebus, ijſdẽ cauſis Germanicæ legiones turbatæ, quanto plures, tanto uiolentius, & magna ſpe fore ut Germanicus Cæſar imperium alterius pati nequiret, daretq; ſe legionibus, ui ſua cuncta tracturus. Duo apud ripam Rheni exercitus erant. cui nomen ſuperiori ſub C. Silio legato, inferiorem A. Cæcina curabat. Regimen ſummæ rei penes Germanicum, agendo Galliarum cenſui tum intentum. Sed quibus Silius moderabatur, mente ambigua, fortunam ſeditionis alienæ ſpeculabantur. Inferioris exercitus miles in rabiẽ prolapſus eſt, orto ab undeuiceſimanis quintaniſq; initio, & tractis prima quoq;, ac uiceſima legionibus. nam iiſdem

Germanicarũ legionum ſeditio

C. Silius

A. Cæcina

Germanicus Cæſar

æſtiuis

Vbij æſtiuis in finibus Vbiorum habebãtur per otium, aut leuia munia. Igitur audito fine Auguſti, uernacula multitudo nuper acto in urbe delectu, laſciuiæ ſueta, laborum intolerans, implere cæterorum rudes animos: ueniſſe tempus quo ueterani maturam miſſionem, iuuenes largiora ſtipẽdia, cuncti modum miſeriarum expoſcerent, ſæuitiamq; centurionum ulciſcerentur. Non unus hæc ut Pannonicas inter legiones Percennius, nec apud trepidas militum aures alios ualidiores exercitus reſpicientium, ſed multa ſeditionis ora uocesq;: ſua in manu ſitam rem Romanam, ſuis uictorijs augeri Remp. in ſuum cognomẽtum adſciſci imperatores. Nec Legatus obuiam ibat, quippe plurium uecordia conſtantiam exemerat: repente lymphati diſtrictis gladijs in centuriones inuadũt. ea uetuſtiſſima militaribus odijs materies, & ſæuiendi principiũ. proſtratos uerberibus mulctant, ſexageni ſingulos, ut numerum centurionum adæquarent. Tum conuulſos laniatosq;, & partim exanimos, ante uallum, aut in amnem Rhenum proijciunt. Septimius cum perfugiſſet ad tribunal, pedibusq; Cæcinæ aduolueretur, eo uſq; flagitatus eſt, donec ad exitium dederetur. Caſſius Chærea, mox cæde C. Cæſaris memoriã apud poſteros adeptus, tum adoleſcens & animi ferox, inter obſtantes & armatos ferro uiam patefecit. Non tribunus ultra, non caſtrorum præfectus ius obtinuit. uigilias, ſtationes, & ſi qua alia præſens uſus indixerat, ipſi partiebantur. Id militares animos altius coniectantibus præcipuum indicium magni atq; implacabilis motus, quod neq; diſiecti, nil paucorum inſtinctu, ſed pariter ardeſcerent, pariter ſilerent, tanta æqualitate & conſtantia, ut regi crederes. Interea Germa-*Germanicus Cæſar* nico per Gallias (ut diximus) cenſus accipienti, exceſſiſſe Auguſtum adfertur. Neptem eius Agrippinam in matrimonio, pluresq; ex ea liberos ha-*Druſus* bebat. Ipſe Druſo fratre Tiberij genitus, Auguſtę nepos, ſed anxius occultis in ſe patrui auiæq; odijs, quorum cauſæ acriores, quia iniquæ. quippe Druſi magna apud populum Ro. memoria. credebaturq; ſi rerũ potitus foret libertatẽ redditurus. unde in Germanicũ fauor & ſpes eadem. Nam iuueni ciuile ingenium, mira comitas, & diuerſa à Tiberij ſermone, uultu, adrogantibus & obſcuris. Accedebant muliebres offenſiones, nouercalibus Liuiæ in Agrippinam ſtimulis, atq; ipſa Agrippina paulo cõmotior, niſi quod caſtitate, & mariti amore, quamuis indomitum animum in bonum uertebat. Sed Germanicus quãto ſummæ ſpei propior, tanto impenſius pro Tiberio niti: Sequanos proximos, & Belgarũ ciuitates in uerba eius adigit. Dehinc audito legionum tumultu, raptim profectus, obuias extra caſtra habuit, deiectis in terrã oculis uelut pœnitentia. Poſtquam uallum inijt, diſſoni queſtus audiri cœpere, & quidã prehenſa manu eius per ſpeciem exoſculandi inſeruerunt digitos, ut uacua dentibus ora contingeret, alij curuata ſenio membra oſtendebãt. Adſiſtentẽ concionem, quia permixta uidebatur, diſcedere in manipulos iubet, ſic melius audituros re-

ſponſum

ſponſum: uexilla præferri, ut id ſaltem diſcerneret cohortes. tardè obtemperauere. Tūc à ueneratione Auguſti orſus, flexit ad uictorias triūphosq́ Tiberij, præcipuis laudibus celebrans, quæ apud Germanias illis cum legionibus pulcherrima feciſſet. Italiæ inde conſenſum, Galliarū fidem extollit, nil uſquam turbidum aut diſcors: ſilentio hæc, uel murmure modico audita ſunt. Vt ſeditionem attigit, ubi modeſtia militaris? ubi ueteris diſciplinæ decus? quò nam tribunos? quò centuriones exegiſſent, rogitans: nudant uniuerſa corpora, cicatrices ex uulneribus, uerberū notas exprobrāt: mox indiſcretis uocibus, precia uacationum, anguſtias ſtipendij, duritiam operum, ac proprijs nominibus incuſant, uallum, foſſas: pabuli, materiæ, lignorum, adgeſtus, & ſi qua alia ex neceſſitate aut aduerſus otium caſtrorum quæruntur. Atrociſſimus ueteranorum clamor oriebatur, qui tricena aut ſupra ſtipendia numerantes, mederetur feſſis, neu mortem in ijſdem laboribus, ſed finem tam exercitæ militiæ, neq́ inopem requiem, orabāt. fuere etiam qui legatam à diuo Auguſto pecuniam repoſcerent, fauſtis in Germanicum ominibus: &, ſi uellet imperiū, promptos oſtentauere. Tum uero quaſi ſcelere contaminaretur, præceps tribunali deſiluit. oppoſuerunt abeunti arma, minitantes, ni regrederetur. At ille moriturum potius quàm fidem exueret clamitans, ferrū à latere diripuit, elatumq́ deferebat in pectus, ni proximi prehenſam dextram ui attinuiſſent: extrema & conglobata inter ſe pars cōcionis, ac uix credibile dictu, quidam ſinguli propius incedentes, feriret, hortabantur: & miles nomine Caluſidius ſtrictum obtulit gladium, addito, acutiorem eſſe. Sæuum id maliq́ moris etiam furentibus uiſum, ac ſpatium fuit, quo Cæſar ab amicis in tabernaculum raperetur. conſultatum ibi de remedio. etenim nunciabatur parari legatos, qui ſuperiorem exercitum ad cauſam eandem traherent, deſtinatum excidio Vbiorum oppidum, imbutasq́ præda manus, in direptionē Galliarum erupturas. Augebat metum gnarus Romanæ ſeditionis, & ſi omitteretur ripa, inuaſurus hoſtis. at ſi auxilia, & ſocij aduerſum abſcedentis legiones armarētur, ciuile bellum ſuſcipi. periculoſa ſeueritas, flagitioſa largitio: ſeu nihil militi, ſeu omnia cōcederētur, in ancipiti Rep. Igitur uolutatis inter ſe rationibus placitum, ut epiſtulæ nomine principis ſcriberētur, miſſionem dari uicena ſtipendia meritis, exauctorari qui ſenadena feciſſent, ac retineri ſub uexillo, cæterorum immunes, niſi propulſandi hoſtis: legata quæ petiuerant exolui duplicariq́. Senſit miles in tempus conficta, ſtatimq́ flagitauit. miſſio per tribunos maturatur, largitio differebatur. in hyberna cuiuſquā non abſceſſere quintani undeuiceſimaniq́, donec ijſdem in æſtiuis contracta ex uiatico amicorum ipſiusq́ Cæſaris pecunia perſolueretur. Primam ac uiceſimam legiones Cæcina legatus in ciuitatē Vbiorum reduxit turpi agmine, cū fiſci de imperatore rapti inter ſigna, interq́ Aquilas ueherentur. Germanicus ſuperiorem ad exercitū profectus, ſecundam

Germanicus Cæſar ad legiones.

Vbiorum oppidum Germanos intelligit transrhenanos

& tertiamdecumam & ſextamdecumã legiones nihil cunctatus ſacramento adigit. Quartadecimani paulum dubitauerant. pecunia & miſſio, quamuis non flagitãtibus oblata eſt. At in Chaucis cœptauere ſeditionem, præſidium agitantes uexillarij diſcordium legionum, & præſenti duorum militum ſupplicio paulum repreſſi ſunt. Iuſſerat id Mennius caſtrorũ præfectus, bono magis exemplo, quàm cõceſſo iure: deinde intumeſcente motu profugus repertusq́, poſtquam intutæ latebræ, præſidium ab audacia mutuatur: Non præfectum ab ijs, ſed Germanicum ducem, ſed Tiberium imperatorem uiolari: ſimul exterritis qui obſtiterant, raptum uexillum ad ripam uertit, & ſi quis agmine deceſſiſſet pro deſertore fore, clamitans, reduxit in hyberna turbidos, & nihil auſos. Interea legati ab ſenatu regreſſi, iam apud aram Vbiorum Germanicum adeunt. Duæ ibi legiones prima atq; uiceſima, ueteraniq́ nuper miſſi ſub uexillo hyemabant. Pauidos, & conſcientia uecordes intrat metus, ueniſſe patrum iuſſu, qui inrita facerent, quæ per ſeditionem expreſſerant. utq́ mos uulgo, quamuis falſis reum ſubdere, Munatium Plancum conſulatu functũ, principem legationis, autorem ſenatuſconſulti incuſant: & nocte concubia uexillum in domo Germanici ſitum flagitare occipiunt, concurſuq́ ad ianuam facto, moliuntur fores: extractum cubili Cæſarem, tradere uexillum intento mortis metu ſubigunt: mox uagi per uias obuios habuere legatos, audita conſternatione ad Germanicum tendentes: ingerunt contumelias, cædem parãt, Planco maxime, quem dignitas fuga impediuerat. neq; aliud periclitanti ſubſidium quàm caſtra primæ legionis: illic ſigna, & aquilam amplexus, religione ſeſe tutabatur: ac ni aquilifer Calpurnius uim extremam arcuiſſet, rarum etiam inter hoſtes, legatus populi Romani, Romanis in caſtris ſanguine ſuo altaria deûm commaculauiſſet. Luce demum, poſtquam dux, & miles, & facta noſcebãtur, ingreſſus caſtra Germanicus, perduci ad ſe Plancum imperat, recipitq́ in tribunal. Tum fatalem increpans rabiem, neque militum, ſed deûm ira reſurgere, cur uenerint legati aperit: ius legationis, atq; ipſius Planci grauem, & immeritum caſum, ſimul quantum dedecoris adierit legio, facunde miſeratur: attonitaq́ magis quàm quieta concione legatos præſidio auxiliarium equitum dimittit. Eo in metu arguere Germanicum omnes, quod non ad ſuperiorem exercitũ pergeret, ubi obſequia, & contra rebellis auxiliũ: Satis ſuperq́ miſſione & pecunia, & mollibus conſultis peccatum: uel ſi uilis ipſi ſalus, cur filium paruulum, cur grauidam cõiugem inter furentes, & omnis humani iuris uiolatores haberet? illos ſaltem auo, & Reip. redderet. Diu cunctatus aſpernãtem uxorẽ, cum ſe diuo Auguſto ortam, neq; degenerem ad pericula teſtaretur: poſtremo uterum eius, & communem filium multo cum fletu complexus, ut abiret perpulit. Incedebat muliebre, & miſerabile agmẽ, profuga ducis uxor paruulum ſinu filium gerens, lamentantes circum amicorum coniuges, quæ ſimu

In Chaucis præſidiũ agitantiũ, ſeditio Mennius caſtrorum præfectus

Ara Vbiorũ

Mos uulgo, quãuis falſis reũ ſubdere. Munatius Plancus

ſimul trahebantur:nec minus triſtes qui manebant. Non florentis Cæſa-
ris,neq; ſuis in caſtris,ſed uelut in urbe uicta facies gemituſq;,ac planctus,
etiam militũ aures oraq; aduertere.Progrediuntur contubernijs, quis ille
flebilis ſonus? quod tam triſte? fœminas inluſtres,non centurionem ad tu
telam,non militem,nihil imperatoriæ uxoris,aut comitatus ſoliti,pergere
ad Treuiros,& externæ fidei.Pudor inde & miſeratio, & patris Agrippæ,
Auguſti aui memoria,ſocer Druſus,ipſa inſigni fœcunditate, præclara pu
dicitia,iam infans in caſtris genitus,in cõtubernio legionũ eductus, quem
militari uocabulo Caligulam appellabant, quia plerunq; ad concilianda *Caligula*
uulgi ſtudia eo tegmine pedum inducbatur. Sed nihil æquè flexit quàm
inuidia in Treuiros:orant,obſiſtunt,rediret,maneret: pars Agrippinæ oc-
curſantes,plurimi ad Germanicũ regreſſi. iſq; ut erat recens dolore & ira, *Ad milites oratio Germanici*
apud circunfuſos ita cœpit. Non mihi uxor,aut filius patre & Rep. cari
ores ſunt.ſed illum quidem ſua maieſtas,imperium Romanum cæteri ex-
ercitus defendent.coniugem,& liberos meos,quos pro gloria ueſtra libens
ad exitiũ offerrem,nunc procul à furentibus ſummoueo,ut quicquid iſtuc
ſceleris imminet, meo tantum ſanguine pietur: néue occiſus Auguſti pro-
nepos,interfecta Tiberij nurus,nocentiores uos faciat.quid enim per hos
dies inauſum,intemeratúmue uobis? quod nomen huic cœtui dabo? mi-
lités ne appellem? qui filium imperatoris ueſtri uallo,& armis circunſedi-
ſtis? an ciues quibus tam proiecta ſenatus autoritas? hoſtium quoq; ius,
& ſacra legationis,& fas gentium rupiſtis.Diuus Iulius ſeditionem exerci-
tus uerbo uno compeſcuit,Quirites uocando,qui ſacramentum eius detra
ctabant. Diuus Auguſtus uultu, & aſpectu Actiacas legiones exterruit.
nos ut nõdum eoſdem,ita ex illis ortos,ſi Hiſpaniæ,Syriæúe miles aſper-
naretur,tamẽ mirum & indignum erat.Primá ne,& uiceſima legiones, illa
ſignis à Tiberio acceptis,tu tot præliorum ſocia,tot præmijs aucta,egregi
am duci ueſtro gratiam refertis? hunc ego nuncium patri,læta omnia alijs
è prouincijs audienti,feram:ipſius tyrones,ipſius ueteranos, nõ miſſione,
non pecunia ſatiatos? hic tantum interfici centuriones,eijci tribunos,inclu-
di legatos:infecta ſanguine caſtra,flumina,méq; precariam animam inter
infenſos trahere.Cur enim primo concionis die ferrum illud quod pecto-
ri meo infigere parabam,detraxiſtis? O improuidi amici.melius & aman-
tius ille,qui gladium offerebat.cecidiſſem certe nondũ tot flagitiorum ex-
ercitui meo conſcius.legiſſetis ducem qui meam quidem mortem impuni
tam ſineret,Vari tamen & trium legionum ulciſceretur. Neq; enim dij ſi-
nant,ut Belgarum(quanquã offerentium)decus iſtud,& claritudo ſit, ſub-
ueniſſe Romano nomini,compreſſiſſe Germaniæ populos. Tua diue Au
guſte cœlo recepta mens,tua pater Druſe imago,tui memoria iiſdem iſtis
cum militibus, quos iam pudor & gloria intrat, eluant hanc maculam,
iraſq; ciuiles in exitium hoſtibus uertant. Vos quoq; quorum alia nunc

" ora,alia pectora contueor.ſi legatos ſenatui,obſequium imperatori,ſi mi-
" hi coniugem,ac filium redditis,diſcedite à contactu, ac diuidite turbidos.
" id ſtabile ad pœnitentiam,id fidei uinculũ erit. Supplices ad hæc & ue-
ra exprobrari fatentes,orabant,puniret noxios,ignoſceret lapſis, & duce-
ret in hoſtem:reuocaretur cóiunx,rediret legionum alumnus, néue obſes Gallis traderetur. Reditum Agrippinæ excuſauit ob imminentẽ partum, & hyemem.uenturum filium.cætera ipſi exequerentur. Diſcurrunt muta- ti,& ſeditioſiſſimum quenq; uinctos trahunt ad legatum legionis primæ, C.Cetronium,qui iudicium & pœnas de ſingulis in hunc modum exercu it. Stabant pro concione legiones diſtrictis gladijs,reus in ſuggeſtu per tribunum oſtendebatur:ſi nocentem adclamauerant,præceps datus truci- dabatur.& gaudebat cædibus miles tanquam ſemet abſolueret.nec Cæſar arcebat, quando nullo ipſius iuſſu penes eoſdem ſæuitia facti & inuidia erat.ſecuti exemplum ueterani,haud multo poſt in Rhætiam mittuntur, ſpecie defendendæ prouinciæ,ob imminenteis Sueuos,cæterum ut auelle rentur caſtris,trucibus adhuc,non minus aſperitate remedij,quàm ſceleris memoria. Centurionatum inde egit.citatus ab imperatore,nomẽ,ordi- nem,patriam,numerum ſtipendiorũ,quæ ſtrenuè in prælijs feciſſet, & cui erant donaria militaria,edebat:ſi tribuni,ſi legio induſtriã, innocẽtiamq; adprobauerant,retinebat ordines:ubi auaritiam,aut crudelitatem conſen- ſu obiectauiſſent,ſoluebatur militia. Sic compoſitis præſentibus, haud minor moles ſupererat,ob ferociam quintæ, & undeuiceſimæ legionum, ſexageſimum apud lapidem (loco Vetera nomẽ eſt) hybernantium.nam primi ſeditionem ceptauerant,atrociſſimum quodq; facinus horum mani bus patratum.nec pœna commilitonum exterriti, nec pœnitentia conuer- ſi,iras retinebant.Igitur Cæſar arma,claſſem,ſocios demittere Rheno pa- rat,ſi imperium detrectetur bello certaturus. At Romæ nondũ cognito, qui fuiſſet exitus in Illyrico,& legionum Germanicarum motu audito,tre pida ciuitas incuſare Tiberium,quod dum patres,& plebẽ, inualida & in- ermia,cunctatione ficta ludificetur,diſſideat interim miles, neq; duorum adoleſcentium nondum adulta autoritate cõprimi queat:ire ipſum & op- ponere maieſtatem imperatoriam debuiſſe,ceſſuris, ubi principem longa experientia,eundemq; ſeueritatis,& munificentiæ ſummum uidiſſent.an Auguſtum feſſa ętate toties in Germanias commeare potuiſſe,Tiberium uigentem annis ſedere in ſenatu uerba patrum cauillantem: ſatis proſpe- ctum urbanæ ſeruituti:militaribus animis adhibenda fomẽta, ut ferre pa- cem uelint. Immotũ aduerſus eos ſermones, fixumq; Tiberio fuit non omittere caput rerum,neq; ſe remq; publicã in caſum dare.Multa quippe & diuerſa angebant:ualidior per Germaniã exercitus,propior apud Pan- noniam:ille Galliarum opibus ſubnixus,hic Italiæ imminens. quos igitur anteferret?ac ne poſtpoſiti contumelia incenderẽtur. At per filios pariter adiri

Alumnus legionum, Caligulam intelligit

Centurionatũ egit Germanicus

Vetera caſtra

Satis proſpectum urbanæ ſeruituti.

Non omittere caput rerum.

adiri,maieſtate ſalua,cui maior è lonqinquo reuerentia:ſimul aduleſcenti/
bus excuſatum,quædam ad patrem reijcere:reſiſtentiſq; Germanico, aut
Druſo,poſſe à ſe mitigari uel infringi , quod aliud ſubſidium ſi imperato/
rem ſpreuiſſent?Cæterum ut iam iamq; iturus legit comites , cõquiſiuit
impedimẽta.adornauit naues.mox hyemem, aut negotia uariè cauſatus,
primo prudentes,dein uulgũ,diutiſſimè prouincias fefellit. At Germa/ *Aſtus Ger/*
nicus quanquam contracto exercitu,& parata in defectores ultione, dan/ *manici*
dum adhuc ſpatium ratus,ſi recenti exemplo ſibi ipſi conſulerent, præmit
tit literas ad Cæcinã,uenire ſe ualida manu , ac ni ſuppliciũ in malos præ/
ſumãt,uſurũ promiſcua cæde.Eas Cæcina aquiliferis,ſigniferiſq;,& quod
maxime caſtrorum ſyncerum erat,occulte recitat : utq; cunctos infamiæ,
ſeipſos morti eximant hortatur.nam in pace cauſas & merita ſpectari,ubi
bellum ingruat,innocentes ac noxios iuxta cadere.Illi tentatis quos idone
os rebantur,poſtquam maiorem legionum partẽ in officio uident, de ſen
tentia legati ſtatuunt tempus,quo fœdiſſimum quenq;,& ſeditioni prom/
ptum ferro inuadant . Tunc ſigno inter ſe dato,inrumpunt contubernia,
trucidant ignaros,nullo niſi conſcijs noſcente quod cædis initium, quis fi/
nis.Diuerſa omnium quæ unquam accidere ciuilium armorũ facies : non
prælio,non aduerſis è caſtris,ſed ijſdem è cubilibus , quos ſimul ueſcentis
dies,ſimul quietos nox habuerat,diſcedunt in partes,ingerũt tela.clamor,
uulnera,ſanguis palàm:cauſa in occulto.cætera fors regit.& quidam bono
rum,cæſi.poſtquã intellectum in quos ſæuiretur , peſſimi quoq; arma ra/
puerant.neq; legatus,aut tribunus moderator adfuit,permiſſa uulgo licen
tia atq; ultio,& ſatietas.Mox ingreſſus caſtra Germanicus,nõ medicinam
illud plurimis cum lachrymis,ſed cladẽ adpellans, cremari corpora iubet.

Truces etiam tum animos cupido inuolat eundi in hoſtem , piaculum
furoris,nec aliter poſſe placari commilitonum manes,quàm ſi pectoribus
impijs honeſta uulnera accepiſſent.Sequitur ardorem militũ Cæſar, iun/ *Incurſio in*
ctoq; ponte tramittit duodecim millia è legionibus ſex , & uiginti ſocias *Germaniam*
cohorteis,octo equitum alas , quarum ea ſeditione intemerata modeſtia
fuit.Læti neq; procul Germani agitabãt,dum iuſtitio ob amiſſum Augu/
ſtum,poſt,diſcordijs attinemur.At Romanus agmine propero ſiluã Cæ/
ſiam limitemq; à Tiberio cœptum ſcindit,caſtra in limite locat , frontẽ ac *Cæſia ſilua*
tergum uallo , latera concædibus munitus. Inde ſaltus obſcuros permeat,
conſultatq; ex duobus itineribus, breue & ſolitũ ſequatur , an impeditius
& intentatum,eoq; hoſtibus incautum.Delecta longiore uia,cætera adce
lerantur . etenim attulerant exploratores feſtam eam Germanis noctem,
ac ſolennibus epulis ludicram . Cæcina cum expeditis cohortibus præire,
& obſtantia ſiluarum amoliri iubetur,legiones modico interuallo ſequun
tur.Iuuit nox ſideribus inluſtris.uentumq; ad uicos Marſorum,& circun/ *Marſorũ uici*
datæ ſtationes,ſtratis etiam tum per cubilia,propterq; mẽſas,nullo metu,

non ante poſitis uigilijs:adeo cuncta incuria diſiecta erãt:neq; belli timor ac ne pax quidem niſi languida,& ſoluta inter temulentos. Cæſar auidas legiones,quo latior populatio foret,quatuor in cuneos diſpertit.quinquaginta millium ſpatium ferro flammiſq; peruaſtat.nõ ſexus, non ætas miſerationem attulit. profana ſimul & ſacra, & celeberrimum illis gentibus templum,quod Tanfanæ uocabant,ſolo æquãtur.ſine uulnere milites,qui ſemiſomnos,inermos,aut palanteis ceciderãt.Exciuit ea cædes Bructeros, Tubantes, Vſipetes: ſaltuſq; per quos exercitui regreſſus, inſedere. quod gnarum duci:inceſſitq; itineri & prælio.pars equitum,& auxiliariæ cohortes ducebant:mox prima legio,& medijs impedimẽtis ſiniſtrum latus undeuiceſimani,dextrũ quintani clauſere:uiceſima legio terga firmauit, poſt cæteri ſociorum.Sed hoſtes donec agmẽ per ſaltus porrigeretur immoti, dein latera,& frontẽ modice adſultantes,tota ui nouiſſimos incurrere. turbabanturq; denſis Germanorum cateruis leues cohortes, cum Cæſar aduectus ad uiceſimanos uoce magna,hoc illud tempus obliterandæ ſeditionis clamitabat,pergerent,properarent culpam in decus uertere.Exarſere animis,unoq; impetu perruptum hoſtem redigunt in aperta, cæduntq;: ſimul primi agminis copiæ euaſere ſiluas,caſtraq; cõmuniuere. Quietum inde iter.fidenſq; recẽtibus ac priorum oblitus miles in hybernis locatur.

Tanfanæ templum

Bructeri

Tubantes

Vſipetes

Nunciata ea,Tiberiũ lætitia curaq; adfecere.gaudebat oppreſſam ſeditionem:ſed quod largiendis pecunijs, & miſſione feſtinata fauorem militum quæſiuiſſet,bellica quoq; Germanici gloria angebatur.Rettulit tamẽ ad ſenatum de rebus geſtis,multaq; de uirtute eius memorauit, magis in ſpeciem uerbis adornata,quàm ut penitus ſentire crederetur. Paucioribus Druſum,& finẽ illyrici motus laudauit,ſed intentior & fida oratione.Cunctaq; quæ Germanicus indulſerat,ſeruauit,etiam apud Pannonicos exercitus. Eodem anno Iulia ſupremum diem obijt, ob impudicitiam olim à patre Auguſto Pandateria inſula,mox oppido Rheginorum,qui Siculum fretũ accolunt,clauſa.Fuerat in matrimonio Tiberij, florẽtibus Caio & Lucio Cæſaribus,ſpreueratq; ut imparem:nec alia tam intima Tiberio cauſa,cur Rhodum abſcederet.imperium adeptus,extorrem,infamem, & poſt interfectum Poſthumum Agrippam omnis ſpei egenam, inopia, ac tabe longa peremit,obſcuram fore necem longinquitate exilij ratus. Par cauſa ſæuitiæ in Sempronium Gracchum,qui familia nobili, ſolers ingenio,& prauè facundus,eandem Iuliam in matrimonio M.Agrippæ temerauerat.nec is libidini finis.traditam Tiberio peruicax adulter cõtumacia, & odijs in maritum accendebat.literæq; quas Iulia patri Auguſto cum inſectatione Tiberij ſcripſit,à Graccho compoſitæ credebantur.Igitur amotus Cercinam Africi maris Inſulam, quatuordecim annis exilium tolerauit.Tunc milites ad cædem miſſi, inuenere in prominenti littoris nihil lætum opperientem.quorũ aduentu breue tempus petiuit,ut ſuprema man-

Iulia

Sempronius Gracchus peruicax adulter

data

data uxori Alliariæ per literas daret,ceruicemq́ percuſſoribus obtulit. conſtantia mortis haud indignus Sempronio nomine, uita degenerauerat. quidam non Roma eos milites, ſed ab L. Aſprenate proconſule Africæ miſſos tradidere,autore Tiberio, qui famam cædis poſſe in Aſprenatem uerti, fruſtra ſperauerat. Idem annus nouas cærimonias accepit,addito ſodalium Auguſtalium ſacerdotio,ut quondam T. Tatius retinendis Sabinorum ſacris ſodales Tatios inſtituerat. ſorte ducti è primoribus ciuitatis unus & uiginti. Tiberius,Druſusq́,& Claudius, & Germanicus adijciuntur. Ludos Auguſtales tunc primũ cœptos turbauit diſcordia ex certamine hiſtrionũ. Indulſerat ei ludicro Auguſtus,dum Mecœnati obtemperat effuſo in amorem Bathylli. neq; ipſe abhorrebat talibus ſtudijs, & ciuile rebatur miſceri uoluptatibus uulgi. alia Tiberio morum uia. ſed populum per tot annos molliter habitum,nondum audebat ad duriora uertere. Druſo Cæſare, C. Norbano Coſs. decernitur Germanico triumphus manente bello, quod quanquam in æſtatem ſumma ope parabat, initio ueris & repentino in Chattos excurſu præcepit. nam ſpes inceſſerat diſſidere hoſtem in Arminium ac Segeſtem, inſignem utrũq; perfidia in nos,aut fide. Arminius turbator Germaniæ. Segeſtes parari rebellionem ſæpe aliâs, & ſupremo conuiuio poſt quod in arma itum,aperuit,ſuaſitq́ Varo ut ſe,& Arminium, & cæteros proceres uinciret: nihil auſuram plebem principibus amotis,atque ipſi tempus fore quo crimina, & innoxios diſcerneret. ſed Varus fato & ui Arminij cecidit. Segeſtes,quanquam conſenſu gentis in bellũ tractus,diſcors manebat,auctis priuatim odijs, quod Arminius filiam eius alij pactam rapuerat: gener inuiſus, inimici ſoceri, quæq́ apud concordes uincula charitatis,incitamenta irarum apud infenſos erant. Igitur Germanicus quatuor legiones,quinq; auxiliarium millia, & tumultuarias cateruas Germanorum cis Rhenum colentium Cæcinæ tradit: totidem legiones,duplicem ſociorum numerum ipſe ducit: poſitoq́ caſtello ſuper ueſtigia paterni præſidij in monte Tauno, expeditum exercitũ in Chattos rapit, L. Apronio ad munitiones uiarũ, & fluminum relicto. nam(rarum illi cœlo)ſiccitate,& amnibus modicis inoffenſum iter properauerat, imbresq́ & fluminum auctus regredienti metuebatur. ſed Chattis adeo improuiſus aduenit,ut quod imbecillũ ætate ac ſexu ſtatim captum,aut trucidatũ ſit: iuuentus flumen Adranam nando tramiſerit: Romanosq́ pontem cœptantis arcebant. dein tormentis,ſagittisq́ pulſi tentatis fruſtra cõditionibus pacis,cum quidam ad Germanicũ perfugiſſent, reliqui omiſſis pagis uicisq; in ſiluas diſperguntur. Cæſar incenſo Mattio (id genti caput)aperta populatus, uertit ad Rhenũ, non auſo hoſte terga abeuntium laceſſere,quod illi moris,quoties aſtu magis,quàm per formidinem ceſſit. Fuerat animus Cheruſcis iuuare Chattos,ſed exterruit Cæcina huc illuc ferẽs arma. & Marſos cõgredi auſos,proſpero prælio cohibuit.

Nouæ cærimoniæ

Auguſtalium ſacerdotium

Auguſtales ludi

Germanicus in Chattos

Arminius princeps Cheruſcorum

Segeſtes

Taunus mons

Adranã flu. in Chattis

Mattiũ Chattorum caput

Cheruſci

Marſi

Neq; multo poſt legati à Segeſte uenerunt, auxilium orantes aduerſus uim populariũ, à quîs circunſedebatur, ualidiore apud eos Arminio quando bellum ſuadebat. Nam barbaris quanto quis audacia promptus, tanto magis fidus, rebus cómotis potior habetur. Addiderat Segeſtes legatis filium nomine Segimundum. ſed iuuenis conſcientia cunctabatur. quippe anno quo Germaniæ deſciuere, ſacerdos apud aram Vbiorum creatus ruperat uittas, profugus ad rebelles. Adductus tamẽ in ſpem clementiæ Romanæ, pertulit patris mandata, benignec̨ exceptus, cum præſidio Gallicam in ripam miſſus eſt. Germanico pretium fuit conuertere agmen, pugnatumc̨ in obſidentis, & ereptus Segeſtes magna cum propinquorum & clientium manu. Inerant fœminæ nobiles, inter quas uxor Arminij, eademc̨ filia Segeſtis, mariti magis quàm parentis animo, neq; uicta in lachrymas, neq; uoce ſupplex, compreſſis intra ſinum manibus grauidum uterum intuens. Ferebantur & ſpolia Varianæ cladis, pleriſc̨ eorum qui tum in deditionem ueniebant prædæ data. Simul Segeſtes ipſe ingens uiſu & memoria bonæ ſocietatis impauidus: uerba eius in hunc modum fuere.

Segimundus

« Non hic mihi primus erga populum Ro. fidei & conſtantiæ di-
« es. ex quo à diuo Auguſto ciuitate donatus ſum, amicos, inimicoſc̨ ex
« ueſtris utilitatibus delegi, neq; odio patriæ (quippe proditores etiam ijs
« quos anteponunt inuiſi ſunt) uerũ quia Romanis Germaniſc̨ idem con-
« ducere, & pacem quàm bellum probabam. ergo raptorem filiæ meæ, uio
« latorem fœderis ueſtri Arminium, apud Varum qui tum exercitui præſi-
« debat, reum feci. dilatus ſegnitia ducis, quia parũ præſidij in legibus erat,
« ut me & Arminium, & conſcios uinciret flagitaui. teſtis illa nox, mihi uti-
« nam potius nouiſſima. quæ ſecuta ſunt deflerí magis, quàm defendi poſ
« ſunt. cæterum & inieci cathenas Arminio, & à factione eius iniectas per-
« peſſus ſum. atq; ubi primum tui copia, uetera nouis, & quieta turbidis an-
« te habeo, neq; ob præmium, ſed ut me perfidia exoluam, ſimul gẽti Ger-
« manorum idoneus conciliator, ſi pœnitentiam quàm perniciem malue-
« rit. Pro iuuenta & errore filij ueniam precor. filiam neceſſitate huc addu-
« ctam fateor. tuum erit conſultare, utrũ præualeat, quod ex Arminio con-
« cepit, an quod ex me genita eſt.

Cæſar clementi reſponſo, liberis propinquiſc̨ eius incolumitatem, ipſi ſedem ueterem in prouincia pollicetur. Exercitum reduxit, nomenc̨ imperatoris autore Tiberio accepit. Arminij uxor uirilis ſexus ſtirpẽ edidit: educatus Rauennæ puer, quo mox ludibrio conflictatus ſit, in tempore memorabo. Fama dediti benignec̨ excepti Segeſtis uulgata, ut quibuſc̨ bellum inuitis, aut cupientibus erat, ſpe uel dolore accipitur. Arminium ſuper inſitam uiolentiã, rapta uxor, ſubiectus ſeruitio uxoris uterus, uecordem agebant: uolitabatc̨ per Cheruſcos, arma in Segeſtem, arma in Cæſarem poſcens. Neq; probris temperabat, egregium patrem, magnũ imperatorem, fortem exercitum, quo-

rum

rum tot manus unam mulierculam auexerint. Sibi tres legiones, totidem legatos procubuiſſe. Non enim ſe proditione, neq; aduerſus fœminas grauidas, ſed palàm aduerſus armatos bellum tractare: cerni adhuc Germanorum in lucis ſigna Romana, quæ dijs patrijs ſuſpenderit: coleret Segeſtes uictam ripam: redderet filio ſacerdotium: hominem Germanos nunquam ſatis excuſaturos, quod inter Albim & Rhenum uirgas, & ſecures, & togam uiderint: alijs gentibus ignorantia imperij Romani inexperta eſſe ſupplicia, neſcia tributa: quæ quãdo exuerint, inritusq; diſceſſerit ille inter numina dicatus Auguſtus, ille delectus Tiberius, ne imperitum adoleſcentulum, ne ſeditioſum exercitum pauefcerent: Si patriam, parentes, antiqua mallēt, quàm dominos, & colonias nouas, Arminium potius gloriæ ac libertatis, quàm Segeſtem flagitioſæ ſeruitutis ducem ſequerentur. Conciti per hæc non modo Cheruſci, ſed cõterminæ gentes, tractusq; in partis Inguiomerus Arminij patruus, ueteri apud Romanos autoritate: unde maior Cæſari metus. & ne bellum mole una ingrueret, Cæcinã cum quadraginta cohortibus Romanis, diſtrahendo hoſti per Bructeros ad flumen Amiſiam mittit. Equitem Pedo præfectus, finibus Friſiorum ducit, ipſe impoſitas nauibus quatuor legiones per lacus uexit: ſimulq; pedes, eques, claſſes apud prædictũ amnem conuenere. Chauci cum auxilia pollicerentur, in cõmilitium adſciti ſunt. Bructeros ſua urenteis, expedita cum manu L. Stertinius miſſu Germanici fudit, interq; cædem & prædam reperit undeuiceſimæ legionis aquilam cum Varo amiſſam. Ductum inde agmen ad ultimos Bructerorum: quantumq; Amiſiam, & Luppiam amnes inter, uaſtatũ, haud procul Teutoburgienſi ſaltu, in quo reliquiæ Vari legionumq; inſepultæ dicebantur. Igitur cupido Cæſarem inuadit ſoluendi ſuprema militibus ducíq;, permoto ad miſerationem omni qui aderat exercitu, ob propinquos, amicos, deniq; ob caſus bellorum, & ſortem hominum: præmiſſo Cæcina ut occulta ſaltuũ ſcrutaretur, pontesq; & aggeres humido paludum, & fallacibus campis imponeret. Incedunt mœſtos locos, uiſuq; ac memoria deformes. Prima Vari caſtra lato ambitu, & dimenſis principijs trium legionum manus oſtentabant: dein ſemiruto uallo, humili foſſa acciſæ iam reliquiæ conſediſſe intelligebantur. Medio campi albentia oſſa, ut fugerant, ut reſtiterant, diſiecta uel aggerata. adiacebant fragmina telorum, equorumq; artus, ſimul truncis arborum ante fixa ora. lucis propinquis barbaræ aræ, apud quas tribunos, ac primorum ordinum centuriones mactauerant. & cladis eius ſuperſtites pugnam aut uincula elapſi, referebant, hic cecidiſſe legatos, illic raptas aquilas, primum ubi uulnus Varo adactum, ubi infelici dextera, & ſuo ictu mortem inuenerit: quo tribunali concionatus Arminius, quot patibula captiuis, quæ ſcrobes: utq; ſignis & aquilis per ſuperbiam inluſerit. Igitur Romanus qui aderat exercitus, ſextum poſt cladis annum, trium legionum oſſa, nullo

Cheruſci
Inguiomerus
Bructeri
Amiſia flu.
Friſiorũ fines
Chauci
Luppia
Teutoburgienſis ſaltus
Vari Quintilij caſtra
Aræ barbaræ

noſcente

noſcente,alienas reliquias an ſuorum,humo tegeret, omnes ut cõiũctos,
ut conſanguineos,aucta in hoſtem ira, mœſti ſimul & infenſi condebant.
Primum extruendo tumulo ceſpitem Cæſar poſuit,gratiſſimo munere in
defunctos,& præſentibus doloris ſocius. Quod Tiberio haud proba-
tum,ſeu cuncta Germanici in deterius trahenti, ſiue exercitũ imagine cæ-
ſorum inſepultorumq́;, tardatũ ad prælia,& formidoloſiorẽ hoſtium cre
debat.neq; imperatorem auguratu,& uetuſtiſſimis cærimonijs præditum
adtrectare feralia debuiſſe. Sed Germanicus cedentem in auia Armi-
nium ſecutus,ubi primum copia fuit,euehi equites,campumq́; quem ho-
ſtis inſederat,eripi iubet.Arminius colligi ſuos, & propinquare ſiluis mo-
nitos,uertit repente,mox ſignũ prorumpendi dedit ijs,quos per ſaltus oc-
cultauerat.Tunc noua acie turbatus eques,miſſæq́; ſubſidiariæ cohortes,
& fugientium agmine impulſæ auxerant conſternationẽ, trudebanturq́;
in paludem gnaram uincentibus,iniquã neſcijs,ni Cæſar productas legio
nes inſtruxiſſet:inde hoſtibus terror, fiducia militi,& manibus æquis ab- *Manib. æquis abſceſſum*
ſceſſum.Mox reducto ad Amiſiam exercitu,legiones claſſe ut aduexerat,
reportat.Pars equitum littore Oceani petere Rhenum iuſſa, Cæcina qui
ſuum militẽ ducebat, monitus (quanquam notis itineribus regrederetur)
pontes lõgos quàm maturrimè ſuperare.Anguſtus is trames, uaſtas inter *Pontes longi*
paludes,& quondam à L.Domitio aggeratus:cætera limoſa,tenacia graui
cœno,aut riuis incerta erant:circum ſiluæ paulatim adcliues,quas tum Ar-
minius impleuit,compendijs uiarum,& cito agmine, onuſtum ſarcinis ar-
misq́; militẽ cum anteueniſſet. Cæcinæ dubitanti quo nam modo ruptos
uetuſtate pontes reponeret,ſimulq́; propulſaret hoſtem, caſtrametari in
loco placuit,ut opus & alij prælium inciperent.Barbari perfringere ſtatio-
nes,ſeq́; inferre munitoribus niſſi,laceſſunt,circũgrediuntur,occurſant.mi-
ſcetur operantium bellantiumq́; clamor,& cuncta pariter Romanis aduer
ſa,locus uligine profunda,idem ad gradum inſtabilis,procedẽtibus lubri-
cus,corpora grauia loricis,neq; librare pila inter undas poterant. Contra
Cheruſcis ſueta apud paludes prælia,procera membra, haſtæ ingẽtes ad *Cheruſci*
uulnera facienda,quãuis procul.nox demũ inclinãtis tum legiones aduer-
ſæ pugnæ exemit.Germani ob proſpera indefeſſi, ne tum quidẽ ſumpta
quiete,quantũ aquarũ circumſurgentibus iugis oritur,uertere in ſubiecta.
merſaq́; humo, & obruto quod effectum operis,duplicatus militi labor.
Quadrageſimũ id ſtipendium Cæcina parendi, aut imperitãdi habebat,
ſecundarum ambiguarumq́; rerũ ſciens,eoq́; interritus. Igitur futura uol-
uens,non aliud repperit,q̃ ut hoſtẽ ſiluis coherceret, donec ſaucij, quan-
tumq́; grauioris agminis, anteirent.nam medio montium,& paludũ por-
rigebatur planicies,quæ tenuẽ aciem pateretur.Deliguntur legiones quin-
ta dextro lateri,undeuigeſima in læuũ,primani ducendum ad agmen, ui-
ceſimanus aduerſum ſecuturos.Nox per diuerſa inquies, cum barbari fe-
ſtis

ſtis epulis,læto cantu, aut truci ſonore ſubiecta uallium ac reſultantis ſal/
tus complerent:apud Romanos inualidi ignes, interruptæ uoces, atq; ipſi
paſſim adiacerent uallo,oberrarent tentorijs, inſomnes magis quàm per/
uigiles. ducemq́; terruit dira quies. nam Quintiliũ Varum ſanguine obli/ *Dira quies*
tum,& paludibus emerſum,cernere & audire uiſus eſt,uelut uocantẽ, non
tamen obſecutus,& manum intendentis reppuliſſe. Cœpta luce miſſæ in
latera legiones,metu,an contumacia locum deſeruẽre,capto propere cam
po humẽtia ultra.Neq; tamen Arminius,quanquã libero incurſu, ſtatim
prorupit:ſed ut hæſere cœno,foſſisq́; impedimẽta,turbati circum milites,
incertus ſignorũ ordo,utq; tali in tempore, ſibi quiſq; properus, & lentæ
aduerſum imperia aures,irrumpere Germanos iubet,clamitãs, en Varus,
&,eodemq́; iterum fato uictæ legiones.Simul hæc,& cum delectis ſcindit
agmen,equisq́; maxime uulnera ingerit.illi ſanguine ſuo, & lubrico palu/
dum lapſantes,excuſſis rectoribus diſijcere obuios,proterere iacentes. plu
rimus circa aquilas labor,quæ neq; aduerſum ferri ingruentia tela,neq; fi/
gi limoſa humo poterant.Cæcina dum ſuſtentat aciem,ſuffoſſo equo de/
lapſus circũueniebatur,ni prima legio ſeſe oppoſuiſſet. iuuit hoſtiũ auidi/
tas,omiſſa cæde,prædam ſectantiũ,eniſæq́; legiones ueſperaſcente die in
aperta & ſolida.neq; is miſeriarũ finis,ſtruendum uallũ, petendus agger.
amiſſa magna ex parte,per quæ geritur humus aut exciditur ceſpes. non
tentoria manipulis,non fomenta saucijs. infectos cœno, aut cruore cibos
diuidẽtes,funeſtas tenebras, & tot hominũ millibus unum iam reliquum
diem lamentabantur.Forte equus abruptis uinculis uagus & clamore ter/
ritus,quoſdam occurrentiũ obturbauit. tanta inde conſternatio inrupiſſe
Germanos credentium,ut cuncti ruerent ad portas,quarũ decumana ma/ *Decumana*
xime petebatur,auerſa hoſti,& fugientibus tutior.Cæcina comperto, ua/ *porta*
nam eſſe formidinem,cum tamen neq; autoritate,neq; precibus,ne manu
quidem obſiſtere,aut retinere militẽ quiret,proiectus in limine portæ, mi
ſeratione demũ,quia per corpus legati eundum erat,clauſit uiam: ſimul tri
buni & centuriones falſum pauorem docuerunt.Tunc contractos in prin/
cipia,iuſſosq́; dicta cum ſilentio accipere, temporis ac neceſſitatis monet:
unam in armis ſalutẽ, ſed ea conſilio temperãda:manendumq́; intra ual/
lum,donec expugnandi hoſtes ſpe,propius ſuccederẽt: mox undiq; erum
pendum:illa eruptione ad Rhenũ perueniri.quod ſi fugerẽt,pluris ſiluas,
profundas magis paludes,ſæuitiam hoſtiũ ſupereſſe.at uictoribus decus,
gloriam,quæ domi cara, quæ in caſtris honeſta memorat,reticuit de ad/
uerſis.Equos dehinc,orſus à ſuis, legatorũ tribunorũq; nulla ambitione,
fortiſſimo cuiq; bellatori tradit: ut hi,mox pedes, in hoſtem inuaderent.

Haud minus inquies Germanus,ſpe,cupidine, & diuerſis ducũ ſenten/
tijs agebat:Arminio,ſinerent egredi,egreſſosq́; rurſum per humida & im
pedita circumuenirent, ſuadente: atrociora Inguiomero, & læta barbaris, *Inguiomerus*
ut uallum

ut uallum armis ambirent,promptam expugnationē,plures captiuos, incorruptam prædam fore.Igitur orta die,proruunt foſſas, inijciunt crates, ſumma ualli prenſant,raro ſuper milite,& quaſi ob metū defixo.Poſtquā hæſere munimētis,datur cohortibus ſignū, cornuaq́ ac tubæ concinuere: exin clamore & impetu tergis Germanorū circunfunduntur, exprobrantes,nō hic ſiluas,nec paludes,ſed æquis locis æquos deos. Hoſti facile excidium, & paucos ac ſemermos cogitanti,ſonus tubarū, fulgor armorum quanto inopina,tanto maiora offenduntur.cadebantq́ ut rebus ſecundis auidi,ita aduerſis incauti.Arminius integer,Inguiomerus poſt graue uulnus,pugnā deſeruere.uulgus trucidatū eſt,donec ira & dies permanſit:nocte demū reuerſæ legiones,quāuis plus uulnerū, eadem ciborum egeſtas fatigaret,uim,ſanitatem,copias,cuncta in uictoria habuere. Peruaſerat interim circūuenti exercitus fama,& infeſto Germanorū agmine Gallias peti,ac ni Agrippina impoſitum Rheno pontem ſolui prohibuiſſet, erant qui id flagitiū formidine auderēt. ſed fœmina ingens animi, munia ducis per eos dies induit, militibusq́ ut quis inops,aut ſaucius, ueſtē & fomenta dilargita eſt.Tradit C.Plinius Germanicorū bellorum ſcriptor,ſtetiſſe apud principium ponti laudes & grates reuerſis legionibus habentem.

Agrippina

C.Plinius germanicorū bellorū ſcriptor

Id Tiberij animū altius penetrauit.nō enim ſimplices eas curas,nec aduerſus externos militem quæri:nihil relictum imperatoribus,ubi fœmina manipulos interuiſat,ſigna adeat,largitionē tentet, tanquā parum ambitioſe filium ducis gregali habitu circūferat,Cæſaremq́ Caligulā appellari uelit:potiorem iam apud exercitus Agrippinā quàm legatos,quàm duces:compreſſam à muliere ſeditionem,cui nomen principis obſiſtere non quiuerit.Accendebat hæc onerabatq́ Seianus peritia morū Tiberij, odia in longum iaciens,quæ reconderet,auctaq́ promeret. At Germanicus, legionum,quas nauibus uexerat,ſecundam & quartamdecimā itinere terreſtri P.Vitellio ducendas tradit, quo leuior claſſis uadoſo mari innaret, uel reciproco ſideret.Vitellius primū iter ſicca humo aut modicè adlabente æſtu, quietū habuit. mox impulſu aquilonis ſimul ſydere æquinoctij, quo maxime tumeſcit Oceanus,rapi, agiq́ agmen.& opplebantur terræ. eadem freto,littori,campis facies.neq́ diſcerni poterant incerta ab ſolidis, breuia à profundis.ſternuntur fluctibus,hauriuntur gurgitibus iumenta, ſarcinę. corpora exanima,interfluūt,occurſant.permiſcentur inter ſe manipuli,modo pectore,modo ore tenus extantes, aliquando ſubtracto ſolo diſiecti aut obruti.nox,uox,& mutui hortatus iuuabāt. aduerſante unda nihil ſtrenuus ab ignauo,ſapiens à prudenti,cōſilia à caſu differre, cuncta pari uiolentia inuoluebātur.Tandem Vitellius in editiora eniſus, eòdem agmen ſubduxit.pernoctauere ſine utenſilibus,ſine igni, magna pars nudo aut mulcato corpore,haud minus miſerabiles, quàm quos hoſtis circunſidet.quippe illis etiam honeſtæ mortis uſus: his inglorium exitium.

Seianus

P.Vitellius

lux

lux reddidit terram.penetratumq́ ad amnem Viſurgin, quo Cæſar claſſe contenderat.impoſitæ deinde legiones,uagante fama ſubmerſas.nec fides ſalutis, antequã Cæſarem exercitumq́ reducem uidere. Iam Stertinius ad accipiendũ in deditionẽ Segimerũ fratrem Segeſtis præmiſſus, ipſum & filium eius in ciuitatem Vbiorũ perduxerat.data utriq; uenia, facile Segimero,cunctatius filio: quia Quintilij Vari corpus inluſiſſe dicebatur. *Viſurgis flu.* *Stertinius* *Segimerus*

Cæterum ad ſupplenda exercitus damna certauere Galliæ,Hiſpaniæ, Italia,quod cuiq; promptum,arma,equos,aurum,offerentes: quorum laudato ſtudio Germanicus,armis modo & equis ad bellũ ſumptis, propria pecunia militem iuuit.utq́ cladis memoriã etiam comitate leniret,circumire ſaucios,facta ſingulorum extollere,uulnera intuens,aliu[illegible] ſpe,aliũ gloria,cũctos alloquio,& cura, ſibiq́ & prælio firmabat. Decreta eo anno triumphalia inſignia A.Cæcinæ,L.Apronio,C.Silio,ob res cum Germanico geſtas.Nomen patris patriæ Tiberius à populo ſæpius ingeſtum,repudiauit:neq; in acta ſua iurari,quanquã cenſente ſenatu,permiſit:cuncta mortalium incerta,quantoq́ plus adeptus foret,tanto ſe magis in lubrico dictans:non tamen ideo faciebat fidem ciuilis animi.nam legem maieſtatis reduxerat,cui nomen apud ueteres idem, ſed alia in iudiciũ ueniebant, ſi quis proditione exercitum, aut plebem ſeditionibus, deniq; male geſta Rep.maieſtatem populi Romani minuiſſet:facta arguebantur, dicta impune erant.Primus Auguſtus cognitionem de famoſis libellis,ſpecie legis eius tractauit,cõmotus Caſſij Seueri libidine,qua uiros fœminasq; inluſtres,procacibus ſcriptis diffamauerat:mox Tiberius cõſultante Pompeio Macro prætore, an iudicia maieſtatis redderentur, exercendas leges eſſe reſpondit. Hunc quoq; aſperauere carmina incertis autoribus uulgata in ſæuitiã ſuperbiamq́ eius, & diſcordem cum matre animum. Haud pigebit referre in Falanio & Rubrio,modicis equitibus Romanis prętentata crimina,ut quibus initijs, quanta Tiberij arte grauiſſimũ exitium irrepſerit,dein repreſſum ſit,poſtremo arſerit,cũctaq́ corripuerit,noſcatur. Falanio obijciebat accuſator, quod inter cultores Auguſti, qui per omnes domos in modum collegiorũ habebantur,Caſſium quendã mimum corpore infamem adſciuiſſet:quodq́ uenditis hortis,ſtatuam Auguſti ſimul mancipaſſet.Rubrio crimini dabatur uiolatum periurio nomen Auguſti. *Pater patriæ* *Maieſtatis lex reducta* *Facta arguebantur.dicta impune erant* *Falanius eques Ro.* *Auguſtus Romæ per oẽs domos cultus* *Rubrius eq.*

Quæ ubi Tiberio notuere,ſcripſit conſulibus.non ideo decretum patri ſuo cœlum,ut in perniciem ciuiũ is honor uerteretur.Caſſium hiſtrionem ſolitum inter alios eiuſdem artis intereſſe ludis, quos mater ſua in memoriam Auguſti ſacraſſet.Nec cõtra religiones fieri,quod effigies eius,ut alia numinum ſimulachra, uenditionibus hortorũ & domuũ accedant. Iuſiurandum perinde æſtimãdum,quam ſi Iouem fefelliſſet. deorum iniurias, dijs curæ. Nec multo poſt Granium Marcellũ prætorẽ Bithyniæ quæſtor ipſius Cæpio Criſpinus maieſtatis poſtulauit,ſubſcribente Romano *Cæp. Criſpin.*

c Hiſpone

Rom. Hiſpo Hiſpone. qui formam uitæ iniit, quā poſtea celebrem miſeriæ temporum, & audaciæ hominum fecerunt. nam egens, ignotus, inquies, dum occultis libellis ſæuitiæ principis adrepit, mox clariſſimo cuiq; periculū faceſſit, potentiam apud unum, odium apud omnes adeptus, dedit exemplū quod ſecuti ex pauperibus diuites, ex contemptis metuendi, perniciem alijs, ac poſtremū ſibi inuenere. Sed Marcellum inſimulabat, ſiniſtros de Tiberio ſermones habuiſſe. ineuitabile crimen, cum ex moribus principis fœdiſſima quæq; deligeret accuſator, obiectaretq; reo. nam quia uera erāt, etiam dicta credebantur. Addidit Hiſpo, ſtatuam Marcelli altius quàm Cæſarum ſitam, & alia in ſtatua, amputato capite Auguſti, effigiem Tiberij inditam. ad quod exarſit adeo, ut rupta taciturnitate proclamaret, ſe quoq; in ea cauſa laturum ſententiam palàm, & iuratum: quo cæteris eadem neceſſitas fieret. Manebant etiā tum ueſtigia morientis libertatis. Igitur Cn. Piſo, quo, inquit, loco cenſebis Cæſar? ſi primus, habebo quod ſequar. ſi poſt omnes, uereor ne imprudens diſſentiam. permotus his, quantoq; incautius efferbuerat, pœnitentia patiens tulit abſolui reum criminibus maieſtatis. de pecunijs repetundis ad reciperatores itum eſt. Nec patrum cognitionibus ſatiatus, iudicijs adſidebat in cornu tribunalis, ne prætorē curuli depelleret: multaq; eo coràm, aduerſus ambitum & potentium preces conſtituta: ſed dum ueritati conſulitur, libertas corrūpebatur. Inter quæ Pius Aurelius ſenator, queſtus mole publicæ uiæ, ductuq; aquarum, labefactas ædis ſuas, auxilium patrum inuocabat. reſiſtentibus ærarij prætoribus ſubuenit Cæſar, pretiumq; ædium Aurelio tribuit, erogandæ per honeſta pecuniæ cupiēs. quam uirtutē diu retinuit, cum cæteras exueret. Propertio Celeri prætorio, ueniā ordinis ob paupertatē petenti, decies ſeſtertium largitus eſt, ſatis cōperto, paternas ei anguſtias eſſe. tentantis eadem alios, probare cauſam ſenatui iuſſit, cupidine ſeueritatis, in his etiam quæ rite faceret, acerbus. unde cæteri ſilentium & paupertatē confeſſioni & beneficio præpoſuere. Eodem anno continuis imbribus auctus Tiberis, plana urbis ſtagnauerat. relabentem ſecuta eſt ædificiorū & hominū ſtrages. Igitur cenſuit Aſinius Gallus, ut libri Sibyllini adirentur. renuit Tiberius, perinde diuina humanaq; obtegens: ſed remedium cohercendi fluminis Ateio Capitoni & L. Arruntio mandatū. Achaiam ac Macedoniam onera deprecātis, leuari in præſens procōſulari imperio, tradiq; Cæſari placuit. Edendis gladiatoribus, quos Germanici fratris, ac ſuo nomine obtulerat, Druſus præſedit, quanquā uili ſanguine nimis gaudens, quod uulgus formidoloſum, & pater arguiſſe dicebatur. cur abſtinuerit ſpectaculo ipſe, uariè trahebant, alij tædio cœtus, quidam triſtitia ingenij & metu comparationis, quia Auguſtus comiter interfuiſſet. Non crediderim ad oſtentandam ſæuitiā mouendaſq; populi offenſiones conceſſam filio materiem. quanquam, id quod dictum eſt, theatri licentia proximo

Granius Marcellus

Veſtigia morientis libertatis

Pius Aurelius

Tiberij liberalitas

Tiberis auctus

priore

priore anno cœpta,grauius tum erupit,occiſis non modo è plebe, & militibus & centurione,uulnerato tribuno prætoriæ cohortis dum probra in magiſtratus & diſſenſioné uulgi prohibent. Actum de ea ſeditione apud patres,dicebanturq́ ſententiæ, ut prætoribus ius uirgatum in hiſtriones eſſet.interceſſit Haterius Agrippa tribunus plebei, increpitusq́ eſt Aſinij Galli oratione ſilente Tiberio,qui ea ſimulachra libertatis ſenatui præbebat:ualuit tamē interceſſio,quia diuus Auguſtus immunes uerberū hiſtriones quondā reſponderat,neq; fas Tiberio infringere dicta eius.De modo lucaris,& aduerſus laſciuiam fautorum multa decernuntur,ex quis maximè inſignia:Ne domos Pantomimorū ſenator introiret: ne egredienteis in publicum,equites Romani cingerent:aut alibi quàm in theatro ſpectarentur.& ſpectantium immodeſtiam exilio mulctandi poteſtas prætoribus fieret. Templū ut in colonia Tarraconenſi ſtrueretur Auguſto petentibus Hiſpanis permiſſum,datumq́ in omnes prouincias exemplum. Centeſimam rerum uenalium poſt bella ciuilia inſtitutā, deprecante populo,edixit Tiberius militare ærariū eo ſubſidio niti,ſimul imparem oneri Remp. niſi uiceſimo militiæ anno ueterani dimitterentur. ita proximæ ſeditionis male conſulta, quibus ſexdecim ſtipendiorū finem expreſſerāt, abolita in poſterum. Actum deinde in ſenatu ab Arruntio & Ateio,an ob moderandas Tiberis exundationes uerterentur flumina & lacus, per quos augeſcit.Auditæq́ municipiorū & coloniarū legationes, orantibus Florentinis,ne Clanis ſolito alueo demotus in amnem Arnum transferretur,idq́ ipſis perniciem adferret.Congruentia his Interamnates diſſeruere,peſſum ituros fœcundiſſimos Italiæ campos,ſi amnis Nar(id enim parabatur)in riuos diductus ſuperſtagnauiſſet. Nec Reatini ſilebant, Velinum lacum,qua in Narem effunditur obſtrui recuſantes, quippe in adiacentia erupturum:optume rebus mortalium conſuluiſſe naturam,quæ ſua ora fluminibus,ſuos curſus,utq́ originem ita fines dederit:ſpectādas etiam religiones ſociorum,qui ſacra,& lucos,& aras patrijs amnibus dicauerint:quin ipſum Tiberim nolle prorſus accolis fluuijs orbatū,minore gloria fluere.Seu preces coloniarum,ſeu difficultas operum, ſiue ſuperſtitio ualuit,ut in ſententiam Piſonis concederet, qui nil mutandum cenſuerat.

Haterius Agrippa *Aſini. Gallus* *Hiſtriones immunes uerberum* *Mulctare exilio* *Templum Auguſto* *Centeſimā rerum uenaliū deprecatur populus Ro.* *Florentini* *Clanis flu.* *Arnus flu.* *Interamnates* *Nar flu.* *Reatini* *Velinus lacus*

Prorogatur Poppęo Sabino prouincia Mœſia,additis Achaia & Macedonia.Id quoq; morum Tiberij fuit,continuare imperia, ac pleroſq; ad finem uitæ in ijsdem exercitibus,aut iuriſdictionibus habere. Cauſæ uariæ traduntur:alij tædio nouæ curæ, ſemel placita pro æternis ſeruauiſſe: quidam inuidia,ne plures fruerentur.ſunt qui exiſtiment,ut callidum eius ingenium,ita anxium iudicium:neq; enim eminentis uirtutes ſectabatur, & rurſum uitia oderat.ex optimis periculum ſibi, à peſſimis dedecus publicum metuebat.qua hæſitatione poſtremo eò prouectus eſt, ut mandauerit quibuſdā prouincias,quos egredi urbe non erat paſſurus. De co-

Tiberius imperia prouinciarum præfectis continuare ſolitus.

Comitia conſularia

mitijs conſularibus,quæ tum primum illo principe,ac deinceps fuere, uix quicquã firmare auſim:adeo diuerſa non modo apud autores, ſed in ipſius orationibus reperiuntur. Modo ſubtractis candidatorum nominibus, originem cuiuſq; & uitam,& ſtipendia deſcripſit, ut qui forent intelligerentur:aliquando ea quoq; ſignificatione ſubtracta,candidatos hortatus, ne ambitu comitia turbarent,ſuã ad id curam pollicitus eſt. plerunq; eos tantum apud ſe profeſſos diſſeruit,quorũ nomina conſulibus edidiſſet. poſſe & alios profiteri,ſi gratiæ,aut meritis confiderent. ſpecioſa uerbis, re inania,aut ſubdola:quantoq; maiore libertatis imagine tegebãtur,tanto eruptura ad infenſius ſeruitium.

P. CORNELII TACITI AB EXCESSV DIVI AVGVSTI ANNALIVM LIBER SECVNDVS.

Vonones Phrahatis filius

SISENNA Statilio Tauro,L.Libone Coſs. mota Orientis regna, prouinciæq; Romanæ, initio apud Parthos orto,qui petitũ Roma, acceptũq; regem,quãuis gentis Arſacidarum, ut externum aſpernabantur. Is fuit Vonones, obſes Auguſto datus à Phrahate.Nam Phrahates quanquã depuliſſet exercitus, duceſq; Romanos, cuncta uenerãtium officia ad Auguſtũ uerterat, partemq; prolis,firmandæ amicitiæ miſerat, haud perinde noſtri metu, quàm fidei popularium diffiſus. Poſt finem Phrahatis & ſequentium regum, ob internas cædes,uenere in urbem legati à primoribus Parthis,qui Vononem uetuſtiſſimum liberorum eius accirent. Magnificum id ſibi credidit Cæſar,auxitq; opibus.Et accepere barbari lætantes, ut fermè ad noua imperia.Mox ſubit pudor degenerauiſſe Parthos,petitum alio ex orbe regem, hoſtium artibus infectum:iam inter prouincias Romanas ſolium Arſacidarum haberi dariq;:Vbi illam gloriam trucidantiũ Craſſum, exturbantium Antonium, ſi mancipium Cæſaris tot per annos ſeruitutem perpeſſum Parthis imperitet? Accendebat dedignantes & ipſe, diuerſus à maiorum inſtitutis,raro uenatu,ſegni equorum cura,quoties per urbes incederet lecticæ geſtamine, faſtuq; erga patrias epulas: inridebantur & Græci comites,ac uiliſſima utenſilium anulo clauſa.ſed prompti aditus,obuia comitas,ignotæ Parthis uirtutes,noua uitia,& quia ipſorum maioribus aliena,perinde odiũ prauis & honeſtis.

Artabanus
Dahæ pop.
Armenia

Igitur Artabanus Arſacidarum è ſanguine apud Dahas adultus excitur, primoq; congreſſu fuſus, reparat uires,regnoq; potitur.uicto Vononi perfugium Armenia fuit, uacua tunc, interq; Parthorum & Romanas opes infida,ob ſcelus Antonij, qui Arta-

uaſden

uaſden regem Armeniorum ſpecie amicitiæ inlectum, dein cathenis one/ratum, poſtremo interfecerat. Eius filius Artaxias, memoria patris nobis infenſus, Arſacidarũ ui ſeq; regnumq; tutatus eſt. occiſo Artaxia per dolum propinquorum, datus à Cæſare Armenijs Tigranes, deductusq; in regnum à Tiberio Nerone. Nec Tigrani diuturnũ imperium fuit, neq; liberis eius, quanquã ſociatis more externo in matrimoniũ regnumq;. dein iuſſu Auguſti impoſitus Artauaſdes, & non ſine clade noſtra deiectus. Tum C. Cæſar componendæ Armeniæ deligitur. Is Ariobarzanen origine Medum, ob inſignem corporis formam, & præclarum animũ uolentibus Armenijs præfecit. Ariobarzane morte fortuita abſumpto, ſtirpem eius haud tolerauere, tentatoq; fœminæ imperio, cui nomen Erato, eaq; breui pulſa, incerti ſolutiq;, & magis ſine domino, quàm in libertate, profugum Vononem in regnum accipiunt. Sed ubi minitari Artabanus, & parum ſubſidij in Armenijs, uel ſi noſtra ui defenderetur, bellũ aduerſus Parthos ſumendum erat, rector Syriæ Creticus Sillanus excitũ cuſtodia circundat, manente luxu & regio nomine, quod ludibrium ut effugere agitauerit Vonones, in loco reddemus. Cæterum Tiberio haud ingratũ accidit, turbari res orientis, ut ea ſpecie Germanicũ ſuetis legionibus abſtraheret, nouisq; prouincijs impoſitum, dolo ſimul & caſibus obiectaret. At ille quanto acriora in eum ſtudia militum, & auerſa patrui uoluntas, celerandæ uictoriæ intentior, tractare præliorũ uias, & quæ ſibi tertium iam annum belligeranti ſæua uel proſpera eueniſſent: fundi Germanos acie & iuſtis locis, iuuari ſiluis, paludibus, breui æſtate, & præmatura hyeme: ſuum militem haud perinde uulneribus, quàm ſpatijs itinerum, damno armorum adfici: feſſas Gallias miniſtrandis equis, longũ impedimentorum agmen, opportunũ ad inſidias, defenſantibus iniquũ: at ſi mare intretur, promptam ipſis poſſeſſionẽ, & hoſtibus ignotã: ſimul bellũ maturius incipi, legionesq; & cõmeatus pariter uehi: integrũ equitẽ, equosq; per ora & alueos fluminũ media in Germania fore. Igitur huc intendit, miſſis ad cenſus Galliarum, P Vitellio & Cantio. Silius & Anteius & Cęcina fabricandæ claſſi præponuntur. Mille naues ſufficere uiſæ, properatæq;: aliæ breues anguſta puppi, proraq;, & lato utero, quo facilius fluctus tolerarent: quædam planæ carinis, ut ſine noxa ſiderent: plures appoſitis utrinq; gubernaculis, cõuerſo ut repente remigio, hinc uel illinc adpellerent: multæ pontibus ſtratæ, ſuper quas tormenta ueherentur, ſimul aptæ ferendis equis, aut cõmeatui, uelis habiles, citæ remis, augebãtur alacritate militum in ſpeciem ac terrorem. Inſula Batauorum in quã conuenirent prædicta, ob faciles adpulſus, accipiendisq; copijs, & tranſmittendum ad bellũ opportuna. Nam Rhenus uno alueo continuus, aut modicas inſulas circumueniens, apud principium agri Bataui, uelut in duos amnes diuiditur, ſeruatq; nomen & uiolentiã curſus, quà Germaniã præuehitur, donec Ocea/

Artauaſdes *Artaxias* *Tigranes* *Ariobarzanes* *Erato regina* *Creticus Sillanus* *Apud Germanos breuis æſtas, præmatura hyems* *P. Vitellius* *Cantius* *Silius* *Anteius* *Cæcina* *Batauorum inſula* *Rhenus*

no miſceatur: ad Gallicam ripam latior & placidior adfluens, uerſo cogno-
Vahalis Moſa flu.
mento Vahalem accolæ dicunt, mox id quoq; uocabulũ mutat Moſa flu-
mine, eiuſq; immenſo ore eundem in Oceanũ effunditur. Sed Cæſar
In Chattos irruptio
dum adiguntur naues, Silium legatum cum expedita manu inruptionem
in Chattos facere iubet. ipſe, audito caſtellũ Luppiæ flumini adpoſitum
Luppia flu.
obſideri, ſex legiones eò duxit. neq; Silio ob ſubitos imbres aliud actum,
Arpus princeps chattorũ
quàm ut modicã prædam, & Arpi principis Chattorũ coniugem, filiamq;
raperet. Neq; Cæſari copiam pugnæ obſeſſores fecere, ad famam aduen-
tus eius dilapſi: tumulum tamen nuper Varianis legionibus ſtructum, &
ueterẽ aram Druſo ſitam diſiecerant. Reſtituit aram, honoriq; patris prin
ceps ipſe cum legionibus decucurrit. Tumulũ iterare haud uiſum. & cũcta
Aliſo caſtellũ in ripa Luppiæ fluminis
inter caſtellum Aliſonem ac Rhenũ nouis limitibus, aggeribusq; permu-
nita. Iamq; claſſis aduenerat, cum præmiſſo cõmeatu, & diſtributis in legi-
Druſiana foſſa
ones, ac ſocios nauibus, foſſam, cui Druſianę nomen, ingreſſus, precatuſq;
Druſum patrem, ut ſe eadem auſum, libens placatuſq; exemplo ac memo
ria conſiliorum atq; operum iuuaret: lacus inde & Oceanũ uſq; ad Ami-
Amiſia flu.
ſiam flumen ſecunda nauigatione peruehitur. claſſis Amiſiæ relicta læuo
amne. erratumq; in eo quod non ſubuexit. tranſpoſuit militẽ dextras in
terras iturum. ita plures dies efficiendis pontibus abſumpti. Et eques qui-
dem ac legiones prima æſtuaria nondum adcreſcente unda intrepidi tran
ſiere: poſtremũ auxiliorũ agmen, Batauiq; in parte ea dum inſultãt aquis
artemq; nandi oſtentãt, turbati, & quidã hauſti ſunt. Metanti caſtra Cæ-
Angriuarij
ſari Angriuariorũ defectio à tergo nunciatur. Miſſus illico Stertinius cum
equite & armatura leui, igne & cædibus perfidiam ultus eſt. Flumen Vi-
Viſurgis flu. Cheruſci
ſurgis Romanos Cheruſcoſq; interfluebat. eius in ripa cum cæteris pri-
moribus Arminius adſtitit, quæſitoq; an Cæſar ueniſſet, poſtquam adeſ-
ſe reſponſum eſt, ut liceret cum fratre conloqui orauit. Erat is in exercitu
Flauius Arminij frater
cognomento Fauius, inſignis fide, & amiſſo per uulnus oculo paucis ante
annis duce Tiberio. tum permiſſum. progreſſuſq; ſalutatur ab Arminio.
qui amotis ſtipatoribus, ut ſagittarij noſtra pro ripa diſpoſiti abſcederẽt,
poſtulat, & poſtquã digreſſi, unde ea deformitas oris interrogat fratrem:
illo locum, & prælium referente, quodnam præmium recepiſſet exquirit.
Flauius aucta ſtipendia, torquem, & coronam aliaq; militaria dona me-
morat, irridente Arminio uilia ſeruitij pretia. Exin diuerſi ordiuntur: hic
magnitudinem Romanam, opes Cæſaris, & uictis graues pœnas, in dedi-
tionem uenienti paratam clementiam, neq; coniugem & filium eius hoſti
liter haberi. Ille fas patriæ, libertatem auitam, penetralis Germaniæ deos,
matrem precum ſociam, ne propinquorum & adfinium, denique gentis
ſuæ deſertor & proditor, quàm imperator eſſe mallet. Paulatim inde ad
iurgia prolapſi, quo minus pugnam consererent, ne flumine quidem in-
teriecto cohibebãtur, ni Stertinius adcurrens, plenũ irę armaq; & equum
poſcen-

poſcentem Flauium attinuiſſet.cernebatur contra minitabundus Armini/
us,prœliumq́ʒ denũcians.nam pleraqʒ latino ſermone interiaciebat,ut qui *Latinus ſer/*
Romanis in caſtris ductor popularium meruiſſet.Poſtero die Germano/ *mo*
rum acies trans Viſurgim ſtetit. Cæſar niſi pontibus præſidijſq́ʒ impoſi/
tis dare in diſcrimen legiones haud imperatoriũ ratus, equitem uado tra/
mittit.præfuere Stertinius,& è numero primipilarium Æmilius, diſtanti/
bus locis inuecti,ut hoſtem deducerent.quà celerrimus amnis, Carioual/ *Carioualda*
da dux Batauorum erupit.eum Cheruſci fugam ſimulantes in planiciem *dux Batauo/*
ſaltibus circumiectam traxere:dein coorti & undiqʒ effuſi trudunt aduer/ *rum* *Cheruſci*
ſos,inſtant cedentibus,collectosq́ʒ in orbem pars congreſſi, quidam emi/
nus proturbant.Carioualda diu ſuſtentata hoſtium ſæuitia, hortatus ſu/
os ut ingruentes cateruas globo fringerent,atqʒ ipſe in denſiſſimos inrum
pens, cõgeſtis telis & ſuffoſſo equo labitur,ac multi nobiliũ circa.cæteros
uis ſua,aut equites cum Stertinio Æmilioq́ʒ ſubueniẽtes,periculo exeme/
re. Cæſar tranſgreſſus Viſurgim,indicio perfugæ cognoſcit delectum
ab Arminio locum pugnæ,conueniſſe & alias nationes in ſiluam Herculi *Herculi ſacra*
ſacram , auſurosq́ʒ nocturnam caſtrorum oppugnationem. habita indici *ſilua*
fides,& cernebantur ignes,ſuggreſſiq́ʒ propius ſpeculatores audiri fremi/
tum equorũ,immenſiq́ʒ & inconditi agminis murmur attulere. Igitur pro
pinquo ſummæ rei diſcrimine , explorandos militum animos ratus, quo
nam id modo incorruptum foret, ſecum agitabat . Tribunos & centurio/
nes læta ſæpius quàm comperta nunciare,libertorum ſeruilia ingenia,ami
cis ineſſe adulationem:ſi concio uocetur, illic quoqʒ , quæ pauci incipiant,
reliquos adſtrepere:penitus noſcendas mentes , cum ſecreti & incuſtoditi
inter militaris cibos,ſpem aut metũ proferrent.Nocte cœpta,egreſſus au/ *Auguralis*
gurali,per occulta & uigilibus ignara,comite uno, cõtectus humeros feri/ *porta*
na pelle,adit caſtrorũ uias,adſiſtit tabernaculis,fruiturq́ʒ fama ſui:cum hic
nobilitatẽ ducis,decorẽ alius,plurimi patientiam,comitatem,per ſeria per
iocos eundem animũ , laudibus ferrent:reddendamq́ʒ gratiã in acie fate/
rentur,ſimul perfidos & ruptores pacis , ultioni & gloriæ mactãdos.Inter
quæ unus hoſtiũ latinæ linguæ ſciens,acto ad uallum equo,uoce magna,
cõiuges,& agros, & ſtipẽdij indies,donec bellaretur, ſeſtertios centenos,ſi
quis transfugiſſet Arminij nomine pollicetur. Incendit ea contumelia legi
onum iras,ueniret dies,daretur pugna , ſumpturum militẽ Germanorum
agros,tracturum coniuges:accipere omen,& matrimonia ac pecunias ho/
ſtium prædæ deſtinare.Tertia fermè uigilia adſultatũ eſt caſtris ſine con/
iectu teli,poſtq́ʒ crebras pro munimẽtis cohortes,& nihil remiſſum ſenſe/
re. Nox eadẽ lætã Germanico quietẽ tulit, uiditq́ʒ ſe operatũ,& ſanguine *Operari, pro*
ſacro reſperſa prætexta,pulchriorẽ aliã manibus auiç Auguſtæ accepiſſe. *ſacrificare*
Auctus omine,addicẽtibus auſpicijs uocat concionẽ,& quæ ſapiẽtia,præ/ *Addicentibus*
uiſa,aptaq́ʒ imminẽti pugnæ diſſerit. Non cãpos modo militi Romano *auſpicijs*

ad prælium bonos,ſed ſi ratio adſit,ſiluas & ſaltus.nec enim immenſa barbarorum ſcuta,enormis haſtas inter truncos arborum,& enata humo uirgulta perinde haberi quàm pila,& gladios,& hærentia corpori tegmina: denſarent ictus,ora mucronibus quærerent:non loricam Germano, non galeam:ne ſcuta quidem ferro,neruóue firmata,ſed uiminũ textus, uel tenuis,& fucatas colore tabulas:primam utcũq; aciem haſtatã, cæteris præuſta aut breuia tela:iam corpus ut uiſu toruum, & ad breuẽ impetum ualidum,ſic nulla uulnerum patientia,ſine pudore flagitij, ſine cura ducum, abire, fugere,pauidos aduerſis,inter ſecunda,non diuini, non humani iuris memores:Si tædio uiarum ac maris finem cupiant,hac acie parari:propiorem iam Albim quàm Rhenum:neq; bellum ultra, modo ſe patris patruiq; ueſtigia prementem,ijſdem in terris uictorem ſiſterent. Orationem ducis ſecutus militũ ardor,ſignumq; pugnæ datum. Nec Arminius, aut cæteri Germanorum proceres omittebant ſuos quiſq; teſtari. Hos eſſe Romanos Variani exercitus fugaciſſimos, qui ne bellum tolerarent, ſeditionem induerint:quorum pars onuſta uulneribus tergũ, pars fluctibus & procellis fractos artus,infenſis rurſum hoſtibus,aduerſis dijs obijciant,nulla boni ſpe: claſſem quippe & auia oceani quæſita ne quis uenientibus occurreret,ne pulſos premeret:ſed ubi miſcuerint manus,inane uictis uentorũ remorúmue ſubſidium:meminiſſent modo auaritiæ,crudelitatis,ſuperbiæ:aliud ſibi reliquũ quàm tenere libertatẽ, aut mori ante ſeruitium? Sic accenſos & prælium poſcentes in campũ, cui Idiſtauiſo nomen,deducũt:is medius inter Viſurgim & colles, ut ripæ fluminis cedunt, aut prominentia montiũ reſiſtunt,inæqualiter ſinuatur. ponè tergum inſurgebat ſilua editis in altum ramis,& pura humo inter arborum truncos. campum & prima ſiluarum,barbara acies tenuit:ſoli Cheruſci iuga inſedere,ut præliantibus Romanis deſuper incurrerent. Noſter exercitus ſic inceſſit: auxiliares Galli, Germaniq; in fronte, poſt quos pedites ſagittarij, dein quatuor legiones,& cũ duabus prętorijs cohortibus,ac delecto equite Cæſar:exin totidem aliæ legiones,& leuis armatura cum equite ſagittario,cæteræq; ſociorum cohortes.Intentus paratuſq; miles ut ordo agminis in aciem adſiſteret.Viſis Cheruſcorũ cateruis,quæ per ferociam proruperant, ualidiſſimos equitũ incurrere latus, Stertinium cum cæteris turmis circumgredi,tergáue inuadere iubet,ipſe in tempore adfuturus. Interea pulcherrimũ augurium octo aquilę petere ſiluas,& intrare uiſæ, imperatorem aduertere:exclamat Irent,ſequerentur Romanas aues,propria legionum numina.ſimul pedeſtris acies infertur, & præmiſſus eques poſtremos ac latera impulit.mirumq; dictu,duo hoſtium agmina diuerſa fuga, qui ſiluam tenuerant in aperta,qui campis adſtiterant, in ſiluam ruebant. medij inter hos Cheruſci,collibus detrudebantur,inter quos inſignis Arminius manu,uoce,uulnere,ſuſtentabat pugnam.Incubueratq; ſagittarijs, illa

Enormes haſtæ Cheruſcorum

Germanorum armatura

Textus uiminum ſiue tabulæ coloribus fucatæ,pro ſcutis

Albis

Rhenus

Arminius Cheruſcorum princeps

Germanorum proceres

Idiſtauiſum dictionẽ Germanicam eſſe reor cũ ſuo articulo .dieſtauiſen ſiue ſtad uuiſen, id eſt ripenſe pratũ ſiue ad ripam uergens,puta Viſurgis fluuij.

Augurium aquilarum

illa rupturus,ni Rhætorũ Vindelicorumq́ꝫ & Gallicæ cohortes ſigna ob/ieciſſent:niſu tamen corporis & impetu equi peruaſit, oblitus faciem ſuo cruore ne noſceretur.quidam adgnitum à Chaucis inter auxilia Romana agentibus, emiſſumq́ꝫ tradiderunt. Virtus ſeu fraus eadem Inguiomero effugiũ dedit.cæteri paſſim trucidati.& pleroſq́ꝫ tranare Viſurgim conan/tes,iniecta tela aut uis fluminis ,poſtremo moles ruentium, & incidentes ripæ,operuere.quidam turpi fuga in ſumma arborum niſi, ramiſq́ꝫ ſe oc/cultantes,admotis ſagittarijs per ludibrium figebãtur:alios prorutæ arbo/res adflixere. Magna ea uictoria,neq́ꝫ cruẽta nobis fuit.Quinta ab ho/ra diei ad noctem cæſi hoſtes,decem milia paſſuum cadaueribus atq́ꝫ ar/mis oppleuere,repertis inter ſpolia eorum cathenis, quas in Romanos,ut non dubio euentu portauerant. Miles in loco prælij Tiberium imperato/rem ſalutauit,ſtruxitq́ꝫ aggerem & in modum trophæorum arma,ſubſcri/ptis uictarum gentiũ nominibus impoſuit. Haud perinde Germanos uulnera,luctus,excidia,q́ꝫ ea ſpecies dolore & ira adfecit. qui modo abire ſedibus,trans Albim concedere parabant,pugnam uolunt,arma rapiunt, plebes,primores,iuuentus,ſenes,agmen Romanum repente incurſant,tur/bant,poſtremo deligunt locum,flumine & ſiluis clauſum, arcta intus pla/nicie, & humida : ſiluas quoque profunda palus ambibat,niſi quod latus unum Angriuarij lato aggere extulerant, quo à Cheruſcis dirimerentur. hic pedes adſtitit,equitem propinquis lucis texere,ut ingreſſis ſiluam legi/onibus à tergo foret.Nihil ex ijs Cæſari incognitum:cõſilia, locos, prom/pta,occulta nouerat,aſtuſq́ꝫ hoſtium in perniciem ipſis uertebat.Seio Tu/beroni legato tradit equitem, campumq́ꝫ. peditum aciem ita inſtruxit, ut pars æquo in ſiluam aditu incederet, pars obiectum aggerem eniteretur. quod arduum,ſibi:cætera legatis permiſit. quibus plana euenerant,facile inrupere:quis impugnandus agger,ut ſi murum ſuccederent, grauibus ſu/pernè ictibus conflictabantur.Senſit dux imparem cominus pugnam,re/motiſq́ꝫ paulum legionibus,funditores libratoreſq́ꝫ excutere tela, & pro/turbare hoſtem iubet. miſſæ è tormentis haſtæ. quantoq́ꝫ conſpicui ma/gis propugnatores,tanto pluribus uulneribus deiecti. Primus Cæſar cum prætorijs cohortibus capto uallo dedit impetum in ſiluas. conlato illic gra/du certatum.hoſtem à tergo palus,Romanos flumen aut montes claude/bant.utriſq́ꝫ neceſſitas in loco,ſpes in uirtute,ſalus ex uictoria. Nec minor Germanis animus,ſed genere pugnæ & armorum ſuperabantur, cum in/gens multitudo arctis locis prælongas haſtas non protenderet, non colli/geret,neq́ꝫ adſultibus & uelocitate corporũ uteretur,coacta ſtabile ad præ/lium:contra miles,cui ſcutũ pectori adpreſſum,& inſidens capulo manus, latos barbarorum artus,nuda ora foderet,uiamq́ꝫ ſtrage hoſtiũ aperiret, imprompto iam Arminio ob continua pericula,ſiue illũ recens acceptum uulnus tardauerat.Quin & Inguiomerum tota uolitantę acie, fortuna ma

gis

Rhæti Vindelici Gallicæ co/hortes Inguiomerus

Cathenæ in Romanos Agger ſtru/ctus

Angriuarij la/to aggere à Cheruſcis di/rempti

Prælongæ hã/ſtæ Germanis Adſultus Velocitas cor/porum

gis quàm uirtus deſerebat. & Germanicus quo magis adgnoſceretur, de-
traxerat tegimen capiti, orabatq́ȝ inſiſterent cædibus, nil opus captiuis, ſo-
lam internitionẽ gentis finem bello fore. Iamq́ȝ ſero diei ſubducit ex acie
legionem faciendis caſtris, cæteræ ad noctem cruore hoſtium ſatiatæ ſunt.
equites ambigue certauere. Laudatis pro concione uictoribus Cæſar,
congeriem armorum ſtruxit, ſuperbo cum titulo, DEBELLATIS IN-
TER RHENVM ALBIMQVE NATIONIBVS EXERCI-
TVM TIBERII CAESARIS EA MVNIMENTA MARTI
ET IOVI, ET AVGVSTO SACRAVISSE. de ſe nihil addidit,
metu inuidiæ, an ratus conſcientiã factis ſatis eſſe. Mox bellũ in Angri-
Angriuarij uarios Stertinio mandat, ni deditionẽ properauiſſent. atq; illi ſupplices ni-
hil abnuendo, ueniã omniũ accepere. Sed æſtate iam adulta, legionum
aliæ itinere terreſtri in hybernacula remiſſæ, plures Cæſar claſſi impoſitas
Amiſia flu. per flumẽ Amiſiam Oceano inuexit. Ac primo placidũ æquor mille naui-
um remis ſtrepere, aut uelis impelli: mox atro nubiũ globo effuſa grando:
ſimul uarijs undiq; procellis, incerti fluctus proſpectũ adimere, regimen
Caſus maris impedire: milesq́ȝ pauidus, & caſuũ maris ignarus, dum turbat nautas, uel
intempeſtiue iuuat, officia prudentiũ corrumpebat. omne dehinc cœlum,
Auſter & mare omne in auſtrum ceſſit, qui tumidis Germaniæ terris, profundis
amnibus, immenſo nubium tractu ualidus, & rigore uicini ſeptentrionis
Claſſis Germanici periclitatur in mari horridior, rapuit diſiecitq́ȝ naues in aperta Oceani, aut inſulas ſaxis abru-
ptis, uel per occulta uada infeſtas. quibus paulum ægreq́ȝ uitatis poſtquã
mutabat æſtus, eodemq́ȝ quo uentus ferebat, nõ adhærere anchoris, non
exhaurire inrumpentis undas poterant: equi, iumenta, ſarcinæ, etiam ar-
ma præcipitantur, quo leuarentur aluei manantes per latera, & fluctu ſu-
Oceanus uiolentior cætero mari perurgente. Quanto uiolentior cætero mari Oceanus, & truculentia cœli
præſtat Germania, tantũ illa clades nouitate & magnitudine exceſſit, ho-
ſtilibus circũ littoribus, aut ita uaſto & profundo, ut credatur nouiſſimum
ac ſine terris mare. pars nauium hauſtæ ſunt, plures apud inſulas lõgius ſi-
tas eiectæ: milesq́ȝ nullo illic hominum cultu, fame abſumptus, niſi quos
corpora equorum eodem eliſa tolerauerãt. ſola Germanici triremis Chau
Chauci corum terram adpulit, quẽ per omnes illos dies noctesq́ȝ apud ſcopulos
& prominentis oras, cum ſe tanti exitij reũ clamitaret, uix cohibuere ami-
ci, quo minus eodem mari oppeteret. Tandẽ relabente æſtu, & ſecundan-
te uento, claudæ naues raro remigio, aut intentis ueſtibus, & quædã à ua-
lidioribus tractæ, reuertere, quas raptim refectas miſit, ut ſcrutarentur in-
ſulas. collecti ea cura pleriq;. multos Angriuarij nuper in fidem accepti, re-
demptos ab interioribus reddidere. quidã in Britanniam rapti, & remiſſi
à regulis. Vt quis ex longinquo reuenerat, miracula narrabant, uim turbi-
num, & inauditas uolucres, monſtra maris, ambiguas hominum & bellua
rum formas, uiſa, ſiue ex metu credita. Sed fama claſſis amiſſæ, ut Ger-
manos

manos ad ſpem belli, ita Cæſarem ad coërcendum erexit. C. Silio cũ triginta peditum, tribus equitum millibus ire in Chattos imperat: ipſe maioribus copijs Marſos inrumpit: quorum dux Malouendus nuper in deditionem acceptus, propinquo loco defoſſam Varianæ legionis aquilam modico præſidio ſeruari indicat. Miſſa extemplo manus, quæ hoſtem à fronte eliceret, alij qui terga circumgreſſi recluderent humum. & utriſq; adfuit fortuna. eo promptior Cæſar pergit introrſus, populatur, excindit non auſum congredi hoſtem, aut ſicubi reſtiterat, ſtatim pulſum, nec unquã magis (ut ex captiuis cognitum eſt) pauentem. Quippe inuictos & nullis caſibus ſuperabiles Romanos prædicabant, qui perdita claſſe, amiſſis armis, poſt conſtrata equorum uirorumq́; corporibus littora, eadem uirtute, pari ferocia, & ueluti aucti numero inrupiſſent. Reductus inde Iuhiona miles, lętus animi, quod aduerſa maris, expeditione proſpera penſauiſſet. addidit munificentiã Cæſar, quantũ quis damni profeſſus erat exoluendo.

In Chattos ac Marſos irruptio

Malouendus Marſorum princeps

Aquila Varianæ legionis

Iuhionum ciuitas

Nec dubium habebatur, labare hoſtes, petendæq́; pacis conſilia ſumere, & ſi proxima æſtas adijceretur, poſſe bellum patrari: ſed crebris epiſtolis Tiberius monebat, rediret ad decretum triumphum: ſatis iam euentuum, ſatis caſuum: proſpera illi & magna prælia: eorum quoq; meminiſſet, quæ uenti & fluctus nulla ducis culpa, grauia tamen & ſæua damna intuliſſent: ſe nouies à diuo Auguſto in Germaniam miſſum, plura conſilio q́; ui perfeciſſe: ſic Sicambros in deditionem acceptos, ſic Sueuos, regemq́; Maroboduum pace obſtrictum: poſſe & Cheruſcos cæteraſq́; rebellium gentes, quando Romanæ ultioni conſultum eſt, internis diſcordijs relinqui. Precante Germanico annum efficiendis cœptis, acrius modeſtiam eius adgreditur, alterum conſulatũ offerẽdo, cuius munia præſens obiret. ſimul adnectebat, ſi foret adhuc bellandum, relinqueret materiem Druſi fratris gloriæ, qui nullo tum alio hoſte, non niſi apud Germanias adſequi nomen imperatorium, & deportare lauream poſſet. Haud cunctatus eſt ultra Germanicus, quanquã fingi ea, ſeq́; per inuidiam parto iam decori abſtrahi intelligeret. Sub idem tẽpus è familia Scribonior ũ Libo Druſus defertur moliri res nouas. Eius negotij initium, ordinem, finem curatius diſſeram, quia tum primum reperta ſunt, quæ per tot annos Remp. exedere. Firmius Catus Senator ex intima Libonis amicitia, iuuenẽ improuidum & facilem inanibus, ad Chaldæorum promiſſa, Magorum ſacra, ſomniorum etiam interpretes impulit, dum proauum Pompeiũ, amitam Scriboniam, quæ quondam Auguſti coniunx fuerat, conſobrinos Cæſares, plenam imaginibus domum oſtentat, hortaturq́; ad luxum & æs alienum, ſocius libidinum & neceſſitatũ, quo pluribus indicijs inligaret. Vt ſatis teſtium, & qui ſerui eadem noſcerent, reperit, aditum ad principem poſtulat, demonſtrato crimine & reo per Flaccum Veſcularium equitem Romanum, cui propior cum Tiberio uſus erat. Cæſar indicium haud aſper

Sicambri

Sueui

Maroboduus

Scribonij Libo Druſus

Firmius Catus

Flac. Veſcularius eques

natus,congreſſus abnuit.poſſe enim,eodem Flacco internuncio,ſermones
cómeare.atq; interim Libonem ornat prætura,conuictibus adhibet, non
uultu alienatus,non uerbis commotior. adeo iram condiderat, cunctaq;
eius dicta factaq; cum prohibere poſſet,ſcire malebat: donec Iunius qui-
Fulcinius Trio dam tentatus ut infernas umbras carminibus eliceret,ad Fulcinium Trio-
nem indicium detulit.celebre inter accuſatores Trionis ingenium erat, aui-
dumq; famæ malæ.Statim corripit reum,adit conſules,ſenatus cognitio-
Super re magna & atroci nem poſcit, & uocantur patres, addito, conſultandum ſuper re magna &
atroci.Libo interim ueſte mutata cum primoribus fœminis,circumire do-
mos, orare adfines,uocem aduerſum pericula poſcere. ab[illegible]entibus cun-
ctis cum diuerſa prætenderēt,eadem formidine,die ſenatus metu & ægri-
tudine feſſus,ſiue,ut tradidere quidā, ſimulato morbo, lectica delatus ad
fores curiæ,innixuſq; fratri,& manus ac ſupplices uoces ad Tiberium ten-
dens,immoto eius uultu excipitur.mox libellos & autores recitat Cæſar,
ita moderans ne lenire,néue aſperare crimina uideretur. Acceſſerant præ-
Fonteius Agrippa C.Liuius ter Trionem & Catum accuſatores Fonteius Agrippa,& C.Liuius, certa-
bantq; cui ius perorandi in reum daretur,donec Liuius,quia nec ipſi inter
ſe concederent,& Libo ſine patrono introiſſet,ſingillatim ſe crimina obie-
Libelli uæcordes cturum profeſſus,protulit libellos uæcordes adeo, ut conſultauerit Libo,
an habiturus foret opes,quis uiam Appiā Brunduſium uſq; pecunia ope-
riret.inerāt & alia huiuſcemodi ſtolida,uana, ſi mollius acciperes miſeran-
da.Vni tamen libello,manu Libonis,nominibus Cæſarū aut ſenatorum,
additas atroces uel occultas notas, accuſator arguebat. Negante reo,ad-
gnoſcentes ſeruos per tormēta interrogare placuit. Et quia uetere ſenatus
conſulto,quæſtio in caput domini prohibebatur, callidus & noui iuris re-
pertor Tiberius,mancipari ſingulos actori publico iubet: ſcilicet, ut in Li-
bonem ex ſeruis,ſaluo ſenatuſconſulto quęreretur. Ob quæ poſterum di-
em reus petiuit.domumq; digreſſus,extremas preces P.Quirino propin-
quo ſuo ad principem mandauit.reſponſum eſt,ut ſenatum rogaret.cinge-
batur interim milite domus,ſtrepebant etiā in ueſtibulo ut audiri, ut aſpi-
ci poſſent,cum Libo ipſis,quas in nouiſſimam uoluptatē adhibuerat,epu-
lis excruciatus,uocare percuſſorem, prehenſare ſeruorum dextras, inſere-
re gladium.atq; illis,dum trepidant, dum refugiunt, euertentibus adpoſi-
tum menſa lumen,feralibus iam ſibi tenebris duos ictus in uiſcera direxit.
Ad gemitum conlabentis,adcurrere liberti,& cæde uiſa miles adſtitit. Ac-
cuſatio tamen apud patres adſeueratione eadem peracta. iurauitq; Tibe-
rius petiturum ſe uitam,quāuis nocenti,niſi uoluntariam mortem prope-
rauiſſet.Bona inter accuſatores diuiduntur:& præturæ extra ordinem da-
tæ his qui ſenatorij ordinis erant.Tunc Cotta Meſſalinus ne imago Libo-
nis exequias poſterorū comitaretur cenſuit:Gn. Lentulus,ne quis Scribo-
nius cognomentū Druſi adſumeret. ſupplicationū dies Pomponij Flacci
ſententia

ſententia conſtituti.ut dona Ioui,Marti,Concordiæ,utq; Iduum Septem
brium dies, quo ſe Libo interfecerat,dies feſtus haberetur, L.P. & Gallus
Aſinius, & Papius Mutilus, & L. Apronius decreuere:quorũ autoritates,
adulationesq; rettuli,ut ſciretur uetus id in Rep.malum. Facta & de Ma- *Mathematici*
thematicis Magisq; Italia pellendis ſenatus conſulta : quorum è numero *Magiq; Italia*
L.Pituanius ſaxo deiectus eſt. In P. Martium conſules extra portam Ex- *pellendi*
quilinam,cum claſſicum canere iuſſiſſent,more priſco aduertere. Proxi-
mo ſenatus die,multa in luxũ ciuitatis dicta à Q.Haterio conſulari,Octa
uio Frontone prætura functo:decretumq; ne uaſa auro ſolida miniſtran-
dis cibis fierent,ne ueſtis Serica uiros fœdaret.Exceſſit Fronto, ac poſtula *Contra luxũ*
uit modum argento, ſupellectili, familiæ. Erat quippe adhuc frequens ſe *ciuitatis Ro.*
natoribus, ſi quid è Rep. crederent, loco ſententiæ promere.Contra Gal-
lus Aſinius diſſeruit,auctu imperij adoleuiſſe etiã priuatas opes,idq; non
nouũ,ſed è uetuſtiſſimis moribus:aliam apud Fabricios, aliam apud Sci- *Pro luxu*
piones pecuniam,& cuncta ad Remp.referri: qua tenui , anguſtas ciuium
domos,poſtquã eò magnificentiæ uenerit,gliſcere ſingulos: neq; in fami-
lia & argento,quæq; ad uſum parentur,nimium aliquid , aut modicũ,niſi
ex fortuna poſſidentis:diſtinctos ſenatus & equitum cenſus,non quia di-
uerſi natura,ſed ut locis,ordinibus,dignationibus antiſtent, talesq; ad re-
quiem animi aut ſalubritatem corporũ parẽtur : niſi forte clariſſimo cuiq;
plures curas,maiora pericula ſubeunda,delenimentis curarum & periculo
rum carendum eſſe. Facilem adſenſum Gallo,ſub nominibus honeſtis,
confeſſio uitiorum & ſimilitudo audiẽtium dedit. Adiecerat & Tiberius,
non id tempus cenſuræ.nec ſi quid in moribus labaret,defuturũ corrigen-
di autorem. Inter quæ L.Piſo ambitum fori,corrupta iudicia, ſæuitiam *L.Piſo*
oratorum accuſationes minitantium increpans,abire ſe,& cedere urbe,ui-
cturum in aliquo abdito & longinquo rure teſtabatur.ſimul curiam relin
quebat.Commotus eſt Tiberius,& quanquã mitibus uerbis Piſonẽ per-
mulſiſſet,propinquos quoq; eius impulit,ut abeuntem autoritate uel pre-
cibus tenerent . Haud minus liberi doloris documentum idem Piſo mox
dedit,uocata in ius Vrgulania,quam ſupra leges amicitia Auguſtæ extu- *Vrgulania in*
lerat . nec aut Vrgulania obtemperauit in domum Cæſaris ſpreto Piſone *ius à Piſone*
uecta , aut ille abſiſtit , quanquã Auguſta ſe uiolari & imminui querere- *uocata*
tur.Tiberius hactenus indulgere matri ciuile ratus,ut ſe iturum ad præto-
ris tribunal,adfuturum Vrgulaniæ diceret,proceſſit palatio , procul ſequi
iuſſis militibus.ſpectabatur occurſante populo compoſitus ore, & ſermo-
nibus uarijs tempus atq; iter ducens , donec propinquis Piſonem fruſtra
cohercentibus, deferri Auguſta pecuniam quæ petebatur iuberet . Isq; fi-
nis rei,ex qua neq; Piſo inglorius,& Cæſar maiore fama fuit.Cæterũ Vr-
gulaniæ potentia adeo nimia ciuitati erat , ut teſtis in cauſa quadam quæ
apud ſenatũ tractabatur,uenire dedignaretur.miſſus eſt prętor,qui domi

interrogaret: cum uirgines Veſtales in foro & iudicio audiri quoties teſtimonium dicerent, uetus mos fuerit. Res eo anno prolatas haud referrem, ni precium foret, Gn. Piſonis & Aſinij Galli ſuper eo negotio diuerſas ſententias noſcere. Piſo, quanquã adfuturũ ſe dixerat Cæſar, ob id magis agendum cenſebat, ut abſente principe, ſenatus & equites poſſent ſua munia ſuſtinere: decorum Reip. fore. Gallus, quia ſpeciem libertatis Piſo præceperat, nihil ſatis inluſtre, aut ex dignitate populi Ro. niſi coràm & ſub oculis Cæſaris: eoq; conuentũ Italiæ & adfluentis prouincias, præſentiæ eius ſeruãda dicebat. Audiente hæc Tiberio ac ſilente, magnis utrinq; contentionibus acta, ſed res dilatæ. Et certamen Gallo aduerſus Cæſarem exortum eſt. nam cenſuit in quinquennium magiſtratuũ comitia habenda: utq; legionum legati qui ante præturam ea militia fungebantur, iam tum prætores deſtinarentur: princeps duodecim candidatos, in annos ſingulos nominaret. Haud dubium erat, eam ſententiam altius penetrare, & arcana imperij tentari: Tiberius tamen quaſi augeretur poteſtas eius, diſſeruit: graue moderationi ſuę tot eligere, tot differre: uix per ſingulos annos offenſiones uitari, quãuis repulſam propinqua ſpes ſoletur: quantũ odij fore ab his qui ultra quinquennium proijciãtur? unde proſpici poſſe quæ cuiq; tam longo temporis ſpatio mens, domus, fortuna: ſuperbire homines etiam annua deſignatione, quid ſi honorum per quinquennium agitent? quinquiplicari prorſus magiſtratus, ſubuerti leges, quæ ſua ſpacia exercendæ candidatorũ induſtriæ, quærendiſq; aut potiundis honoribus ſtatuerint. Fauorabili in ſpecié oratione uim imperij tenuit, cenſuſq; quorundam ſenatorum iuuit. quo magis mirum fuit, quod preces M. Hortali nobilis iuuenis in paupertate manifeſta ſuperbius accepiſſet. Nepos erat oratoris Hortenſij inlectus à diuo Auguſto liberalitate decies ſeſtertium ducere uxorem, ſuſcipere liberos, ne clariſſima familia extingueretur. Igitur quatuor filijs ante limen curiæ adſtantibus, loco ſententiæ, quũ in palatio ſenatus haberetur, modo Hortenſij inter oratores ſitam imaginem, modo Auguſti intuens ad hunc modum cœpit. Patres conſcripti, Hos quorum numerum & pueritiam uidetis, non ſponte ſuſtuli, ſed quia princeps monebat, ſimul maiores mei meruerant ut poſteros haberent. nam ego qui non pecuniam, non ſtudia populi, neq; eloquentiam gentile domus noſtræ bonum uarietate temporum accipere uel parare potuiſſem, ſatis habebam, ſi tenues res meæ nec mihi pudori, nec cuiquã oneri forent: iuſſus ab imperatore uxorem duxi. En ſtirps & progenies tot conſulum, tot dictatorum. nec ad inuidiam iſta, ſed conciliandæ miſericordiæ refero. adſequentur florente te Cæſar quos dederis honores, interim Q. Hortenſij pronepotes, diui Auguſti alumnos ab inopia defende. Inclinatio ſenatus incitamentum Tiberio fuit, quo promptius aduerſaretur, his fermè uerbis uſus. Si quantũ pauperũ eſt, uenire huc, & liberis ſuis petere pecunias

Comitia magiſtratuum in quinquenniũ

M. Hortalus oratoris Hortenſij nepos

cunias cœperint,ſinguli nunquã exatiabuntur,Reſp.deficiet.nec ſanè ideo
à maioribus conceſſum eſt egredi aliquando relationem,& quod in com/
mune conducat loco ſententiæ proferre,ut priuata negocia,& res familia/
res noſtras hic augeamus,cum inuidia ſenatus & principum,ſiue indulſe/
rint largitionem,ſiue abnuerint.nõ enim preces ſunt iſtuc, ſed efflagitatio
intempeſtiua quidem & improuiſa: cum alijs de rebus cõuenerint patres,
conſurgere , & numero atq; ætate liberũ ſuorum urgere modeſtiam ſena/
tus,eandẽ uim in me tranſmittere ac uelut perfringere ærarium:quod ſi am
bitione exhauſerimus,per ſcelera ſupplendum erit . dedit tibi Hortale di/
uus Auguſtus pecuniam,ſed non compellatus,nec ea lege ut ſemper dare
tur.langueſcet alioqui induſtria,intendetur ſocordia,ſi nullus ex ſe metus,
aut ſpes , & ſecuri omnes aliena ſubſidia expectabunt , ſibi ignaui , nobis
graues. Hæc atq; talia quanquã cum adſenſu audita ab his,quibus om/
nia principum honeſta atq; inhoneſta laudare mos eſt, plures per ſilenti/
um aut occultum murmur excepere.ſenſitq; Tiberius. & cum paulum re/
ticuiſſet,Hortalo ſe reſpondiſſe ait,cæterũ ſi patribus uideretur, daturum
liberis eius ducena ſeſtertia ſingulis qui ſexus uirilis eſſent . egere alij gra/
tes.ſiluit Hortalus,pauore,an auitæ nobilitatis etiam inter anguſtias for/
tunæ retinens:neq; miſeratus eſt poſthac Tiberius quamuis domus Hor
tenſij pudendam ad inopiam dilaberetur. Eodem anno mancipij unius
audacia,ni mature ſubuentũ foret,diſcordijs armisq; ciuilibus Remp.per/
culiſſet.Poſthumi Agrippæ ſeruus,nomine Clemens, comperto fine Au/ *Clemens Poſthumi Agrippæ ſeruus*
guſti,pergere in inſulam Planaſiam,& fraude aut ui raptũ Agrippam fer/
re ad exercitus Germanicos non ſeruili animo concepit. auſa eius impedi/
uit tarditas onerariæ nauis.atq; interim patrata cæde,ad maiora & magis
præcipitia conuerſus,furatur cineres,uectusq; Coram Ethruriæ promon/
torium ignotis locis ſeſe abdit,donec crinem,barbamq; promitteret. nam
ætate & forma haud diſſimili in dominum erat.túm per idoneos & ſecre/ *Falſus Agrippa.*
ti eius ſocios,crebreſcit uiuere Agrippam,occultis primum ſermonibus, ut
uetita ſolent,mox uago rumore apud imperitiſſimi cuiuſq; promptas au/
res,aut rurſum apud turbidos,eoq; noua cupientes.atq; ipſe adire muni/
cipia obſcuro dici,neq; propalam aſpici,neq; diutius iiſdem locis.ſed quia
ueritas uiſu & mora,falſa,feſtinatione & incertis ualeſcunt,relinquebat fa/
mam,aut præueniebat. Vulgabatur interim per Italiam ſeruatum mune/
re deũm Agrippam,credebatur Romæ.iamq; Hoſtiam inuectum multi/
tudo ingens,iam in urbe clandeſtini cœtus celebrabant , cum Tiberiũ an/
ceps cura diſtrahere,ui ne militum ſeruũ ſuum coherceret, an inanem cre/
dulitatem tempore ipſo uaneſcere ſineret:modo nihil ſpernẽdum, modo *Salluſt.Criſpus*
non omnia metuenda,ambiguus pudoris ac metus reputabat . poſtremo
dat negotium Salluſtio Criſpo.ille è clientibus duos (quidam milites fu/
iſſe tradunt)delegit atq; hortatur,ſimulata conſcientia,adeant,offerant pe

cuniam, fidem, atq; pericula polliceantur. Exequuntur ut iuſſum erat. dein ſpeculati noctem incuſtoditam, accepta idonea manu uinctum clauſo ore in palatiũ traxere. percunctanti Tiberio, quomodo Agrippa factus eſſet? reſpondiſſe fertur: quomodo tu Cæſar. Vt ederet ſocios ſubigi non potuit. nec Tiberius pœnam eius palàm auſus, in ſecreta palatij parte interfici iuſſit, corpusq; clàm auferri. & quanquã multi è domo principis equitesq; ac ſenatores, ſuſtentaſſe opibus, iuuiſſe cõſilijs dicerentur, haud quæſitum.

Quomodo tu Cæſar

Arcus *Aedes Fortis fortunæ* *Sacrarium* *Effigies* *Germanicus triumphat*

Fine anni arcus propter ædem Saturni ob recepta ſigna cum Varo amiſſa, ductu Germanici, auſpicijs Tiberij: & ædes Fortis fortunæ Tiberim iuxta in hortis, quos Cæſar dictator populo Ro. legauerat: ſacrariũ genti Iuliç: effigiesq; diuo Auguſto apud Bouillas, dicãtur. C. Cœlio, L. Pomponio Coss. Germanicus Cæſar ad VII Kalen. Iunias triumphauit de Cheruſcis Chattisq; & Angriuarijs, quæq; aliæ nationes uſq; ad Albim colunt: uecta ſpolia, captiui, ſimulachra mõtium, fluminũ, præliorum: bellumq;, quia conficere prohibitus erat, pro confecto accipiebatur. augebat intuẽtium uiſus eximia ipſius ſpecies, curruſq; quinq; liberis onuſtus. ſed ſuberat occulta formido reputantibus, haud proſperũ in Druſo patre eius fauorem uulgi, auunculum eiuſdem Marcellũ flagrantibus plebis ſtudijs " intra iuuentam ereptũ: breues & infauſtos populi Romani amores. Cæterum Tiberius nomine Germanici trecenos plebi ſeſtertios uiritim dedit, ſeq; collegam cõſulatui eius deſtinauit. nec ideo ſynceræ charitatis fidem adſecutus, amoliri iuuenem ſpecie honoris ſtatuit, ſtruxitq; cauſas, aut forte oblatas arripuit. Rex Archelaus quinquageſimũ annum Cappadocia potiebatur inuiſus Tiberio, quod eum Rhodi agentem, nullo officio coluiſſet. nec id Archelaus per ſuperbiã omiſerat, ſed ab intimis Auguſti monitus, quia florente C. Cæſare, miſſoq; ad res orientis, intuta Tiberij amicitia credebatur. Vt uerſa Cæſarum ſobole, imperiũ adeptus eſt, elicit Archelaum matris literis, quæ non diſſimulatis filij offenſionibus clementiam offerebat, ſi ad precandũ ueniret. ille ignarus doli, uel ſi intelligere crederetur, uim metuens, in urbem properat: exceptusq; immiti à principe, & mox accuſatus in ſenatu, non ob crimina quæ fingebantur, ſed angore, ſimul feſſus ſenio, & quia regibus æqua nedum infima inſolita ſunt, finem uitæ ſponte an fato impleuit. Regnum in prouinciam redactum eſt, fructibusq; eius leuari poſſe centeſimæ uectigal profeſſus Cæſar, ducẽteſimam in poſterum ſtatuit. Per idem tempus Antiocho Comagenorũ, Philopatore Cilicum regibus defunctis, turbabantur nationes, pleriſq; Romanum, alijs regium imperium cupientibus: & prouinciæ Syria atq; Iudæa feſſæ oneribus diminutionem tributi orabant. Igitur hæc, & de Armenia quæ ſupra memoraui apud patres diſſeruit, nec poſſe motum orientem niſi Germanici ſapientia componi. Nam ſuam ætatẽ uergere, Druſi nondum ſatis adoleuiſſe. Tunc decreto patrum permiſſæ Germanico prouinciæ

Archelaus Cappadociæ rex

Ducenteſima inſtituta *Antiochus* *Philopator* *Syria* *Iudæa*

ciæ,quæ mari diuiduntur, maiusq́ imperium quoquo adiſſet, quàm his qui ſorte aut miſſu principis obtinerent. Sed Tiberius demouerat Syria Creticum Sillanum per adfinitatem connexum Germanico, quia Sillani filia Neroni uetuſtiſſimo liberorum eius pacta erat,præfeceratq́ Gn. Piſonem ingenio uiolentum,& obſequij ignarum,inſita ferocia à patre Piſone,qui ciuili bello reſurgentes in Africa partes acerrimo miniſterio aduerſus Cæſarē iuuit, mox Brutum & Caſſium ſecutus,conceſſo reditu,petitione honorum abſtinuit,donec ultro ambiretur delatum ab Auguſto conſulatum accipere.ſed præter paternos ſpiritus,uxoris quoq; Plancinæ nobilitate & opibus accendebatur:uix Tiberio cōcedere,liberos eius ut multum infra deſpectare:nec dubium habebat,ſe delectum,qui Syriæ imponeretur ad ſpes Germanici cohercendas.credidere quidam data & à Tiberio occulta mandata,& Plancinam haud dubie Auguſta monuit muliebri æmulatione Agrippinam inſectandi.diuiſa nanq; & diſcors aula erat, tacitis in Druſum,aut Germanicum ſtudijs. Tiberius ut proprium & ſui ſanguinis Druſum fouebat,Germanico alienatio patrui,amorem apud cæteros auxerat,& quia claritudine materni generis anteibat, auū M.Antonium,auunculum Auguſtum ferens.cōtra Druſo proauus eques Ro. Pomponius Atticus dedecere Claudiorū imagines uidebatur. & coniunx Germanici Agrippina, fœcunditate ac fama Liuiam uxorem Druſi præcellebat.ſed fratres egregie concordes,& proximorū certaminibus inconcuſſi. Nec multo poſt Druſus in Illyricū miſſus eſt,ut ſueſceret militiæ,ſtudiaq́ exercitus pararet,ſimul iuuenem urbano luxu laſciuientē melius in caſtris haberi Tiberius, ſeq́ tutiorem rebatur, utroq; filio legiones obtinente.

Gn. Piſo — *Plancina Gn. Piſonis uxor* — *Pomponius Atticus*

Sed Sueui prætendebantur auxiliū aduerſus Cheruſcos orantes. nam diſceſſu Romanorum ac uacui externo metu, gentis adſuetudine, & tum æmulatione gloriæ arma in ſe uerterant.uis nationū,uirtus ducū in æquo: ſed Maroboduum regis nomen inuiſum apud populares,Arminium pro libertate bellantem fauor habebat.Igitur non modo Cheruſci ſocijq́ eorum,uetus Arminij miles, ſumpſere bellum, ſed è regno etiā Marobodui Sueuæ gentes,Semnones ac Langobardi defecere ad eum. quibus additis prepollebat, ni Inguiomerus cum manu clientum ad Maroboduū perfugiſſet,nō aliam ob cauſam,quàm quia fratris filio iuueni, patruus ſenex parere dedignabatur. Diriguntur acies pari utrinq; ſpe, nec ut olim apud Germanos uagis incurſibus,aut diſiectas per cateruas. quippe longa aduerſus nos militia inſueuerant ſequi ſigna,ſubſidijs firmari, dicta imperatorum accipere.Ac tunc Arminius equo cōluſtrans cuncta, ut quoſq; aduectus erat,reciperatam libertatem,trucidatas legiones,ſpolia adhuc & tela Romanis direpta,in manibus multorū oſtentabat:contra,fugacem Maroboduum appellans,præliorum expertem, Hirciniæ latebris defenſum, ac mox per dona & legationes petiuiſſe fœdus, proditorē patriæ,ſatelli-

Sueui auxiliū aduerſus Cheruſcos orant. — *Maroboduus.* — *Arminius cheruſcus* — *Sueuæ gentes* — *Semnones* — *Langobardi* — *Inguiomerus*

tem Cæſaris,haud minus infenſis animis exturbandũ quàm Varũ Quin
tilium interfecerint:meminiſſent modo tot præliorum,quorum euentu, &
ad poſtremum eiectis Romanis ſatis probatum,penes utros ſumma belli
fuerit. Neq; Maroboduus iactantia ſui aut probris in hoſtem abſtine-
Inguiomerus bat,ſed Inguiomerum tenens,illo in corpore decus omne Cheruſcorũ,illi-
Cheruſcus us conſilijs geſta,quæ proſpere ceciderint,teſtabatur: uæcordem Armini-
um, & rerum neſcium alienam gloriam in ſe trahere,quoniam tres uacuas
legiones & ducem fraudis ignarum perfidia deceperit, magna cum clade
Germaniæ & ignominia ſua,cum coniunx,cum filius eius ſeruitiũ adhuc
tolerent.At ſe duodecim legionibus petitum duce Tiberio,illibatam Ger-
manorum gloriã ſeruauiſſe,mox conditionibus æquis diſceſſum:neq; pœ
nitere quod ipſorum in manu ſit, integrum aduerſus Romanos bellũ an
pacem incruentã malint. His uocibus inſtinctos exercitus propriæ quo
Cheruſci que cauſæ ſtimulabant,cum à Cheruſcis Langobardiſq; pro antiquo de-
Langobardi core,aut recente libertate,& contra augendæ dominationi certaretur.Non
alias maiore mole concurſum, neq; ambiguo magis euentu, fuſis utrinq;
dextris cornibus. Sperabaturq; rurſum pugna,ni Maroboduus caſtra in
colles ſubduxiſſet.Id ſignũ perculſi fuit,& transfugis paulatim nudatus in
Marcomanni Marcomannos conceſſit,miſitq; legatos ad Tiberiũ oraturos auxilia.Re-
ſponſum eſt, non iure eum aduerſus Cheruſcos arma Romana inuocare,
qui pugnantis in eundẽ hoſtẽ Romanos nulla ope iuuiſſet.Miſſus tamen
Druſus,ut rettulimus, pacis firmator. Eodem anno duodecim celebres
XII urbes Aſiæ terræmotu collapſæ Aſiæ urbes conlapſæ, nocturno motu terræ, quo improuiſior grauiorq;
peſtis fuit.neq; ſolitum in tali caſu effugiũ ſubueniebat in aperta prorum-
pendi,quia diductis terris hauriebãtur.Sediſſe immenſos montes, uiſa in
arduo quæ plana fuerint,effulſiſſe inter ruinam ignes memorant. Aſperri
Sardiani ma in Sardianos lues plurimum in eoſdem miſericordiæ traxit. nam cen-
cies ſeſtertium pollicitus Cæſar: & quantũ ærario, aut fiſco pendebant,in
Magnetes quinquennium remiſit.Magnetes à Sipylo, proximi damno ac remedio
Temnij habiti.Temnios,Philadelphenos,Ægeatas,Apollonienſes, quiq; Moſce-
Philadelpheni ni aut Macedones Hyrcani uocantur,& Hierocæſaream,Myrinam, Cy-
Aegeatæ men,Tmolũ leuari idem in tempus tributis,mittiq; ex ſenatu placuit, qui
Apollonienſes præſentia ſpectaret,refoueretq;.delectus eſt M.Aletus è prętorijs, ne con
Moſceni ſulari obtinente Aſiam æmulatio inter pares,& ex eo impedimentũ orire
Hierocæſarea tur.Magnificam in publicũ largitionem auxit Cęſar,haud minus grata li-
Myrina beralitate,quod bona Æmiliæ Muſæ locupletis inteſtatæ petita in fiſcum,
Cyme *Tmolus* Æmylio Lepido cuius è domo uidebatur:& Patulei diuitis equitis Roma
Aemy. Muſa ni hæreditatẽ (quanq; ipſe hæres in parte legeretur) tradidit M.Seruilio,
Patuleius quem prioribus neq; ſuſpectis tabulis ſcriptum cõpererat, nobilitatẽ utri-
uſq; pecunia iuuandã præfatus.Neq; hæreditatẽ cuiuſquã adijt, niſi cum
amicitia meruiſſet.Ignotos & alijs infenſos,eoq; principem nuncupantes
procul

procul arcebat. Cæterum ut honeſtam innocētium paupertatē leuauit, ita prodigos & ob flagitia egētes Vibidium Varronē, Mariū Nepotem, Appium Appianum, Cornelium Sullam, Q. Vitelliū mouit ſenatu, aut ſponte cedere paſſus eſt. Iiſdem temporibus deûm ædes uetuſtate aut igni abolitas cœptasq́ ab Auguſto dedicauit, Libero Liberæq́ & Cereri, iuxta circum maximū, quas Aulus Poſthumius dictator uouerat: eodemq́ in loco ædem Floræ ab Lucio & Marco Publicijs ædilibus conſtitutam: & Iano templū, quod apud forum olitorium C. Duillius ſtruxerat, qui primus rem Romanā proſpere mari geſſit, triumphumq́ naualem de Pœnis meruit. Spei ædes à Germanico ſacratur: hanc Atilius uouerat eodem bello. Adoleſcebat interea lex maieſtatis. Et Apuleiam Variliam ſororis Auguſti neptem, quia probroſis ſermonibus diuum Auguſtū ac Tiberium, & matrem eius inluſiſſet, Cæſariq́ connexa adulterio teneretur, maieſtatis delator arceſſebat. De adulterio ſatis caueri lege Iulia uiſum. Maieſtatis crimen diſtingui Cæſar poſtulauit, damnariq́ ſi qua de Auguſto inreligioſe dixiſſet. In ſe iacta nolle ad cognitionem uocari. Interrogatus à conſule quid de his cenſeret, quæ de matre eius locuta ſecus, argueretur, reticuit. dein proximo ſenatus die illius quoq́ nomine orauit, ne cui uerba in eam quoquo modo habita crimini forēt: liberauitq́ Apuleiam lege maieſtatis. adulterij grauiorē pœnam deprecatus, ut exemplo maiorum propinquis ſuis ultra ducenteſimū lapidē remoueretur ſuaſit. Adultero Manlio Italia atq́ Africa interdictum eſt. De prætore in locū Vipſanij Galli quem mors abſtulerat, ſubrogando, certamen inceſſit. Germanicus atq́ Druſus (nam etiam tum Romæ erant) Hateriū Agrippam propinquum Germanici fouebant: contra pleriq́ nitebantur, ut numerus liberorum in candidatis præpolleret, quod lex iubebat. lætabatur Tiberius cum inter filios eius & leges ſenatus diſceptaret. uicta eſt ſine dubio lex. ſed neq́ ſtatim & paucis ſuffragijs: quomodo, etiam cum ualerent, leges uincebantur.

Maieſtatis lex

Apuleia Varilia

Certamen de prætore ſubrogando

Eodem anno cœptum in Africa bellum, duce hoſtium Tacfarinate. is natione Numida, in caſtris Romanis auxiliaria ſtipēdia meritus, mox deſertor, uagos primum, & latrocinijs ſuetos ad prædam & raptus congregare, dein more militiæ per uexilla, & turmas componere, poſtremo non inconditæ turbæ, ſed Muſulanorum dux haberi. ualida ea gens, & ſolitudinibus Africæ propinqua, nullo etiam tum urbium cultu, cœpit arma, Mauroſq́ accolas in bellum traxit. dux & his Mazippa. diuiſuſq́ exercitus: ut Tacfarinas lectos uiros, & Romanū in modum armatos caſtris attineret, diſciplina & imperijs ſueſceret: Mazippa leui cum copia incēdia & cædes, & terrorē circumferret. cōpulerantq́ Cinithios haud ſpernendam nationem in cadē, cum Furius Camillus proconſul Africæ legionē & quod ſub ſignis ſociorū, in unū conductos ad hoſtē duxit, modicam manū, ſi multitudinem Numidarum atq́ Maurorū ſpectares. ſed nihil æque cauebatur

Tacfarinas Numida

Miſulani, ſic Plinius uocat

Mazippa

Ethinos recenſet Plinius

quàm ne bellum metu eluderent.ſpe uictoriæ inducti ſunt, ut uincerētur. Igitur legio medio, leues cohortes, duæq; alæ in cornibus locantur, nec Tacfarinas pugnam detractauit:fuſi Numidæ, multosq; poſt annos Furio nomini partum decus militiæ.nam poſt illum reciperatorem urbis, filiumq; eius Camillum,penes alias familias imperatoria laus fuerat. Atq; hic quem memorauimus bellorum expers habebatur.eo pronior Tiberius res geſtas apud Senatum celebrauit, & decreuere patres triumphalia inſignia.quod Camillo ob modeſtiam uitæ impune fuit. Sequens annus Tiberium tertio,Germanicum iterum conſules habuit,ſed eum honorem Germanicus iniјt apud urbem Achaiæ Nicopolim, quò uenerat per Illyricam oram uiſo fratre Druſo,in Dalmatia agente,Hadriatici, ac mox Ioniј maris aduerſam nauigationem perpeſſus.igitur paucos dies inſumpſit reficiendæ claſſi, ſimul ſinus Actiaca uictoria inclutos, & ſacratas ab Auguſto manubias,caſtraq; Antoniј cum recordatione maiorū ſuorum adiјt.namq; ei,ut memoraui,auunculus Auguſtus, auus Antonius erant, magnaq; illic imago triſtium lætorumq;. Hinc uentum Athenas, fœderiq; ſociæ & uetuſtæ urbis datum,ut uno lictore uteretur. Excepere Græci quæſitiſſimis honoribus uetera ſuorum facta dictaq; præferentes, quo plus dignationis adulatio haberet. Petita inde Eubœa,tramiſit Lesbum, ubi Agrippina nouiſſimo partu Iuliam edidit: tum extrema Aſiæ,Perinthumq; ac Byzantium Thracias urbes,mox Propontidis anguſtias,& os ponticum intrat,cupidine ueteres locos,& fama celebratos noſcendi:pariterq; prouincias internis certaminibus, aut magiſtratuū iniuriјs feſſas refouebat.atq; illum in regreſſu ſacra Samothracum uiſere nitentem, obuiј aquilones depulere.Igitur aliaq; quæ ibi uarietate fortunæ,& noſtri origine ueneranda,relegit Aſiam,adpellitq; Colophona, ut Clariј Apollinis oraculo uteretur.Non fœmina illic,ut apud Delphos, ſed certis è familiјs & fermè Mileto accitus ſacerdos,numerum modo conſultantium & nomina audit:tum in ſpecum degreſſus hauſta fontis arcani aqua, ignarus plerunq; literarum,& carminum,edit reſponſa,uerſibus compoſitis ſuper rebus quas quis mente concepit: & ferebatur,Germanico per ambages (ut mos oraculis)maturum exitiū cecinisse. At Gn.Piſo quo properantius deſtinata inciperet,ciuitatem Athenienſium turbido inceſſu exterritā oratione ſæua increpat,obliquè Germanicum perſtringens, quod contra decus Romani nominis non Athenienſes tot cladibus extinctos, ſed conluuiem illam nationum comitate nimia coluiſſet.hos enim eſſe Mithridatis aduerſus Sullam,Antoniј aduerſus diuum Auguſtum ſocios. etiam uetera obiectabat,quæ in Macedones improſpere, uiolenter in ſuos feciſſent, offenſus urbi propria quoq; ira,quia Theophilum quēdam Areo iudicio falſi damnatū,precibus ſuis non concederent.Exin nauigatione celeri per Cycladas, & compendia maris adſequitur Germanicum apud inſulam

Rhodum

Germanicus iterum Cos.

Athenæ

Samothracū ſacra

Colophon

Clarius Apollo

Oraculorum ambages

Gn.Piſo

Rhodum, haud neſcium quibus inſectationibus petitus foret: ſed tanta manſuetudine agebat, ut cum orta tempeſtas raperet in abrupta, poſſetq́; interitus inimici ad caſum referri, miſerit triremeis quarum ſubſidio diſcrimini eximeretur. Neq; tamen mitigatus Piſo, & uix dici morã perpeſſus, linquit Germanicum, præuenitq́; : & poſtquã Syriam ac legiones attigit, largitione, ambitu infimos manipularium iuuando, cum ueteres centuriones, ſeueros tribunos demoueret, locaq́; eorum clientibus ſuis, uel deterrimo cuiq; attribueret, deſidiam in caſtris, licentiã in urbibus, uagũ, ac laſciuientem per agros militem ſineret, eo uſq; corruptionis prouectus eſt, ut ſermone uulgi, parens legionum haberetur. Nec Plancina ſe intra decora fœminis tenebat, ſed exercitio equitum, decurſibus cohortium intereſſe: in Agrippinam, in Germanicum cõtumelias iacere, quibuſdam etiam bonorum militum ad mala obſequia promptis, quod haud inuito imperatore ea fieri occultus rumor incidebat. Nota hæc Germanico, ſed præuerti ad Armenios inſtantior cura fuit. Ambigua gens ea antiquitus nõ modo ingenijs, ſed ſitu terrarũ, quo noſtris prouincijs late prætenta, penitus ad Medos porrigitur, maximisq́; imperijs interiecti, & ſępius diſcordes ſunt, aduerſus Romanos odio, & in Parthum inuidia. Regem illa tempeſtate non habebãt amoto Vonone, ſed fauor nationis inclinabat in Zenonem Polemonis regis Pontici filiũ, quod is prima ab infantia inſtituta & cultum Armeniorum æmulatus, uenatu, epulis, & quæ alia barbari celebrant, proceres plebemq́; iuxta deuinxerat. Igitur Germanicus in urbe Artaxata adprobantibus nobilibus, circumfuſa multitudine, inſigne regium capiti eius impoſuit. cæteri uenerantes regem, Artaxiam conſalutauere, quod illi uocabulum indiderãt ex nomine urbis. At Cappadoces in formam prouinciæ redacti, Q. Veranium legatum accepere. & quædam ex regijs tributis deminuta, quo mitius Romanum imperium ſperaretur. Commagenis Q. Seruæus præponitur, tum primũ ad ius prętoris trãslatis. Cunctaq́; ſocialia proſpere compoſita, non ideo lætum Germanicũ habebant ob ſuperbiam Piſonis, qui iuſſus partem legionum ipſe, aut per filium in Armeniam ducere, utrunq; neglexerat. Cyrri demũ apud hyberna decumæ legionis conuenere, firmato uultu Piſo aduerſus metum, Germanicus ne minari crederetur, & erat ut rettuli clementior. ſed amici accendendis offenſionibus callidi, intẽdere uera, adgerere falſa, ipſumq́; & Plancinam, & filios uarijs modis criminari: poſtremo paucis familiariũ adhibitis, ſermo cœptus à Cæſare, qualem ira & diſſimulatio gignit. Reſponſum à Piſone precibus contumacibus, diſceſſerantq́; opertis odijs: poſtq; rarus in tribunali Cæſaris Piſo, & ſi quando adſideret, atrox, ac diſſentire manifeſtus. uox quoq; eius audita eſt in conuiuio, cum apud regem Nabatæorum coronæ aureæ magno pondere Cæſari, & Agrippinæ, leues Piſoni, & cæteris offerrẽtur, principis Romani, nõ Parthi regis filio eas epulas dari: abiecitq́;

Parens legionum — *Zenon Polemonis regis Pontici filius.* — *Artaxata* — *Artaxias* — *Q. Veranius* — *Q. Seruæus*

abiecitq; ſimul coronã,& multa in luxum addidit. quæ Germanico quan-
quam acerba, tolerabantur tamen. Inter quæ ab rege Parthorum Arta
bano legati uenere. miſerat, amicitiam ac fœdus memoraturos, & cupere
renouari dextras, daturumq; honori Germanici, ut ripam Euphratis acce
deret: petere interim ne Vonones in Syria haberetur, neu proceres genti-
um propinquis nuncijs ad diſcordias traheret. Ad ea Germanicus de
ſocietate Romanorum, Parthorumq; magnifice: de aduentu regis, & cul-
tu ſui cum decore, ac modeſtia reſpondit. Vonones Pompeiopolim Cili-
ciæ maritimam urbem amotus eſt. datũ id non modo precibus Artabani,
ſed cõtumeliæ Piſonis, cui gratiſſimus erat ob plurima officia & dona, qui-
bus Plancinam deuinxerat. M. Sillano, L. Norbano Coss. Germanicus
Germanicus Ægyptũ proficiſcitur cognoſcendæ antiquitatis, ſed cura prouinciæ præ-
in Aegyptũ tendebatur. leuauitq; apertis horreis pretia frugũ: multaq; in uulgus gra-
ta uſurpauit, ſine milite incedere pedibus intectis, & pari cum Græcis ami
ctu, P. Scipionis æmulatione, quem eadẽ factitauiſſe apud Siciliã, quãuis
flagrante adhuc Pœnorum bello accepimus. Tiberius cultu, habituq;
eius lenibus uerbis perſtricto acerrimè increpuit, quod cõtra inſtituta Au
guſti non ſponte principis, Alexandriam introiſſet. nam Auguſtus inter
alia dominatiõis arcana, uetitis, niſi permiſſu, ingredi ſenatoribus aut equi
tibus Romanis inluſtribus, ſepoſuit Ægyptum: ne fame urgeret Italiam,
quiſquis eam prouinciam, clauſtraq; terræ ac maris quãuis leui præſidio
aduerſum ingentes exercitus inſediſſet. Sed Germanicus nondum cõper-
Canopum to profectionem eam incuſari Nilo ſubuehebatur, orſus oppido à Cano-
po. Condidere id Spartani ob ſepultum illic rectorem nauis Canopum,
qua tempeſtate Menelaus Græciã repetens diuerſum ad mare terramq;
Hercules Ae- Libyam delatus. Inde proximum amnis os dicatum Herculi, quem indi-
gyptius, anti- genæ ortum apud ſe & antiquiſſimum perhibent, eosq; qui poſtea pari
quiſſimus uirtute fuerint in cognomentum eius adſcitos. Mox uiſit ueterum Theba
rum magna ueſtigia, & manebant ſtructis molibus literæ Ægyptiæ, prio-
rem opulentiam complexæ: iuſſusq; è ſenioribus ſacerdotum patrium ſer
monem interpretari, referebat habitaſſe quondam ſeptingenta millia æta
te militari: atq; eo cũ exercitu regẽ Rhamſen Libya, Æthiopia, Mediſq;,
& Perſis, & Bactriano, ac Scythia potitũ, quasq; terras Suri Armenijq;,
& contigui Cappadoces colunt, inde Bithynum, hinc Lycum ad mare im
perio tenuiſſe. legebantur & indicta gentibus tributa, pondus argenti &
auri, numerus armorum, equorumq;, & dona templis ebur, atq; odores,
quasq; copias frumenti, & omniũ utenſilium quæq; natio penderet, haud
minus magnifica quàm nunc ui Parthorum, aut potentia Romana iuben-
tur. Cæterum Germanicus alijs quoq; miraculis intendit animũ, quorum
Memnonis ſa præcipua fuere Memnonis ſaxea effigies, ubi radijs ſolis icta eſt, uocalem
xea effigies ſonum reddens: diſiectasq; inter & uix peruias arenas, inſtar montium
eductæ

eductæ Pyramides certamine & opibus regum, lacusq́; effoſſa humo ſuperfluentis Nili receptacula, atq; alibi anguſtiæ, & profunda altitudo, nullis inquirentium ſpacijs penetrabiles. Exin uentum Elephantinen ac Syenen, clauſtra olim Romani imperij, quod nunc rubrum ad mare pateſcit. *Pyramides* *Elephantine* *Syene*

Dum ea æſtas Germanico plures per prouincias tranſigitur, haud leue decus Druſus quæſiuit inliciens Germanos ad diſcordias, utq́; fracto iam Maroboduo uſq; in exitium inſiſteretur. Erat inter Gotones nobilis iuuenis nomine Catualda, profugus olim ui Marobodui, & tunc dubijs rebus eius ultionem auſus. Is ualida manu fines Marcomannorũ ingreditur, corruptisq́; primoribus ad ſocietatem, inrumpit regiam, caſtellumq́; iuxta ſitum. ueteres illic Sueuorum prædæ, & noſtris è prouincijs lixæ, ac negotiatores reperti, quos ius commercij, dein cupido augendi pecuniam, poſtremum obliuio patriæ ſuis quenq; ab ſedibus hoſtilem in agrum tranſtulit. Maroboduo undiq; deſerto, nõ aliud ſubſidium quàm miſericordia Cæſaris fuit. tranſgreſſus Danubium, qua Noricam prouinciam præfluit, ſcripſit Tiberio, nõ ut profugus aut ſupplex, ſed ex memoria prioris fortunæ: nam multis nationibus clariſſimum quondã regem ad ſe uocantibus, Romanam amicitiã prætuliſſe. reſponſum à Cæſare, tutam ei honoratamq́; ſedem in Italia fore, ſi maneret: ſin rebus ſuis aliud conduceret, abiturum fide qua ueniſſet. cæterum apud ſenatum diſſeruit, non Philippum Athenienſibus, non Pyrrhum, aut Antiochum, populo Romano perinde metuendos fuiſſe. Extat oratio qua magnitudinem uiri, uiolentiam ſubiectarum ei gentium, & quàm propinquus Italiæ hoſtis, ſuaq́; in deſtruẽdo eo conſilia extulit. Et Maroboduus quidem Rauennæ habitus, ne ſi quando inſoleſcerent Sueui, quaſi rediturus in regnum oſtentabatur. ſed non exceſſit Italia per duodeuiginti annos, conſenuitq́; multum imminuta claritate ob nimiam uiuendi cupidinem. Idem Catualdæ caſus, neq; aliud perfugium. pulſus haud multo poſt Hermundurorũ opibus, & Vibilio duce, receptusq́;, forum Iulium Narbonenſis Galliæ coloniam mittitur. Barbari utrunq; comitati, ne quietas prouincias immixti turbarent, Danubium ultra inter flumina Marũ & Cuſum locantur, dato rege Vannio gentis Quadorum. *Druſus in Germania* *Gothones* *Catualda* *Norica prouincia* *Maroboduus* *Catualda pellitur opibus Hermundurorum* *Marus* *Cuſus*

Simul nunciato regem Artaxiam Armenijs à Germanico datum, decreuere patres, ut Germanicus atq; Druſus ouantes urbem introirent. ſtructi & arcus circum latera templi Martis Vltoris cum effigie Cæſarum, lætiore Tiberio quia pacem ſapientia firmauerat, quàm ſi bellum per acies confeciſſet. Igitur Rheſcuporim quoq; Thraciæ regem aſtu adgreditur. omnem eam nationem Rhœmetalces tenuerat. quo defuncto Auguſtus partem Thracum Rheſcuporidi fratri eius, partem filio Cotyi permiſit. In ea diuiſiõe arua, & urbes, & uicina Græcis, Cotyi: quod incultũ, ferox, adnexum hoſtibus Rheſcuporidi ceſſit: ipſorumq́; regum ingenia, illi mite, & amœnum, huic atrox, auidum, & ſocietatis impatiens erat. *Rheſcuporis* *Cotys*

erat. ſed primo ſubdola concordia egere, mox Rheſcuporis egredi fines, uertere in ſe Cotyi data, & reſiſtenti uim facere, cunctanter ſub Auguſto, quem autorem utriuſq; regni ſi ſperneretur, uindicem metuebat. enimuero audita mutatione principis, immittere latronum globos, excindere caſtella, cauſas bello. Nihil æque Tiberium anxium habebat, quàm ne compoſita turbarentur. deligit centurionem qui nũciaret regibus, ne armis diſceptarent. ſtatimq; à Cotye dimiſſa ſunt quæ parauerat auxilia. Rheſcuporis ficta modeſtia poſtulat eundem in locum coiretur, poſſe de controuerſijs colloquio tranſigi. nec diu dubitatum de tempore, loco, dein conditionibus: cum alter facilitate, alter fraude cuncta inter ſe concederent acciperentq;, Rheſcuporis ſanciendo (ut dictitabat) fœderi conuiuium adijcit, tractaq; in multã noctem lætitia per epulas ac uinolentiã, incautum Cotyn, & poſtquam dolum intellexerat, ſacra regni, eiuſdem familiæ deos, &

Hoſpitales menſæ

hoſpitalis menſas obteſtantem, cathenis onerat. Thraciaq; omni potitus ſcripſit ad Tiberium, ſtructas ſibi inſidias, præuentum inſidiatorem, ſimul bellum aduerſus Baſtarnas, Scythaſq; prætendens, nouis peditũ & equitum copijs ſeſe firmabat. Molliter reſcriptũ, ſi fraus abeſſet, poſſe eum innocentiæ fidere: cæterum neq; ſe, neq; ſenatũ niſi cognita cauſa, ius & iniuriam diſcreturos. proinde tradito Cotye ueniret, transferretq; inuidiã criminis.

Latin. Pandus

Eas literas Latinius Pandus proprætor Mœſiæ cum militibus quis Cotys traderetur in Thraciam miſit. Rheſcuporis inter metum & iram conctatus, maluit patrati quàm incepti facinoris reus eſſe: occidi Cotyn iubet, mortemq; ſponto ſumptam ementitur. Nec tamen Cæſar placitas ſemel artes mutauit, ſed defuncto Pando, quem ſibi infenſum Rheſ-

Pom. Flaccus

cuporis arguebat, Pomponium Flaccum ueterem ſtipendijs, & arcta cum rege amicitia, eoq; accommodatiorem ad fallendum, ob id maxime Mœſiæ præfecit. Flaccus in Thraciã tranſgreſſus, per ingentia promiſſa, quamuis ambiguum & ſcelera ſua reputãtem, perpulit, ut præſidia Romana intraret. circumdata hinc regi ſpecie honoris ualida manus, tribuniq;, & centuriones, monendo, ſuadendo, & quanto longius abſcedebat apertiore cuſtodia, poſtremo gnarum neceſſitatis in urbem traxere. Accuſatus in ſenatu ab uxore Cotyis dãnatur, ut procul regno teneretur. Thracia in Rhoemetalcen filium, quem paternis conſilijs aduerſatum conſtabat, inq; liberos Cotyis diuiditur. ijſq; nondum adultis Trebellenus Rufus prætura

Trebellenus Rufus

functus datur, qui regnũ interim tractaret, exemplo quo maiores M. Lepidum Ptolemæi liberis tutorem, in Ægyptũ miſerant. Rheſcuporis Alexandriam deuectus, atq; illic fugam tentans, an ficto crimine interficitur.

Vonones fugam tentant

Per idem tempus Vonones, quẽ amotum in Ciliciam memoraui, corruptis cuſtodibus effugere ad Armenios, inde in Albanos Heniochoſq; & conſanguineũ ſibi regem Scytharũ conatus eſt, ſpecie uenandi. omiſſis

Pyramus flu.

maritimis locis, auia ſaltuũ petijt, mox pernicitate equi ad amnẽ Pyramũ

cõtendit,

contendit,cuius pontes accolæ ruperãt audita regis fuga,neq; uado pene/trari poterat.Igitur in ripa fluminis à Vibio Frontone præfecto equitum uincitur:mox Remmius Euocatus priori custodiæ regis adpoſitus, quaſi per iram gladio eum tranſigit.unde maior fides,conſcientia ſceleris & metu indicij mortem Vononi inlatam. At Germanicus Ægypto remeans, cuncta quæ apud legiones aut urbes iuſſerat,abolita,uel in contrariũ uerſa cognoſcit.hinc graues in Piſonem cõtumeliæ, nec minus acerba quæ ab illo in Cæſarem tentabantur.Dein Piſo abire Suria ſtatuit, mox aduerſa Germanici ualetudine detentus,ubi recreatum accepit,uotaq́; pro incolumitate ſoluebantur,admotas hoſtias,ſacrificalem apparatum,feſtam Antiochenſium plebem, per lictores proturbat. Tum Seleuciam degreditur opperiens ægritudinẽ quæ rurſum Germanico acciderat.ſæuam uim morbi augebat perſuaſio ueneni à Piſone accepti,& reperiebantur ſolo, ac parietibus erutæ humanorum corporum reliquiæ,carmina,& deuotiones,& nomen Germanici plumbeis tabulis inſculptũ,ſemuſti cineres,ac tabe obliti,aliaq́; maleficia,quis creditur animas numinibus infernis ſacrari.ſimul miſſi à Piſone incuſabantur ut ualetudinis aduerſa rimantes.Ea Germanico haud minus ira quàm per metum accepta,ſi limen obſideretur,ſi effundendus ſpiritus ſub oculis inimicorum foret,quid deinde miſerrimæ coniugi,quid infantibus liberis euenturum? lenta uideri ueneficia:feſtinare & urgere ut prouinciam,ut legiones ſolus habeat: ſed non uſq; eo defectum Germanicum,neq; prẽmia cædis apud interfectorem manſura.componit epiſtulas quis amicitiam ei renunciabat. Addũt pleriq; iuſſum prouincia decedere.nec Piſo moratus ultra, nauis ſoluit,moderabaturq́; curſui, qui propius regrederetur,ſi mors Germanici Suriam aperuiſſet.Cæſar pauliſper ad ſpem erectus,dein feſſo corpore,ubi finis aderat, adſiſtentes amicos in hunc modum adloquitur. Si fato cõcederem, iuſtus mihi dolor etiam aduerſus deos eſſet,quod me parentibus,liberis,patriæ intra iuuentam præmaturo exitu raperent.nunc ſcelere Piſonis & Plancinæ interceptus ultimas preces pectoribus ueſtris relinquo,referatis patri ac fratri quibus acerbitatibus dilaceratus, quibus inſidijs circumuentus miſerrimã uitam peſſima morte finierim. Si quos ſpes meæ, ſi quos propinquus ſanguis,etiam quos inuidia erga uiuentem mouebat,inlachrymabunt,quondam florentem, & tot bellorũ ſuperſtitem, muliebri fraude cecidiſſe. Erit uobis locus querendi apud ſenatum,inuocandi leges. Non hoc præcipuum amicorum munus eſt, proſequi defunctum ignauo queſtu, ſed quæ uoluerit meminiſſe,quæ mandauerit exequi. flebunt Germanicum etiam ignoti.uindicabitis uos,ſi me potius q̃ fortunam meam fouebatis.Oſtendite populo Romano diui Auguſti neptem, eandemq́; cõiugem meam: numerate ſex liberos.Miſericordia cum accuſantibus erit:fingẽtibusq́; ſceleſta mandata, aut non credent homines, aut non ignoſcent. Iurauere

Germanicus ex Aegypto

Maleficia

Oratio Germanici moribundi ad amicos

amici, dextram morientis contingentes, ſpiritū antè quàm ultionē amiſſuros. Tum ad uxorem uerſus, per memoriam ſui, per cōmunes liberos orauit, exueret ferociam, ſæuienti fortunæ ſummitteret animum, neu regreſſa in urbem æmulatione potentiæ, ualidiores inritaret. Hæc palàm, & alia ſecretò, per quæ oſtendere credebatur metum ex Tiberio. Neq; multo poſt extinguitur ingenti luctu prouinciæ, & circumiacētium populorum. Indoluere exteræ nationes regesq;: tanta illi comitas in ſocios, manſuetudo in hoſtes: uiſuq; & auditu iuxta uenerabilis, cum magnitudinē & grauitatem ſummæ fortunæ retineret, inuidiam & adrogantiā effugerat. Funus ſine imaginibus & pompa, per laudes, & memoriam uirtutum eius celebre fuit. Et erant qui formam, ætatem, genus mortis, ob propinquitatem etiam locorū, in quibus interijt, Magni Alexandri fatis adæquarent. Nam utrunq; corpore decoro, genere inſigni, haud multū triginta annos egreſſum, ſuorum inſidijs externas inter gentes occidiſſe. ſed hunc mitem erga amicos, modicum uoluptatum, uno matrimonio, certis liberis egiſſe: neq; minus præliatorē, etiam ſi temeritas abfuerit, præpeditusq; ſit perculſas tot uictorijs Germanias ſeruitio premere. quod ſi ſolus arbiter rerū, ſi iure & nomine regio fuiſſet, tanto promptius adſecuturū gloriā militiæ, quantum clementia, temperantia, cæteris bonis artibus præſtitiſſet. Corpus antequam cremaretur, nudatum in foro Antiochenſium. qui locus ſepulturę deſtinabatur. Prætulerit ne ueneficij ſigna parū conſtitit. nam ut quis miſericordia in Germanicū, & præſumpta ſuſpicione, aut fauore in Piſonem pronior, diuerſi interpretabantur. Conſultatū inde inter legatos, quiq; alij ſenatorum aderāt, quis nam Suriæ præficeretur. & cæteris modice niſis, inter Vibium Marſum, & Gn. Sentium diu quæſitum. dein Marſus ſeniori, & acrius tendenti Sentio conceſſit. Isq; infamem ueneficijs ea in prouincia, & Plancinæ percharam nomine Martinam in urbem miſit, poſtulantibus Vitellio, ac Veranio, cæterisq; qui crimina & accuſationem tanquam aduerſus receptos iam reos inſtruebant. At Agrippina quanquā defeſſa luctu, & corpore ægro, omnium tamen quæ ultionem morarētur intolerans, aſcendit claſſem cum cineribus Germanici, & liberis, miſerantibus cunctis quod fœmina nobilitate princeps, pulcherrimo modo matrimonio inter uenerantes gratantisq; aſpici ſolita, tunc feralis reliquias ſinu ferret, incerta ultionis, anxia ſui, & infelici fœcunditate fortunæ toties obnoxia. Piſonem interim apud Coum inſulā nuncius adſequitur, exceſſiſſe Germanicum. Quo intemperanter accepto, cædit uictimas, adit templa, neq; ipſe gaudium moderans, & magis inſoleſcente Plancina, quæ luctum amiſſæ ſororis, tum primum læto cultu mutauit. Adfluebant centuriones, monebantq;: prompta illi legionū ſtudia, repeteret prouinciā non iure ablatam & uacuam. Igitur quid agendum conſultanti, M. Piſo filius properādum in urbem cenſebat: nihil adhuc inexpiabile admiſſum, neq; ſuſpicio-

Germanici Cæſ. mors

Germanicus Alexandro comparatus

Martina uenefica

Agrippina nauigat Romā

ſuſpiciones imbecillas aut inania famæ pertimeſcenda: diſcordiā erga Ger/
manicum odio fortaſſe dignam, non pœna: & ademptione prouinciæ ſa/
tisfactum īnimicis. Quod ſi regrederetur obſiſtente Sentio, ciuile bellum
incipi, nec duraturos in partibus centuriones militesq́;, apud quos recens
imperatoris ſui memoria, & penitus infixus in Cæſares amor præualeret.
Contra Domitius Celer ex intima eius amicitia diſſeruit, utendum euen/
tu. Piſonem non Sentium Suriæ præpoſitum. Huic faſces & ius prætoris,
huic legiones datas: Si quid hoſtile ingruat quem iuſtius arma oppoſitu/
rum, qui legati autoritatem & propria mandata acceperit? Relinquēdum
etiam rumoribus tempus, quo ſeneſcant. plerunq; innocentes, recenti inui/
diæ impares. At ſi teneat exercitū, augeat uires, multa quæ prouideri non
poſſint, fortuito in melius caſura. An feſtinamus cū Germanici cineribus
adpellere, ut te inauditum & indefenſum planctus Agrippinæ, ac uulgus
imperitum, primo rumore rapiant? Eſt tibi Auguſtæ conſcientia, eſt Cæ/
ſaris fauor, ſed in occulto: & perijſſe Germanicū nulli iactantius mœrent,
quàm qui maxime lætantur. Haud magna mole Piſo promptus feroci
bus in ſententiam trahitur. miſſisq́; ad Tiberium epiſtulis, incuſat Germa
nicum luxus & ſuperbiæ: ſeq́; pulſum ut locus rebus nouis pateſieret, cu/
ram exercitus eadem fide qua tenuerit repetiuiſſe. Simul Domitium im/
poſitum triremi uitare littorum oram, præterq́; inſulas lato mari pergere
in Suriam iubet. concurrentes deſertores per manipulos componit, armat
lixas, traiectisq́; in continentem nauibus, uexillum Tironum in Suriam
euntium intercipit. Regulis Cilicū ut ſe auxilijs iuuarent ſcribit, haud igna
uo ad miniſteria belli iuuene Piſone, quanquā ſuſcipiendum bellum abnu
iſſet. Igitur oram Lyciæ ac Pamphyliæ prælegētes obuijs nauibus, quæ
Agrippinam uehebāt, utrinq; infenſi, arma primo expediere: dein mutua
formidine, non ultra iurgium proceſſum eſt. Marſusq́; Vibius nunciauit
Piſoni, Romam ad dicendam cauſam ueniret. Ille eludens reſpondit, adfu
turum ubi prætor qui de ueneficijs quæreret, reo atq; accuſatoribus diem
prædixiſſet. Interim Domitius Laodiceam urbē Syriæ adpulſus, cum hy/
berna ſextæ legionis peteret, quod eam maximè nouis conſilijs idoneam
rebatur, à Pacuuio legato præuenitur. Id Sentius Piſoni per literas aperit,
monetq́; ne caſtra corruptoribus, ne prouinciā bello tentet. Quosq́; Ger/
manici memores, aut inimicis eius aduerſos cognouerat, cōtrahit, magni/
tudinem imperatoris identidem ingerens, & Remp. armis peti: ducitq́; ua
lidam manum & prælio paratā. Nec Piſo, quanquā cœpta ſecus cadebāt,
omiſit tutiſſima è præſentibus. ſed caſtellum Ciliciæ munitum admodum,
cui nomen Celenderis, occupat. Nam admixtis deſertoribus, & Tirone nu
per intercepto, ſuisq́; & Plancinæ ſeruitijs, auxilia Cilicum quæ Reguli mi
ſerant, in numerum legionis cōpoſuerat. Cæſarisq́; ſe legatum teſtabatur
prouincia quam is dediſſet arceri, non à legionibus (earum quippe acci/

tu uenire)ſed à Sentio,priuatum odium falſis criminibus tegente:conſiſte rent in acie non pugnaturis militibus,ubi Piſonem ab ipſis parentẽ quondam appellatum,ſi iure ageretur potiorem, ſi armis non inualidum uidiſſent. Tum pro munimentis caſtelli manipulos explicat, colle arduo & derupto.nam cætera mari cinguntur. Contra ueterani ordinibus ac ſubſidijs inſtructi. hinc militum,inde locorum aſperitas. ſed non animus, non ſpes, ne tela quidem niſi agreſtia ad ſubitum uſum properata.ut uenere in manus, non ultra dubitatum,quàm dum Romanæ cohortes in æquum eniterentur:uertunt terga Cilices,ſeq; caſtello claudunt. Interim Piſo claſſem haud procul opperientem adpugnare fruſtra tentauit: regreſſusq;, & pro muris modo ſemet adflictãdo,modo ſingulos nomine ciens,præmijs uocans,ſeditionem cœptabat: adeoq; cõmouerat, ut ſignifer legionis ſextæ ſignum ad eum tranſtulerit. Tum Sentius occanere cornua tubasq;, & peti aggerem,erigi ſcalas iuſſit,ac promptiſſimũ quenq; ſuccedere: alios tormentis,haſtas,ſaxa,& faces ingerere. Tandem uicta pertinacia Piſo orauit,uti traditis armis maneret in caſtello,dum Cæſar cui Syriam permitteret,conſulitur. Non receptæ conditiones. nec aliud quàm naues & tutum in urbem iter conceſſum eſt. At Romæ poſtquam Germanici ualitudo percrebruit,cunctaq; ut ex longinquo aucta in deterius adferebantur, dolor,ira,& erumpebãt queſtus. Ideo nimirũ in extremas terras relegatum: ideo Piſoni permiſſam prouinciã: hoc egiſſe ſecretos Auguſtæ cum Plancina ſermones:uera prorſus de Druſo ſeniores locutos,diſplicere regnantibus ciuilia filiorũ ingenia:neq; ob aliud interceptos, quàm quia populum Romanum æquo iure complecti reddita libertate agitauerint. Hos uulgi ſermones audita mors adeo incendit, ut ante edictum magiſtratuũ, ante ſenatuſconſultum,ſumpto iuſtitio deſererentur fora,clauderentur domus, paſſim ſilentia & gemitus, nihil compoſitum in oſtentationem. Et quanquam neq; inſignibus lugentiũ abſtinerent,altius animis mœrebant. Forte negociatores uiuente adhuc Germanico Syria egreſſi,lætiora de ualitudine eius attulere. ſtatim credita, ſtatim uulgata ſunt. ut quiſque obuius (quamuis leuiter audita)in alios,atq; illi in plures cumulata gaudio transferunt,curſant per urbem,moliuntur templorum fores.iuuat credulitatem nox,& promptior inter tenebras adfirmatio. Nec obſtitit falſis Tiberius, donec tempore ac ſpacio uaneſcerent. Et populus quaſi rurſum ereptũ acrius doluit. Honores ut quis amore in Germanicum aut ingenio ualidus,reperti decretiq;:ut nomen eius ſaliari carmine caneretur,ſedes curules ſacerdotum Auguſtalium locis,ſuperq; eas querceæ coronæ ſtatuerẽtur, ludos Circenſes eburna effigies præiret, néue quis flamen aut Augur in locum Germanici niſi gentis Iuliæ crearetur. Arcus additi Romæ, & apud ripam Rheni, & in monte Syriæ Amano, cum inſcriptione rerum geſtarum, ac mortem ob Remp. obijſſe:ſepulchrum Antiochiæ ubi crematus: tribunal

Honores in Germanicũ

Epidaphne

Epidaphne,quo in loco uitam finierat.Statuarum,locorúmue in quis co/leretur,haud facile quis numerum inierit.cum cenſeretur clypeus, auro & magnitudine inſignis,inter autores eloquentiæ,adſeruit Tiberius ſolitum paremq́ꝫ cæteris dicaturum.neqꝫ enim eloquentiam fortuna diſcerni,& ſa tis inluſtre,ſi ueteres inter ſcriptores haberetur. Equeſter ordo cuneũ Germanici appellauit qui Iuniorum dicebatur,inſtituitq́ꝫ uti turmæ Idibus Iulijs imaginem eius ſequerentur. pleraqꝫ manent, quædam ſtatim omiſſa ſunt, aut uetuſtas obliterauit. Cæterum recenti adhuc mœſtitia ſoror Germanici Liuia,nupta Druſo,duos uirilis ſexus ſimul enixa eſt.quod ra/rum,lætumq́ꝫ etiam modicis penatibus, tanto gaudio principem adfecit ut nõ temperauerit,quin iactaret apud patres,nulli ante Romanorũ eiuſ/dem faſtigij uiro geminam ſtirpem editam.nam cuncta etiam fortuita ad gloriam uertebat.Sed populo tali in tempore id quoqꝫ dolorem tulit,tan quam auctus liberis Druſus domũ Germanici magis urgeret. Eodem anno grauibus ſenatus decretis libido fœminarũ cohercita, cautumq́ꝫ ne quęſtum corpore faceret,cui auus,aut pater,aut maritus Eques Ro.fuiſſet. nam Viſtilia prætoria familia genita,licentiam ſtupri apud ædiles uulga/uerat,more inter ueteres recepto,qui ſatis pœnarum aduerſum impudicas in ipſa profeſſione flagitij credebant. exacta & à Titidio Labeone Viſti/liæ marito, cur in uxore delicti manifeſta ultionẽ legis omiſiſſet: atqꝫ illo prætendente ſexaginta dies ad conſultandum datos,nec dum præterijſſe, ſatis uiſum de Viſtilia ſtatuere.eaq́ꝫ in inſulã Seriphon abdita eſt. Actũ & de ſacris Ægyptijs Iudaicisq́ꝫ pellendis. factumq́ꝫ patrum conſultum, ut quatuor millia libertini generis ea ſuperſtitione infecta, quîs idonea æ/tas,in inſulam Sardiniam ueherentur,cohercendis illic latrocinijs, & ſi ob grauitatem cœli interijſſent,uile damnũ:cæteri cederent Italia, niſi certam ante diem profanos ritus exuiſſent. Poſt quæ rettulit Cæſar capiẽdam uirginem in locum Occiæ,quę ſeptem & quinquaginta per annos ſumma ſanctimonia Veſtalibus ſacris pręſederat:egitq́ꝫ grates Fonteio Agrippę, & Comitio Pollioni,quod offerendo filias,de officio in Remp. certarent. prælata eſt Pollionis filia non ob aliud, quàm quod mater eius in eodem coniugio manebat. Nam Agrippa diſcidio domum imminuerat.& Cæ/ſar quamuis poſthabitã, decies ſeſtertij dote ſolatus eſt. Sæuitiam an/nonæ incuſante plebe,ſtatuit frumento precium quod emptor penderet, binosq́ꝫ nummos ſe additurũ negotiatoribus in ſingulos modios. Neqꝫ tamen ob ea parentis patriæ delatum & antea uocabulũ adſumpſit, acer/beq́ꝫ increpuit eos qui diuinas occupationes, ipſumq́ꝫ dominum dixerãt. unde anguſta & lubrica oratio,ſub principe,qui libertatem metuebat,adu lationem oderat. Reperio apud ſcriptores ſenatoresq́ꝫ eorundem tem/porum,Adgandeſtrij principis Chattorum lectas in ſenatu literas,quibus mortem Arminij promittebat, ſi patrandæ neci uenenum mitteretur:re/

Cuneus Ger/manici

Profeſſio flagitij apud ædi/les pro pœna

Occia Ve/ſtalis

Diuinæ occu/pationes

Adgandeſtri/us princeps Chattorum

" ſponſumq́; eſſe,non fraude neq; occultis , ſed palàm & armatũ populum " Romanum hoſtes ſuos ulciſci.qua gloria æquabat ſe Tiberius priſcis imperatoribus , qui uenenum in Pyrrhum regem uetuerant prodiderantq́;.

Arminius liberator Germaniæ

Cæterum Arminius abſcedētibus Romanis, & pulſo Maroboduo regnum adfectans,libertatē popularium aduerſam habuit:petitusq́; armis, cũ uaria fortuna certaret,dolo propinquorũ cecidit , liberator haud dubie Germaniæ,& qui nõ primordia populi Ro.ſicut alij reges ducesq́;,ſed florentiſſimum imperiũ laceſſierit:prælijs ambiguus,bello nõ uictus. ſeptem & triginta annos uitæ,duodecim potētiæ expleuit:caniturq́; adhuc barbaras apud gentes,Græcorũ annalibus ignotus,qui ſua tantũ mirãtur:Romanis haud perinde celebris, dum uetera extollimus,recentium incurioſi.

P. CORNELII TACITI AB EXCESSV DIVI AVGVSTI ANNALIVM LIBER TERTIVS.

Agrippina

NIHIL intermiſſa nauigatione hyberni maris Agrippina Corcyram inſulam aduehitur, litora Calabriæ contra ſitam . illic paucos dies componendo animo inſumit , uiolenta luctu, & neſcia tolerandi. Interim aduentu eius audito,intimus quiſq; amicorum , & pleriq; militares,ut quiq; ſub Germanico ſtipendia fecerãt, multiq́; etiam ignoti uicinis è municipijs , pars officium in principem rati , plures illos ſecuti, ruere ad oppidũ Brundiſium , quod nauiganti celerrimum fidiſſimumq́; adpulſu erat. Atq; ubi primum ex alto uiſa claſſis,complentur non modo portus & proxima maris , ſed mœnia ac tecta , quaq́; longiſſime proſpectari poterat,mœrentium turba,& rogitantium inter ſe, ſilentió ne an uoce aliqua egredientem exciperent . neq; ſatis conſtabat quid pro tempore foret,cum claſſis paulatim ſucceſſit,non alacri ut adſolet remigio, ſed cunctis ad triſtitiam compoſitis. Poſtquã duobus cum liberis feralem urnam tenens egreſſa naui,defixit oculos,idem omnium gemitus , neq; diſcerneres, proximos,alienos,uirorum,fœminarúmue planctus, niſi quod comitatum Agrippinæ longo mœrore feſſum , obuij & recentes in dolore anteibant . Miſerat duas prætorias cohortes Cæſar , addito ut magiſtratus Calabriæ,Appuliq́;,& Campani,ſuprema erga memoriam filij ſui munera fungerentur. Igitur tribunorum, centurionumq́; humeris cineres portabantur. præcedebant incompta ſigna,uerſi faſces : atq; ubi colonias tranſgrederētur,atrata plebes,trabeati equites,pro opibus loci ueſtem,odores, aliaq́; funerum ſolennia cremabãt. etiam quorum diuerſa oppida, tamen

obuij

obuij,& uictimas atq; aras Dijs Manibus ſtatuentes,lachrymis,& conclamationibus dolorem teſtabantur. Druſus Tarracinā progreſſus eſt, cum Claudio fratre, liberiſq; Germanici,qui in urbe fuerant.Conſules,M.Valerius & C.Aurelius(iam enim magiſtratum occeperant)& ſenatus,ac magna pars populi uiam compleuere,diſiecti,& ut cuiq; libitum flentes.aberat quippe adulatio, gnaris omnibus lætam Tiberio Germanici mortem male diſſimulari.Tiberius atq; Auguſta publico abſtinuere, inferius maieſtate ſua rati, ſi palàm lamentarentur, an ne omnium oculis uultum eorum ſcrutantibus falſi intelligerentur.Matrem Antoniam non apud autores rerum,non diurna actorum ſcriptura, reperio ullo inſigni officio functam,cum ſuper Agrippinam,& Druſum,& Claudium, cæteri quoq; conſanguinei nominatim perſcripti ſint:ſeu ualetudine præpediebatur,ſeu uictus luctu animus,magnitudinem mali perferre uiſu nō tolerauit. facilius crediderim, Tiberio & Auguſta,qui domo nō excedebant, cohibitam:ut par mœror,& matris exemplo auia quoq; & patruus attineri uiderentur. Dies quo reliquiæ tumulo Auguſti inferebantur,modo per ſilentium uaſtus,modo ploratibus inquies,plena urbis itinera,cōlucentes per campum Martis faces. illic miles cum armis,ſine inſignibus magiſtratus, populus per tribus,concidiſſe Remp. nihil ſpei reliquum clamitabant, promptius apertiuſq; quàm ut meminiſſe imperitantium crederes.Nihil tamē Tiberium magis penetrauit, quàm ſtudia hominum accenſa in Agrippinam, cum decus patriæ,ſolum Auguſti ſanguinem,unicū antiquitatis ſpecimen appellarent, uerſiq; ad cœlum ac deos integram illi ſobolem, ac ſuperſtitem iniquorum precarentur. Fuere qui publici funeris pompam requirerent, compararentq; quæ in Druſum patrem Germanici honora & magnifica Auguſtus feciſſet.ipſum quippe aſperrimo hyemis, Ticinum uſq; progreſſum, neq; abſcedentem à corpore ſimul urbē intrauiſſe:circumfuſas lecto Claudiorū Iuliorumq; imagines, defletum in foro, laudatū pro roſtris, cuncta à maioribus reperta,aut quæ poſteri inuenerint cumulata. At Germanico ne ſolitos quidē & cuicunq; nobili debitos honores contigiſſe. ſanè corpus ob longinquitatē itinerū externis terris quoquo modo crematū,ſed tanto plura decora mox tribui par fuiſſe, quanto prima fors negauiſſet.non fratrē niſi unius diei uia,nō patruū ſaltem porta tenus obuium. ubi illa ueterū inſtituta?præpoſitā toro effigiem, meditata ad memoriam uirtutis carmina, & laudationes & lachrymas, uel doloris imitamenta. Gnarū id Tiberio fuit,utq; premeret uulgi ſermones, monuit edicto,multos inluſtrium Romanorū ob Remp.obijſſe,neminē tam flagranti deſyderio celebratū.idq; & ſibi & cunctis egregiū,ſi modus adijceretur. non enim eadē decora principibus uiris,& imperatori,populoq;. modicis domibus,aut ciuitatibus,conueniſſe recenti dolori luctū,& ex mœrore ſolatia.ſed referendū iam animum ad firmitudinem,ut quondā diuus Iulius

Druſus *Claudius* *Liberi Germanici* *Conſules* *Senatus* *Populus* *Tiberius* *Auguſta*

Decus patriæ *Sanguis Auguſti* *Vnicum antiquitatis ſpecimen*

Porta tenus

Doloris imitamenta

amiſſa unica filia, ut diuus Auguſtus ereptis nepotibus, abſtruſerint triſti/tiam. Nil opus uetuſtioribus exemplis, quoties populus Romanus clades exercituum, interitum ducum, funditus amiſſas nobiles familias conſtan/ter tulerit. principes mortales, Remp. æternam eſſe. proin repeterent ſolen nia: & quia ludorum Megaleſium ſpectaculum ſuberat, etiam uoluptates reſumerent. Tum exuto iuſtitio, reditum ad munia, & Druſus Illyricos ad exercitus profectus eſt, erectis omnium animis petendæ è Piſone ultio nis, & crebro queſtu, quod uagus interim per amœna Aſiæ atq; Achaiæ, adroganti & ſubdola mora, ſcelerum probationes ſubuerteret. Nam uul/gatum erat miſſam (ut dixi) à Gn. Sentio famoſam ueneficijs Martinam ſubita morte Brunduſij extinctam, uenenumq; nodo crinium eius occul/tatum, nec ulla in corpore ſigna ſumpti exitij reperta. At Piſo præmiſſo in urbem filio, datisq; mandatis, per quæ principē molliret, ad Druſum per/git, quem haud fratris interitu trucem, quàm remoto æmulo æquiorem ſi/bi ſperabat. Tiberius quo integrum iudicium oſtentaret, exceptum comi/ter iuuenem, ſueta erga filios familiarium nobiles liberalitate auget. Dru/ſus Piſoni, ſi uera forent quæ iacerentur, præcipuū in dolore ſuum locum reſpondit: ſed malle falſa & inania, nec cuiquam mortem Germanici exiti/oſam eſſe. Hæc palàm, & uitato omni ſecreto: neq; dubitabantur præſcri/pta & à Tiberio, cum incallidus alioqui & facilis iuuenta, ſenilibus tum ar/tibus uteretur. Piſo Dalmatico mari tramiſſo, relictisq; apud Anconam nauibus, per Picenū, ac mox Flaminiam uiam adſequitur legionem, quæ è Pannonia in urbem, dein præſidio Africæ ducebatur. eaq; res agitata ru/moribus, ut in agmine atque itinere crebro ſe militibus oſtentauiſſet. ab Narnia, uitandæ ſuſpitionis, an quia pauidis conſilia in incerto ſunt, Nare ac mox Tiberi deuectus auxit uulgi iras, quia nauem tumulo Cæſarū ad/pulerat, dieq;, & ripa frequēti, magno clientium agmine ipſe, fœminarum comitatu Plancina, & uultu alacres inceſſere. Fuit inter inritamēta inuidiæ domus foro imminens feſta ornatu, conuiuiumq; & epulæ, & celebritate loci nihil occultum. Poſtera die Fulcinius Trio Piſonem apud conſules po ſtulauit. contra Vitellius ac Verannius, cæteriq; Germanicū comitati ten/debant, nullas eſſe partes Trioni: neq; ſe accuſatores, ſed rerum indices & teſtes, mandata Germanici perlaturos. Ille dimiſſa eius cauſæ delatione, ut priorem uitam accuſaret obtinuit: petitumq; eſt à principe, cognitionem exciperet. quod ne reus quidem abnuebat, ſtudia populi & patrum metu/ens: contra, Tiberium ſpernendis rumoribus ualidum, & conſcientiæ ma/tris innexum eſſe: ueraq; aut in deterius credita, iudice ab uno facilius di/ſcerni: odium & inuidiam apud multos ualere. Haud fallebat Tiberiū mo les cognitionis, quaq; ipſe fama diſtraheretur. Igitur paucis familiarium adhibitis, minas accuſantium, & hinc preces audit, integramq; cauſam ad ſenatum remittit. Atq; interim Druſus rediens Illyrico, quanquā patres

Cn. Piſo nāui/gat Romam

cenſuiſſent

cenſuiſſent ob receptum Maroboduū,& res priore æſtate geſtas ut ouans iniret,prolato honore urbem intrauit.poſtquam reo T.Arrantium,Fulci/nium,Aſinium Gallum,Æſerninum,Marcellum,Sext.Pompeium patro/nos petenti,iiſq; diuerſa excuſantibus,M.Lepidus,& L.Piſo,& Liuenčius Regulus adfuere, arrecta omni ciuitate, quanta fides amicis Germanici, quæ fiducia reo,ſatin cohiberet ac premeret ſenſus ſuos Tiberius, an pro/meret: iis haud aliás intentior populus,plus ſibi in principem occultæ uo/cis,aut ſuſpicacis ſilentii permiſit.Die ſenatus,Cæſar orationē habuit me/ditato temperamento:Patris ſui legatum atq; amicum Piſonem fuiſſe,ad/iutoremq; Germanico datum à ſe,autore ſenatu, rebus apud Orientē ad/miniſtrandis:illic contumacia & certaminibus aſperaſſet iuuenem,exituq; eius lætatus eſſet, an ſcelere extinxiſſet,integris animis diiudicandū. Nam ſi legatus officii terminos,obſequium erga imperatorem exuit,eiuſdemq; morte,& luctu meo lætatus eſt,odero ſeponamq; à domo mea, & priua/tas inimicitias noui principis ulciſcar:Sin facinus in cuiuſcunq; mortalium nece uindicandum detegitur, uos uero & liberos Germanici & nos paren tes iuſtis ſolatiis adficite:ſimulq; illud reputate,turbide & ſeditioſe tracta/uerit exercitus Piſo, quæſita ſint per ambitionem ſtudia militum,armis re petita prouincia, an falſa hæc in maius uulgauerint accuſatores. quorum ego nimiis ſtudiis iure ſuccēſeo.nam quo pertinuit,nudare corpus & con/trectandum uulgi oculis permittere: diferriq; etiam per externos, tanq; ueneno interceptus eſſet, ſi incerta adhuc iſta & ſcrutanda ſunt? Defleo equidem filium meum, ſemperq; deflebo: ſed neq; reum prohibeo quo minus cuncta proferat,quibus innocētia eius ſubleuari, aut ſi qua fuit ini/quitas Germanici,coargui poſſit:uoſq; oro,ne,quia dolori meo cauſa con nexa eſt,obiecta crimina pro adprobatis accipiatis. Si quos propinquus ſanguis,aut fides ſua patronos dedit, quantum quiſq; eloquentia & cura ualet,iuuate periclitantem.Ad eundem laborem,eandem conſtantiam ac/cuſatores hortor.Id ſolum Germanico ſuper leges præſtiterimus,quod in curia potius quàm in foro, apud ſenatū quàm apud iudices de morte eius anquiritur.cætera pari modeſtia tractētur.nemo Druſi lachrymas, nemo mœſtitiam meam ſpectet,nec ſi qua in nos aduerſa finguntur.Exin bidu/um criminibus obiiciendis ſtatuitur,utq; ſex dierum ſpatio interiecto re/us per triduum defenderetur. Tum Fulcinius uetera & inania orditur, ambitioſe,auareq; habitam Hiſpaniam.quod neq; conuictum noxæ reo ſi recētia purgaret:neq; defenſum abſolutioni erat, ſi teneretur maioribus flagitiis.Poſt quem Seruæus,& Veranius,& Vitellius cōſimili ſtudio, ſed multa eloquentia Vitellius, obiecere:odio Germanici, & rerum nouarum ſtudio, Piſonem uulgus militum per licētiam & ſociorum iniurias eo uſq; corrupiſſe,ut parēs legionū à deterrimis appellaretur:contra, in optimum quenq;,maxime in comites & amicos Germanici ſæuiſſe:poſtremo ipſum

Accuſationis initium
Noxæ eſſe
Abſolutioni eſſe

deuotionibus & ueneno peremiſſe: ſacra hinc & immolationes nefandas ipſius atq; Plancinæ: petitã armis Remp. utq́; reus agi poſſet, acie uictum.

Defenſio in cæteris trepidauit. nam neq; ambitionem militarem, neq; prouinciam peſſimo cuiq; obnoxiam, ne contumelias quidem aduerſum imperatorem inficiari poterat. ſolum ueneni crimẽ uiſus eſt diluiſſe. quod ne accuſatores quidem ſatis firmabant: in conuiuio Germanici, cum ſuper eum Piſo diſcumberet, infectos manibus eius cibos arguentes. quippe abſurdum uidebatur, inter aliena ſeruitia, & tot adſtantiũ uiſu, ipſo Germanico coràm id auſum. offerebatq́; familiam reus, & miniſtros in tormenta flagitabat. Sed iudices per diuerſa implacabiles erãt: Cæſar ob bellum prouinciæ inlatum: Senatus, nunquam ſatis credito, ſine fraude Germanicũ interijſſe. ſcripſiſſent expoſtulantes: quod haud minus Tiberius quàm Piſo abnuere. Simul populi ante curiam uoces audiebantur, non temperaturos manibus, ſi patrũ ſententias euaſiſſet, effigiesq́; Piſonis traxerant in Gemonias ac diuellebãt, ni iuſſu principis protectæ repoſitæq́; forent. Igitur inditus lecticæ, & à tribuno prætoriæ cohortis deductus eſt: uario rumore, cuſtos ſalutis, an mortis exactor ſequeretur. Eadem Plancinæ inuidia, maior gratia, eoq́; ambiguum habebatur quantum Cæſari in eam liceret. atq; ipſa, donec mediæ Piſoni ſpes, ſociam ſe cuiuſcunq; fortunæ, & ſi ita ferret, comitem exitij promittebat. Vt ſecretis Auguſtæ precibus ueniam obtinuit, paulatim ſegregari à marito, diuidere defenſionem cœpit. quod reus poſtquam ſibi exitiabile intelligit, an adhuc experiretur dubitans, hortãtibus filijs durat mentem, ſenatumq́; rurſum ingreditur: redintegratamq́; accuſationem, infenſas patrum uoces, aduerſa & ſæua cuncta perpeſſus, nullo magis exterritus eſt, quàm quod Tiberium ſine miſeratione, ſine ira obſtinatum clauſumq́; uidit, ne quo adfectu perrumperetur. relatus domũ tanquã defenſionem in poſterum meditaretur, pauca conſcribit, obſignatq́; & liberto tradit. Tum ſolita curãdo corpori exequitur. dein multam poſt noctem, egreſſa cubiculo uxore, operiri fores iuſſit: & cœpta luce perfoſſo iugulo, iacente humi gladio, repertus eſt. Audire me memini ex ſenioribus, uiſum ſæpius inter manus Piſonis libellum, quem ipſe non uulgauerit: ſed amicos eius dictitauiſſe, literas Tiberij, & mandata in Germanicum contineri: ac deſtinatum promere apud patres, principemq́; arguere, ni eluſus à Seiano per uana promiſſa foret: nec illũ ſponte extinctum, uerum immiſſo percuſſore. quorum neutrum adſeuerauerim. neq; tamen occulere debui narratum ab ijs, qui noſtram ad iuuentam durauerunt. Cæſar flexo in mœſtitiam ore, ſuam inuidiam tali morte quæſitam, apud ſenatum, crebriſq́; interrogationibus exquirit qualem Piſo diem ſupremum, noctemq́; exegiſſet. Atq; illo pleraq; ſapienter, quædam inconſultius reſpondente, recitat codicillos à Piſone in hunc fermè modũ compoſitos. Conſpiratione inimicorum & inuidia falſi criminis oppreſſus, quatenus

Si ita ferret

An adhuc experiretur. Experiri hic eſt iudiciũ ſubire

Piſonis mors

Codicilli Piſonis

quatenus ueritati & innocentiæ meæ nuſquam locus eſt,deos immortales teſtor,uixiſſe me Cæſar cum fide aduerſum te, neq; alia in matrem tuam pietate: uosq; oro liberis meis conſulatis. ex quibus Gn. Piſo qualicunq; fortunæ meæ non eſt adiunctus, cum omne hoc tempus in urbe egerit. M.Piſo repetere Syriam dehortatus eſt.atq; utinam ego potius filio iuueni quàm ille patri ſeni ceſſiſſet.eo impenſius precor ne meæ prauitatis pœnas innoxius luat. Per quinq; & quadraginta annorum obſequium, per collegium conſulatus quondã diuo Auguſto parenti tuo probatus,& tibi amicus,nec quidquam poſt hæc rogaturus,ſalutem infelicis filij rogo.De Plancina nihil addidit. Poſt quæ Tiberius aduleſcentem crimine ciuilis belli purgauit:patris quippe iuſſa,nec potuiſſe filium detrectare: ſimul nobilitatem domus,etiam ipſius,quoquo modo meriti,grauem caſum miſeratus. Pro Plancina cum pudore & flagitio diſſeruit, matris preces obtendens:in quam optimi cuiuſq; ſecreti queſtus magis ardeſcebant. Id ergo fas auiæ,interfectricem nepotis aſpicere,adloqui,eripere ſenatui.quod pro omnibus ciuibus leges obtineant,uni Germanico non contigiſſe. Vitellij & Veranij uoce defletum Cæſarem: ab imperatore & Auguſta defenſam Plancinam.proinde uenena, & artes tam feliciter expertas uerteret in Agrippinam,in liberos eius,egregiamq; auiam,ac patruum ſanguine miſerrimæ domus exatiaret. Biduũ ſuper hæc imagine cognitionis abſumptum,urgente Tiberio liberos Piſonis matrẽ uti tuerentur. Et cum accuſatores ac teſtes certatim perorarent reſpondente nullo, miſeratio q; inuidia augebatur.Primus ſententiã rogatus Aurelius Cotta conſul (nam referente Cæſare magiſtratus eo etiam munere fungebãtur) nomen Piſonis radendum faſtis cenſuit:partem bonorũ publicandam,pars ut Gn.Piſoni filio concederetur, isq; prænomen mutaret. M.Piſo exuta dignitate, & accepto quinquagies ſeſtertio in decem annos relegatur, conceſſa Plancinæ incolumitate ob preces Auguſtæ. Multa ex ea ſententia mitigata ſunt à principe: ne nomen Piſonis faſtis eximeretur, quando M.Antonij qui bellum patriæ feciſſet,Iulij Antonij qui domũ Auguſti uiolaſſet, manerent:& M.Piſonem ignominiæ exemit,conceſſitq; ei paterna bona, ſatis firmus,ut ſæpe memoraui,aduerſum pecuniam,& tum pudore abſolutæ Plancinæ placabilior.Atq; idem, cum Valerius Meſſalinus ſignũ aureum in æde Martis Vltoris, Cæcina Seuerus aram Vltioni ſtatuendã cenſuiſſent,prohibuit:ob externas ea uictorias ſacrari dictitãs:domeſtica mala triſtitia operiẽda.Addiderat Meſſalinus,Tiberio,& Auguſtę, & Antoniæ,& Agrippinæ Druſoq;,ob uindictã Germanici,grates agendas,omiſeratq; Claudij mentionem:& Meſſalinum quidẽ L. Aſprenas ſenatu coràm percunctatus eſt an prudens præteriſſet?ac tum demũ nomen Claudij adſcriptum eſt.Mihi quanto plura recentium,ſeu ueterũ reuoluo, tanto magis ludibria rerum mortaliũ cunctis in negotijs obuerſantur.quippe

Tiberius ſatis firmus aduerſus pecuniam

Ludibria rerum mortaliũ

fama

fama,ſpe,ueneratione potius omnes deſtinabantur imperio,quàm quem futurũ principẽ fortuna in occulto tenebat.Paucis poſt diebus Cæſar autor ſenatui fuit,Vitellio,atq; Veranio,& Seruæo ſacerdotia tribuẽdi. Fulcinio ſuffragiũ ad honores pollicitus monuit,ne facundiam uiolentia præcipitaret. Is finis fuit ulciſcenda Germanici morte, non modo apud illos homines qui tum agebant, etiam ſecutis temporibus uario rumore iactata.adeo maxima quæq; ambigua ſunt, dũ alij quoquo modo audire pro compertis habent,alij uera in contrarium uertunt. & gliſcit utrunq; poſteritate. At Druſus urbe egreſſus repetendis auſpicijs, mox ouans introijt. paucosq́; poſt dies Vipſania mater eius exceſſit, unà omniũ Agrippæ liberorum miti obitu.Nam cæteros manifeſtum ferro,uel creditum eſt, ueneno aut fame extinctos. Eodem anno Tacfarinas, quem priore æſtate pulſum à Camillo memoraui,bellum in Africa renouat, uagis primum populationibus & ob pernicitatẽ inultis:dein uicos excindere, trahere graues prædas: poſtremo haud procul Pagyda flumine cohortẽ Romanam circumſedit.Præerat caſtello Decrius impiger manu,exercitus militia,& illam obſidionem flagitij ratus. Is cohortatus milites ut copiam pugnæ in aperto facerent,aciem pro caſtris inſtruit. Primoq́; impetu pulſa cohorte promptus inter tela occurſat fugientibus,increpat ſigniferos,quod inconditis aut deſertoribus miles Romanus terga daret. ſimul excepta uulnera. & quanquã transfoſſo oculo,aduerſum os in hoſtem intendit,neq; prælium omiſit donec deſertus ſuis caderet.Quæ poſtq; L.Apronio (nam Camillo ſucceſſerat)cõperta,magis dedecore ſuorũ,quàm gloria hoſtis anxius,raro ea tempeſtate,& è uetere memoria facinore, decumũ quẽq; ignominioſę cohortis,ſorte ductos,fuſte necat.Tantũq; ſeueritate profectum, ut uexillum ueteranorũ non amplius quingenti numero eaſdẽ Tacfarinatis copias præſidiũ,cui Thala nomen, adgreſſas fuderint. quo prelio Rufus Heluius gregarius miles ſeruati ciuis decus rettulit, donatusq́; eſt ab Apronio torquibus & haſta.Cæſar addidit ciuicam coronam, quod non eam quoq; Apronius iure proconſulis tribuiſſet,queſtus magis, q̃ offenſus. Sed Tacfarinas perculſis Numidis & obſidia aſpernantibus ſpargit bellum,ubi inſtaretur cedens,ac rurſum in terga remeans. & dum ea ratio barbaro fuit, inritum feſſumq; Romanũ impune ludificabatur. Poſtquã deflexit ad maritimos locos,inligatus præda,ſtatiuis caſtris hærebat.miſſuq; patris Apronius Ceſianus cum equite & cohortibus auxiliarijs quis uelociſſimos legionum addiderat,proſperã aduerſum Numidas pugnam facit, pellitq; in deſerta. At Romæ Lepida, cui ſuper Æmyliorũ decus L.Sulla ac Gn.Pompeius proaui erant,defertur ſimulauiſſe partum ex P. Quirinio diuite atq; orbo.adijciebãtur adulteria,uenena,quæſitumq; per Chaldæos in domũ Cæſaris,defendẽte ream Manio Lepido fratre. Quirinius poſt dictũ repudium adhuc infenſus, quãuis infami ac nocenti miſerationẽ

Mitis obitus — *Tacfarinas Numida* — *Decrius* — *L. Apronius* — *Decimatio militum* — *Ruf. Heluius* — *Ciuica corona* — *Lepida* — *P. Quirinius*

ſerationem addiderat.Haud facile quis diſpexerit illa in cognitione mentem principis: adeo uertit,ac miſcuit iræ & clementiæ ſigna,deprecatus primo ſenatum ne maieſtatis crimina tractarētur.Mox M. Seruilium è conſularibus,alioſq́ teſtes inlexit ad proferenda quæ uelut reticere uoluerat. idemq́ ſeruos Lepidæ,cum militari cuſtodia haberētur,tranſtulit ad conſules:neq; per tormenta interrogari paſſus eſt,de his quæ ad domū ſuam pertinerent. Exemit etiā Druſum conſulem deſignatū dicendæ primo loco ſententiæ.quod alij ciuile rebantur,ne cæteris adſentiendi neceſſitas fieret:quidam ad ſæuitiam trahebant.neq; enim ceſſurū niſi damnandi officio.Lepida ludorum diebus qui cognitionē interuenerant, theatrum cum claris fœminis ingreſſa , lamentatione flebili maiores ſuos ciens, ipſumq́ Pompeiū,cuius ea monimenta & adſtantes imagines uiſebantur, tantum miſericordia permouit , ut effuſi in lachrymas ſæua & deteſtanda Quirinio clamitarent,cuius ſenectæ atq; orbitati & obſcuriſſimæ domui , deſtinata quondā uxor L.Cæſari,ac diuo Auguſto nurus,dederetur. dein tormentis ſeruorū patefacta ſunt flagitia, itumq́ in ſententiā Rubellij Blandi,à quo aqua atq; igni arcebatur.Huic Druſus adſenſit.quanquā alij mitius cenſuiſſent.mox Scauro qui filiā ex ea genuerat,datum , ne bona publicarentur. Tum demū aperuit Tiberius compertū ſibi etiam ex P. Quirinij ſeruis,ueneno eum à Lepida petitum inluſtrium domuū aduerſa.At enim haud multum diſtanti tempore Calpurnij Piſonem, Æmylij Lepidam amiſerant.Solatio adfecit D.Sillanus Iuniæ familiæ redditus.caſum eius paucis repetam.Vt ualida diuo Auguſto in Remp.fortuna, ita domi improſpera fuit,ob impudicitiam filiæ ac neptis quas urbe depulit,adulteroſq́ earum morte aut fuga puniuit.nam culpam inter uiros ac fœminas uulgatam,graui nomine læſarum religionū , ac uiolatæ maieſtatis appellando,clementiam maiorum ſuaſq́ ipſe leges egrediebatur. Sed aliorum exitus,ſimul cætera illius ætatis memorabo,ſi effectis in quæ tendi,plures ad curas uitam produxero. D. Sillanus in nepti Auguſti adulter (quanq́ non ultrà foret ſæuitum, quàm ut amicitia Cæſaris prohiberetur)exilium ſibi demonſtrari intellexit , nec niſi Tiberio imperitante deprecari Senatum ac principē auſus eſt,M.Sillani fratris potentia qui per inſignem nobilitatem & eloquētiam præcellebat.Sed Tiberius grates agenti Sillano, patribus coràm reſpondit,ſe quoq; lætari quod frater eius è peregrinatione longinqua reuertiſſet,idq́ iure licitum, quia non ſenatuſconſulto , non lege pulſus foret: ſibi tamen aduerſus eum integras parentis ſui offenſiones:neq; reditu Sillani diſſoluta quæ Augnſtus uoluiſſet . fuit poſthac in urbe,neq; honores adeptus eſt. Relatum deinde de moderanda Papia Poppæa quā ſenior Auguſtus poſt Iulias rogationes incitandis cælibum pœnis , & augendo ærario ſanxerat , nec ideo coniugia & educationes liberūm frequentabantur præualida orbitate . cæterū multitudo periclitantium

Lepida aqua atq; igni arcetur

D.Sillanus

Fortuna Auguſto domi improſpera

Lex Papia

f tium

tium gliſcebat, cum omnis domus delatorum interpretationibus ſubuer-
teretur. utq; antehac flagitiis, ita tunc legibus laborabatur. Ea res admo-
net, ut de principiis iuris, & quibus modis ad hanc multitudinẽ infinitam
ac uarietatem legum peruentũ ſit, altius diſſeram. Vetuſtiſſimi mortali-
um nulla adhuc mala libidine, ſine probro, ſcelere, eoq; ſine pœna aut co-
ercitionibus agebãt: neq; præmiis opus erat, cum honeſta ſuopte ingenio
peterentur, & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum uetaban-
tur. At poſtquã exui æqualitas, & pro modeſtia ac pudore, ambitio & uis
incidebat, prouenire dominationes. multosq; apud populos æternũ man-
ſere. Quidam ſtatim, aut poſtquã Regum pertæſum, leges maluerunt. Hæ
primo rudibus hominũ animis ſimplices erant. maximeq; fama celebra-
uit Cretenſium, quas Minos: Spartanorum, quas Lycurgus: ac mox Athe
nienſibus quæſitiores iam & plures Solon perſcripſit. Nobis Romulus ut
libitum imperitauerat: dein Numa religionibus & diuino iure populũ de-
uinxit, repertaq; quædam à Tullo & Anco: ſed præcipuus Seruius Tullius
ſanctor legum fuit, quis etiam reges obtemperarent. Pulſo Tarquinio, ad-
uerſum patrum factiones multa populus parauit tuendæ libertatis & fir-
mandæ concordiæ: creatiq; decemuiri, & accitis quæ uſquã egregia, cõpo-
ſitæ duodecim tabulæ, finis æqui iuris. nam ſecutæ leges, & ſi aliquãdo in
maleficos ex delicto, ſæpius tamen diſſenſione ordinum, & apiſcendi inli-
citos honores, aut pellendi claros uiros, aliaq; ob praua per uim latæ ſunt.
Hinc Gracchi, & Saturnini, turbatores plebis, nec minor largitor nomine
ſenatus Druſus, corrupti ſpe aut inluſi per interceſſionem ſocii. Ac ne bello
quidem Italico, mox ciuili omiſſum quin multa & diuerſa ſciſcerentur, do-
nec L. Sulla dictator abolitis uel cõuerſis prioribus cum plura addidiſſet,
otium ei rei haud in longũ parauit, ſtatim turbidis Lepidi rogationibus:
neq; multo poſt Tribunis reddita licentia quoquò uellent populũ agitan-
di. Iamq; non modo in cõmune, ſed in ſingulos homines latæ quæſtio-
nes, & corruptiſſima Rep. plurimæ leges. Tum Gn. Pompeius tertium con
ſul corrigendis moribus delectus, & grauior remediis quàm delicta erant,
ſuarumq; legũ auctor idem ac ſubuerſor, quæ armis tuebatur, armis ami-
ſit. Exin continua per uiginti annos diſcordia, non mos, non ius. deterrima
quæq; impune, ac multa honeſta exitio fuere. Sexto demũ conſulatu Cæ
ſar Auguſtus potentiæ ſecurus, quæ triumuiratu iuſſerat, aboleuit, deditq;
iura quis pace & principe uteremur. acriora ex eo uincla, inditi cuſtodes,
& lege Pappia Poppæa præmiis inducti * uiſi à priuilegiis parentũ ceſſa-
retur, uelut parens omniũ populus uacantia teneret. ſed altius penetrabãt,
urbemq; & Italiam, & quod uſquã ciuium, corripuerant: multorumq; ex-
ciſi ſtatus, & terror omnibus intentabatur, ni Tiberius ſtatuẽdo remedio
quinq; conſularium, quinq; è prætoriis, totidem è cætero ſenatu ſorte du-
xiſſet, apud quos exſoluti pleriq; legis nexus, modicum in præſens leua-
mentum

Principia iuris
Dominatiões
Leges
Ser. Tullius ſanctor legũ
XII. tabulæ
Leges per uim latæ
Gracchi
Saturnini
Druſus
L. Sylla
Corruptiſs. Rep. plurimæ leges
Gn. Pompeius
Priuilegia parentum

mentum fuere. Per idem tempus Neronem è liberis Germanici iam ingreſſum iuuentam cõmendauit patribus,utq; munere capeſſendi uigintiuiratus ſolueretur,& quinquennio maturius quàm per leges Quæſituram peteret, non ſine inriſu audientium poſtulauit. prætendebat ſibi atq; fratri decreta eadem,petente Auguſto. ſed neq; tum fuiſſe dubitauerim,qui eiuſmodi preces occulti inluderẽt:actamen initia faſtigij Cæſaribus erant, magisq; in oculis uetus mos,& priuignis cum uitrico leuior neceſſitudo q̃ auo aduerſum nepotem. Additur pontificatus,& quo primum die forum ingreſſus eſt,congiariũ plebi,admodũ lætæ quod Germanici ſtirpem iam puberẽ aſpiciebat. Auctum dehinc gaudiũ nuptijs Neronis & Iuliæ Druſi filiæ. Vtq; hæc ſecundo rumore,ita aduerſis animis acceptum, quod filio Claudij ſocer Seianus deſtinaretur: polluiſſe nobilitatẽ familiæ uidebantur,ſuſpectumq; iam nimiæ ſpei Seianũ ultro extuliſſe. Fine anni conceſſere uita inſignes uiri,L. Voluſius,& Salluſtius Criſpus. Voluſio uetus familia,neq; tamẽ præturam egreſſa.ipſe conſulatũ intulit, cenſoria etiam poteſtate legendis equitum decurijs functus,opumq; quis domus illa im menſum uiguit,primus adcumulator. Criſpum equeſtri ortũ loco,C. Salluſtius,rerum Romanarum florentiſſimus auctor,ſororis nepotem in nomen adſciuit.atq; ille,quanquã prompto ad capeſſendos honores aditu, Mecœnatem æmulatus,ſine dignitate ſenatoria multos triumphaliũ, conſularium q; potentia anteijt,diuerſus à ueterum inſtituto,per cultũ & mundicias, copiaq; & affluentia luxu propior. ſuberat tamen uigor animi ingentibus negocijs par,eo acrior quo ſomnũ & inertiam magis oſtentabat. Igitur incolumi Mecœnate proximus, mox præcipuus cui ſecreta imperatorum inniterentur,& interficiendi Poſthumi Agrippæ cõſcius,ætate prouecta ſpeciẽ magis in amicitia principis quàm uim tenuit. idq; & Mecœnati acciderat:fato potentiæ raro ſempiternæ,an ſatias capit, aut illos cum omnia tribuerunt,aut hos,cum iam nihil reliquũ eſt quod cupiant. Sequitur Tiberij quartus,Druſi ſecundus conſulatus patris atq; filij collegio inſignis.nam biennio ante,Germanici cum Tiberio idem honor, neq; patruo lætus,neq; natura tam connexus fuerat. Eius anni principio Tiberius quaſi firmandæ ualitudini in Campaniam conceſſit, longam & continuam abſentiã paulatim meditans, ſiue ut amoto patre Druſus munia conſulatus ſolus impleret. Ac forte parua res magnũ ad certamen progreſſa, præbuit iuueni materiem apiſcendi fauoris. Domitius Corbulo prætura functus de L. Sulla nobili iuuene queſtus eſt apud ſenatũ, quod ſibi inter ſpectacula gladiatorum loco non deceſſiſſet.pro Corbulone ætas,patrius mos,ſtudia ſeniorũ erant:cõtra, Mamercus Scaurus & L. Arruntius,alijq; Sullæ propinqui nitebantur:certabantq; orationibus, & memorabantur exempla maiorum, qui iuuentutis inreuerentiam grauibus decretis notauiſſent: donec Druſus apta temperandis animis diſſeruit, & ſatis factum

Nero Quæſtura

L. Voluſius

Salluſt. Criſpus C. Salluſtij nepos

Potentia raro ſempiterna

Domitius Corbulo L. Sulla loco nõ decedens

Corbuloni per Mamercum,qui patruus ſimul ac uitricus Sullæ, & orato/
Itinera,interrupta & imperuia rum ætate uberrimus erat. Idem Corbulo plurima per Italiã itinera frau
de mancipum & incuria magiſtratuũ interrupta & imperuia clamitando,
executionem eius negotij libens ſuſcepit.quod haud perinde publicè uſui
habitum quàm exitioſum multis, quorũ in pecuniã atq; famam damnati/
onibus & haſta ſæuiebat. Neq; multo poſt miſſis ad ſenatũ literis Ti/
Tacfarinas berius,motam rurſum Africam incurſu Tacfarinatis docuit, iudicioq; pa/
trum deligendum proconſulem , gnarum militiæ,corpore ualidũ, & bello
M.Lepidus ſuffecturum.quod initiũ Sex.Pompeius agitandi aduerſus M. Lepidum
odij nactus,ut ſocordem,inopem,& maioribus ſuis dedecorum , eoq; eti/
am Aſiæ ſorte depellendum incuſauit , aduerſo ſenatu qui Lepidũ mitem
magis quàm ignauum , paternas ei anguſtias & nobilitatem ſine probro
actam, honori quàm ignominiæ habendã ducebat . Igitur miſſus in Aſi/
am. Et de Africa decretum ut Cæſar legeret cui mandanda foret. Inter
Seue.Cæcina quæ Seuerus Cæcina cenſuit,ne quem magiſtratum, cui prouincia obue/
Vxor ne comitetur magiſtratũ cui prouincia obuenisset niſſet,uxor comitaretur:multũ ante repetito,concordem ſibi coniugem,&
ſex partus enixam:ſeq; quæ in publicum ſtatueret domi ſeruauiſſe, cohi/
bita intra Italiam, quanquã ipſe pluris per prouincias quadraginta ſtipen
dia expleuiſſet.haud enim fruſtra placitum olim,ne fœminæ in ſocios aut
Fœminæ in ſocios aut gentes externas non trahẽdæ. gentes externas traherentur.ineſſe mulierum comitatui quæ pacem luxu,
bellum formidine morentur,& Romanum agmen ad ſimilitudinem bar/
bari inceſſus conuertant:non imbecillem tantũ , & imparem laboribus ſe/
xum,ſed ſi licentia adſit,ſæuum,ambitioſum,poteſtatis auidum, incedere
inter milites,habere ad manum centuriones : præſediſſe nuper fœminam
exercitio cohortium , decurſu legionum:cogitarẽt ipſi quoties repetunda/
rum aliqui arguerentur,plura uxoribus obiectari: his ſtatim adhæreſcere
deterrimum quemq; prouincialiũ:ab his negocia ſuſcipi,tranſigi:duorum
egreſſus coli,duo eſſe prætoria,peruicacibus magis & impotentibus muli/
Oppiæ leges erum iuſſis,quæ Oppijs quondã , alijſq; legibus conſtrictæ , nunc uinclis
exolutis,domos , fora,iam & exercitus regerent. Paucorũ hæc adſenſu
audita plures obturbabant,neq; relatũ de negotio, neq; Cæcinã dignum
Valer.Meſſalinus pro uxorib. ut maritos comitentur tantæ rei cenſorẽ.mox Valerius Meſſalinus cui parens Meſſala , ineratq;
imago paternæ facundiæ,reſpondit. Multa duritie ueterũ melius & læ/
tius mutata. neq; enim ut olim obſideri urbem bellis , aut prouincias ho/
ſtilis eſſe,& pauca fœminarum neceſſitatibus concedi , quæ ne coniugum
quidem penates,adeo ſocios non onerent:cætera promiſcua cum marito,
nec ullum in eo pacis impedimentũ.bella planè accinctis obeunda,ſed re/
Vxoriũ leuamentum uertentibus poſt laborem,quod honeſtius quàm uxorium leuamentum?
At quaſdam in ambitionem aut auariciam prolapſas.Quid ipſorum ma/
giſtratuum nónne pleroſq; uarijs libidinibus obnoxios? non tamen ideo
neminem in prouinciã mitti.corruptos ſæpe prauitatibus uxorũ maritos,
num

num ergo omnes cœlibes integros? placuiſſe quondam Oppias leges,ſic temporibus Reip.poſtulantibus:remiſſum aliquid poſtea, & mitigatum, quia expedierit.fruſtra noſtram ignauiã alia ad uocabula transferri: nam uiri in eo culpam,ſi fœmina modum excedat.porrò ob unius aut alterius imbecillum animũ,male eripi maritis conſortia rerum ſecundarum aduerſarumq́;:ſimul ſexum natura inualidũ deſeri,& exponi ſuo luxu, cupidinibus alienis:uix præſenti cuſtodia manere inlæſa coniugia, quid fore,ſi per plures annos in modum diſcidij obliterentur?Sic obuiã irent ijs quæ alibi peccarẽtur,ut flagitiorũ urbis meminiſſent.Addidit pauca Druſus de matrimonio ſuo.nam principibus adeunda ſæpius longinqua imperij. Quoties diuum Auguſtum in Occidentem atq; Orientẽ meauiſſe comite Liuia?ſe quoq; in Illyricum profectum,&,ſi ita conducat,alias ad gentes iturum,haud ſemper æquo animo,ſi ab uxore chariſſima, & tot cõmunium liberorum parente diuelleretur. Sic Cæcinæ ſẽtẽtia eluſa. Et proximi ſenatus die,Tiberius per literas caſtigatis obliquè patribus, quod cuncta curarum ad principem reijcerent, M.Lepidum & Iunium Blæſum nominauit,ex quîs proconſul Africæ legeretur.Tum audita amborũ uerba, intentius excuſante ſe Lepido,cum ualitudinem corporis, ætatem liberûm, nubilem filiam obtenderet,intelligereturq́; etiã quod ſilebat, auunculum eſſe Seiani Blæſum,atq; eo præualidum.Reſpondit Blæſus ſpecie recuſantis,ſed neq; eadẽ adſeueratione,& conſenſu adulantiũ auditus eſt Exin promptum,quod multorum intimis queſtibus tegebatur.Incedebat enim deterrimo cuiq; licentia,impune probra, & inuidiam in bonos excitandi, arrepta imagine Cæſaris:libertiq́; etiã ac ſerui, patrono uel domino cum uoces,cum manus intentarent,ultro metuebantur. Igitur C.Ceſtius ſenator diſſeruit,principes quidem inſtar deorũ eſſe, ſed neq; à dijs niſi iuſtas ſupplicum preces audiri: neq; quenquã in Capitolium, aliáue urbis templa perfugere,ut eo ſubſidio ad flagitia utatur:Abolitas leges, & funditus uerſas,ubi in foro,in limine curię ab Annia Rufilla, quã fraudis ſub iudice damnauiſſet,probra ſibi & minæ intendantur, neq; ipſe audeat ius experiri,ob effigiem imperatoris oppoſitam. Haud diſſimilia alij, & quidam atrociora circumſtrepebant:precabanturq́; Druſum daret ultionis exemplum,donec accitã conuictamq́; attineri publica cuſtodia iuſſit. Et Conſidius Æquus,& Cælius Curſor equites Ro.quod fictis maieſtatis criminibus Magium Cæcilianum prætorem petiuiſſent,autore principe,ac decreto ſenatus puniti.Vtrunq; in laudem Druſi trahebatur: ab eo, in urbe inter cœtus & ſermones hominũ obuerſante,ſecreta patris mitigari. neq; luxus in iuuene adeo diſplicebat.huc potius intenderet,diem ædificationibus,noctem conuiuijs trahere, quàm ſolus & nullis uoluptatibus auocatus mœſtam uigilantiam,& malas curas exerceret.nõ enim Tiberius, non accuſatores fatiſcebant. Et Ancharius Priſcus Cæſium Cordum proconſulem

Licentia peſſimorum

Principes inſtar deorum

Annia Rufilla

Cõſidius Aequus

Magius Caecilius

Caeſi.Cordus

Maieſtatis crimen
Antiſtius Vetus

ſulem Cretę poſtulauerat repetũdis,addito maieſtatis crimine, quod tum omnium accuſationum cõplementum erat. Cæſar Antiſtium Veterem è primoribus Macedoniæ abſolutũ adulterij, increpitis iudicibus, ad dicendam maieſtatis cauſam retraxit,ut turbidum, & Rheſcuporidis conſilijs permixtum,qua tempeſtate Cotye fratre interfecto, bellum aduerſus nos uoluerat.Igitur aqua & igni interdictum reo, adpoſitumq́ ut teneretur inſula,neq; Macedoniæ neq; Thraciæ opportuna. Nam Thracia diuiſo imperio in Rhœmetalcen & liberos Cotyis, quis ob infantiam tutor erat Trebellienus Rufus,inſolẽtia noſtri diſcors agebat,neq; minus Rhœmetalcen quàm Trebellienum incuſans,populariũ iniurias inultas ſinere.

Cœlaletæ Odruſæ

Cœlaletæ,Odruſæq́,& alij,ualidæ nationes,arma cepere, ducibus diuerſis & paribus inter ſe per ignobilitatẽ:quæ cauſa fuit, ne in bellũ atrox coaleſcerent.pars turbant præſentia,alij montem Hæmũ tranſgrediũtur, ut remotos populos concirent. plurimi ac maxime compoſiti regem, urbemq́ Philippopolim à Macedone Philippo ſitam, circumſidunt. Quæ ubi cognita P. Velleio (is proximum exercitum præſidebat) alarios equites ac leuis cohortiũ mittit in eos qui prædabundi aut adſumendis auxilijs uagabantur. Ipſe robur peditum ad exoluendum obſidium ducit. Simulq́ cuncta proſperè acta,cęſis populatoribus,& diſſenſione orta apud obſidentes,regisq́ opportuna eruptione,& aduentu legionis. neq; aciem aut prælium dici decuerit, in quo ſemermes ac palantes trucidati ſunt, ſine noſtro ſanguine.

Galliarũ ciuitates rebellionem parant
Iulius Florus
Iul. Sacrouir
Romana ciuitas uirtuti precium

Eodem anno Galliarũ ciuitates ob magnitudinem æris alieni rebellionẽ cœptauere: cuius exſtimulator acerrimus inter Treueros Iulius Florus, apud Æduos Iulius Sacrouir. nobilitas ambobus,& maiorum bona facta,eoq́ Romana ciuitas olim data,cum id rarum, nec niſi uirtuti precium eſſet.Ii ſecretis conloquijs, ferociſſimo quoque adſumpto,aut quibus ob egeſtatem,ac metum ex flagitijs,maxima peccandi neceſſitudo,componunt,Florus Belgas,Sacrouir propiores Gallos concire. Igitur per conciliabula & cœtus ſeditioſa diſſerebãt, de continuatione tributorum,grauitate fœnoris, ſæuitia ac ſuperbia præſidentium: & diſcordare militem audito Germanici exitio:egregium reſumẽdæ libertati tempus,ſi ipſi florẽtes, quàm inops Italia,q́ imbellis urbana plebes, nihil ualidum in exercitibus,niſi quod externũ, cogitarent. Haud fermè ulla ciuitas intacta ſeminibus eius motus fuit.

Andegaui Turonij

ſed erupere primi Andecaui, ac Turonij.quorũ Andecauos Acilius Auiola legatus excita cohorte, quæ Lugduni præſidiũ agitabat,coërcuit.Turonij legionario milite, quem Viſellius Varro inferioris Germaniæ legatus miſerat,oppreſſi,eodẽ Auiola duce,& quibuſdam Galliarũ primoribus,qui tulere auxiliũ,quo diſſimularẽt defectionem,magisq́ in tempore efferrent.ſpectatus & Sacrouir intecto capite pugnã pro Romanis ciens,oſtentandę,ut ferebat,uirtutis.ſed captiui,ne inceſſeretur telis,adgnoſcendum ſe præbuiſſe,arguebant. Conſultus

ſuper

ſuper eo Tiberius,aſpernatus eſt indicium,aluitq; dubitatione bellū.Interim Florus inſiſtere deſtinatis,pellicere alam equitum,quæ cōſcripta Treueris,militia diſciplinaq; noſtra habebatur,ut cæſis negociatoribus Romanis bellū inciperet.paucíq; equitū corrupti,plures in officio manſere.Aliud uulgus obæratorum aut clientium arma cepit, petebantq; ſaltus, quibus nomen Arduenna,cum legiones utroq; ab exercitu,quas Viſellius, & C. Silius aduerſis itineribus obiecerant,arcuerunt.præmiſſusq; cum delecta manu Iulius Indus è ciuitate eadē,diſcors Floro,& ob id nauandæ operæ auidior,inconditam multitudinem adhuc diſiecit. Florus incertis latebris uictores fruſtratus,poſtremo uiſis militibus qui effugia inſederāt, ſua manu cecidit.Isq; Treuerici tumultus finis. Apud Æduos maior moles exorta, quāto ciuitas opulentior,& comprimendi procul præſidium. Auguſtodunum caput gentis,armatis cohortibus,Sacrouir occupauerat, nobiliſſimarum Galliarū ſobolem,liberalibus ſtudijs ibi operatā, ut eo pignore parentes propinquosq; eorū adiungeret. ſimul arma occultè fabricata iuuentuti diſpertit. Quadraginta millia fuere,quinta ſui parte legionarijs armis,cæteri cum uenabulis & cultris,quæq; alia uenantibus tela ſunt. adduntur è ſeruitijs gladiaturæ deſtinati,quibus more gentico continuū ferri tegimen(Cruppellarios uocant)inferendis ictibus inhabiles,accipiendis impenetrabiles.augebantur hæ copiæ, uicinarū ciuitatum ut nondū aperta conſenſione,ita uiritim promptis ſtudijs,& certamine ducum Romanorum,quos inter ambigebatur,utroq; bellū ſibi poſcente:mox Varro inualidus ſenecta,uigenti Silio conceſſit. At Romæ non Treueros modo & Æduos,ſed quatuor & ſexaginta Galliarū ciuitates deſciuiſſe, adſumptos in ſocietatē Germanos,dubias Hiſpanias,cuncta(ut mos famæ) in maius credita.optumus quiſq; Reip.cura mœrebat.multi odio præſentiū,& cupidine mutationis,ſuis quoq; periculis lætabātur:increpabantq; Tiberium, quod in tāto rerū motu, libellis accuſatorū inſumeret operam.An Iulium Sacrouirū maieſtatis crimine rerū in ſenatu fore? extitiſſe tandē uiros qui cruentas epiſtulas armis cohiberent: miſeram pacē uel bello bene mutari.

Iul.Florus Treuir

Arduenna

Aedui

Auguſtodunū Aeduorū caput

Cruppellarij

Tanto impenſius in ſecuritatē compoſitus,neq; loco,neq; uultu mutato,ſed,ut ſolitū,per illos dies egit:altitudine animi,an compererat modica eſſe, & uulgatis leuiora. Interim Silius cū legionibus duabus incedens, præmiſſa auxiliari manu,uaſtat Sequanorū pagos,qui finium extremi,& Æduis contermini,ſocijq; in armis erant. Mox Auguſtodunū petit propero agmine,certantibus inter ſe ſigniferis, fremente etiam gregario milite,ne ſuetā requiem, ne ſpacia noctiū opperiretur: uiderent modo aduerſos,& aſpicerentur,id ſatis ad uictoriam.Duodecimū apud lapidē Sacrouir copiæq; patētibus locis apparuere.In frontē ſtatuerat ferratos, in cornibus cohortes, à tergo ſemermos. Ipſe inter primores equo inſigni adire, memorare ueteres Gallorū glorias, quæq; Romanis aduerſa intuliſſent:

quàm decora uictoribus libertas: quanto intolerantior ſeruitus iterum ui-ctis. Non diu hæc, nec apud lætos. etenim propinquabat legionū acies. inconditiq́ ac militiæ neſcij oppidani, neq; oculis neq; auribus ſatis competebant. contra Silius, & ſi præſumpta ſpes hortandi cauſas exemerat, clamitabat tamen, pudendum ipſis, quod Germaniarū uictores, aduerſum Gallos tanquā in hoſtem ducerentur. una nuper cohors rebellem Turonum, una ala Treuerum, paucæ huius ipſius exercitus turmæ profligauere Sequanos. quanto pecunia dites, & uoluptatibus opulentos, tanto magis imbelles Æduos, euincite, & fugientibus conſilite. Ingens ad ea clamor, & circumfudit eques. frontemq́; pedites inuaſere. nec cunctatū apud latera. paulum moræ attulere ferrati, reſtantibus laminis aduerſum pila & gladios. ſed miles correptis ſecuribus & dolabris ut ſi murum perrumperet, cædere tegmina & corpora. quidam trudibus aut furcis inertem molem pro-

Trudes ſternere. iacentesq́; nullo ad reſurgendum niſu quaſi exanimes linqueban-

Sacrouiri Hedui mors tur. Sacrouir primo Auguſtodunum, dein metu deditionis in uillam propinquam cum fidiſſimis pergit. Illic ſua manu, reliqui mutuis ictibus occidere. incenſa ſuper uilla omnes cremauit. Tum demū Tiberius ortum patratumq́; bellum ſenatui ſcripſit. neq; dempſit aut addidit uero, ſed fide ac uirtute legatos, ſe conſilijs ſuperfuiſſe. ſimul cauſas cur non ipſe, non Druſus profecti ad id bellum forent, adiunxit, magnitudinē imperij extollens, neq; decorum principibus, ſi una alteráue ciuitas turbet, omiſſa urbe, unde in omnia regimen. nunc quia non metu ducatur, iturum ut præſentia ſpectaret, componeretq́;. Decreuere patres uota pro reditu eius, ſupplicationesq́;, & alia decora. Solus Dolabella Cornelius dum anteire cęteros parat, abſurdam in adulationē progreſſus, cenſuit ut ouans è Campania urbem introiret. Igitur ſecutæ Cæſaris literæ, quibus ſe non tam uacuū gloria prædicabat, ut poſt ferociſſimas gentes perdomitas, tot receptos in iuuenta, aut ſpretos triumphos, iam ſenior peregrinationis ſuburbanæ inane præmium peteret. Sub idem tempus ut mors Sulpicij Quirinij publicis exequijs frequentaretur, petiuit à ſenatu. Nihil ad ueterem & patri-

Quirinius tiam Sulpiciorum familiam Quirinius pertinuit, ortus apud municipium Lanuuium, ſed impiger militiæ, & acribus miniſterijs cōſulatum ſub diuo Auguſto, mox expugnatis per Ciliciam Homonadenſium caſtellis inſignia triumphi adeptus, datusq́; rector C. Cæſari Armeniam obtinenti. Tiberium quoq; Rhodi agentem coluerat, quod tunc patefecit in ſenatu,

M. Folius laudatis in ſe officijs, & incuſato M. Folio, quem auctorem C. Cæſari prauitatis & diſcordiarum arguebat. ſed cæteris haud læta memoria Quirinij erat, ob intenta (ut memoraui) Lepidæ pericula, ſordidamq́; & præpoten-

Clutorius Priſcus Eq. Ro. tem ſenectam. Fine anni Clutorium Priſcum equitem Romanum poſt celebre carmen, quo Germanici ſuprema defleuerat, pecunia donatum à Cæſare, corripuit delator, obiectans ægro Druſo compoſuiſſe, quod ſi

extinctus

extinctus foret, maiore præmio uulgaretur. Id Clutorius in domo P. Petronij, ſocru eius Vitellia coràm, multiſq́; inluſtribus fœminis per uaniloquentiam legerat. Vt delator extitit, cæteris ad dicendũ teſtimonium exterritis, ſola Vitellia nihil ſe audiuiſſe adſeuerauit. ſed arguentibus ad perniciem, plus fidei fuit. ſententiaq́; Haterij Agrippæ conſulis deſignati indictum reo ultimũ ſupplicium. Contra M. Lepidus in hunc modũ exorſus eſt. Si P.C. unum id ſpectamus, quàm nefaria uoce Clutorius Priſcus mentem ſuam & aures hominũ polluerit, neq; carcer, neq; laqueus, ne ſeruiles quidẽ cruciatus in eum ſuffecerint. ſin flagitia & facinora ſine modo ſunt, ſupplicijs ac remedijs, principis moderatio, maiorumq́; & ueſtra exempla temperant, & uana à ſceleſtis, dicta à maleficijs differunt: eſt locus ſententiæ per quam neq; huic delictum impune ſit, & nos clementiæ ſimul ac ſeueritatis non pœniteat. Sæpe audiui principem noſtrũ conquerentem, ſi quis ſumpta morte miſericordiam eius præueniſſet. uita Clutorij in integro eſt, qui neq; ſeruatus in periculum Reip, neq; interfectus in exemplum ibit. ſtudia illi ut plena uæcordiæ, ita inania & fluxa ſunt, nec quicquam graue ac ſerium ex eo metuas, qui ſuorum ipſe flagitiorum proditor, non uirorum animis, ſed muliercularum adrepit. cedat tamen urbe, & bonis amiſſis aqua & igni arceatur. Quod perinde cenſeo, ac ſi lege maieſtatis teneretur. Solus Lepido Rubellius Blandus è conſularibus adſenſit. cæteri ſententiam Agrippæ ſecuti. ductuſq́; in carcerem Priſcus, ac ſtatim exanimatus. Id Tiberius ſolitis ſibi ambagibus apud ſenatum incuſauit, cum extolleret pietatem quamuis modicas principis iniurias acriter ulciſcentium, deprecaretur tam præcipitis uerborũ pœnas, laudaret Lepidum, nec Agrippam argueret. Igitur factum S.C. ne decreta patrũ ante diem ad ærarium deferrentur, idq́; uitæ ſpatium damnatis prorogaretur. ſed non ſenatui libertas ad pœnitendũ erat, neq; Tiberius interiectu temporis mitigabatur. C. Sulpicius, D. Haterius conſules ſequũtur. Inturbidus externis rebus annus, domi ſuſpecta ſeueritate aduerſum luxũ, qui immenſum proruperat ad cuncta quis pecunia prodigitur. Sed alia ſumptuum quãuis grauiora diſſimulatis plerunq; precijs occultabantur, uentris & ganeæ paratus adſiduis ſermonibus uulgati, fecerãt curam, ne princeps antiquæ parſimoniæ durius aduerteret. Nam incipiente C. Bibulo, cæteri quoq; ædiles diſſeruerant, ſperni ſumptuariã legem, uetitaq́; utenſilium pretia augeri in dies, nec mediocribus remedijs reſiſti poſſe. & conſulti patres, integrum id negotium ad principem diſtulerant. Sed Tiberius ſępe apud ſe penſitato an coërceri tam profuſę cupidines poſſent: num coërcitio plus damni in Remp. ferret: quàm indecorum adtrectare quod non obtineretur, uel retentum ignominiã & infamiam uirorũ inluſtrium poſceret: poſtremo literas ad ſenatũ compoſuit, quarum ſententia in hunc modum fuit. Cæteris forſitan in rebus P.C. magis expediat me coràm interrogari

Oratio M. Lepidi pro Clutorio Priſco in ſenatu

Rub. Blandus

Pœna uerborum

Aduerſus luxum

Literæ Tiberij Imperatoris ad ſenatũ

interrogari,& dicere quid è Rep.cenſeam.in hac relatione ſubtrahi oculos meos melius fuit, ne denotantibus uobis ora,ac metum ſingulorũ qui pudendi luxus arguerẽtur,ipſe etiam uiderem eos, ac uelut deprehenderem. quod ſi mecum ante uiri ſtrenui ædiles conſiliũ habuiſſent, neſcio an ſuaſurus fuerim omittere potius prævalida,& adulta uitia,quàm hoc adſequi, ut palàm fieret quibus flagitijs impares eſſemus. ſed illi quidem officio functi ſunt, ut cæteros quoq; magiſtratus ſua munia implere uelim.mihi autem neq; honeſtum ſilere,neq; proloqui expeditum,quia non ædilis, aut prætoris,aut conſulis partes ſuſtineo.maius aliquid & excelſius à principe poſtulatur,& cum recte factorum ſibi quiſq; gratiam trahant,unius inuidia ab omnibus peccatur. Quid enim primũ prohibere, & priſcum ad morem recidere adgrediar? uillarum ne infinita ſpatia, familiarum numerum & nationes? argenti & auri pondus? æris,tabularumq; miracula? promiſcuas uiris & fœminis ueſtes? atq; illa fœminarum propria, quîs lapidum cauſa pecuniæ noſtræ ad externas aut hoſtilis gentes transferuntur. Nec ignoro in conuiuijs & circulis incuſari iſta,& modũ poſci.ſed ſi quis legem ſanciat,pœnas indicat,ijdem illi ciuitatem uerti,ſplendidiſſimo cuiq; exitium parari,neminẽ criminis expertem clamitabunt.Atqui ne corporis quidem morbos ueteres,& diu auctos,niſi per dura & aſpera coërceas.corruptus ſimul & corruptor,æger & flagrãs animus,haud leuioribus remedijs reſtinguendus eſt, quàm libidinibus ardeſcit. tot à maioribus repertæ leges,tot quas diuus Auguſtus tulit,illæ obliuiõe,hæ(quod flagitioſius eſt) contemptu abolitæ ſecuriorem luxum fecere. nam ſi uelis quod nondum uetitum eſt,timeas ne uetere.at ſi prohibita impune tranſcẽderis, neq; metus ultra,neq; pudor eſt.cur ergo olim parſimonia pollebat? quia ſibi quiſque moderabatur,quia unius urbis ciues eramus,ne inritamenta quidem eadem intra Italiam dominantibus.externis uictorijs aliena, ciuilibus etiam noſtra conſumere didicimus. Quantulũ iſtud eſt de quo ædiles admonent? Quàm,ſi cætera reſpicias in leui habendũ? At Hercule nemo refert quod Italia externæ opis indiget, quod uita populi Romani per incerta maris & tempeſtatum cotidie uoluitur. ac niſi prouinciarum copiæ & dominis & ſeruitijs,& agris ſubuenerint,noſtra nos ſcilicet nemora,noſtræq; uillæ tuebuntur? Hanc P.C.curam ſuſtinet princeps. hæc omiſſa, funditus Remp.trahet.reliquis intra animũ medendũ eſt.nos pudor, pauperes neceſſitas,diuites ſatias in melius mutet.Aut ſi quis ex magiſtratibus tãtam induſtriam ac ſeueritatem pollicetur, ut ire obuiam queat, hunc & laudo, & exonerari laborum meorum partem fateor. ſin accuſare uitia uolunt, dein cum gloriã eius rei adepti ſunt,ſimultates faciũt, ac mihi relinquunt, credite P.C.me quoq; non eſſe offenſionum auidum,quas cum graues,& plerunq; iniquas pro Rep.ſuſcipiam,inanes & inritas neq; mihi aut uobis uſui futuras iure deprecor. Auditis Cæſaris literis,remiſſa ædilibus talis

Fœminarum propria

cura

cura,luxusq́; mēſæ à fine Actiaci belli,ad ea arma quîs Ser.Galba rerum adeptus eſt,per annos centum profuſis ſumptibus exerciti,paulatim exoleuere. Cauſas eius mutationis quærere libet. Dites olim familiæ nobilium, aut claritudine inſignes ſtudio magnificentiæ prolabebantur. nam etiam tum plebem,ſocios,regna colere,& coli licitum:ut quiſq; opibus,domo,paratu,ſpecioſus,per nomen & clientelas inluſtrior habebatur.poſtq; cædibus ſæuitū,& magnitudo famæ exitio erat,cæteri ad ſapientiora conuertere:ſimul noui homines è municipijs & colonijs,atq; etiam prouincijs in ſenatum crebro adſumpti,domeſticam parſimoniā intulerunt,& quanquam fortuna uel induſtria pleriq; pecunioſam ad ſenectam peruenirent, manſit tamē prior animus.Sed præcipuus adſtricti moris auctor Veſpaſianus fuit,antiquo ipſe cultū uictuq́;.obſequiū inde in principē, & æmulandi amor, ualidior quàm pœna ex legibus & metus:niſi forte rebus cunctis ineſt quidam uelut orbis, ut quemadmodū temporum uices,ita morum uertantur.nec omnia apud priores meliora, ſed noſtra quoque ætas multa laudis & artium imitanda poſteris tulit. uerum hæc nobis maiores certamina ex honeſto maneāt. Tiberius fama moderationis parta quod ingruentis accuſatores repreſſerat,mittit literas ad ſenatum, quis poteſtatem tribunitiam Druſo petebat. Id ſummi faſtigij uocabulum Auguſtus repperit,ne regis aut dictatoris nomen adſumeret, ac tamen appellatione aliqua cætera imperia præmineret.Marcum deinde Agrippā ſocium eius poteſtatis,quo defuncto Tiberiū Neronem delegit, ne ſucceſſor in incerto foret.ſic cohiberi prauas aliorum ſpes rebatur,ſimul modeſtiæ Neronis & ſuæ magnitudini fidebat.Quo tūc exemplo Tiberius Druſum ſummæ rei admouet, cum incolumi Germanico integrum inter duos iudicium tenuiſſet.Sed principio literarum ueneratus deos, ut conſilia ſua Reip. proſperarent, modica de moribus adoleſcentis, neq; in falſum aucta,rettulit: eſſe illi coniugem & tres liberos,eamq́; ætatem qua ipſe quondam à diuo Auguſto ad capeſſendū hoc munus uocatus ſit. Neq; nunc properè, ſed per octo annos capto experimento, compreſſis ſeditionibus, compoſitis bellis triumphalem & bis conſulem, noti laboris participem ſumi. Præceperant animis orationem patres.quo quæſitior adulatio fuit.nec tamen repertum,niſi ut effigies principum,aras deûm,templa & arcus, aliaq́; ſolita cenſerent: niſi quod M.Sillanus ex contumelia conſulatus, honorem principibus petiuit:dixitq́; pro ſententia,ut publicis priuatiſúe monimentis,ad memoriam temporū,non conſulum nomina præſcriberētur,ſed eorum qui tribunitiam poteſtatem gererent.Atq; Haterius cum eius diei ſenatus conſulta aureis literis figenda in curia cenſuiſſet, deridiculo fuit,ſenex fœdiſſimæ adulationis tantum infamia uſurus. Inter quæ prouincia Africa Iunio Blæſo prorogata,Seruius Maluginenſis flamen dialis, ut Aſiam ſorte haberet poſtulauit,fruſtra uulgatū dictitans non licere Dia-

libus

Cauſæ luxus exoleſcentis

Veſpaſianus

Orbis rerum

Vices morum

Tribunitia poteſtas

M.Sillanus

Haterius

Agrippa

Seruius Maluginenſis

libus egredi Italia:neq; aliud ius ſuum quàm Martialium, Quirinaliumq́;
Flamẽ Dialis ambit imperium Aſiæ proconſulare
Flaminum:porrò ſi hi duxiſſent prouincias,cur dialibus id uetitum? nulla
de eo populi ſcita,non in libris cæremoniarũ reperiri.ſæpe Pontifices dia-
lia ſacra feciſſe,ſi flamen ualitudine aut munere publico impediretur. duo
bus & ſeptuaginta annis poſt Cornelij Merulæ cædem neminem ſuffe-
ctum:neq; tamen ceſſauiſſe religiones. Quod ſi per tot annos poſſit non
creari,nullo ſacrorum damno,quanto facilius abfuturũ ad unius anni pro
conſulare imperium? Priuatis olim ſimultatibus effectũ, ut à pontificibus
maximis ire in prouincias prohiberentur:nũc deûm munere ſummũ Pon-
tificum etiam ſummũ hominum eſſe,non æmulatione,non odio, aut pri-
uatis adfectionibus obnoxiũ. Aduerſus quæ cũ augur Lentulus alijq́;
uarie diſſererent, eò decurſum eſt, ut Pontificis Max. ſententiam opperi-
rentur. Tiberius dilata notione de iure Flaminis, decretas ob tribunitiam
Nam Haterius cenſuerat S.C. aureis literis figendũ in curia
Druſi poteſtatem cærimonias temperauit,nominatim arguens inſolenti-
am ſententiæ,aureasq́; literas contra patrium morem. Recitatæ & Druſi
epiſtulæ,quanquam ad modeſtiam flexæ, pro ſuperbiſſimis accipiuntur.
Huc decidiſſe cuncta,ut ne iuuenis quidem tanto honore accepto, adiret
urbis deos,ingrederetur ſenatum,auſpicia ſaltem gentile apud ſolum inci-
peret. Bellum ſcilicet:aut diuerſo terrarum diſtineri, littora & lacus Cam-
paniæ tum maxime peragrantem:ſic imbui rectorem generis humani, id
primum è paternis conſilijs diſcere.ſanè grauaretur aſpectũ ciuium ſenex
imperator,feſſamq́; ætatẽ,& actos labores prætenderet:Druſo quod niſi
Poſtulata prouinciarũ Tib. ad patres refert
ex adrogantia impedimentum? Sed Tiberius uim principatus ſibi fir-
mans,imaginem antiquitatis ſenatui præbebat, poſtulata prouinciarũ ad
diſquiſitionem patrum mittendo. Crebreſcebat enim Græcas per urbes
Licẽtia apud Græcos aſyla ſtatuendi
licentia atq; impunitas aſyla ſtatuendi.Complebãtur templa peſſimis ſer-
uitiorum.eodem ſubſidio obærati aduerſum creditores,ſuſpectiq́; capita-
lium criminum receptabantur. Nec ullum ſatis ualidum imperiũ erat co-
hercendis ſeditionibus populi,flagitia hominũ ut cærimonias deûm pro-
tegentis. Igitur placitũ ut mitterent ciuitates iura,atq; legatos. Et quædam
quod falſò uſurpauerãt ſponte omiſere. Multæ uetuſtis ſuperſtitionibus,
aut meritis in populũ Romanum fidebant. Magnaq́; eius diei ſpecies fu-
it,quo ſenatus maiorum beneficia,ſociorũ pacta,regũ etiam qui ante uim
Vis Romana Epheſij
Romanam ualuerant decreta, ipſorumq́; numinum religiones introſpe-
xit,libero,ut quondam,quid firmaret mutarẽtue. Primi omnium Epheſij
adiere memorantes,non,ut uulgus crederet, Dianã atq; Apollinem Delo
genitos:eſſe apud ſe Cenchrium amnem,locum Ortygiam,ubi Latonam
partu grauidam & oleæ,quæ tum etiam maneat,adniſam, edidiſſe ea nu-
mina:deorumq́; monitu ſacratum nemus. Atq; ipſum illic Apollinẽ poſt
interfectos Cyclopas Iouis iram uitauiſſe. Mox Liberum patrẽ bello ui-
ctorem, ſupplicibus Amazonum quæ aram inſederãt ignouiſſe. Auctam
hinc

hinc conceſſu Herculis,cum Lydia potiretur,cærimoniam templo, neque Perſarum ditione diminutum ius. Poſt Macedonas,dein nos ſeruauiſſe. Proximo Magnetes,L.Scipionis,& L.Sullæ cõſtitutis nitebãtur. quorum ille Antiocho,hic Mithridate, pulſis, fidem atq; uirtutẽ Magnetum decorauere,uti Dianę Leucophryenæ perfugiũ inuiolabile foret. Aphrodiſienſes poſthac & Stratonicenſes dictatoris Cæſaris ob uetuſta in partes merita, & recens diui Auguſti decretum adtulere. Laudati quod Parthorum inruptionem,nihil mutata in populum Romanũ conſtantia,pertuliſſent. Sed Aphrodiſienſium ciuitas,Veneris,Stratonicenſium, Iouis, & Triuiæ religionẽ tuebantur. Altius Hierocæſarienſes expoſuere Perſicam apud ſe Dianam,delubrum rege Cyro dicatum.& memorabantur Perpennæ,Iſaurici,multaq; alia imperatorũ nomina, qui non modo templo,ſed duobus millibus paſſuum eandem ſanctitatẽ tribuerant. Exin Cyprij tribus delubris,quorũ uetuſtiſſimũ Paphię Veneri auctor Aerias, poſt filius eius Amathus Veneri Amathuſiæ, & Ioui Salaminio Teucer, Telamonis patris ira profugus,poſuiſſent.Auditæ aliarũ quoq; ciuitatum legationes. Quorum copia feſſi patres, & quia ſtudijs certabatur,conſulibus permiſere, ut perſpecto iure,& ſi qua iniquitas inuolueretur,rem integram rurſum ad ſenatum referrent. Conſules ſuper eas ciuitates quas memoraui,apud Pergamum,Æſculapij compertũ aſylum rettulerunt:cæteros obſcuris ob uetuſtatem initijs niti.nam Smyrnæos oraculum Apollinis,cuius imperio Stratonicidi Veneri templum dicauerint: Tenios eiuſdem carmen referre,quo ſacrare Neptuni effigiem,ædemq; iuſſi ſint.Propiora Sardianos,Alexandri uictoris id donum:neq; minus Mileſios Dareo rege uti.ſed cultus numinum utriſq; Dianam, aut Apollinem uenerandi.Petere & Cretenſes ſimulachro diui Auguſti. Factaq; ſenatuſconſulta quis multo cum honore,modus tamẽ præſcribebatur.iuſſiq; ipſis in templis facere aras ſacrandam ad memoriam,neu ſpecie religionis in ambitionem delaberentur. Sub idem tempus Iuliæ Auguſtæ ualitudo atrox, neceſſitudinem principi fecit feſtinati in urbem reditus, ſyncera adhuc inter matrem filiumq; concordia,ſiue occultis odijs. Neq; enim multo ante cum haud procul theatro Marcelli effigiem diuo Auguſto Iulia dicaret, Tiberij nomen,ſuo poſt ſcripſerat.idq; ille credebatur,ut inferius maieſtate principis, graui & diſſimulata offenſione abdidiſſe. Sed tum ſupplicia dijs, ludiq; Magni ab ſenatu decernuntur,quos Pontifices, & augures,& quindecimuiri,ſeptemuiris ſimul & ſodalibus Auguſtalibus ederent.Cenſuerat L. Apronius ut fœciales quoq; ijs ludis præſiderent. Contradixit Cæſar diſtincto ſacerdotiorum iure,& repetitis exemplis.neq; enim unq; fœcialibus hoc maieſtatis fuiſſe.ideo Auguſtales adiectos,quia proprium eius domus ſacerdotiũ eſſet,pro qua uota perſoluerẽtur. Exequi ſententias haud inſtitui niſi inſignes per honeſtum,aut notabili dedecore, quod

Magnetes

Aphrodiſien. Stratonicẽſes

Hierocæſarienſes

Cyprij

Iuliæ Auguſtæ ualitudo

Supplicia,id eſt ſupplicationes

Fœciales

Præcipuũ munus annalium

præcipuum munus annalium reor: ne uirtutes ſileantur, utq; prauis dictis factisq; ex poſteritate & infamia metus ſit. Cæterũ tempora illa adeo infecta & adulatione ſordida fuere, ut non modo primores ciuitatis quibus claritudo ſua obſequijs protegenda erat, ſed omnes cõſulares, magna pars eorum qui prætura functi, multiq; etiam pedarij ſenatores certatim exurgerent, fœdaq; & nimia cenſerent.

Senatorũ ſeruilis in Tiberium adulatio

Memoriæ proditur, Tiberiũ quoties curia egrederetur, Græcis uerbis in hunc modum eloqui ſolitũ, O HOMINES AD SERVITVTEM PARATOS. ſcilicet etiam illum qui libertatem publicam nollet, tam proiectæ ſeruientium patientiæ tædebat. Paulatim dehinc ab indecoris ad infeſta tranſgrediebantur.

C. Sillanus repetundarũ poſtulatus

C. Sillanum proconſulem Aſiæ repetundarũ à ſocijs poſtulatũ, Mamercus Scaurus è conſularibus, Iunius Otho prætor, Brutidius Niger ædilis, ſimul corripiunt, obiectantq; uiolatum Auguſti numen, ſpretam Tiberij maieſtatem. Mamercus antiqua exempla iaciens, L. Cottam à Scipione Africano, Ser. Galbam à Catone cenſorio, P. Rutilium à M. Scauro accuſatos: uidelicet Scipio & Cato talia ulciſcebãtur, aut ille Scaurus, quem proauum ſuum, obprobrium maiorũ Mamercus, infami opera dehoneſtabat.

Mamercus opprobriũ maiorum

Iunio Othoni literarium ludum exercere uetus ars fuit, mox Seiani potentia ſenator, obſcura initia impudẽtibus auſis propolluebat. Brutidium artibus honeſtis copioſum, & ſi rectũ iter perageret, ad clariſſima quæq; iturum, feſtinatio extimulabat, dum æqualeis, dein ſuperiores, poſtremo ſuaſmet ipſe ſpes anteire parat. quod multos etiã bonos peſſum dedit, qui ſpretis quæ tarda cum ſecuritate, præmatura, uel cum exitio properãt. Auxere numerum accuſatorũ Gellius Publicola, & M. Paconius. Ille quęſtor Sillani, hic legatus. Nec dubium habebatur, ſæuitiæ, captarumq; pecuniarum teneri reum. ſed multa adgerebantur etiam inſontibus periculoſa, cum ſuper tot ſenatores aduerſos, facundiſſimis totius Aſiæ, eoq; ad accuſandũ delectis reſponderet ſolus, & orandi neſcius proprio in metu, qui exercitã quoque eloquentiam debilitat, non temperante Tiberio, quin premeret uoce, uultu, eo quod ipſe creberrime interrogabat. neq; refellere, aut eludere, dabatur: ac ſæpe etiam confitendũ erat, ne fruſtra quæſiuiſſet.

Eloquentiam debilitat metus

Seruos quoque Sillani, ut tormentis interrogentur actor publicus mancipio acceperat. & ne quis neceſſariorum iuuaret periclitãtem, maieſtatis crimina ſubdebantur, uinclum & neceſſitas ſilendi.

Maieſtatis crimen

Igitur petito paucorũ dierum interiectu, defenſionem ſui deſeruit, auſis ad Cæſarem codicillis, quibus inuidiam & preces miſcuerat. Tiberius quę in Sillanum parabat, quo excuſatius ſub exemplo acciperentur, libellos diui Auguſti de Voleſo Meſſala eiuſdem Aſiæ proconſule, factumq; in eum ſenatuſconſultum recitari iubet. Tum L. Piſonem ſententiam rogat. ille multũ de clementia principis præfatus, aqua atq; igne Sillano interdicendum cenſuit, ipſumq; in inſulam Gyarum relegandum. Eadem cæteri, niſi quod Gn. Lentulus ſeparanda

Sillani

Sillani materna bona, quippe alia parente geniti, reddendaq́ filio dixit, adnuente Tiberio. At Cornelius Dolabella dum adulationem longius ſequitur, increpitis C. Sillani moribus, addidit, ne quis uita probroſus, & opertus infamia prouinciam ſortiretur, idq́ princeps dijudicaret. nam à legibus delicta puniri. quanto fore mitius in ipſos, melius in ſocios, prouideri ne peccaretur? Aduerſum quæ diſſeruit Cæſar: non quidem ſibi ignara quæ de Sillano uulgabãtur, ſed non ex rumore ſtatuendũ. multos in prouincijs cõtra q̃ ſpes aut metus de illis fuerit, egiſſe. excitari quoſdã ad meliora magnitudine rerum, hebeſcere alios. neq; poſſe principem ſua ſcientia cuncta cõplecti. neq; expedire, ut ambitione aliena trahatur. ideo leges in facta conſtitui, quia futura in incerto ſint. ſic à maioribus inſtitutũ, ut ſi antiſſent delicta, pœnæ ſequerentur. ne uerterent ſapienter reperta & ſemper placita. ſatis onerum principibus, ſatis etiam potentiæ: minutura, quoties gliſcat poteſtas: nec utendũ imperio, ubi legibus agi poſſit. Quanto rarior apud Tiberiũ popularitas, tanto lætioribus animis accepta. Atq; ille prudens moderandi ſi propria ira non impelleretur, addidit inſulã Gyarum immitẽ & ſine cultu hominũ eſſe: darent Iuniæ familiæ, & uiro quondam ordinis eiuſdem, Cytheram potius cõcederet. id ſororẽ quoq; Sillani Torquatam priſcæ ſanctimoniæ uirginẽ expetere. In hanc ſententiam facta diſceſſio. Poſt auditi Cyrenenſes, & accuſante Anchario Priſco, Cæſius Cordus repetundarũ damnatur. L. Ennium equitẽ Romanum maieſtatis poſtulatũ, quod effigiem principis promiſcuũ ad uſum argenti uertiſſet, recipi Cæſar inter reos uetuit, palàm aſpernãte Ateio Capitone, quaſi per libertatẽ: non enim debere eripi patribus uim ſtatuẽdi, neq; tantum maleficium impune habendũ: ſanè lentus in ſuo dolore eſſet, Reip. iniurias ne largiretur. Intellexit hæc Tiberius ut erant magis q̃ ut dicebantur, perſtititq́ intercedere. Capito inſignior infamia fuit, quod humani diuiniq́ iuris ſciens, egregiũ publicũ, & bonas domi artes dehoneſtauiſſet.

Ne quis uita probroſus prouinciam ſortiretur

Nõ ſtatuendũ ex rumore

Leges in facta conſtitutæ

Rara apud Tiberium popularitas

Cæſ. Cordus repetundarũ damnatur

L. Ennius Eq. Ro.

Inceſſit dein religio quo nam in templo locandũ foret donũ, quod pro ualetudine Auguſtæ equites Romani uouerant Equeſtri Fortunæ. nam & ſi delubra eius deæ multa in urbe, nullũ tamen tali cognomento erat. repertum eſt ædem eſſe apud Antium quæ ſic nuncuparetur: cunctasq́ cærimonias Italicis in oppidis, templaq́, & numinũ effigies, iuris atq; imperij Romani eſſe. ita donũ apud Antium ſtatuitur. Et quando de religionibus tractabatur, dilatũ nuper reſponſum aduerſus Seruiũ Maluginenſem Flaminem Dialem, promiſit Cæſar: recitauitq́ decretũ pontificum. Quoties ualitudo aduerſa Flaminem Dialem inceſſiſſet, ut Pontificis maximi arbitrium pluſq́ binoctium abeſſet, dum ne diebus publici ſacrificij, neu ſæpius q̃ bis eundem in annum. Quæ principe Auguſto conſtituta, ſatis oſtendebant, annuam abſentiã & prouinciarum adminiſtrationẽ dialibus non concedi. memorabaturq́ L. Metelli Pontificis maximi exemplũ, qui

Equeſtris Fortuna apud Antium

Decretũ Pontificũ de Flaminis Dialis abſentia

Aulum Poſthumiū Flaminem attinuiſſet. Ita ſors Aſiæ in eum qui conſularium Maluginenſi proximus erat conlata.

Lepidus baſilicam Pauli inſtaurat.

Iiſdem diebus Lepidus à ſenatu petiuit ut baſilicam Pauli, Æmylia monumenta, propria pecunia firmaret ornaretq́;. erat etiam tum in more publica munificentia. nec Auguſtus arguerat Taurum, Philippū, Balbum, hoſtiles exuuias, aut exundantis opes ornatū ad urbis, & poſterûm gloriā conferre. quo tum exemplo Lepidus, quanquā pecuniæ modicus, auitū decus recoluit.

Pompeij theatrum igne hauſtum

At Pompeij theatrum igne fortuito hauſtū, Cæſar extructurum pollicitus eſt, eo quod nemo è familia reſtaurando ſufficeret, manente tamē nomine Pompeij. ſimul laudibus Seianū extulit, tanquā labore uigilantiaq́; eius tanta uis unum intra damnū ſtetiſſet. Et cenſuere patres effigiem Seiano, quæ apud theatrū Pompeij locaretur.

Iunio Blæſo proconſ. Africæ triūphi inſignia conceduntur

Tacfarinas ſedem ſibi ſuiſq; poſtulat à Tiberio

neq; multo poſt Cæſar cum Iuniū Blæſum proconſulē Africæ triumphi inſignibus attolleret, dare id ſe dixit honori Seiani, cuius ille auunculus erat. Ac tamen res Blæſi dignæ decore tali fuere. nam Tacfarinas quanquam ſæpius depulſus, reparatis per intima Africæ auxilijs, huc adrogātiæ uenerat, ut legatos ad Tiberiū mitteret, ſedemq́; ultro ſibi atq; exercitui ſuo poſtularet, aut bellū inexplicabile minitaretur. Non aliâs magis ſua populiq́; cōtumelia Ro. indoluiſſe Cæſarem ferunt, q́; quod deſertor & prædo, hoſtium more ageret. ne Spartaco quidem poſt tot conſulariū exercituum clades inultam Italiā urenti (quanq́; Sertorij atq; Mithridatis ingētibus bellis labaret Reſp.) datum, ut pacto in fidem acciperetur, ne dum pulcherrimo populi Romani faſtigio, latro Tacfarinas, pace & cōceſſione agrorum redimeretur. Dat negotiū Blæſo, cæteros quidē ad ſpem proliceret arma ſine noxa ponendi, ipſius autem ducis quoquo modo potiretur. Et recepti ea uenia pleriq;. mox aduerſum artes Tacfarinatis, haud diſſimili modo belligeratū. Nam quia ille robore exercitus impar, furandi melior, pluris per globos incurſaret, eluderetq́;, & inſidias ſimul tentaret, tres inceſſus, totidē agmina parantur. ex quis Cornelius Scipio legatus præfuit, quà prædatio in Leptinos & ſuffugia Garamantum. alio latere ne Cirtenſium pagi impune traherentur, propriā manum Blæſus filius duxit. Medio, cū delectis caſtella & munitiones idoneis locis imponēs, dux ipſe arcta & infenſa hoſtibus cuncta fecerat: quia quoquò inclinarēt, pars aliqua militis Romani in ore, in latere, & ſæpe à tergo erat. multiq́; eo modo cæſi aut circumuenti. Tunc tripartitum exercitum plures in manus diſpergit, præponitq́; centuriones uirtutis expertæ, nec ut mos fuerat, acta æſtate retrahit copias, aut in hybernaculis ueteris prouinciæ cōponit: ſed ut in limine belli, diſpoſitis caſtellis per expeditos & ſolitudinum gnaros mutantem mapalia Tacfarinatem proturbabat, donec fratre eius capto, regreſſus eſt, properantius tamen quàm ex utilitate ſociorum, relictis per quos reſurgeret bellum. Sed Tiberius pro confecto interpretatus, id quoq; Blæſo tribuit ut imperator à legionibus ſalutaretur, priſco erga

Duces imperatorū nomine ſalutabantur à legionibus

ſco erga duces honore,qui bene geſta Rep.gaudio & impetu uictoris exercitus conclamabantur.erantq; plures ſimul imperatores,nec ſuper cæterorum æqualitatem.cōceſſit quibuſdam & Auguſtus id uocabulū,ac tunc Tiberius Blæſo. Poſtremum obiere eo anno uiri illuſtres, Aſinius Salonius, M. Agrippa & Pollione Aſinio auis,fratre Druſo inſignis, Cæſariq; progener deſtinatus.

Aſinij Salonij mors

Atei Capitonis mors

Et Capito Ateius de quo memoraui,principem in ciuitate locum ſtudijs ciuilibus adſecutus, ſed auo centurione Sullano, patre prætorio.conſulatum ei adcelerauerat Auguſtus,ut Labeonem Antiſtium ijſdem artibus præcellentem dignatione eius magiſtratus anteiret.

Antiſtius Labeo

Duo pacis decora

Namq; illa ætas duo pacis decora ſimul tulit. ſed Labeo incorrupta libertate,& ob id fama celebratior.Capitonis obſequiū dominantibus magis probabatur.Illi quod præturam intra ſtetit,commendatio ex iniuria:huic quod conſulatū adeptus eſt,odium ex inuidia oriebatur.

Iunia

Et Iunia ſexageſimo quarto poſt Philippenſem aciem anno ſupremū diem expleuit,Catone auunculo genita,C. Caſſij uxor, M. Bruti ſoror.Teſtamentum eius multo apud uulgū rumore fuit:quia in magnis opibus, cū fermè cunctos proceres cū honore nominauiſſet,Cæſarē omiſit.quod ciuiliter acceptum. neq; prohibuit quo minus laudatione pro roſtris,cæteriſq; ſolennibus funus cohoneſtaretur. Viginti clariſſimarū familiarum imagines antelatæ ſunt,Manlij,Quintij,aliaq; eiuſdem nobilitatis nomina: ſed præfulgebāt Caſſius atq; Brutus,eo ipſo,quod effigies eorum non uiſebantur.

P. CORNELII TACITI AB EXCESSV DIVI AVGVSTI ANNALIVM LIBER QVARTVS.

Aelius Seianus dominationis captator

C. ASINIO, C. Antiſtio Coſs. nonus Tiberio annus erat compoſitæ Reip. florentis domus (nam Germanici mortem inter proſpera ducebat)cum repente turbare fortuna cœpit,ſæuire ipſe,aut ſæuientibus uires præbere. Initium & cauſa penes Ælium Seianum cohortibus prætorijs præfectum, cuius de potentia ſupra memoraui.Nunc originem,mores, & quo facinore dominationem captauerit expediam. Genitus Vulſinijs, patre Seio Strabone equite Romano, & prima iuuenta C. Cæſarem diui Auguſti nepotem ſectatus, non ſine rumore Apicio diuiti & prodigo ſtuprum uenūdediſſe,mox Tiberium uarijs artibus deuinxit, adeo ut obſcurum aduerſum alios, ſibi uni incautū intectumq; efficeret, non tam ſolertia(quippe ijſdem artibus uictus eſt) quàm deûm ira in rem Romanam,cuius pari exitio uiguit,ceciditq;. Corpus illi laborū tolerans,

animus audax,ſui obtegẽs,in alios criminator.iuxta adulatio & ſuperbia. palàm compoſitus pudor,intus ſumma apiſcendi libido,eiuſq; cauſa, modo largitio & luxus,ſæpius induſtria,ac uigilãtia,haud minus noxiæ,quoties parando regno fingũtur. Vim præfecturæ modicam antea, intendit, diſperſas per urbem cohortes una in caſtra conducendo, ut ſimul imperia acciperent,numeroq; & robore, & uiſu inter ſe,fiducia ipſis,in cæteros metus crederetur. Prætendebat laſciuire militem diductũ. ſi quid ſubitum ingruat, maiore auxilio pariter ſubueniri. & ſeuerius acturos ſi uallum ſtatuatur procul urbis inlecebris. Vt perfecta ſunt caſtra, inrepere paulatim militares animos,adeundo, appellãdo:ſimul centuriones ac tribunos ipſe deligere.neque ſenatorio ambitu abſtinebat, clientes ſuos honoribus aut prouincijs ornando,facili Tiberio,atq; ita prono,ut ſocium laborum,non modo in ſermonibus,ſed apud patres & populũ celebraret,coliq; per theatra & fora effigies eius,interq; principia legionum ſineret. Cæterum plena Cæſarum domus,iuuenis filius,nepotes adulti, moram cupitis adferebant. & quia ui tot ſimul corripere intutum,dolus interualla ſcelerum poſcebat.placuit tamen occultior uia,& à Druſo incipere,in quem recenti ira ferebatur. Nam Druſus impatiẽs æmuli,& animo commotior, orto forte iurgio intenderat Seiano manus,& contra tendentis os uerberauerat. Igi-

Liuia Druſi uxor tur cuncta tentanti promptiſſimum uiſum ad uxorem eius Liuiam conuertere. Quæ ſoror Germanici,formæ initio ætatis indecoræ,mox pulchritudine præcellebat. Hanc,ut amore incenſus, adulterio pellexit. & poſtq; primi flagitij potitus eſt, neq; fœmina amiſſa pudicitia alia abnuerit, ad cóiugij ſpem,conſortiũ regni, & necem mariti impulit. Atq; illa cui auunculus Auguſtus,ſocer Tiberius,ex Druſo liberi, ſeq; ac maiores & poſteros municipali adultero fœdabat,ut pro honeſtis & præſentibus flagitio-

Eudemus medicus ſa & incerta expectaret. Sumitur in cóſcientiam Eudemus amicus ac medicus Liuiæ,ſpecie artis frequens ſecretis.pellit domo Seianus uxorẽ Apicatam,ex qua tres liberos genuerat:ne pellici ſuſpectaretur. Sed magnitudo facinoris metũ,prolationes,diuerſa interdũ conſilia adferebat. Interim anni principio Druſus ex Germanici liberis togam uirilem ſumpſit. quæq; fratri eius Neroni decreuerat ſenatus,repetita. addidit orationem Cæſar multa cum laude filij ſui,quod patria beniuolẽtia in fratris liberos

Arduũ eſt eodem loci potentiã eſſe & concordiam foret. Nam Druſus (quanquam arduum ſit eodem loci potentiam & concordiam eſſe) æquus aduleſcẽtibus,aut certe nó aduerſus habebatur. Exin uetus & ſæpe ſimulatum proficiſcendi in prouincias conſiliũ refertur. multitudinem ueteranorum prætexebat imperator,& delectibus ſupplendos exercitus.nam uoluntarium militẽ deeſſe.ac ſi ſuppeditet, non eadem uirtute ac modeſtia agere: quia plerunq; inopes ac uagi ſponte militiam ſumant. percenſuitq; curſim numerum legionum, & quas prouincias tutarentur. Quod mihi quoq; exequendum reor, quæ tum Romana copia in

armis

armis, qui ſocij reges, quanto ſit anguſtius imperitatum. Italiam utroq; mari duæ claſſes, Miſenum apud & Rauennam, proximumq; Galliæ litus roſtratæ naues præſidebant, quas Actiaca uictoria captas Auguſtus in oppidum Foroiulienſe miſerat, ualido cum remige. Sed præcipuum robur Rhenum iuxta, commune in Germanos Galloſq; ſubſidium, octo legiones erant. Hiſpaniæ recens perdomitæ tribus habebātur. Mauros Iuba rex acceperat, donum populi Romani. cætera Africæ per duas legiones, parią; numero Ægyptus: dehinc initio ab Suria uſq; ad flumen Euphraten, quantum ingenti terrarum ſinu ambitur, quatuor legionibus coercitū, accolis Hybero, Albanoq;, & alijs regibus, qui magnitudine noſtra proteguntur aduerſum externa imperia. & Thraciam, Rhœmetalces ac liberi Cotyis: ripamq; Danubij, legionū duæ in Pannonia, duæ in Mœſia attinebāt: totidem apud Dalmatiam locatis, quæ poſitu regionis à tergo illis, ac ſi repentinum auxilium Italia poſceret, haud procul accirentur: quanquam inſideret urbem proprius miles, tres urbanæ, nouem prætoriæ cohortes, Ethruria fermè Vmbriaq; delectæ, aut uetere Latio, & colonis antiquitus Romanis. At apud idonea prouinciarum ſociæ triremes, alæq; & auxilia cohortium: neq; multo ſecus in ijs uirium, ſed perſequi incertum fuit: cum ex uſu temporis huc illuc mearent, gliſcerent numero, & aliquando minuerentur. Congruens crediderim recenſere cæteras quoq; Reip. partes, quibus modis ad eam diem habitæ ſint: quando Tiberio mutati in deterius principatus initium ille annus attulit. Iam primum publica negotia, & priuatorum maxima, apud patres tractabantur: dabaturq; primoribus diſſerere. & in adulationem lapſos cohibebat ipſe. mandabatq; honores, nobilitatem maiorum, claritudinem militiæ, inluſtres domi artes ſpectando, ut ſatis conſtaret, non alios potiores fuiſſe. ſua conſulibus, ſua prætoribus ſpecies. Minorum quoq; magiſtratuum exercita poteſtas, legeſq;, ſi maieſtatis quæſtio eximeretur, bono in uſu. At frumenta, & pecuniæ uectigales, cætera publicorum fructuū, ſocietatibus equitum Romanorum agitabantur. Res ſuas Cæſar ſpectatiſſimo cuiq;, quibuſdam ignotis, ex fama mandabat: ſemelq; adſumpti tenebātur, prorſus ſine modo, cum pleriq; ijſdē negotijs inſeneſcerent. Plebes acri quidē annona fatigabatur. ſed nulla in eo culpa ex principe. quin infœcūditati terrarū, aut aſperis maris obuiā ijt, quantū impendio, diligentiaq; poterat. & ne prouinciæ nouis oneribus turbarētur, utq; uetera ſine auaritia aut crudelitate magiſtratuum tolerarēt, prouidebat. corporū uerbera, ademptiones bonorum aberant. Rari per Italiā Cæſaris agri, modeſta ſeruitia, intra paucos libertos domus: ac ſi quando cum priuatis diſceptaret, forū & ius. quæ cuncta non quidē comi uia, ſed horridus ac plerūq; formidatus retinebat tamen, donec morte Druſi uerterētur. nam dū ſuperfuit māſere: quia Seianus incipiente adhuc potētia, bonis cōſilijs noteſcere uolebat, & ultor metuebat,

Numerus legionū, & quas illæ prouincias tuarentur, ſub Tiberio. Iuxta Rhenū octo legiones præcipuum robur

Tiberius Imperator etiā cū priuatis in foro diſceptabat

non occultus odijs, & crebro querens incolumi filio adiutorẽ imperij aliũ uocari, & quantũ ſupereſſe ut collega dicatur? Primas dominandi ſpes in arduo, ubi ſis ingreſſus, adeſſe ſtudia & miniſtros: extructa iam ſponte præfecti caſtra, datos in manũ milites: cerni effigiem eius in monumentis Gn. Pompei: communes illi cum familia Druſorum fore nepotes: precandam poſt hæc modeſtiam, ut contentus eſſet. Neq; raro, neq; apud paucos talia iaciebat, & ſecreta quoq; eius corrupta uxore prodebantur. Igitur Seianus maturãdum ratus, deligit uenenum, quo paulatim inrepente, fortuitus morbus adſimularetur. Id Druſo datum per Lygdum Spadonem, ut octo poſt annos cognitum eſt. Cæterum Tiberius per omnes ualitudinis eius dies, nullo metu, an ut firmitudinẽ animi oſtentaret? etiam defuncto necdum ſepulto, curiam ingreſſus eſt, conſulesq́; ſede uulgari per ſpeciem mœſtitiæ ſedẽtes, honoris lociq́; admonuit, & effuſum in lachrymas ſenatum uicto gemitu, ſimul oratione continua erexit. Non quidem ſibi ignarum poſſe argui, quod tam recenti dolore ſubierit oculos ſenatus: uix propinquorum adloquia tolerari, uix diem aſpici à pleriſq; lugentiũ: neq; illos imbecillitatis damnãdos, ſe tamen fortiora ſolatia è complexu Reip. petiuiſſe. miſeratusq́; Auguſtæ extremam ſenectam, rudem adhuc nepotum, & uergentem ætatem ſuam, ut Germanici liberi, unica præſentiũ malorum leuamenta, inducerẽtur, petiuit. Egreſſi conſules, firmatos adloquio adoleſcentulos, deductosq́; ante Cæſarem ſtatuũt. Quibus adprehenſis,

Patres Conſcripti, Hos, inquit orbatos parẽte, tradidi patruo ipſorum, precatusq́; ſum (quanquã eſſet illi propria ſoboles) ne ſecus quàm ſuũ ſanguinem foueret ac tolleret, ſibiq́; & poſteris conformaret. erepto Druſo, preces ad uos conuerto, dijsq́; & patria coràm obteſtor, Auguſti pronepotes, clariſſimis maioribus genitos ſuſcipite, regite. ueſtram meamq́; uicem explete. Hi uobis Nero & Druſe parentum loco. ita nati eſtis, ut bona malaq́; ueſtra ad Remp. pertineãt. Magno ea fletu, & mox precationibus fauſtis audita. ac ſi modũ orationi poſuiſſet, miſericordia ſui gloriaq́; animos audientium impleuerat. ad uana & toties inriſa reuolutus, de reddenda Rep. utq́; conſules ſeu quis alius regimen ſuſciperẽt, uero quoq; & honeſto fidem dempſit. Memoriæ Druſi eadem quæ in Germanicũ decernuntur, pleriſq; additis, ut fermè amat poſterior adulatio. Funus imaginum pompa maxime inluſtre fuit, cum origo Iuliæ gentis Æneas, omnesq́; Albanorum reges, & conditor urbis Romulus, poſt Sabina nobilitas, Appius Clauſus, cæteræq́; Claudiorum effigies, longo ordine ſpectarentur. In tradenda morte Druſi quæ plurimis maximeq́; fidis auctoribus memorata ſunt rettuli. ſed non omiſerim eorundem temporum rumorem ualidum adeo, ut nondũ exoleſcat. Corrupta ad ſcelus Liuia, Seianum Lygdi quoq; Spadonis animum ſtupro uinxiſſe: quod is Lygdus ætate atq; forma carus domino interq́; primores miniſtros erat. deinde

inter

Sponte præfecti

Seianus lentũ uenenũ parat quod Druſo Lygdus Spado dedit

Druſi mors

Tiberius in curia

Druſi funus

Rumor ualidus illorum temporũ de morte Druſi

inter conſcios, ubi locus ueneficij tempusq́ compoſita ſunt, eò audaciæ prouectum,ut uerteret,& occulto indicio Druſum ueneni in patrem arguens, moneret Tiberium, uitandam potionem quæ prima & apud filium epulanti offerretur.ea fraude tum ſenem,poſtquam cōuiuium inierat, exceptum poculum Druſo tradidiſſe.atq; illo ignaro & iuueniliter hauriente auctam ſuſpitionem,tanquam metu & pudore,ſibimet inrogaret mortem quam patri ſtruxerat.Hæc uulgo iactata,ſuper id quod nullo auctore certo firmantur,promptè refutaueris.quis enim mediocri prudentia, ne dum Tiberius tantis rebus exercitus, inaudito filio exitium offerret, idq́ ſua manu & nullo ad pœnitendum regreſſu? quin potius miniſtrum ueneni excruciaret,auctorem exquireret, inſita deniq; etiā in extraneos cunctatione,& mora aduerſum unicum,& nullius ante flagitij cōpertum uteretur.Sed quia Seianus facinorum omniū repertor habebatur, ex nimia charitate in eum Cæſaris,& cæterorum in utrunq; odio, quamuis fabuloſa & immania credebantur, atrociore ſemper fama erga dominantiū exitus. Ordo alioqui ſceleris per Apicatam Seiani proditus,tormentis Eudemi,ac Lygdi patefactus eſt.neq; quiſquam ſcriptor tam infenſus extitit,ut Tiberio obiectaret,cum omnia alia conquirerent,intenderentq́. Mihi tradendi arguendiq́ rumoris cauſa fuit,ut claro ſub exemplo falſas auditiones depellerē, peteremq́ ab iis quorū in manus cura noſtra uenerit,ne diuulgata atq; incredibilia,auidè accepta,ueris neq; in miraculum corruptis antehabeant.Cæterum laudante filium pro roſtris Tiberio,ſenatus populusq́ habitum ac uoces dolentum ſimulatione magis quàm libens induebat,domumq́ Germanici reuireſcere occulti lætabantur. Quod principium fauoris,& mater Agrippina ſpem malè tegens,perniciē adccelerauere.Nam Seianus ubi uidet mortem Druſi inultā interfectoribus,ſine mœrore publico eſſe,ferox ſcelerum, & quia prima prouenerant, uolutare ſecum, quo nam modo Germanici liberos peruerteret, quorum non dubia ſucceſſio.neq; ſpargi uenenū in tres poterat,egregia cuſtodum fide, & pudicitia Agrippinæ impenetrabili.Igitur contumaciam eius inſectari,uetus Auguſtæ odium,recentem Liuiæ conſcientiam exagitare,ut ſuperbiā fœcunditate ſubnixam popularibus ſtudijs inhiare dominationi, apud Cæſarem arguerent.Atq; hæc callidis criminatoribus,inter quos delegerat Iulium Poſthumum per adulteriū Mutiliæ Priſcæ inter intimos auiæ,& conſilijs ſuis peridoneum:quia Priſca in animo Auguſtę ualida,anum ſuapte natura potentiæ anxiam inſociabilem nurui efficiebat. Agrippinæ quoq; proximi inliciebantur: prauis ſermonibus tumidos ſpiritus perſtimulare.

Atrocior ſemper fama erga dominantium exitus

Iulius Poſthumus

At Tiberius nihil intermiſſa rerum cura,negotia pro ſolatijs accipiens, ius ciuium,preces ſociorum tractabat. Factaq́ auctore eo ſenatuſconſulta, ut ciuitati Cibyraticæ apud Aſiam, Ægirenſi apud Achaiā motu terræ labefactis ſubueniretur,remiſſione tributi in triennium. Et Vibius Se-

Cibyrā Aegira

renus

renus proconſul ulterioris Hiſpaniæ de ui publica damnatus, ob atrocitatem temporum in inſulam Amorgum deportatur. Carſius Sacerdos reus tanquam frumento hoſtem Tacfarinatem iuuiſſet, abſoluitur, eiuſdemq; criminis C. Gracchus. Hunc comitem exilij admodũ infantem pater Sempronius in inſulam Cercinam tulerat, Illic adultus inter extorres & liberalium artium neſcios, mox per Africam ac Siciliam mutãdo ſordidas merces ſuſtentabatur. nec tamen effugit magnæ fortunæ pericula. Ac ni Ælius Lamia, & L. Apronius qui Africam obtinuerant, inſontem protexiſſent, claritudine infauſti generis, & paternis aduerſis foret abſtractus. Is quoque annus legationes Græcarum ciuitatiũ habuit, Samijs Iunonis, Cois Æſculapij delubro uetuſtum aſyli ius ut firmaretur petentibus. Samij decreto Amphictyonum nitebantur, queîs præcipuum fuit rerum omnium iudicium ea, qua tempeſtate Græci conditis per Aſiam urbibus ora maris potiebantur. Neq; diſpar apud Coos antiquitas. & accedebat meritum ex loco. Nam ciues Romanos templo Æſculapij induxerant, cum iuſſu regis Mithridatis apud cunctas Aſiæ inſulas & urbes trucidarentur. Varijs dehinc & ſæpius irritis prætorum queſtibus, poſtremo Cæſar de immodeſtia hiſtrionum rettulit. Multa ab ijs in publicum ſeditioſe, fœda per domos tentari: Oſcum quondam ludicrum leuiſſimæ apud uulgum oblectationis, eò flagitiorum & uirium ueniſſe, auctoritate patrum coërcendum ſit. Pulſi tum hiſtriones Italia. Idem annus alio quoq; luctu Cæſarem adficit, alterum ex geminis Druſi liberis extinguendo: neq; minus morte amici. Is fuit Lucillius Longus omnium illi triſtium lætorumq; ſocius, unusq; è ſenatoribus Rhodij ſeceſſus comes. Ita quanquam nouo homini, cenſorium funus, effigiem apud forũ Auguſti publica pecunia patres decreuere: apud quos etiã tum cuncta tractabãtur, adeo ut procurator Aſiæ Lucillius Capito accuſante prouincia cauſam dixerit, magna cum adſeueratione principis, non ſe ius niſi in ſeruitia & pecunias familiares dediſſe: quod ſi uim prætoris uſurpaſſet, manibusq; militum uſus foret, ſpreta in eo mandata ſua, audirent ſocios. Ita reus cognito negotio damnatur. Ob quam ultionem, & quia priore anno in C. Sillanum uindicatum erat, decreuere Aſiæ urbes templũ Tiberio matriq; eius, ac ſenatui. Et permiſſum ſtatuere. egitq; Nero grates ea cauſa patribus atq; auo, lætas inter audientium adfectiones, qui, recenti memoria Germanici, illum aſpici, illum audiri rebantur. aderantq; iuueni modeſtia, ac forma, principe uiro digna, notis in eum Seiani odijs ob periculum gratiora. Sub idem tempus de flamine diali in locum Seruij Maluginenſis defuncti legendo, ſimul rogandâ noua lege diſſeruit Cæſar. Nam patritios confarreatis parentibus genitos tres ſimul nominari, ex quîs unus legeretur uetuſto more: neq; adeſſe, ut olim, eam copiam, omiſſa confarreandi adſuetudine, aut inter paucos retenta: pluresq; eius rei cauſas adferebat, potiſsimam, penes incuriam uirorum

C. Gracchus

Amphictyões

Lucillius Longus

Lucillius Capito procurator Aſiæ accuſatur & damnatur

Templũ Tiberio, matri, ſenatuiq;, in Aſia

Cõfarratis parentib. geniti

Adſuetudo cõfarrandi

rorum fœminarumq́ꝫ. Accedere ipſius cærimoniæ difficultates quæ conſulto uitarentur. Et quando exiret è iure patrio, qui id flaminium apiſceretur, quæq́ꝫ in manum Flaminis conueniret. Ita medendum ſenatus decreto, aut lege, ſicut Auguſtus quædam ex horrida illa antiquitate ad præſentem uſum flexiſſet. Igitur tractatis religionibus, placitum, inſtituto Flaminum nihil demutari. Sed lata lex, qua Flaminica Dialis ſacrorum cauſa in poteſtate uiri, cætera promiſcuo fœminarum iure ageret. & filius Malugìnenſis patri ſuffectus. Vtq́ꝫ gliſceret dignatio ſacerdotum, atqꝫ ipſis promptior animus foret ad capeſſendas cærimonias, decretum Corneliæ uirgini, quæ in locum Scantiæ capiebatur, L L S. XX. & quoties Auguſta theatrum introiſſet, ut ſedes inter Veſtalium conſideret. Cornelio Cethego, Viſellio Varrone Coss. Pontifices eorumq́ꝫ exemplo cæteri ſacerdotes, cum pro incolumitate principis uota ſuſciperent, Neronem quoqꝫ & Druſum ijſdem dijs commendauere, non tam charitate iuuenum, quàm adulatione: quæ moribus corruptis, perinde anceps ſi nulla, & ubi nimia eſt. Nam Tiberius haud unquã domui Germanici mitis, tum uero æquari adoleſcentes ſenectæ ſuæ, impatienter indoluit: accitosq́ꝫ Pontifices percontatus eſt, num id precibus Agrippinæ aut minis tribuiſſent. Et illi quidem quanquam abnuerent modicè perſtricti, etenim pars magna è propinquis ipſius aut primores ciuitatis erant: cæterũ in ſenatu oratione monuit in poſterum, ne quis mobiles adoleſcentium animos præmaturis honoribus ad ſuperbiam extolleret. inſtabat quippe Seianus, incuſabatq́ꝫ diductam ciuitatem, ut ciuili bello, eſſe qui ſe partium Agrippinæ uocent: ac ni reſiſtatur, fore pluris: neqꝫ aliud gliſcentis diſcordiæ remedium, q̃ꝫ ſi unus alterúe maximè prompti ſubuerterentur. Qua cauſa C. Silium & Titium Sabinum adgreditur, amicitia Germanici pernitioſa utriqꝫ. Silio, & quod ingentis exercitus ſeptẽ per annos moderator, partisq́ꝫ apud Germaniam triũphalibus Sacrouiriani belli uictor, quanto maiore mole procideret, plus formidinis in alios diſpergebatur. credebant pleriqꝫ auctam offenſionem ipſius intemperantia immodicè iactantis, ſuum militẽ in obſequio durauiſſe, cum alij ad ſeditiones prolaberentur: neqꝫ manſurũ Tiberio imperiũ, ſi ijs quoqꝫ legionibus cupido nouandi fuiſſet. Deſtrui per hæc fortunam ſuam Cæſar, imparemq́ꝫ tanto merito rebatur. Nam beneficia eo uſqꝫ læta ſunt, dum uidentur exolui poſſe: ubi multũ anteuenere, pro gratia odium redditur. Erat uxor Silio Soſia Galla, charitate Agrippinæ inuiſa principi. Hos corripi, dilato ad tempus Sabino, placitum: immiſſusq́ꝫ Varro conſul, qui paternas inimicitias obtendens, odijs Seiani per dedecus ſuum gratificabatur. precante reo breuem moram dum accuſator conſulatu abiret, aduerſatus eſt Cæſar: ſolitũ quippe magiſtratibus, diem priuatis dicere: nec infringendum conſulis ius, cuius uigilijs niteretur, ne quod Reſp. detrimentum caperet. Proprium id Tiberio fuit, ſcelera nu-

pen

Lex de Flaminica diali

Adulatio

C. Silius

per reperta priſcis uerbis obtegere. Igitur multa adſeueratione, quaſi aut legibus cum Silio ageretur, aut Varro conſul, aut illud Reſp. eſſet, coguntur patres ſilente reo, uel ſi defenſionem cœptaret, non occultãte cuius ira premeretur. conſcientia belli, Sacrouir diu diſſimulatus, uictoria per auaritiam fœdata, & uxor Soſia arguebãtur. nec dubie repetundarum criminibus hærebant. ſed cuncta quæſtione maieſtatis exercita, & Silius imminentem damnationem uoluntario fine præuertit. Sæuitum tamen in bona, non ut ſtipendiarijs pecuniæ redderẽtur, quorum nemo repetebat. ſed liberalitas Auguſti auulſa, computatis ſingillatim quæ fiſco petebantur. ea prima Tiberio erga pecuniam alienam diligentia fuit. Soſia in exiliũ pellitur Aſinij Galli ſententia, qui partem bonorum publicandam, pars ut liberis relinqueretur, cenſuerat. contra M. Lepidus quartam accuſatoribus ſecundũ neceſſitudinem legis, cætera liberis conceſſit. Hunc ego Lepidum temporibus illis grauem & ſapientem uirum fuiſſe comperio. Nam pleraq; ab ſæuis adulationibus aliorum, in melius flexit, neq; tamen temperamenti egebat cum æquabili auctoritate & gratia apud Tiberium uiguerit. unde dubitare cogor, fato & ſorte naſcendi, ut cætera, ita principũ inclinatio in hos, offenſio in illos, an ſit aliquid in noſtris cõſilijs, liceatq; inter abruptam contumaciam, & deforme obſequium pergere iter ambitione ac periculis uacuũ. At Meſſalinus Cotta haud minus claris maioribus, ſed animo diuerſus, cenſuit, cauendum ſenatuſconſulto, ut quanquam inſontes magiſtratus & culpæ alienæ neſcij, prouincialibus uxorum criminibus, perinde quàm ſuis plecterentur. Actum dehinc de Calpurnio Piſone nobili ac feroci uiro. Is namq;, ut rettuli, ceſſurum ſe urbe ob factiones accuſatorum in ſenatu clamitauerat, & ſpreta potentia Auguſtæ, trahere in ius Vrgulaniã, domoq; principis excire auſus erat. Quæ in præſens Tiberius ciuiliter habuit. Sed in animo reuoluente iras, etiam ſi impetus offenſionis languerat, memoria ualebat, Piſonemq; grauius ſecreti ſermonis incuſauit aduerſum maieſtatẽ habiti. adiecitq; in domo eius uenenum eſſe, eumq; gladio accinctum introire curiam. Quod ut atrocius uero tramiſſum. cæterorum quæ multa cumulabantur, receptus eſt reus, neq; peractus ob mortẽ opportunam. Relatum & de Caſſio Seuero exule, qui ſordidæ originis, maleficæ uitæ, ſed orandi ualidus, per immodicas inimicitias ut iudicio iurati ſenatus Cretã amoueretur, effecerat: atq; illic eadem actitando recentia ueteraq; odia aduertit, bonisq; exutus, interdicto igni atq; aqua, ſaxo Seriphio conſenuit. Per idem tempus Plautius Siluanus prætor incertis cauſis, Aproniam coniugem in præceps iecit, tractusq; ad Cæſarem ab L. Apronio ſocero, turbata mente reſpondit, tanquam ipſe ſomno grauis atq; eo ignarus, & uxor ſponte mortẽ ſumpſiſſet. Non cunctanter Tiberius pergit in domum, uiſit cubiculum, in quo reluctantis & impulſæ ueſtigia cernebantur. Refert ad ſenatum, datisq; iudicibus Vrgulania

Repetundarũ crimina

M. Lepidus

Prouincialia uxorum crimina

Calpurnius Piſo

Caſſius Seuerus exul

Plautus Siluanus

lania Siluani auia pugionem nepoti miſit. Quod perinde creditum quaſi principis monitu, ob amicitiam Auguſtæ cum Vrgulania. Reus fruſtra tentato ferro, uenas præbuit exoluendas. Mox Numantina prior uxor eius accuſata, iniecisſe carminib. & ueneficijs uęcordiã marito, inſons iudicatur. *Numantina*

Is demum annus populũ Romanũ longo aduerſum Numidam Tacfarinatem bello abſoluit. Nam priores duces ſibi impetrando triumphalium inſigni ſufficere res ſuas crediderant, hoſtem omittebant. Iamq́ tres laureatæ in urbe ſtatuæ, & adhuc reptabat Africam Tacfarinas, auctus Maurorum auxilijs, qui Ptolemæo Iubæ filio iuuenta incurioſo, libertos regios, & ſeruilia imperia bello mutauerant. Erat illi prædarũ receptor ac ſocius populandi rex Garamantũ, non ut cũ exercitu incederet, ſed miſſis leuibus copijs, quæ ex longinquo in maius audiebantur: ipſaq́ e prouincia ut quis fortunæ inops, moribus turbidus, promptius ruebãt, quia Cæſar poſt res à Blæſo geſtas, quaſi nullis iam in Africa hoſtibus reportari Nonam legionẽ iuſſerat, nec proconſul eius anni P. Dolabella retinere auſus erat, iuſſa principis magis quàm incerta belli metuens. Igitur Tacfarinas diſperſo rumore, rem Romanam alijs quoq; ab nationibus lacerari, eoq́ paulatim Africa decedere, ac poſſe reliquos circũueniri, ſi cuncti, quibus libertas ſeruitio potior, incubuiſſent: auget uires, poſitisq́ caſtris Thubuſcum oppidum circumſidet. At Dolabella cõtracto quod erat militum, terrore nominis Romani, & quia Numidæ peditum aciem ferre nequeũt, primo ſui inceſſu ſoluit obſidiũ, locorumq́ opportuna permuniuit: ſimul principes Muſulamorum defectionẽ ceptantes ſecuri percutit. Dein quia pluribus aduerſum Tacfarinatẽ expeditionibus cognitũ, nõ graui nec uno incurſu conſectandũ hoſtem uagum, excito cum popularibus rege Ptolemæo quatuor agmina parat, quæ legatis ac tribunis data: & prædatorias manus delecti Maurorũ duxere. Ipſe conſultor aderat omnibus: Nec multo poſt adfertur Numidas apud caſtellum ſemirutum, ab ipſis quondam incenſum, cui nomen Auzea, poſitis mapalibus conſediſſe fiſos loco, quia uaſtis circum ſaltibus claudebatur. Tum expeditæ cohortes alæq́ quam in partem ducerentur ignaræ, cito agmine rapiuntur. Simulq́ cœptus dies, & concentu tubarum, ac truci clamore aderãt ſemiſomnos in barbaros, præpeditis Numidarum equis aut diuerſos paſtus pererrantibus. Ab Romanis confertus pedes, diſpoſitæ turmæ, cuncta prælio prouiſa: hoſtibus contra omnium neſcijs, non arma, non ordo, non conſilium, ſed pecorum modo, trahi, occidi, capi. Infenſus miles memoria laborũ, & aduerſum eludentes optatæ toties pugnæ, ſe quiſq; ultione & ſanguine explebant. Differtur per manipulos Tacfarinatem omnes notum tot prælijs conſectentur, non niſi duce interfecto requiem belli fore. At ille delectis circum ſtipatoribus, uinctoq́ iam filio, & effuſis undiq; Romanis, ruendo in tela, captiuitatem haud inulta morte effugit. Isq́ finis armis impoſitus. Dolabellæ

Liberti regij apud Ptolemæũ Iubæ f.

Garamantum rex

Tacfarinas Numida

Thubuſcum oppidum

Auzea caſtellum

Tacfarinatis numidæ mors

bellæ petēti abnuit triumphalia Tiberius, Seiano tribuens, ne Blæſi auunculi eius laus obſoleſceret. Sed neq; Blæſus ideo inluſtrior, & huic negatus honor gloriam intendit. Quippe minore exercitu, inſigneis captiuos, cædem ducis, bellíq; confecti famam deportarat. Sequebantur & Garamantum legati raro in urbe uiſi, quos Tacfarinate cæſo perculſa gens & culpæ neſcia ad ſatisfaciendum populo Ro. miſerat. Cognitis dehinc Ptolemæi per id bellũ ſtudijs, repetitus ex uetuſto more, miſſusq; è ſenatoribus qui ſcipionem eburnum, togam pictã, antiqua patrũ munera daret, regemq; & ſocium atq; amicum appellaret. Eadem æſtate mota per Italiam ſeruilis belli ſemina fors oppreſſit. Auctor tumultus T. Curtiſius quondam prætoriæ cohortis miles, primo cœtibus clandeſtinis apud Brundiſium, & circumiecta oppida: mox poſitis propalàm libellis ad libertatem uocabat agreſtia per longinquos ſaltus & ferocia ſeruitia: cum uelut munere deûm tres biremes adpulere ad uſus cõmeantium illo mari. Et erat ijſdem regionibus Curtius Lupus quæſtor, cui prouincia uetere ex more Calles euenerat. Is diſpoſita claſſiariorum copia cœptantem tum maxime coniurationem diſiecit. Miſſusq; à Cæſare propere Staius tribunus cum ualida manu, ducem ipſum & proximos audaciæ in urbem traxit iam trepidam ob multitudinem familiarum, quæ gliſcebat immenſum minore in dies plebe ingenua. Iisdem conſulibus miſeriarum ac ſæuitiæ exemplum atrox, reus pater, accuſator filius, nomen uiri, Q. Vibius Serenus, in ſenatum inducti ſunt, ab exilio retractus, inluuieq; ac ſqualore obſitus, & tum cathena uinctus peroratẽ filio. Præparatur aduleſcens multis munditijs, alacri uultu. ſtructas principi inſidias, miſſos in Galliam cõcitores belli, index idem & teſtis dicebat. adnectebatq; Cæcilium Cornutum prætorium miniſtraũiſſe pecuniam. qui tædio curarum, & quia periculum pro exitio habebatur, mortem in ſe feſtinauit. At contra reus nihil infracto animo. obuerſus in filium, quatere uincula, uocare ultores deos, ut ſibi quidẽ redderent exilium, ubi procul tali more ageret, filium autem quandoq; ſupplicia ſequerentur. Adſeuerabatq; innocentem Cornutum & falſa exterritum. idq; facile intellectu ſi proderentur alij. nõ enim ſe cædem principis & res nouas uno ſocio cogitaſſe. Tum accuſator Gn. Lentulum & Seium Tuberonem nominat, magno pudore Cæſaris, cũ primores ciuitatis, intimi ipſius amici, Lentulus ſenectutis extremæ, Tubero defecto corpore, tumultus hoſtilis, & turbandæ Reip. accerſerentur. Sed hi quidem ſtatim exempti. In patrem ex ſeruis quæſitum. & quæſtio aduerſa accuſatori fuit. qui ſcelere uecors, ſimul uulgi rumore territus, robur & ſaxum, aut parricidarum pœnas minitantium, ceſſit urbe. ac retractus Rauenna exequi accuſationem adigitur, non occultante Tiberio uetus odium aduerſum exulem Serenũ. nam poſt damnatum Libonem miſſis ad Cæſarẽ literis exprobrauerat, ſuum tantum ſtudium ſine fructu fuiſſe. addideratq; quædam contumacius q̃ tutum

Munera Ptolemæo ſcipio eburnus & toga picta.

Seruilis tumultus autore T. Curtiſio

Staius tribun.

Miſeriarũ ac ſæuitiæ exemplum

Cæcilius Cornutus

Gn. Lentulus Scius Tubero

tutum

tutum apud aures ſuperbas & offenſioni proniores. ea Cæſar octo poſt annos rettulit, medium tempus uarie arguens, etiam ſi tormenta, peruicacia ſeruorum, cõtra eueniſſent. Dictis dein ſententijs ut Serenus more maiorum puniretur, quo molliret inuidiam, interceſſit Gallus Aſinius, Gyaro aut Donuſa claudendum cenſeret. id quoq; aſpernatus eſt, egenam aquæ utranq; inſulam referens, dandosq; uitæ uſus cui uita concederetur. ita Serenus Amorgũ reportatur. Et quia Cornutus ſua manu ceciderat, actum de præmijs accuſatorum abolendis, ſi quis maieſtatis poſtulatus ante perfectum iudicium ſe ipſe uita priuauiſſet. ibaturq; in eam ſententiam, ni durius contraq; morem ſuum palàm pro accuſatoribus Cæſar, inritas leges, Remp. in præcipiti conqueſtus eſſet. ſubuerterent potius iura, quàm cuſtodes eorum amouerent. ſic delatores genus hominum publico exitio repertum, & pœnis quidem nunquam ſatis coërcitum, per præmia eliciebantur. *Delatores*

His tam adſiduis tamq; mœſtis modica lætitia interijcitur, quod C. Cominium equitem Romanum probroſi in ſe carminis conuictum, Cæſar precibus fratris qui ſenator erat, conceſſit. Quo magis mirum habebatur, gnarum meliorum & quæ fama clemẽtiam ſequeretur, triſtiora malle. neq; enim ſocordia peccabat, nec occultum eſt, quando ex ueritate, quando adumbrata lætitia facta imperatorum celebrentur. quin ipſe compoſitus aliâs, & uelut eluctantium uerborum, ſolutius promptiusq; eloquebatur quoties ſubueniret. At P. Suillium quæſtorem quondam Germanici, cum Italia arceretur conuictus pecuniam ob rem iudicandam cepiſſe, ammouendum in inſulam cenſuit, tanta contentione animi, ut & iurando obſtringeret è Rep. id eſſe. Quod aſperè acceptũ ad præſens, mox in laudem uertit, regreſſo Suillio, quẽ uidit ſequens ætas præpotentẽ, uenalem, & Claudij principis amicitia diu proſperè, nunq; bene uſum. Eadẽ pœna in Catum Firmium ſenatorem ſtatuitur, tanquam falſis maieſtatis criminibus ſororem petiuiſſet. Catus ut rettuli Libonẽ inlexerat inſidijs, deinde iudicio perculerat. eius operæ memor Tiberius, ſed alia prætendens, exilium deprecatus eſt. quo minus ſenatu pelleretur nõ obſtitit. Pleraq; eorum quæ rettuli, quæq; referam, parua forſitan & leuia memoratu uideri non neſcius ſum. ſed nemo Annales noſtros cum ſcriptura eorum contenderit, qui ueteres populi Romani res compoſuere. Ingẽtia illi bella, expugnationes urbium, fuſos captosq; reges, aut, ſi quando ad interna præuerterent, diſcordias conſulũ aduerſum tribunos, agrarias frumentariasq; leges, plebis & optimatium certamina libero egreſſu memorabant. Nobis in arcto & inglorius labor. Immota quippe aut modicè laceſſita pax, mœſtæ urbis res, & princeps proferendi imperij incurioſus erat. Non tamen ſine uſu fuerit, introſpicere illa primo aſpectu leuia, ex quis magnarum ſæpe rerum motus oriuntur. Nam cunctas nationes & urbes populus, aut primores, aut ſinguli regunt. delecta ex his & conſtituta Reip. for-

C. Cominius Eq. Ro.

Tiber. eluctãtium uerborũ

P. Suillius in inſulam

Annales Cor. Taciti

ma laudari facilius quàm euenire,uel ſi euenit, haud diuturna eſſe poteſt.
Noſcenda uulgi natura gubernanti
Igitur ut olim plebe ualida,uel cum patres pollerent, noſcenda uulgi natu/
ra, & quibus modis temperanter haberetur,ſenatusq́ꝫ & optimatiū inge/
nia qui maxime perdidicerant, callidi temporum & ſapientes credebātur:
ſic conuerſo ſtatu,neqꝫ alia rerū quàm ſi unus imperitet, hæc conquiri tra/
diq́ꝫ in rem fuerit:quia pauci prudentia,honeſta ab deterioribus,utilia ab
noxijs diſcernunt,plures,aliorum euentis docētur. cæterum ut profutura,
ita minimum oblectationis adferunt.nam ſitus gentium,uarietates præli/
orum,clari ducum exitus retinent ac redintegrant legentium animum.nos
Quid tractet Tacitus in his Annalium libris
ſæua iuſſa,continuas accuſationes,fallaces amicitias, perniciem innocenti/
um,& eaſdem exitu cauſas coniungimus,obuia rerum ſimilitudine,& ſati/
etate.Tum quod antiquis ſcriptoribus rarus obtrectator,neqꝫ refert cuiuſ/
quam,Punicas Romanáſue acies lætius extuleris. at multorū qui Tiberio
regente pœnam uel infamias ſubiere, poſteri manent. utq́ꝫ familiæ ipſæ
iam extinctæ ſint,reperies qui ob ſimilitudinem morum aliena malefacta
ſibi obiectari putent. etiam gloria ac uirtus infenſos habet, ut animus ex
propinquo diuerſa arguens.Sed ad incepta redeo. Cornelio Coſſo,A/
Cremutius Cordus poſtulatur
ſinio Agrippa Coſs.Cremutius Cordus poſtulatur,nouo ac tūc primum
audito crimine,quod editis annalibus,laudatoq́ꝫ M.Bruto,C.Caſſiū Ro/
manorum ultimū dixiſſet.Accuſabant Satrius Secūdus, & Pinarius Nat/
ta,Seiani clientes.id perniciabile reo,& Cæſar truci uultu defenſionem ac/
cipiens.quam Cremutius relinquendæ uitæ certus,in hunc modum exor/
ſus eſt. Verba mea P.C.arguuntur.adeo factorum innocens ſum. Sed
neqꝫ hęc in principem aut principis parentem,quos lex maieſtatis ample/
ctitur.Brutum,& Caſſium laudauiſſe dicor.quorum res geſtas cum pluri
T.Liuiū Auguſtus Pompeianum uocabat
mi compoſuerint,nemo ſine honore memorauit.Titus Liuius eloquentiæ
ac fidei præclarus in primis,Gn.Pompeium tantis laudibus tulit, ut Pom/
peianum eum Auguſtus appellaret.neqꝫ id amicitiæ eorum offecit.Scipio
nem,Afranium,hunc ipſum Caſſium,hunc Brutum,nuſquam latrones &
parricidas,quæ nunc uocabula imponuntur, ſæpe ut inſignis uiros nomi/
nat.Aſinij Pollionis ſcripta egregiam eorundē memoriā tradunt.Meſſala
Coruinus imperatorē ſuum Caſſium prædicabat.& uterqꝫ opibusq́ꝫ atqꝫ
honoribus peruiguere.Marci Ciceronis libro quo Catonem cœlo æqua/
uit,quid aliud dictator Cæſar quàm reſcripta oratione uelut apud iudices
reſpondit?Antonij epiſtulæ,Bruti conciones, falſa quidem in Auguſtum
Bibaculi Catulliqꝫ carmina
probra,ſed multa cum acerbitate habent. carmina Bibaculi & Catulli re/
ferta contumelijs Cæſarum leguntur.ſed ipſe diuus Iulius,ipſe diuus Au/
guſtus & tulere iſta,& reliquere, haud facile dixerim moderatione magis
an ſapientia.namqꝫ ſpreta exoleſcunt:ſi iraſcare,adgnita uidētur. Non at/
tingo Græcos, quorum non modo libertas, etiam libido impunita. aut ſi
quis aduertit,dictis dicta ultus eſt.Sed maxime ſolutum,& ſine obtrecta/

tore

tore fuit,prodere de ijs quos mors odio aut gratia exemiſſet.num cum armatis Caſſio & Bruto, ac Philippenſes campos obtinentibus, belli ciuilis cauſa populum per contiones incendo? an illi quidem ſeptuageſimū ante annum perempti, quo modo imaginibus ſuis noſcuntur, quas nec uictor quidem aboleuit,ſic partem memoriæ apud ſcriptores retinēt. ſuum cuiq; decus poſteritas rependit.nec deerūt,ſi damnatio ingruit, qui non modo Caſſij & Bruti,ſed etiam mei meminerint. Egreſſus dein ſenatu, uitam abſtinentia finiuit.libros per ædiles cremandos cenſuere patres, & manſerunt occultati & editi. Quo magis ſocordiam eorum inridere libet, qui præſenti potentia credunt extingui poſſe etiam ſequētis æui memoriam. Nam cōtra,punitis ingenijs gliſcit auctoritas.neq; aliud externi reges, aut qui eadem ſæuitia uſi ſunt, niſi dedecus ſibi atque illis gloriam peperere.

Cæterum poſtulandis reis,tam continuus annus fuit,ut feriarum Latinarum diebus præfectū urbis Druſum auſpicandi gratia tribunal ingreſſum,adierit Calpurnius Saluianus in Sextum Mariū. quod à Cæſare palàm increpitum cauſa exilij Saluiano fuit. Obiecta publice Cyzicenis incuria cærimoniarum diui Auguſti, additis uiolentiæ criminibus aduerſum ciues Romanos.& amiſere libertatem quam bello Mithridatis meruerant circumſeſſi,nec minus ſua conſtantia,q̄ præſidio Luculli pulſo rege.

Saluianus
Sex. Marius
Cyziceni incurioſi cærimoniarū diui Auguſti

At Fonteius Capito qui procōſul Aſiam curauerat abſoluitur, comperto ficta in eum crimina per Vibium Serenum. neq; tamen id Sereno noxæ fuit, quem odium publicum tutiorem faciebat.nam ut quis diſtrictior accuſator, uelut ſacroſanctus erat:leues, ignobiles, pœnis adficiebantur.

Fonteius Capito
Vib. Serenus

Per idem tempus Hiſpania ulterior miſſis ad ſenatum legatis orauit, ut exemplo Aſiæ delubrū Tiberio matriq; eius extrueret: qua occaſione Cæſar,ualidus alioqui ſpernendis honoribus, & reſpondendum ratus ijs quorum rumore arguebatur in ambitionem flexiſſe,huiuſcemodi orationem cœpit. Scio P.C.conſtantiam meam à pleriſq; deſideratam,quod Aſiæ ciuitatibus nuper idem iſtud petentibus non ſim aduerſatus.ergo & prioris ſilentij defenſionem,& quid in futurum ſtatuerim ſimul aperiam. Cum diuus Auguſtus ſibi atq; urbi Romæ templum apud Pergamū ſiſti non prohibuiſſet,qui omnia facta dictaq; eius uice legis obſeruem, placitum iam exemplum promptius ſecutus ſum,quia cultui meo ueneratio ſenatus adiungebatur.Cæterum ut ſemel recepiſſe,ueniam habuerit,ita per omnes prouincias effigie numinum ſacra,ambitioſum,ſuperbum.& uaneſcet Auguſti honor, ſi promiſcuis adulationibus uulgatur. Ego me P.C. mortalem eſſe & hominum officia fungi, ſatiſq; habere, ſi locum principem impleam,& uos teſtor,& meminiſſe poſteros uolo. qui ſatis ſuperq; memoriæ meæ tribuent,ut maioribus meis dignum, rerum ueſtrarū prouidum,conſtantem in periculis,offenſionum pro utilitate publica non pauidum,credant. Hæc mihi in animis ueſtris templa. hæ pulcherrimæ effi-

Hiſpani delubrū Tiberio, matriq; eius
Orō Tiberij

" gies,& manſuræ. Nam quæ ſaxo ſtruuntur, ſi iudicium poſterorũ in odi-
" um uertit,pro ſepulchris ſpernuntur.Proinde ſocios,ciues, & deos & deas
" ipſas precor:hos ut mihi ad finem uſq; uitæ,quietam & intelligentem hu-
" mani diuiniq; iuris mentem duint: illos ut quandocunq; conceſſero, cum
" laude & bonis recordationibus, facta atq; famã nominis mei proſequan-
tur. Perſtititq; poſthac ſecretis etiã ſermonibus aſpernari talem ſui cul-
tum.quod alij modeſtiam,multi quia diffideret, quidam ut degeneris ani
mi interpretabãtur.Optumos quippe mortaliũ altiſſima cupere. Sic Her-
culem & Liberum apud Græcos, Quirinum apud nos deûm numero ad-
ditos.melius Auguſtum qui ſperauerit.Cætera principibus ſtatim adeſſe.
unum inſatiabiliter parandum,proſperam ſui memoriã. nam contemptu
Ael. Seianus famæ,contemni uirtutes. At Seianus nimia fortuna ſocors, & muliebri
inſuper cupidine incenſus,promiſſum matrimoniũ flagitante Liuia, com-
ponit ad Cæſarem codicillos.moris quippe tum erat, quanquam præſen-
" tem,ſcripto adire.eius talis forma fuit.Beniuolẽtia patris Auguſti, & mox
" plurimis Tiberij iudicijs ita inſueuiſſe,ut ſpes uotaq; ſua non prius ad de-
" os quàm ad principum aures conferret. Neq; fulgorem honorũ unquam
" precatum.Excubias ac labores,ut unum è militibus, pro incolumitate im-
" peratoris malle.Attamen quod pulcherrimum adeptum,ut coniunctione
" Cæſaris dignus crederetur.hinc initium ſpei.Et quoniam audiuerit Augu
" ſtum in conlocanda filia nonnihil etiam de equitibus Romanis conſulta-
" uiſſe: ita ſi maritus Liuiæ quæreretur,haberet in animo amicum, ſola ne-
" ceſſitudinis gloria uſurum.non enim exuere impoſita munia.ſatis æſtima
" re firmari domum aduerſum iniquas Agrippinæ offenſiones. idq; libero
" rum cauſa.nam ſibi multum ſuperq; uitæ fore quod tali cum principe ex-
pleuiſſet. Ad ea Tiberius,laudata pietate Seiani, ſuiſq; in eum benefi-
cijs modice percurſis,cum tempus tanquam ad integram conſultationem
Reſponſum Tiberij petiuiſſet, adiunxit. Cæteris mortalibus in eo ſtare conſilia, quid ſibi
conducere putent.Principũ diuerſam eſſe ſortem, quibus præcipua rerum
" ad famam dirigenda.ideo ſe non illuc decurrere quod promptũ reſcriptũ:
" poſſe ipſam Liuiã ſtatuere,nubendũ poſt Druſum, an in penatib. ijſdem
" tolerandum haberet:eſſe illi matrem & auiam, propiora conſilia:ſimplici-
" us acturum,de inimicitijs primũ Agrippinæ; quas longè acrius arſuras, ſi
" matrimoniũ Liuiæ uelut in partes domũ Cæſarum diſtraxiſſet: ſic quoq;
" erumpere æmulationem fœminarũ,eaq; diſcordia nepotes ſuos conuelli.
" Quid ſi intendatur certamen tali coniugio? Falleris enim Seiane ſi te man
" ſurum in eodem ordine putas,& Liuiam quæ C. Cæſari, mox Druſo nu-
" pta fuerit,ea mente acturã ut cum equite Romano ſeneſcat.Ego ut ſinam,
" credis ne paſſuros,qui fratrem eius,qui patrem maioreſq; noſtros in ſum-
" mis imperijs uidere? Vis tu quidem iſtum intra locum ſiſtere. ſed illi ma-
" giſtratus & primores qui te inuito perrumpunt,omnibuſq; de rebus con-

ſulunt

ſulunt, exceſſiſſe iam pridem equeſtre faſtigiũ, longeq́ antiſſe patris mei amicitias non occulti ferunt, perq́ inuidiã tui me quoq́ incuſant. At enim Auguſtus filiam ſuam equiti Romano tradere meditatus eſt. Mirum Hercule ſi cum in omnis curas diſtraheretur, immenſumq́ attolli prouideret quem coniunctione tali ſuper alios extuliſſet, C. Proculeium & quoſdam in ſermonibus habuit, inſigni tranquillitate uitæ, nullis Reip. negotijs permixtos. Sed ſi dubitatione Auguſti mouemur, quanto ualidius eſt quod M. Agrippæ, mox mihi conlocauit? Atq́ ego hæc pro amicitia non occultaui. Cæterum neq́ tuis neq́ Liuiæ deſtinatis aduerſabor. Ipſe quid intra animum uolutauerim, quibus adhuc neceſſitudinibus immiſcere te mihi parem, omittam ad præſens referre. id tantum aperiam, nihil eſſe tam exceſſum quod nõ uirtutes iſtæ, tuusq́ in me animus mereãtur. datoq́ tempore uel in ſenatu uel in concione non reticebo. Rurſum Seianus non tam de matrimonio, ſed altius metuens tacita ſuſpicionũ, uulgi rumorem, ingruentem inuidiam deprecatur. Ac ne adſiduos in domũ cœtus arcendo, infringeret potentiam, aut receptando, facultatem criminantibus præberet, huc flexit, ut Tiberium ad uitam procul Roma amœnis locis degendam impelleret. Multa quippe prouidebat, ſua in manu aditus, litterarũq́ magna ex parte ſe arbitrum fore, cum per milites commearent: mox Cæſarem uergente iam ſenecta, ſecretoq́ loci mollitũ, munia imperij facilius tramiſſurum: & minui ſibi inuidiam, adempta ſalutantũ turba, ſublatisq́ inanibus, uera potentia augere. Igitur paulatim negotia urbis, populi adcurſus, multitudinem adfluentiũ increpat, extollens laudibus quietẽ & ſolitudinem, quîs abeſſe tædia & offenſiones, ac præcipua rerũ maximè agitari. Ac forte habita per illos dies de Votieno Montano celebris ingenij uiro cognitio, cunctantem iam Tiberium perpulit, ut uitandos crederet patrum cœtus uocesq́ quæ plerunq́ uerę & graues coràm ingerebãtur. nam poſtulato Votieno ob contumelias in Cæſarem dictas, teſtis Æmylius è militaribus uiris dum ſtudio probandi cuncta refert, & quanq́ inter obſtrepentes magna adſeueratione nititur, audiuit Tiberius probra, quîs per occultum lacerabatur. adeoq́ perculſus eſt, ut ſe uel ſtatim uel in cognitione purgaturum clamitaret: precibusq́ proximorum, adulatione omnium ægre componeret animum. Et Votienus quidem maieſtatis pœnis adfectus eſt. Cæſar obiectam ſibi aduerſus reos inclementiam, eo peruicacius amplexus, Aquiliam adulterij delatam, cum Vario Ligure, quanquam Lentulus Getulicus conſul deſignatus lege Iulia damnaſſet, exilio puniuit: Apidiumq́ Merulam, quod in acta diui Auguſti non iurauerat, albo ſenatorio eraſit. Auditæ dehinc Lacedæmoniorum & Meſſeniorum legationes de iure templi Dianæ Limenetidis, quod ſuis à maioribus ſuaq́ in terra dicatum Lacedæmonij firmabant annaliũ memoria, uatumq́ carminibus, ſed Macedonis Philippi cum quo bellaſſent armis ademptum, ac

Votienus Montanus

Aquilia Varius Ligur Apid. Merula Album ſenatorium

De iure tẽpli Dianæ Limenetidis Lacedæmonij

Meſſenij poſt C.Cæſaris & M.Antonij ſententia redditum. Contra Meſſenij ue-
terem inter Herculis poſteros diuiſionem Peloponeſſi protulere, ſuoq́; re-
gi dent Heliatem agrum, in quo id delubrũ, ceſſiſſe, monimentaq́; eius rei
ſculpta ſaxis & ære priſco manere. quod ſi uatum, annalium ad teſtimonia
uocentur, plures ſibi, ac locupletioris eſſe. neq; Philippum potentia, ſed ex
uero ſtatuiſſe. idem regis Antigoni, idem imperatoris Mumij iudicium, ſic
Mileſios permiſſo publice arbitrio, poſtremo Atidiũ Geminũ prætorem
Segeſtani Achaiæ decreuiſſe. Ita ſecundũ Meſſenios datum. Et Segeſtani ædem
Veneris montem apud Erycum uetuſtate delapſam reſtaurari poſtulaue-
re, nota memorantes de origine eius, & læta Tiberio. ſuſcepit curam libens
Maſſilienſes ut conſanguineus. Tunc tractatæ Maſſilienſiũ preces, probatumq́; P.
P.Rutilius Rutilij exemplum. namq; eum legibus pulſum, ciuem ſibi Smyrnei addi-
Smyrneus *Volcatius* derant. quo iure Vulcatius Moſchus exul in Maſſilienſes receptus, bona
Moſchus ſua Reip. eorum ut patriæ reliquerat. Obiere eo anno uiri nobiles, Gn.
Gn. Lentulus Lentulus, & L.Domitius. Lentulo ſuper cõſulatum & triũphalia de Getu-
L.Domitius lis, gloriæ fuerat bene tolerata paupertas, dein magnæ opes innocẽter pa-
ratæ, & modeſtè habitæ. Domitium decorauit pater ciuili bello maris po-
tens, donec Antonij partibus mox Cæſaris miſceretur. Auus Pharſalica
acie pro optumatibus ceciderat. ipſe electus cui minor Antonia Octauia
Albis flu. genita in matrimonium daretur. Poſt, exercitu flumen Albim tranſcendit,
longius penetrata Germania, q̃ quiſquam priorum. eaſq́; ob res inſignia
L.Antonius triumphi adeptus eſt. Obijt & L. Antonius multa claritudine generis,
ſed improſpera. nam patre eius Iulio Antonio ob adulterium Iuliæ morte
punito, hunc admodum aduleſcentulum ſororis nepotem ſepoſuit Augu-
ſtus in ciuitatem Maſſilienſem, ubi ſpecie ſtudiorum nomen exilij tegere-
tur. habitus tamen ſupremis honor. oſſaq́; tumulo Octauiorũ inlata, per
decretum ſenatus. Iiſdem conſulibus, facinus atrox in citeriore Hiſpa-
nia admiſſum à quodam agreſte, nationis Termeſtinæ. is prætorem pro-
uinciæ L. Piſonem pace incurioſum ex improuiſo in itinere adortus, uno
uulnere in mortem adfecit: ac pernicitate equi profugus, poſtquam ſaltuo-
ſos locos attigerat, dimiſſo equo, per derupta & auia ſequenteis fruſtratus
eſt. neq; diu fefellit. nam prehenſo ductoq́; per proximos pagos equo, cu-
ius foret cognitum. & repertus cum tormentis edere conſcios adigeretur,
uoce magna, ſermone patrio, fruſtra ſe interrogari clamitauit. adſiſterent
ſocij ac ſpectarent. nullam uim tantam doloris fore ut ueritatem eliceret.
idemq́; cũ poſtero ad quæſitionẽ retraheretur, eo niſu proripuit ſe cuſto-
dibus, ſaxoq́; caput adflixit, ut ſtatim exanimaretur. Sed Piſo Termeſti-
norum dolo cæſus habetur: qui pecunias è publico interceptas, acrius, q̃
ut tolerarent barbari, cogebat. Lentulo Getulico, C.Caluiſio Coſs. de-
Pop.Sabinus creta triumphi inſignia Poppæo Sabino, contuſis Thracum gentibus, qui
Thraces montium editis, inculti, atq; eo ferocius agitabant. Cauſa motus ſuper ho-
minum

minum ingenium,quod pati delectus, & ualidiſſimũ quemq; militiæ noſtræ dare aſpernabantur, ne regibus quidem parere niſi ex libidine ſoliti, aut ſi mitterent auxilia ſuos ductores præficere,nec niſi aduerſum accolas belligerare. Ac tum rumor inceſſerat fore,ut diſiecti alijſq; nationibus permixti diuerſas in terras traherentur. Sed antequã arma inciperent miſere legatos,amicitiã,obſequiumq; memoraturos,& manſura hæc ſi nullo nouo onere tentarentur: ſin ut uictis ſeruitium indiceretur,eſſe ſibi ferrum, & iuuentutem,& promptum libertati, aut ad mortẽ animum. ſimul caſtella rupibus indita,conlatosq; illuc parentes, & cõiuges oſtentabãt,bellumq; impeditum,arduum,cruentum,minitabãtur. At Sabinus donec exercitus in unũ cõduceret,datis mitibus reſponſis,dum Pomponius Labeo è Mœſia cum legione,rex Rhœmetalces cum auxilijs populariũ, qui fidem non mutauerãt,ueniret,addita præſenti copia,ad hoſtem pergit, compoſitum iam per anguſtias ſaltuum. quidam audentius apertis in collibus uiſebantur,quos dux Romanus acie ſuggreſſus haud ægrè pepulit,ſanguine barbarorum modico,ob propinqua ſuffugia. Mox caſtris in loco cõmunitis ualida manu montem occupat,anguſtum, & æquali dorſo continuũ uſq; ad proximum caſtellũ,quod magna uis armata aut incondita tuebatur. ſimul in ferociſſimos qui ante uallum more gentis cum carminibus & tripudijs perſultabãt,mittit delectos ſagittariorũ. Ii dum eminus graſſabantur crebra & inulta uulnera fecere,propius incedentes eruptione ſubita turbati ſunt,receptiq; ſubſidio Sycambræ cohortis, quã Romanus promptam ad pericula, nec minus cantuũ & armorum tumultu trucem, haud procul inſtruxerat. Tranſlata dehinc caſtra hoſtem propter, relictis apud priora munimenta Thracibus,quos nobis adfuiſſe memoraui. ijſq; permiſſum uaſtare, urere, trahere prædas, dum populatio lucem intra ſiſteretur, noctemq; in caſtris tutam & uigilem capeſſerent. id primo ſeruatũ: mox uerſi in luxum & rapti opulentia,omittere ſtationes,laſciuia epularũ,aut ſomno & uino procumbere. Igitur hoſtes incuria eorũ comperta duo agmina parant,quorũ altero populatores inuaderẽtur, alij caſtra Romana adpugnarent,nõ ſpe capiendi,ſed ut clamore,telis,ſuo quiſq; periculo intentus, ſonorem alterius prælij nõ acciperet. tenebræ inſuper delectæ augendam ad formidinẽ. Sed qui uallũ legionũ tentabant,facile pelluntur. Thracum auxilia repentino concurſu territa,cum pars munitionibus adiacerent,plures extra pabularentur,tanto infenſius cæſi,quanto perfugæ & proditores ferre arma ad ſuum patriæq; ſeruitiũ incuſabantur. Poſtera die Sabinus exercitũ æquo loco oſtendit,ſi barbari ſucceſſu noctis alacres præliũ auderent. & poſtquã caſtello,aut cõiunctis tumulis non digrediebantur,obſidium cœpit per præſidia, quæ opportune iam muniebat: dein foſſam loricamq; contexens,quatuor millia paſſuũ ambitu amplexus eſt. tum paulatim,ut aquã pabulumq; eriperet,contrahere clauſtra arctaq; circumdare.

Pomp. Labeo

Sycambra cohors

& ſtrue/

& ſtruebatur agger,unde ſaxa,haſtæ, ignes propinquū iam in hoſtem ia-
cerentur.ſed nihil æque quàm ſitis fatigabat,cum ingens multitudo bella-
torum imbelliū uno reliquo fonte uterentur.Simul æque armēta (ut mos
barbaris)iuxta clauſa,egeſtate pabuli exanimari : adiacere corpora homi-
num,quos uulnera,quos ſitis peremerat:pollui cuncta ſanie,odore,conta-
Diſcordia ctu.Rebuſq; turbatis malū extremū diſcordia acceſſit : his deditionē,alijs
mortē,& mutuos inter ſe ictus parātibus. & erant qui non inultū exitium
ſed eruptionē ſuaderent:neq; ignobiles quāuis diuerſi ſententijs . Verum
Dinis Thracum dux è ducibus,Dinis prouectus ſenecta , & longo uſu uim atq; clementiā Ro-
manam edoctus,ponenda arma,unū adflictis id remediū, diſſerebat. Pri-
musq; ſe cum coniuge & liberis uictori permiſit. ſecuti ætate aut ſexu im-
becilli,& quibus maior uitæ quàm gloriæ cupido.At iuuentus Tarſam in-
ter & Tureſim diſtrahebatur . utriq; deſtinatū cum libertate occidere. ſed
Tarſa Tarſa properū finem,abrumpēdas pariter ſpes ac metus clamitans , dedit
exemplū, demiſſo in pectus ferro.nec defuere qui eodē modo oppeterēt.
Tureſis Tureſis ſua cū manu noctē opperitur,haud neſcio duce noſtro . Igitur fir-
matæ ſtationes denſioribus globis . & ingruebat nox nimbo atrox , ho-
ſtiſq; clamore turbido,modo per uaſtum ſilentiū incertos obſeſſores effe
cerat,quū Sabinus circūire,hortari,ne ad ambigua ſonitus, aut ſimulatio-
nem quietis,caſum inſidiātibus aperirēt,ſed ſua quiſq; munia ſeruarēt im-
moti,teliſq; non in falſum iactis.Interea barbari cateruis decurrētes,nunc
in uallū manualia ſaxa,præuſtas ſudes , deciſa robora iacere: nunc uirgul-
tis, & cratibus,& corporibus exanimis,cōplere foſſas:quidā pontes & ſca-
las antè fabricati inferre propugnaculis,eaq; prehenſare,detrahere, & ad-
uerſus reſiſtenteis cominus niti.miles contra deturbare telis,pellere umbo-
nibus,muralia pila,congeſtas lapidū moles prouoluere. His partæ uicto-
riæ ſpes,& ſi cedant,inſignitius flagitiū:illis extrema iam ſalus,& adſiſten-
tes pleriſq; matres & coniuges,earumq; lamenta addūt animos : nox alijs
in audaciā,alijs ad formidinē opportuna:incerti ictus,uulnera improuiſa:
ſuorum atq; hoſtiū ignoratio:& montis anfractu repercuſſæ uelut à tergo
uoces,adeo cuncta miſcuerant, ut quædā munimenta Romani quaſi per-
rupta omiſerint.neq; tamen peruaſere hoſtes niſi admodū pauci. cæteros
deleto promptiſſimo quoq; aut ſaucio,adpetente iam luce truſere ad ſum-
Sponte inimicorum ma caſtelli, ubi tandē coacta deditio & proxima ſpōte inimicorū recepta.
reliquis quo minus ui aut obſidio ſubigerētur, præmatura montis Hæmi
& ſæua hyems ſubuenit. At Romæ cōmota principis domo,ut ſeries fu-
Clau. Pulchra turi in Agrippinā exitij inciperet , Claudia Pulchra ſobrina eius poſtula-
Domitius Afer tur , accuſante Domitio Afro . Is recens prætura, modicus dignationis,&
quoquo facinore properus clareſcere,crimen impudicitiæ, adulterū Furni-
Furnius um , ueneficia in principem & deuotiones obiectabat.Agrippina ſemper
atrox,tum & periculo propinquæ accenſa,pergit ad Tiberium,ac forte ſa-
crifican-

crificantem patri repperit. quo initio inuidiæ, non eiuſdem ait mactare diuo Auguſto uictimas, & poſteros eius inſectari: non in effigies mutas diuinum ſpiritū tra nsfuſum, ſed imaginē ueram cœleſti ſanguine ortam intelligere diſcrimen, ſuſcipere ſordes. fruſtra Pulchrā præſcribi, cui ſola exitij cauſa ſit, quod Agrippinā ſtultè prorſus ad cultū delegerit, oblita Soſię ob eadem adflictæ. Audita hæc raram occulti pectoris uocē elicuere, correptamq́ꝫ Græco uerſu admonuit: ideo lædi, quia non regnaret. Pulchra, & Furnius damnantur. Afer primoribus oratorū additus, diuulgato ingenio & ſecuta adſeueratione Cæſaris, qua ſuo iure diſertū eum appellauit. mox capeſſendis accuſationibus, aut reos tutando proſperiore eloquētiæ ꝙ morū fama fuit, niſi quod ætas extrema multū etiam eloquētiæ dempſit, dum feſſa mente retinet ſilentij impatientiā. At Agrippina peruicax iræ, & morbo corporis implicata, cum uiſeret eam Cæſar, profuſis diu ac per ſilentiū lachrymis, mox inuidiā & preces orditur: ſubueniret ſolitudini, daret maritū, habilem adhuc iuuentam ſibi, neqꝫ aliud probis quàm ex matrimonio ſolatium: eſſe in ciuitate, Germanici coniugē: ac liberos eius recipere dignaretur. Sed Cæſar non ignarus quantū ex Rep. peteretur, ne tamen offenſionis aut metus manifeſtus foret, ſine reſponſo, quanquam inſtantē, reliquit. Id ego à ſcriptoribus annaliū non traditum, repperi in cōmentarijs Agrippinæ filiæ: quę Neronis principis mater uitā ſuam & caſus ſuorū poſteris memorauit. Cæterum Seianus mœrentē & improuidā altius perculit, immiſſis qui per ſpeciē amicitiæ monerēt, paratū ei uenenū, uitandas ſoceri epulas. Atqꝫ illa ſimulationū neſcia, cū propter diſcumberet, nō uultu aut ſermone flecti, nullos attingere cibos, donec aduertit Tiberius, forte, an quia audiuerat: idq́ꝫ quo acrius experiretur, poma ut erant adpoſita laudans, nurui ſua manu tradidit. aucta ex eo ſuſpicio Agrippinæ, & intacta ore ſeruis tramiſit. nec tamē Tiberij uox coràm ſecuta, ſed obuerſus ad matrē, non mirū ait, ſi quid ſeuerius in eam ſtatuiſſet, à qua ueneficij inſimularetur. Inde rumor, parari exitiū, neqꝫ id imperatorem palàm audere, ſecretū ad perpetrandū quæri. Sed Cæſar quo famā auerteret, adeſſe frequens ſenatui, legatosq́ꝫ Aſiæ ambigentes quánam in ciuitate templū ſtatueretur pluris per dies audiuit. Vndecim urbes certabāt pari ambitione, uiribus diuerſæ. neqꝫ multū inter ſe diſtantia memorabant, de uetuſtate generis, ſtudio in populū Romanū per bella Perſi & Ariſtonici aliorumq́ꝫ regū. Verum Hypæpeni Trallianiqꝫ Laodicenis ac Magnetibus ſimul tramiſſi, ut parū ualidi. ne Ilienſes quidē cum parentem urbis Romæ Troiam referrent, niſi antiquitatis gloria pollebant. paulum addubitatū, quod Halicarnaſſij mille & ducētos per annos nullo motu terræ nutauiſſe ſedes ſuas, uiuoq́ꝫ in ſaxo fundamenta templi adſeuerauerant. Pergamenos (eo ipſo nitebātur, ædem Auguſto ibi ſitam) ſatis adeptos creditum. Epheſij, Mileſijq́ꝫ, hi Apollinis, illi Dianæ cærimonia occu-

pauiſſe

Domitiū Afrū Tib. diſertum appellauit

XI urbes aſiæ

Hypæpeni
Tralliani
Laodiceni
Magnetes
Ilienſes
Halicarnaſſij
Pergameni
Epheſij
Mileſij

Sardiani pauiſſe ciuitates uiſi. Ita Sardianos inter Smyrnæosq́ deliberatum. Sardiani decretũ Ethruriæ recitauere, ut conſanguinei. nam Tyrrhenum Lydumq́ Atye rege genitos ob multitudinem diuiſiſſe gentem: Lydum patrijs in terris reſediſſe, Tyrrheno datum nouas ut cõderet ſedes. & ducum è nominibus indita uocabula, illis per Aſiam, his in Italiam: auctamq́ adhuc Lydorũ opulentiam, miſſis in Græciã populis, cui mox à Pelope nomen. ſimul literas imperatorum, & icta nobiſcum fœdera bello Macedonum, ubertatemq́ fluminũ ſuorum, temperiem cœli, ac dites circum terras memorabant. *Smyrnæi* At Smyrnæi repetita uetuſtate, ſeu Tantalus Ioue ortus, illos, ſiue Theſeus diuina & ipſe ſtirpe, ſiue una Amazonũ cõdidiſſet: tranſcendere ad ea, quis maxime fidebant, in populum Romanũ officijs, miſſa nauali copia non modo externa ad bella, ſed quæ in Italia tolerabantur: ſeq́ primos templũ urbis Romæ ſtatuiſſe, M. Porcio conſule, magnis quidem iam Romani populi rebus, nondum tamen ad ſummũ elatis, ſtante adhuc Punica urbe, & ualidis per Aſiam regibus: ſimul L. Sullam teſtem adferebant, grauiſſimo in diſcrimine exercitus ob aſperitatẽ hyemis, & penuriam ueſtis, cum id Smyrnam in contionẽ nunciatum foret, omnes qui adſtabant detraxiſſe corpori tegmina, noſtriſq́ legionibus miſiſſe. Ita rogati ſententiã patres, Smyrnęos prætulerũt. Cenſuitq́ Vibius Marſus ut M. Lepido, cui ea prouincia obuenerat, ſuper numerũ legaretur qui templi curam ſuſciperet. & quia Lepidus ipſe deligi ſe per modeſtiã abnuebat, Valerius Naſo è prætorijs ſorte miſſus eſt. Inter quæ diu meditato, prolatoq́ ſæpius conſilio, tandẽ Cæſar in Campaniã ſpecie dedicandi templum apud Capuam Ioui, apud Nolam Auguſto, ſed certus procul urbe degere. Cauſam abſceſſus, quanquã ſecutus plurimos auctorũ ad Seiani artes rettuli, quia tamen cæde eius patrata, ſex poſtea annos pari ſecreto coniunxit, plerunq; permoueor, num ad ipſum referri uerius ſit, ſæuitiam ac libidinem cum factis promeret, locis occultantem. Erant qui crederẽt in ſenectute quoq; corporis habitum pudori fuiſſe. quippe illi prægracilis & incurua proceritas, nudus capillo uertex, ulceroſa facies, ac plerunq; medicaminibus interſtincta. & Rhodi ſecreto uitare cœtus, recondere uoluptates inſuerat. Traditur etiam matris impotentia extruſum, quã dominationis ſociam aſpernabatur, neq; depellere poterat, cum dominationẽ ipſam *Germanicus Auguſti ſororis nepos* donum eius accepiſſet. Nam dubitauerat Auguſtus Germanicum ſororis nepotem, & cunctis laudatum, rei Romanæ imponere, ſed precibus uxoris euictus, Tiberio Germanicum, ſibi Tiberiũ adſciuit. idq́ Auguſta exprobrabat, repoſcebat. Profectio arcto comitatu fuit, unus ſenator con*Cocce. Nerua*ſulatu functus Cocceius Nerua cui legum peritia: eques Romanus, præter *Seianus* Seianũ, ex inluſtribus Curtius Atticus. *Curtius Atticus* cæteri liberalibus ſtudijs præditi, fermè Græci quorũ ſermonibus leuaretur. Ferebant periti cœleſtiũ, ijs motibus ſyderum exceſſiſſe Roma Tiberium, ut reditus illi negaretur. unde

exitij

exitij cauſa multis fuit,properũ finem uitę coniectantibus,uulgantibusq́. neq; enim tam incredibilem caſum prouidebant,ut undecim per annos libens patria careret. Mox patuit breue confiniũ artis,& falſi, ueraq; quàm obſcuris tegerentur. nam in urbem non regreſſurũ,haud forte dictum. cæterorum neſcij egere,cum propinquo rure,aut littore,& ſępe mœnia urbis adſidens extremã ſenectam compleuerit. Ac forte illis diebus oblatum Cæſari anceps periculũ auxit uana rumoris, præbuitq́; ipſi materiem cur amicitiæ,conſtantiæq́; Seiani magis fideret. Veſcebantur in uilla cui uocabulum Spelũcæ, mare Amuclanũ inter Fundanosq́; mõtes,natiuo in ſpecu. eius os lapſis repẽte ſaxis,obruit quoſdã miniſtros. hinc metus in omnes,& fuga eorum qui conuiuiũ celebrabant. Seianus genu,uultuq́; & manibus ſuper Cæſarẽ ſuſpenſus oppoſuit ſeſe incidentibus, atq; habitu tali repertus eſt à militibus qui ſubſidio uenerant. Maior ex eo, & quanquam exitioſa ſuaderet,ut non ſui anxius,cum fide audiebatur. Adſimulabatq́; iudicis partes aduerſus Germanici ſtirpem, ſubditis qui accuſatorũ nomina ſuſtinerent,maximeq́; inſectarentur Neronẽ proximum ſucceſſioni, & quanquam modeſta iuuenta,plerunq; tamen quid in præſentiarũ conduceret, oblitum,dum à libertis & clientibus apiſcendæ potẽtiæ properis extimulatur,ut erectum & fidentẽ animi oſtenderet: uelle id populũ Romanum:cupere exercitus. neq; auſurũ contra,Seianum, qui nunc patientiam ſenis,& ſegnitiam iuuenis iuxta inſultet. Hæc atq; talia audienti, nihil quidem prauæ cogitationis,ſed interdum uoces procedebant contumaces, & inconſultæ:quas adpoſiti cuſtodes exceptas auctasq́; cum deferrent, neq; Neroni defendere daretur,diuerſæ inſuper ſollicitudinũ formæ oriebãtur. nam alius occurſum eius uitare,quidam ſalutatione reddita ſtatim auerti, pleriq; inceptum ſermonẽ abrumpere,inſiſtentibus cõtra, inridentibusq́; qui Seiano fautores aderant. Enimuero Tiberius toruus, aut falſum renidens uultu, ſeu loqueretur,ſeu taceret. iuuenis crimẽ ex ſilentio,ex uoce. ne nox quidem ſecura, cum uxor uigilias,ſomnos,ſuſpiria matri Liuiæ, atq; illa Seiano patefaceret. qui fratrem quoq; Neronis Druſum traxit in partes ſpe obiecta principis loci, ſi priorem ætate & iam labefactum demouiſſet. Atrox Druſi ingeniũ ſuper cupidinem potentiæ, & ſolita fratribus odia,accendebatur inuidia,quod mater Agrippina prõptior Neroni erat. neq; tamen Seianus ita Druſum fouebat,ut non in eum quoq; ſemina futuri exitij meditaretur,gnarus pręferocem & inſidijs magis opportunum.

Breue cõfiniũ artis & falſi de Aſtrologia

Natiuus ſpecus

Tiberius toruus, aut falſum renidens uultu

Druſus frater Neronis

Fine anni exceſſere inſignes uiri,Aſinius Agrippa claris maioribus q̃; uetuſtis, uitaq́; non degener. Et Q.Haterius familia ſenatoria, eloquentiæ quoad uixit celebratæ. monimenta ingenij eius haud perinde retinentur. Scilicet impetu magis quàm cura uigebat. utq́; aliorũ meditatio & labor in poſterum ualeſcit,ſic Haterij canorũ illud & profluens, cum ipſo ſimul extinctum eſt. M.Licinio,L.Calpurnio Coss. ingentiũ bellorũ cladem

Aſinius Agrippa

Q.Haterius

æquauit malum improuiſum. eius initium ſimul & finis extitit. Nam cœpto apud Fidenam amphitheatro Atilius quidam libertini generis, quo ſpectaculum gladiatorũ celebraret, neq; fundamenta per ſolidũ ſubdidit, neq; firmis nexibus ligneam cõpagem ſuperſtruxit, ut qui non abundantia pecuniæ, nec municipali ambitione, ſed in ſordida mercede id negotium quæſiuiſſet. Adfluxere auidi talium, imperitante Tiberio procul uoluptatibus habiti, uirilis ac muliebris ſexus, omnis ætas, ob propinquitatem loci effuſus. unde grauior peſtis fuit, conferta mole, dein cõuulſa, dum ruit intus, aut in exteriora effunditur, immenſamq; uim mortaliũ ſpectaculo intentos, aut qui circũ adſtabant præceps trahit, atq; operit. Et illi quidem quos principium ſtragis in mortẽ adflixerat, ut tali ſorte, cruciatũ effugere. Miſerandi magis quos abrupta parte corporis, nõdum uita deſeruerat, qui per diem uiſu, per noctem ululatibus & gemitu, coniuges aut liberos noſcebant. Iam cæteri fama exciti, hic fratrem, propinquũ ille, alius parentes lamentari. etiam quorum diuerſa de cauſa amici aut neceſſarij aberant, pauere tamen: neq; dum comperto quos illa uis perculiſſet, latior ex incerto metus. Vt cœpere dimoueri obruta, cõcurſus ad exanimos complectentium, oſculantiũ. & ſæpe certamen ſi cõfuſior facies, & par forma aut ætas errorem adgnoſcentibus fecerat. Quinquaginta hominũ millia eo caſu debilitata uel obtrita ſunt. Cautumq; in poſterũ ſenatuſconſulto, ne quis gladiatorium munus æderet, cui minor quadringentorum millium res, néue amphitheatrum imponeretur, niſi ſolo firmitatis ſpectatæ. Atilius in exilium actus eſt. Cæterum ſub recentem cladem patuere procerũ domus, fomenta, & medici paſſim præbiti. fuitq; urbs per illos dies, quanquã mœſta facie, ueterum inſtitutis ſimilis, qui magna poſt prælia ſaucios largitione, & cura ſuſtentabant. Nondum ea clades exoleuerat, cum ignis uiolentia urbem ultra ſolitum adfecit, deuſto monte Cęlio. feralemq; annum ferebant, & ominibus aduerſis ſuſceptũ principi conſilium abſentiæ, qui mos uulgo, fortuita ad culpam trahentes, ni Cæſar obuiam iſſet, tribuendo pecunias ex modo detrimenti. Actæq; ei grates apud ſenatũ ab inluſtribus: famaq; apud populũ, quia ſine ambitione, aut proximorũ precibus, ignotos etiam & ultro accitos munificentia iuuerat. Adduntur ſententiæ, ut mons Cælius in poſterũ Auguſtus appellaretur, quãdo cunctis circum flagrantibus, ſola Tiberij effigies ſita in domo Iunij ſenatoris inuiolata manſiſſet. eueniſſe id olim Claudiæ Quintiæ, eiusq; ſtatuã uim ignium bis elapſam, maiores apud ædem Matris deúm conſecrauiſſe: ſanctos acceptosq; numinibus Claudios: & augendam cærimoniam loco, in quo tantum in principem honorem dij oſtenderent. Haud fuerit abſurdum tradere, montem eum antiquitus Querquetulanum cognomento fuiſſe, quod talis ſiluæ frequens, fœcundusq; erat: mox Cælium appellitatum à Cæle Vibenna, qui dux gentis Ethruſcæ cum auxilium appellatũ tauiſſet, ſedem

Atilius

Vt tali ſorte

L. hominũ millia caſu Amphitheatri apud Fidenam afflicta

Incendiũ montis Cęlij

Querquetulanus mons Cælius

ſedem eam acceperat à Tarquinio Priſco,ſeu quis alius regum dedit. nam ſcriptores in eo diſſentiunt.cætera non ambigua ſunt, magnas eas copias per plana etiam ac foro propinqua habitauiſſe,unde Thuſcũ uicum è uocabulo aduenarum dictum. Sed ut ſtudia procerum, & largitio principis aduerſum caſum ſolatium tulerant, ita accuſatorũ maior in dies & infeſtior uis ſine leuamento graſſabatur:corripueratq; Varum Quintilium diuitem & Cæſari propinquũ Domitius Afer Claudiæ Pulchræ matris eius condemnator,nullo mirante quod diu egens,& parto nuper præmio male uſus,plura ad flagitia accingeretur.Publium Dolabellam ſocium delationis extitiſſe miraculo erat,quia claris maioribus,& Varo connixus,ſuam ipſe nobilitatem,ſuum ſanguinem perditũ ibat.Reſtitit tamen ſenatus & opperiendũ imperatorẽ cenſuit. quod unum, urgentiũ malorum ſuffugium in tempus erat. At Cæſar dedicatis per Campaniã templis,quanquam edicto monuiſſet,ne quis quietem eius irrumperet, cõcurſusq; oppidanorum diſpoſito milite prohiberentur, peroſus tamen municipia, & colonias,omniaq; in continenti ſita,Capreas ſe in inſulam abdidit, trium millium freto ab extremis Surrentini promontorij diiunctam. Solitudinem eius placuiſſe maxime crediderim,quoniam importuoſum circa mare,& uix modicis nauigijs pauca ſubſidia.neq; adpulerit quiſquã niſi gnaro cuſtode.cœli temperies hyeme mitis, obiectu montis quo ſæua uentorum arcentur.æſtas in Fauonium obuerſa, & aperto circum pelago peramœna. proſpectabatq; pulcherrimũ ſinum antequã Veſuuius mons ardeſcens faciem loci uerteret.Græcos ea tenuiſſe,Capreasq; Thelebois habitatas fama tradit. Sed tum Tiberius duodecim uillarum nominibus,& molibus inſederat,quanto intentus olim publicas ad curas,tanto occultior in luxus,& malum otium reſolutus. Manebat quippe ſuſpicionum & credendi temeritas, quã Seianus augere etiã in urbe ſuetus, acrius turbabat, non iam occultis aduerſum Agrippinam & Neronem inſidijs, quis additus miles, nuncios,introitus, aperta, ſecreta, uelut in annales referebat. ultroq; ſtruebantur qui monerent perfugere ad Germaniæ exercitus,uel celeberrimo fori effigiem diui Auguſti amplecti, populumq; ac ſenatũ auxiliouocare.Eaq; ſpreta ab illis, uelut pararent,obijciebãtur. Iunio Sillano & Silio Nerua Coſs.fœdum anni principium inceſſit, tracto in carcerem inluſtri equite Romano Titio Sabino ob amicitiã Germanici. neq; enim omiſerat coniugem, liberoſq; eius percolere, ſectator domi, comes in publico,poſt tot clientes unus,eoq; apud bonos laudatus, & grauis iniquis. Hunc Latinius Latiaris, Porcius Cato, Petitius Rufus, M. Opſius prætura functi adgrediuntur, cupidine conſulatus, ad quem non niſi per Seianum aditus.neq; Seiani uoluntas niſi ſcelere quærebatur. Compoſitum inter ipſos,ut Latiaris qui modico uſu Sabinum contingebat,ſtrueret dolum,cęteri teſtes adeſſent:deinde accuſationẽ inciperent. Igitur Latiaris

Varus Quintilius

Domit. Afer

P.Dolabella

Capreæ

Malum otium

Titius Sabinus in carcerem

Portius Cato

Petiti.Rufus

M.Opſius

Latinius Latiaris

iacere fortuitos primum ſermones . mox laudare conſtantiam, quod non
ut cæteri florentis domus amicus,adflictam deſeruiſſet : ſimul honora de
Germanico Agrippinam miſerans diſſerebat . Et poſtq̃ Sabinus(ut ſunt
Molles in calamitate mortalium animi
molles in calamitate mortalium animi)effudit lachrymas, iunxit queſtus,
audentius iam onerat Seianum,ſæuitiam,ſuperbiam,ſpes eius: ne in Tibe
rium quidem cõuicio abſtinet.hicq; ſermones tanquam uetita miſcuiſſent,
ſpeciem arctæ amicitiæ facere . Ac iam ultro Sabinus quærere Latiarem,
uentitare domum,dolores ſuos quaſi ad fidiſſimum deferre . Conſultant
quos memoraui,quo nam modo ea plurium auditu acciperentur.nam lo-
co in quẽ coibatur ſeruanda ſolitudinis facies, & ſi pone fores adſiſterent,
metus uiſus,ſonitus, aut forte ortæ ſuſpiciones erant . Tectum inter & la-
quearia tres ſenatores,haud minus turpi latebra quàm deteſtanda fraude,
ſeſe abſtrudunt,foraminibus & rimis aurem admouẽt.Interea Latiaris re-
pertum in publico Sabinum,uelut recens cognita narraturus , domũ & in
cubiculum trahit . Præteritaq; & inſtantia quorum adfatim copia, ac no-
uos terrores cumulat:Eadem ille,& diutius , quãdo mœſta,ubi ſemel pro-
rupere difficilius reticẽtur.Properata inde accuſatio,miſſisq; ad Cæſarem
literis ordinem fraudis, ſuumq; ipſi dedecus narrauere . Non aliàs magis
anxia & pauens ciuitas,egens aduerſum proximos.congreſſus, colloquia,
notæ ignotæq; aures uitari,etiam muta atq; inanima , tectum & parietes
Solennia incipientis anni precatus
circumſpectabantur.Sed Cæſar ſolennia incipientis anni kalen.Ianuarias
epiſtula precatus:uertit in Sabinũ,corruptos quoſdam libertorum, & peti
tum ſe arguens,ultionemq; haud obſcurè poſcebat.nec mora,quin decer-
neretur , & trahebatur damnatus , quantum obducta ueſte , & adſtrictis
Sic inchoatur annus
Hæ Seiano uictimæ cadunt
faucibus niti poterat clamitãs, Sic inchoari annũ,has Seiano uictimas ca-
dere.quò intendiſſet oculos,quò uerba acciderent,fuga,uaſtitas, deſeri iti-
nera,fora:& quidã regrediebantur,oſtentabantq; ſe rurſum, id ipſum pa-
uentes quod timuiſſent . quem enim diem uacuũ pœna , ubi inter ſacra &
uota,quo tempore uerbis etiam profanis abſtineri mos eſſet , uincla & la-
queus inducãtur ? non imprudentem Tiberiũ tantã inuidiã adijſſe:quæſi-
tum meditatumq;,ne quid impedire credatur, quo minus noui magiſtra-
tus quo modo delubra & altaria ſic carcerem recludant.Secutæ inſuper li-
teræ,grates agentis, quod hominem infenſum Reip.puniuiſſent, adiecto,
trepidam ſibi uitam,ſuſpectas inimicorũ inſidias : nullo nominatim com-
pellato.neq; tamen dubitabatur in Neronẽ & Agrippinam intendi. Ni
mihi deſtinatũ foret , ſuum quæq; in annũ referre , auebat animus antire,
ſtatimq; memorare exitus , quos Latinius atque Opſius cæteriq; flagitij
eius repertores habuere,non modo poſtquã C.Cæſar rerum potitus eſt,
ſed incolumi Tiberio: qui ſcelerum miniſtros ut peruerti ab alijs nolebat,
ita plerunq; ſatiatus,& oblatis in eandem operã recẽtibus, ueteres & præ-
graues adflixit. uerum has atq; alias ſontiũ pœnas in tempore trademus.
Tum

Tum cenſuit Aſinius Gallus cuius liberorũ Agrippina matertera erat,
petendum à principe, ut metus ſuos ſenatui fateretur, amoueriq́ʒ ſineret.
Nullam æque Tiberius,ut rebatur, ex uirtutibus ſuis q̃ diſſimulationem *Diſſimula/tio Tiberij*
diligebat.eo ægrius accepit, recludi quæ premeret. ſed mitigauit Seianus
non Galli amore,uerum ut cunctationes principis aperirentur,gnarus len
tum in meditãdo,ubi prorupiſſet,triſtibus dictis atrocia facta cõiungere.

Per idem tempus Iulia mortem obijt, quam neptem Auguſtus conui/ *Iulia*
ctam adulterij damnauerat proieceratq́ʒ in inſulam Trimerum,haud pro
cul Apulis littoribus.illic uiginti annis exilium tolerauit, Auguſtæ ope ſu/
ſtentata,quæ florentes priuignos cum per occultũ ſubuertiſſet, miſericor/
diam erga afflictos palàm oſtentabat. Eodem anno Friſij Tranſrhena
nus populus pacem exuère, noſtra magis auaricia q̃ obſequij impatien/ *Friſij rebellãt*
tes. Tributũ ijs Druſus iuſſerat modicum,pro anguſtia rerum, ut in uſus
militares coria boum penderent,non intenta cuiuſquã cura, quæ firmitu/ *Coria boum*
do,quæ menſura:donec Olennius è primipilaribus,regendis Friſijs impo
ſitus,terga Vrorum delegit,quorũ ad formam acciperentur.Id alijs quoqʒ
nationibus arduum,apud Germanos difficilius tolerabatur,quis ingenti/
um belluarum feraces ſaltus,modica domi armenta ſunt. ac primo boues
ipſos,mox agros,poſtremo corpora coniugũ, aut liberorũ ſeruitio trade/
bant.Hinc ira & queſtus.& poſtq̃ non ſubueniebat,remediũ ex bello.ra/ *Friſij Ro.milites patibulo adfigunt*
pti qui tributo aderant milites,& patibulo adfixi.Olennius infenſos fuga
præuenit,receptus caſtello cui nomen Fleuum:& haud ſpernenda illic ciui *Fleuũ caſtellũ*
um ſociorumq́ʒ manus littora Oceani præſidebat.Quod ubi L. Apronio *L. Apronius*
inferioris Germaniæ proprætori cognitũ,uexilla legionũ,è ſuperiore pro/
uincia,peditumq́ʒ & equitũ auxiliarium delectos acciuit: ac ſimul utrunqʒ
exercitum Rheno deuectũ Friſijs intulit,ſoluto iam caſtelli obſidio, & ad
ſua tutãda digreſſis rebellibus.Igitur proxima æſtuaria aggeribus & pon
tibus,traducendo grauiori agmini firmat.atqʒ interim repertis uadis alam
Canninefatem, & quod peditũ Germanorum inter noſtros merebat, cir/ *Ala Canninefas*
cumgredi terga hoſtiũ iubet.qui iam acie cõpoſiti pellunt turmas ſociales,
equitesq́ʒ legionum ſubſidio miſſos. Tum tres leues cohortes, ac rurſum
duę,dein tempore interiecto,acrius eques immiſſus.ſatis ualidi ſi ſimul in/
cubuiſſent,per interuallum aduentantes, neqʒ conſtantiam addiderãt tur/
batis,& pauore fugientiũ auferebantur.Cethecio Labeoni legato quintæ
legionis,quod reliquũ auxiliorũ tradit.atqʒ ille dubia ſuorum re,in anceps
tractus,miſſis nuncijs uim legionũ implorabat.Prorumpunt quintani an/ *Friſiorũ uictoria*
te alios,& acri pugna hoſte pulſo, recipiunt cohortis alasq́ʒ feſſas uulneri/
bus.Neqʒ dux Romanus ultũ ijt,aut corpora humauit, quanq̃ multi tri/
bunorum,præfectorumq́ʒ & inſignes centuriones cecidiſſent. Mox com/
pertum à transfugis nongentos Romanorũ apud lucum,quẽ Baduhennę *Lucus Baduhenna*
uocant,pugna in poſterũ extracta,confectos: & aliam quadringentorum

Clarũ ex hac uictoria Friſiorum nomen

manum,occupata Cruptoricis quondã ſtipendiarij uilla, poſtq; proditio metuebatur,mutuis ictibus procubuiſſe. Clarum inde inter Germanos Friſium nomẽ,diſſimulante Tiberio damna ne cui bellũ permitteret. neq; ſenatus in eo cura,an imperij extrema dehoneſtarẽtur.Pauor internus occupauerat animos,cui remediũ adulatione quærebatur. Ita quanq; diuerſis ſuper rebus conſulerẽtur,aram clementiæ,aram amicitiæ, effigiesq; circum Cæſaris ac Seiani cenſuere:crebrisq; precibus efflagitabant, uiſendi ſui copiam facerent.Non illi tamen in urbem aut propinqua urbi digreſſi ſunt,ſatis uiſum omittere inſulam,& in proximo Campaniæ aſpici.eò uenire patres,eques,magna pars plebis,anxij erga Seianũ, cuius durior congreſſus,atq; eo per ambitum,& ſocietate conſiliorũ parabatur. Satis conſtabat auctam ei adrogantiã,fœdum illud in propatulo ſeruitiũ ſpectanti. quippe Romæ ſueti diſcurſus, & magnitudine urbis,incertũ, quod quiſq; ad negotiũ pergat.Ibi campo aut littore iacentes,nullo diſcrimine noctem ac diem,iuxta gratiam aut faſtus ianitorum perpetiebãtur. donec idq; uetitum.& reuenere in urbem trepidi,quos non ſermone,non uiſu dignatus erat.quidam male alacres,quibus infauſtæ amicitiæ,grauis exitus imminebat.Cæterũ Tiberius neptem Agrippinã Germanico ortam, cum coràm Gn. Domitio tradidiſſet, in urbe celebrari nuptias iuſſit. In Domitio,ſuper uetuſtatem generis, propinquum Cæſaribus ſanguinem delegerat. Nam is auiam Octauiam,& per eam Auguſtum auunculum præferebat.

Ara clemẽtiæ
Ara amicitiæ
Fœdũ ſenatus ſeruitium
Agrippina Germanici filia Gn. Domitio nubit

P. CORNELII TACITI AB EXCESSV DIVI AVGVSTI ANNALIVM LIBER QVINTVS.

Iuliæ Auguſtæ mors

RVBELLIO & Fuſio Coss.quorum utriq; Geminus cognomentum erat,Iulia Auguſta mortem obijt,ætate extrema,nobilitatis per Claudiam familiam & adoptione Liuiorũ Iuliorumq; clariſſimæ. primum ei matrimoniũ & liberi fuere cum Tiberio Nerone,qui bello Peruſino profugus,pace inter Sex.Pompeium ac triumuiros pacta,in urbem redijt.Exin Cæſar cupidine formæ aufert marito,incertũ an inuitam,adeo properus ut ne ſpatio quidem ad enitendum dato penatibus ſuis grauidã induxerit. Nullam poſthac ſobolẽ edidit,ſed ſanguini Auguſti per coniunctionem Agrippinæ & Germanici adnexa, cõmunes pronepotes habuit, ſanctitate domus priſcum ad morem,comis ultra quàm antiquis fœminis probatum,mater impotens,uxor facilis,& cum artibus mariti,ſimulatione filij bene compoſita.Funus eius modicum, teſtamẽtum diu irritum fuit.

laudata

laudata eſt pro roſtris à C. Cæſare pronepote qui mox rerum potitus eſt. At Tiberius quod ſupremis in matrẽ officijs defuiſſet, nihil mutata amœnitate uitæ magnitudinem negociorum per literas excuſauit: honoresq́; memoriæ eius ab ſenatu large decretos, quaſi per modeſtiã imminuit, paucis admodum receptis, & addito ne cœleſtis religio decerneretur: ſic ipſam maluiſſe. quin & parte eiuſdẽ epiſtulæ increpuit amicitias muliebres, Fuſium conſulem oblique perſtringens. is gratia Auguſtæ floruerat, aptus alliciendis fœminarũ animis, dicax idem, & Tiberiũ acerbis facetijs inridere ſolitus, quarũ apud præpotentes in longum memoria eſt. Cæterum ex eo prærupta iam & urgens dominatio. nam incolumi Auguſta erat adhuc perfugium: quia Tiberio inueteratũ erga matrem obſequium, neq́; Seianus audebat auctoritati parẽtis anteire: tunc uelut frenis exoluti proruperunt. miſſæq́; in Agrippinam ac Neronẽ literæ, quas pridem allatas & cohibitas ab Auguſta credidit uulgus. haud enim multũ poſt mortẽ eius recitatæ ſunt. uerba inerant quæſita aſperitate, ſed non arma, non rerum nouarum ſtudiũ, amores iuuenum, & impudicitiã nepoti obiectabat: in nurum ne id quidem confingere auſus, adrogantiã oris & contumacem animum incuſauit, magno ſenatus pauore ac ſilentio: donec pauci, quis nulla ex honeſto ſpes, & publica mala ſingulis in occaſionem gratiæ trahuntur, ut referretur poſtulauere, promptiſſimo Cotta Meſſalino cum atroci ſententia. ſed alijs à primoribus maximeq́; à magiſtratibus trepidabat: quippe Tiberius & ſi infenſe inuectus, cætera ambigua reliquerat. Fuit in ſenatu Iunius Ruſticus, cõponendis patrum actis delectus à Cæſare, eoq́; meditationes eius introſpicere creditus: is fatali quodã motu (neq́; enim ante ſpecimen conſtantiæ dederat) ſeu praua ſolertia, dum imminentiũ oblitus incerta pauet, inſerere ſe dubitãtibus, ac monere cõſules ne relationẽ inciperent: diſſerebatq́;, breuibus momẽtis ſumma uerti poſſe, dandumq́; interſtitium pœnitentiæ ſenis. Simul populus effigies Agrippinæ ac Neronis gerens, circumſiſtit curiã, feſtisq́; in Cæſarẽ ominibus falſas literas & principe inuito exitium domui eius intendi clamitat. ita nihil triſte illo die patratũ. ferebantur etiã ſub nominibus conſulariũ fictæ in Seianum ſententiæ, exercentibus plerisq́; per occultũ, atq́; eo procacius libidinẽ ingeniorum, unde illi ira uiolentior, & materies criminandi: ſpretũ dolorẽ principis, ab ſenatu deſciuiſſe populũ: audiri iam & legi nouas cõciones, noua patrum cõſulta: quid reliquũ niſi ut caperent ferrũ? & quorum imagines pro uexillis ſecuti forent, duces imperatoresq́; deligerent? Igitur Cæſar repetitis aduerſum nepotẽ & nurũ probris, increpitaq́; per edictũ plebe, queſtus apud patres quod fraude unius ſenatoris imperatoria maieſtas eluſa publice foret, integra tamen ſibi cuncta poſtulauit. nec ultra deliberatũ quo minus nõ quidẽ extrema decernerent, id enim uetitũ, ſed paratos ad ultionem ui principis impediri teſtarentur. *

Suprema officia

Fuſius Cos.

Acerbæ facetiæ

Iunius Ruſticus

Quatuor & quadraginta orationes ſuper ea re habitæ, ex quîs ob metum paucæ, plures adſuetudine. mihi pudorem aut Seiano inuidiam allaturum cenſui

uerſa eſt fortuna, & ille quidem qui collegã & generum adſciuerat, ſibi ignoſcit. cæteri quem per dedecora fouere, cum ſcelere inſectantur.

miſerius ſit ob amicitiam accuſari, an amicum accuſare haud diſcreuerim. non crudelitatem, non clementiam cuiuſquam experiar, ſed liber & mihi ipſi probatus antibo periculũ. uos obteſtor ne memoriam noſtri per mœrorẽ quàm læti retineatis, adijciendo me quoq; ijs, qui fine egregio publica mala effugerunt. Tunc ſingulos ut cuiq; adſiſtere, adloqui animus erat, retinens aut dimittens partem diei abſumpſit. multoq́ adhuc cœtu, & cunctis intrepidum uultum eius ſpectãtibus, cum ſupereſſe tempus nouiſſimis crederent, gladio quem ſinu abdiderat incubuit. Neq; Cæſar ullis criminibus aut probris defunctum inſectatus eſt, cum in Blæſum multa fœdaq́ incuſauiſſet. Relatum inde de P. Vitellio & Pomponio Secundo. illum indices arguebant, clauſtra ærarij cui præfectus erat, & militarem pecuniã rebus nouis obtuliſſe. huic à Conſidio prætura functo obiectabatur Velij Galli amicitia, qui punito Seiano in hortos Pomponij quaſi fidiſſimum ad ſubſidium perfugiſſet. neq; aliud periclitantibus auxilij quàm in fratrum cõſtantia fuit, qui uades extitere. mox crebris prolationibus ſpem ac metum iuxta grauatus Vitellius, petito per ſpeciem ſtudiorũ ſcalpro, leuem ictum uenis intulit, uitamq́ ægritudine animi finiuit. At Pomponius multa morum elegantia, & ingenio inluſtri dum aduerſam fortunã æquus tolerat, Tiberio ſuperſtes fuit. Placitum poſthac ut in reliquos Seiani liberos aduerteretur, uaneſcente quanquam plebis ira, ac pleriſq; per priora ſupplicia lenitis. igitur portantur in carcerem, filius imminentiũ intelligens, puella adeo neſcia, ut crebro interrogaret, quod ob delictum, & quò traheretur? neq; facturam ultra. &, poſſe ſe puerili uerbere moneri. Tradunt temporis eius auctores, quia triumuirali ſupplicio affici uirginem inauditum habebatur, à carnifice laqueum iuxta, compreſſam: exin obliſis faucibus id ætatis corpora in Gemonias abiecta. Per idem tempus Aſia atq; Achaia exterritæ ſunt, acri magis q̃ diuturno rumore, Druſum Germanici filiũ apud Cycladas inſulas, mox in continenti uiſum. & erat iuuenis haud diſpari ætate, quibuſdam Cæſaris libertis uelut agnitus, per dolumq́ comitantibus, alliciebantur ignari fama nominis, & promptis Græcorũ animis ad noua & mira. quippe lapſum cuſtodiæ pergere ad paternos exercitus, Ægyptum aut Syriam inuaſurum fingebant ſimul, credebantq́. iam iuuentutis cõcurſu, iam publicis ſtudijs frequentabatur, lætus præſentibus & inanium ſpe, cum auditum id Poppæo Sabino. Is Macedoniæ tum intentus, Achaiam quoq; curabat. Igitur quo uera ſeu falſa antiret, Toronæum Thermæumq́ ſinũ præfeſtinans, mox

P. Vitellius

Fratres, uades

Pomponius Secundus

In reliquos Seiani liberos animaduerſũ

Id ætatis corpora

Falſus Druſus

Eubœã

Eubœam Ægæi maris inſulā & Piræeum Atticæ oræ, dein Corinthienſe littus, anguſtiaſq; Iſthmi euadit: mariq; alio Nicopolim Romanam coloniam ingreſſus, ibi demum cognoſcit, ſolertius interrogatum quis nam foret. dixit ſe M. Sillano genitum. & multis ſectatorū dilapſis, aſcendiſſe nauem, tanquā Italiam peteret. ſcripſitq; hæc Tiberio. neq; nos originem finémue eius rei ultra comperimus. Exitu anni diu aucta diſcordia conſulum erupit. nam Trio facilis capeſſendis inimicitijs & foro exercitus, ut ſegnem Regulum ad opprimendos Seiani miniſtros obliquè perſtrinxerat. ille niſi laceſſeretur modeſtiæ retinens, nō modo retudit collegam, ſed ut noxium coniurationis ad diſquiſitionē trahebat. Multiſq; patrū orantibus, ponerent odia in perniciem itura, manſere infenſi ac minitantes, donec magiſtratu abirent. Gn. Domitius & Camillus Scribonianus conſulatum inierant, cum Cæſar tramiſſo quod Capreas & Surrentum interluit freto, Campaniam prælegebat, ambiguus an urbem intraret, ſeu quia contra deſtinauerat, ſpeciē uenturi ſimulans: & ſæpe in propinqua digreſſus, aditis iuxta Tiberim hortis, ſaxa rurſum & ſolitudinē maris repetijt, pudore ſcelerum & libidinum: quibus adeo indomitis exarſerat, ut more regio pubem ingenuam ſtupris pollueret. nec formam tantum & decora corpora, ſed in his modeſtam pueritiam, in alijs imagines maiorum incitamentum cupidinis habebat. tuncq; primum ignota ante uocabula reperta ſunt, ſellariorum & ſpintriarum, ex fœditate loci ac multiplici patientia. præpoſitiq; ſerui qui quærerent, pertraherent, dona in promptos, minas aduerſum abnuentes, & ſi retinerent propinquus aut parens, uim, raptus, ſuaq; ipſi libita uelut in captos exercebāt. At Romę principio anni quaſi recens cognitis Liuiæ flagitijs, ac non pridem etiam punitis, atroces ſententiæ dicebantur, in effigies quoq; ac memoriam eius. & bona Seiani ablata ærario, ut in fiſcum cogerentur, tum rettulere Scipiones. Hæc & Sillani & Caſſij ijsdem fermè aut paulū immutatis uerbis adſeueratione multa cenſebant, cum repente Togonius Gallus dum ignobilitatē ſuam magnis nominibus inſerit, per deridiculum auditur. Nam principem orabat deligere ſenatores, ex quis uiginti ſorte ducti & ferro accincti, quoties curiam iniſſet ſalutem eius defenderent. crediderat nimirum epiſtulæ, ſubſidio ſibi alterum ex conſulibus poſcentis, ut tutus à Capreis urbem peteret. Tiberius tamen ludibria ſerijs permiſcere ſolitus, egit gratis beneuolentiæ patrum: ſed quos omitti poſſe? quos deligi? ſemper ne eosdē? an ſubinde alios? & honoribus perfunctos, an iuuenes? priuatos an è magiſtratibus? quam deinde ſpeciem fore ſumentium in limine curiæ gladios? neq; ſibi uitam tanti, ſi armis tegenda foret. Hæc aduerſus Togoniū, uerbis moderans: neq; ultra abolitionem ſententiæ ſuadere. At Iunium Gallionem qui cenſuerat ut prætoriani actis ſtipendijs, ius apiſcerentur in quatuordecim ordinibus ſedendi, uiolēter increpuit, uelut corām rogitans, quid

In Liuiam

Togonius Gallus

Iunius Gallio

illi cum militibus? quos neq; dicta imperatoris, neq; præmia niſi ab imperatore accipere par eſſet. repperiſſe prorſus quod diuus Auguſtus nõ prouiderit, an potius diſcordiam & ſeditionem à ſatellite Seiani quæſitã? qua rudes animos nomine honoris ad corrumpendum militiæ morem propelleret. hoc precium Gallio meditatæ adulationis tulit, ſtatim curia, deinde Italia exactus. & quia incuſabatur facile toleraturus exilium, delecta Lesbo inſula nobili & amœna, retrahitur in urbẽ, cuſtoditurq; domibus magiſtratuum. Iisdem literis Cæſar Seſtium Pagonianum prætorium perculit, magno patrum gaudio, audacem, maleficum, omnium ſecreta rimantem, delectumq; à Seiano, cuius ope dolus C. Cęſari pararetur. quod poſtquã patefactum, prorupere concepta per idem odia, & ſummum ſupplicium decernebatur, ni profeſſus indicium foret. Vt uero Latinium Latiarem ingreſſus eſt accuſator Acrius, iuxta inuiſi, gratiſſimũ ſpectaculum præbebatur. Latiaris, ut rettuli, præcipuus olim circumueniendi Titij Sabini, & tunc luendæ pœnæ primus fuit. Inter quæ Haterius Agrippa conſules anni prioris inuaſit, cur mutua accuſatione intenta, nunc ſilerent? metum prorſus & noxam conſcientiæ pro fœdere haberi, at non patribus reticenda quæ audiuiſſent. Regulus manere tẽpus ultionis, ſeq; coràm principe executurum: Trio æmulationem inter collegas, & ſi qua diſcordes iecissent melius obliterari, reſpondit. Vrgente Agrippa, Sanquinius maximus è conſularibus orauit ſenatum, ne curas imperatoris, conquiſitis inſuper acerbitatibus augerent: ſufficere ipſum ſtatuendis remedijs. ſic Regulo ſalus, & Trioni dilatio exitij quæſita. Haterius inuiſior fuit, quia ſomno aut libidinoſis uigilijs marcidus, & ob ſegnitiam, quamuis crudelem principem nõ metuens, inluſtribus uiris perniciem inter ganeum ac ſtupra meditabatur. Exin Cotta Meſſalinus ſæuiſſimæ cuiuſq; ſententiæ auctor, eoq; inueterata inuidia, ubi primũ facultas data, arguitur pleraq;, C. Cæſarem quaſi inceſtæ uirilitatis, & cũ die natali Auguſtæ inter ſacerdotes epularetur nouemdialem eam cœnam dixiſſe, querenſq; de potentia M. Lepidi, ac L. Aruntij cum quibus ob rem pecuniariã diſceptabat, addidiſſe, illos quidem ſenatus, me autem tuebitur Tiberiolus meus. neq; cunctatus à primoribus ciuitatis reuincebatur. ijſq; inſtantibus ad imperatorem prouocauit. nec multo poſt literæ adferuntur, quibus in modum defenſionis, repetito inter ſe, atq; Cottã amicitiæ principio, crebriſq; eius officijs commemoratis, ne uerba prauè detorta, neu conuiualium fabularum ſimplicitas in crimen duceretur, poſtulauit. Inſigne uiſum eſt earum Cæſaris literarum initium, nam his uerbis exorſus eſt. Quid ſcribam uobis P. C. aut quomodo ſcribam? aut quid omnino non ſcribam hoc tempore? Dij me deæq; peius perdant quam perire me quotidie ſentio, ſi ſcio. Adeo facinora atq; flagitia ſua ipſi quoq; in ſupplicium uerterant. Neq; fruſtra præſtantiſſimus ſapientiæ firmare ſolitus eſt, ſi recludãtur tyrannorũ mentes

Seſtius Pagonianus

Latinius Latiaris

Haterius Agrippa

Cotta Meſſalinus

Tiberiolus

Conuiualium fabularũ ſimplicitas

poſſe

poſſe aſpici laniatus & ictus, quando ut corpora uerberibus, ita ſæuitia, libidine, malis cõſultis, animus dilaceretur. quippe Tiberiũ nõ fortuna, non ſolitudines protegebant, quin tormenta pectoris ſuasq́ʒ ipſe pœnas fateretur. Tum facta patribus poteſtate, ſtatuendi de Cæſiliano ſenatore, qui plurima aduerſum Cottam prompſerat, placitum eandem pœnam irrogari, quam in Aruſeium & Sanquinium accuſatores L. Aruntij. quo non aliud honorificentius Cottæ euenit, qui nobilis quidem ſed egens ob luxum, per flagitia infamis, ſanctiſſimis Aruntij artibus dignitate ultionis æquabatur. Quintus Seruæus poſthac & Minutius Thermus inducti. Seruæus prætura functus, & quondã Germanici comes. Minutius equeſtri loco modeſte habita Seiani amicitia. unde illis maior miſeratio. cõtra Tiberius præcipuos ad ſcelera increpans, admonuit C. Cæſtium patrem dicere ſenatui quæ ſibi ſcripſiſſet: ſuſcepitq́ʒ Cæſtius accuſationem. quod maxime exitiabile tulere illa tempora, cum primores ſenatus infimas etiam delationes exercerent, alij propalam, multi per occultum: neqʒ diſcernes alienos à coniunctis, amicos ab ignotis, quid repens, aut uetuſtate obſcurum: perinde in foro, in conuiuio, quaqua de re locuti incuſabantur, ut quis præuenire & reum deſtinare properat, pars ad ſubſidium ſui, plures infecti quaſi ualitudine & contactu. Sed Minutius & Seruæus damnati, indicibus acceſſere. Tractiq́ʒ ſunt in caſum eundem Iulius Africanus è Santonis Gallica ciuitate, Seius Quadratus. originẽ non repperi. Neqʒ ſum ignarus à pleriſqʒ ſcriptoribus, omiſſa multorum pericula & pœnas, dum copia fatiſcunt, aut quæ ipſis nimia, & mœſta fuerant, ne pari tædio lecturos adficerent, uerẽtur. Nobis pleraqʒ digna cognitu obuenere, quanquam ab alijs incelebrata. Nam ea tempeſtate qua Seiani amicitiã cæteri falſo exuerant, auſus eſt eques Romanus M. Terentius ob id reus, amplecti, ad hunc modum apud ſenatum ordiendo. Fortunæ quidẽ meæ fortaſſe minus expediat adnoſcere crimen q̃ʒ abnuere. ſed utcunqʒ caſura res eſt, fatebor & fuiſſe me Seiano amicũ, & ut eſſem expetiſſe, & poſtq̃ʒ adeptus eram, lætatum. Videram collegam patris regendis prætorijs cohortibus, mox urbis & militiæ munia ſimul obeuntem. illius propinqui & adfines honoribus augebantur. ut quiſqʒ Seiano intimus, ita ad Cæſaris amicitiam ualidus. cõtra quibus infenſus eſſet, metu ac ſordibus conflictabantur. nec quenq̃ʒ exemplo adſumo. cunctos qui nouiſſimi conſilij expertes fuimus, meo unius diſcrimine defendam. Non enim Seianũ Vulſinienſem, ſed Claudiæ & Iuliæ domus partẽ, quas adfinitate occupauerat, tuum Cæſar generum, tui conſulatus ſocium, tua officia in Rep. capeſſentem colebamus. Non eſt noſtrum æſtimare quẽ ſupra cæteros, & quibus de cauſis extollas. Tibi ſummũ rerum iudicium dij dedere, nobis obſequij gloria relicta eſt. Spectamus porrò quæ coràm habentur, cui ex te opes honores, quis plurima iuuandi nocendiúe potentia. quæ Seiano fuiſſe ne

Cæſilianus accuſator Cottæ

Meſſalinus Cotta

Q. Seruæus

Minut. Thermus

C. Cæſtius

Iul. Africanus Santoni

Seius Quadratus

M. Terentij eq. R. apud ſenatũ oratio mirã hominis conſtantiam arguens

mo

mo negauerit.abditos principis ſenſus,& ſi quid occultius parat,exquirere inlicitum,anceps,nec ideo adſequare.Ne P.C.ultimum Seiani diem, ſed ſexdecim annos cogitaueritis. etiã Satriũ atq; Pomponiũ uenerabamur: libertis quoq; ac ianitoribus eius noteſcere pro magnifico accipiebatur. Quid ergo? indiſtincta hæc defenſio & promiſcua dabitur? imò iuſtis terminis diuidatur.Inſidiæ in Remp. conſilia cædis aduerſum imperatorem puniantur:de amicitia & officijs, idem finis & te Cæſar & nos abſoluerit.

Conſtantia orationis,& quia repertus erat qui efferret quæ omnes animo agitabãt,eo uſq; potuere,ut accuſatores eius,additis quæ ante deliquerant,exilio,aut morte mulctarẽtur. Secutæ dehinc Tiberij literę in Sex.

Sex.Veſtilius

Veſtilium prætoriũ quem Druſo fratri percharũ in cohortẽ ſuam tranſtulerat.cauſa offenſionis Veſtilio fuit, ſeu compoſuerat quædam in C. Cæſarem ut impudicum,ſiue ficto habita fides.atq; ob id conuictu principis prohibitus,cum ſenili manu ferrũ tentauiſſet, obligauit uenas: precatusq; per codicillos, immiti reſcripto uenas reſoluit.

Annius Pollio Ap. Sillanus Scaurus Mamercus Cal.Sabinus Vicinianus Pollio

Aceruatim ex eo Annius Pollio,Appius Sillanus,Scauro Mamerco ſimul ac Sabino Caluiſio, maieſtatis poſtulantur,& Vicinianus Pollioni patri adijciebatur, clari genus, & quidã ſummis honoribus.contremuerantq; patres. nam quotus quiſq; adfinitatis aut amicitiæ tot inluſtrium uirorum expers erat? ni Celſus urbanæ cohortis tribunus, tum inter indices,Appiũ, & Caluiſium diſcrimini exemiſſet. Cæſar Pollionis, ac Viciniani Scauriq; cauſam ut ipſe cũ ſenatu noſceret,diſtulit, datis quibuſdam in Scaurum triſtibus notis.

Fœminæ damnatæ ob lachrymas Vitia Fuſij mater

Ne fœminæ quidem exortes periculi, quâ occupandæ Reip. argui non poterant,ob lachrymas incuſabãtur.necataq; eſt anus Vitia Fuſij Gemini mater,quod filij necem fleuiſſet.Hæc apud ſenatum.

Veſcularius Atticus Iul.Marinus

Nec ſecus apud principem.Veſcularius Atticus,ac Iulius Marinus ad mortem aguntur,è uetuſtiſſimis familiarium Rhodum ſecuti,& apud Capreas indiuidui.Veſcularius inſidiarum in Libonem internuncius.Marino participe Seianus Curtium Atticum oppreſſerat.quo lætius acceptum, ſua exempla in conſultores recidiſſe.

L.Piſonis pontificis mors

Per idem tempus L.Piſo Pontifex, rarum in tanta claritudine,fato obijt,nullius ſeruilis ſententiæ ſponte auctor, & quoties neceſſitas ingrueret ſapienter moderans.patrem ei Cenſorium fuiſſe memoraui. ætas ad octogeſimum annum proceſſit.decus triumphale in Thracia meruerat.

Præfectus urbi

ſed præcipua ex eo gloria,quod præfectus urbi recens, continuam poteſtatem,& inſolentia parendi grauiorem,mirè temperauit.Namq; antea profectis domo regibus, ac mox magiſtratibus, ne urbs ſine imperio foret,in tempus deligebatur qui ius redderet,ac ſubitis mederetur. feruntq; ab Romulo Dentrem Romulium, poſt ab Tullo Hoſtilio Numam Marcium,& ab Tarquinio Superbo Spurium Lucretium impoſitos. dein conſules mandabãt,duratq; ſimulacrum quoties ob ferias Latinas præficitur, qui conſulare munus uſurpet.Cæterũ Auguſtus bellis ciuilibus Cilnium

Mecœnatẽ

Mecœnatem equeſtris ordinis, cunctis apud Romã atq; Italiam præpo- ſuit. Mox rerum potitus, ob magnitudinem populi, ac tarda legũ auxilia, ſumpſit è conſularibus qui coërceret ſeruitia, & quod ciuium audacia tur- bidum niſi uim metuat. primusq́; Meſſala Coruinus eam poteſtatem, & paucos intra dies finem accepit, quaſi neſcius exercendi. Tum Taurus Sta tilius, quanquam prouecta ætate, egregiè tolerauit. Dein Piſo uiginti per annos pariter probatus. publico funere ex decreto ſenatus celebratus eſt. *Cillinius Mecœnas* *Meſſala Coruinus* *Stati. Taurus*

Relatum inde ad patres à Quintiliano tribuno plebei de libro Sibullæ, quem Caninius Gallus quindecimuir recipi inter cæteros eiuſdem uatis, & ea de re ſenatuſconſultum poſtulauerat. quo per diſceſſionem facto, mi ſit literas Cæſar modicè tribunum increpans, ignarũ antiqui moris ob iu- uentam: Gallo exprobrabat quod ſcientiæ cærimoniarumq́; uetus, incer- to auctore, ante ſententiã collegij, non, ut aſſolet, lecto per magiſtros æſti- matoq́; carmine, apud infrequentem ſenatum egiſſet. Simul commonefe- cit: quia multa uana ſub nomine celebri uulgabantur, ſanxiſſe Auguſtum, quem intra diem ad prætorem urbanum deferrentur, neq; habere priua- tim liceret. quod à maioribus quoq; decretũ erat, poſt exuſtum ſociali bel- lo capitolium quæſitis Samo, Ilio, Erythris, per Africam etiam ac Siciliam & Italicas colonias carminibus Sibyllæ, una ſeu plures fuere, datoq́; ſacer dotibus negotio, quantum humana ope potuiſſent, uera diſcernere. Igitur tunc quoq; notioni quindecimuirum is liber ſubijcitur. Iiſdem conſuli- bus, grauitate annonæ iuxta ſeditionem uentũ. multaq́; & plures per di- es, in theatro licentius efflagitata, q̃ ſolitum aduerſum imperatorẽ: quis commotus, incuſauit magiſtratus patresq́;, quod non publica auctoritate populum coërcuiſſent, addiditq́; quibus è prouincijs & quanto maiorem quàm Auguſtus rei frumentariæ copiam aduectaret. Ita caſtigandæ ple- bi compoſitum ſenatuſconſultum priſca ſeueritate. neq; ſegnius conſules edixere. ſilentium ipſius non ciuile, ut crediderat, ſed in ſuperbiam accipie- batur. Fine anni Geminius Celſus, Pompeius equites Romani cecide- re coniurationis crimine. Ex quis Geminius prodigentia opum, ac molli- tia uitæ amicus Seiano, nihil ad ſeriũ. Et Iulius Celſus tribunus, in uin- clis laxatam cathenam, & circundatam in diuerſum tendens, ſuã ipſe cer- uicem perfregit. At Rubrio Fabato, tanquam deſperatis rebus Roma- nis, Parthorum ad miſericordiam fugeret, cuſtodes additi. ſanus repertus apud fretum Siciliæ, retractusq́; per centurionem, nullas probabiles cau- ſas longinquæ peregrinationis adferebat. Manſit tamen incolumis, obli- uione magis quàm clementia. Ser. Galba, L. Sulla Coss. Diu quæſito quos neptibus ſuis maritos deſtinaret Cæſar, poſtquã inſtabat uirginum ætas, L. Caſſium, M. Vinicium legit. Vinicio oppidanum genus: Calibus ortus, patre, atq; auo conſularibus, cætera equeſtri familia erat, mitis inge- nio, & comptæ facundiæ. Caſſius plebei Romæ generis, uerũ antiqui ho- *Quintilianus tribun. pl.* *Canin. Gallus* *Vt aſſolet* *Multa uana ſub nomine celebri uulgãtur. Id factum etiam in literis ſacris nõ modo prophanis* *Carmina Sibyllæ* *Annonæ grauitas ſeditiõis cauſa* *Gemi. Celſus* *Pompeius* *Iul. Celſus* *M. Vinicius* *L. Caſſius*

noratiq;,& ſeuera patris diſciplina eductus, facilitate ſæpius quàm induſtria commendabatur. Huic Druſillam, Vinicio Iuliam, Germanico genitas coniungit. ſuperq; ea re ſenatui ſcripſit, leui cum honore iuuenum. dein redditis abſentiæ cauſis admodũ uagis, flexit ad grauiora, & offenſiones ob Remp. cœptas: utq; Macro præfectus, tribunorumq; & centurionum pauci, ſecum introirent quoties curiam ingrederetur, petiuit. factoq; largè, & ſine præſcriptione generis, aut numeri, ſenatuſconſulto, ne tecta quidem urbis adeo publicum conſilium nunquam adijt, deuijs plerunq; itineribus ambigens patriam & declinans.

Fœneratores postulantur Interea magna uis accuſatorum in eos inrupit qui pecunias fœnore auctitabant, aduerſum legem dictatoris Cæſaris, qua de modo credẽdi, poſſidendiq; intra Italiã cauetur, omiſſa olim, quia priuato uſui bonum publicũ poſtponitur. *Fœnebre malum* Sanè uetus urbi fœnebre malum, & ſeditionũ diſcordiarumq; creberrima cauſa, eoq; cohibebatur antiquis quoq; & minus corruptis moribus. Nam primo duodecim tabulis ſanctum, *Vnciarium fœnus* ne quis unciario fœnore amplius exerceret, cum antea ex libidine locupletium agitaretur. dein rogatione tribunitia ad ſemuncias redacta. *Semuncia* Poſtremo uetita uerſura. multisq; plebis ſcitis obuiã itum fraudibus, quæ toties repreſſæ, miras per artes rurſum oriebãtur. *Gracchi prætoris de cohibendis fœneratoribus relatio* Sed tum Gracchus prætor, cui ea quæſtio euenerat, multitudine periclitantium ſubactus, retulit ad ſenatum. trepidiq; patres (neq; enim quiſquam tali culpa uacuus) ueniam à principe petiuere: & concedente, annus in poſterum, ſexq; menſes dati, quis ſecundum iuſſa legis, *Rationes familiares componere* rationes familiares quiſq; componerẽt. hinc inopia rei nummariæ, commoto ſimul omniũ ære alieno: & quia tot damnatis, boniſq; eorum diuenditis, ſignatum argentum fiſco uel ærario attinebatur. adhoc ſenatus præſcripſerat, duas quiſque fœnoris partes in agris per Italiam conlocaret. Sed creditores in ſolidũ appellabant. nec decorum appellatis minuere fidem. Ita primo concurſatio & preces, dein ſtrepere prætoris tribunal. eaq; quæ remedio quæſita, ueditio, & emptio, in contrarium mutari, quia fœneratores omnem pecuniam mercandis agris condiderant. Copiã uendendi ſecuta uilitate, quanto quis obæratior ægrius diſtrahebant. multiq; fortunis prouoluebantur. euerſio rei familiaris dignitatem ac famam præceps dabat: donec tulit opem Cæſar diſpoſito per menſas millies ſeſtertio, factaq; mutuandi copia ſine uſuris per triẽnium, ſi debitor populo in duplũ prædijs cauiſſet. Sic refecta fides. & paulatim priuati quoq; creditores reperti. neq; emptio agrorũ exercita ad formam ſenatuſconſulti, acribus, ut fermè talia, initijs, incurioſo fine.

Cõſidius Proculus maieſtatis poſtulatus Dein redeunt priores metus, poſtulato maieſtatis Conſidio Proculo. qui nullo pauore diem natalem celebrans, raptus in curiam pariterq; damnatus interfectusq;. *Sancia* & ſorori eius Sanciæ aqua atq; igni interdictũ, accuſante Q. Pomponio. *Q. Põponius* Is moribus inquies, hæc & huiuſcemodi à ſe factitari prætendebat, ut parta apud principem gratia, periculis Pomponij Secundi fratris mederetur

retur. Etiam in Pompeiam Macrinam exilium ſtatuitur, cuius maritum Argolicum, ſocerum Laconem è primoribus Achæorum Cæſar adflixerat. Pater quoq; inluſtris eques Romanus, ac frater prætorius, cum damnatio inſtaret ſe ipſi interfecere. datum erat crimini quod Theophanem Mitylenæum proauũ eorũ, Gn. Magnus inter intimos habuiſſet: quodq; defuncto Theophani cœleſtes honores Græca adulatio tribuerat. Poſt quos Sex. Marius Hiſpaniarum ditiſſimus, defertur inceſtaſſe filiam, & ſaxo Tarpeio deijcitur. ac ne dubium haberetur, magnitudinem pecuniæ malo uertiſſe, aurariasq; eius (quanquam publicarentur) ſibimet Tiberius ſepoſuit, inritatusq; ſupplicijs, cunctos qui carcere attinebantur accuſati ſocietatis cum Seiano, necari iubet. Iacuit immenſa ſtrages: omnis ſexus, omnis ætas: inluſtres, ignobiles: diſperſi, aut aggerati. neque propinquis, aut amicis adſiſtere, inlachrymare, ne uiſere quidem diutius dabatur. ſed circumiecti cuſtodes, & in mœrorem cuiuſq; intenti, corpora putrefacta adſectabantur, dum in Tiberim traherentur. ubi fluitantia, aut ripis adpulſa, non cremare quiſquã, non contingere. interciderat ſortis humanæ commercium ui metus: quãtumq; ſæuitia gliſceret miſeratio arcebatur. Sub idem tempus C. Cæſar diſcedenti Capreas auo comes, Claudiam M. Silani filiam cõiugio accepit, immanem animum ſubdola modeſtia tegens, non damnatione matris, non exilio fratrum rupta uoce, qualem diem Tiberius induiſſet, pari habitu, haud multum diſtantibus uerbis. Vnde mox ſcitum Paſſieni oratoris dictum percrebruit. Neq; meliorem unquam ſeruum, neq; deteriorem dominum fuiſſe. Non omiſerim præſagium Tiberij de Ser. Galba tum conſule, quem accitum, & diuerſis ſermonibus pertentatum, poſtremo Græcis uerbis in hanc ſententiã adlocutus: Et tu Galba quandoq; deguſtabis imperium, ſeram ac breuem potentiam ſignificans, ſcientia Chaldæorum artis, cuius apiſcendæ, otium apud Rhodum, magiſtrum Traſullum, habuit, peritiam eius hoc modo expertus. Quoties ſuper negotio conſultaret, edita domus parte ac liberti unius conſcientia utebatur. is litterarũ ignarus, corpore ualido, per auia ac derupta, nam ſaxis domus imminet, præibat eum cuius artem experiri Tiberius ſtatuiſſet, & regredientem ſi uanitatis, aut fraudum ſuſpicio inceſſerat, in ſubiectum mare pręcipitabat, ne index arcani exiſteret. Igitur Traſullus iiſdem rupibus inductus, poſtquam percunctãtem commouerat, imperium ipſi, & futura ſolerter patefaciens: interrogatur an ſuam quoq; genitalem horam comperiſſet, quem tum annum, qualem diem haberet. Ille poſitus ſiderum, ac ſpacia dimenſus, hærere primo, dein pauescere: & quantũ introſpiceret, magis ac magis trepidus admirationis & metus, poſtremo exclamat, ambiguum ſibi ac propè ultimũ diſcrimen inſtare. Tum complexus eum Tiberius præſcium periculorum, & incolumem fore gratatur, quæq; dixerat oracli uice accipiens inter intimos amicorum tenet. Sed mihi hæc,

Pompeia Macrina

Theophanes Mitylenæus

Sex. Marius

Aurarias ſibi Tiberius ſepoſuit, fodinas intelligit

C. Cæſar qui & Caligula

Paſſienus orator

Neque melior unquã ſeruus, neq; deterior dominus

Et tu Galba quãdoq; deguſtabis imperium

Traſyllus Chaldæorũ artis peritus

Fató ne an forte res mortalium uoluātur

ac talia audienti in incerto iudicium eſt, fató ne res mortalium & neceſſitate immutabili, an forte uoluantur. quippe ſapientiſſimos ueterum, quiq; ſectam eorum æmulātur, diuerſos reperies: ac multis inſitam opinionem, non initia noſtri, non finem, non deniq; homines dijs curæ. Ideo creberrima & triſtia in bonos, læta apud deteriores eſſe.

Fatum Electio

Contra alij, fatū quidem congruere rebus putant, ſed non è uagis ſtellis, uerū apud principia, & nexus naturalium cauſarū. ac tamen electionem uitæ nobis relinquūt, quam ubi elegeris, certum imminentium ordinem. neq; mala uel bona, quæ uulgus putet: multos qui conflictari aduerſis uideantur, beatos: at pleroſq;, quanquam magnas per opes, miſerrimos: ſi illi grauem fortunā conſtanter tolerent, hi proſpera inconſulte utantur. Cæterum plurimis mortalium non eximi, quin primo cuiuſque ortu uentura deſtinentur. ſed quædam ſecus quàm dicta ſint cadere, fallacijs ignara dicētium. ita corrumpi fidem artis, cuius clara documenta, antiqua ætas & noſtra tulerit. Quippe à filio eiuſdem Traſulli, prædictum Neronis imperium in tempore memorabitur, ne nunc incœpto longius abierim.

Aſinij Galli mors

Iiſdem conſulibus Aſinij Galli mors uulgatur, quem egeſtate cibi peremptum haud dubium. ſponte uel neceſſitate, incertū habebatur. Conſultuſq; Cæſar an ſepeliri ſineret, non erubuit permittere, ultroq; incuſare caſus qui reum abſtuliſſent antequam coràm conuinceretur. ſcilicet medio triennio defuerat tempus ſubeundi iudicium conſulari ſeni, tot conſularium parenti.

Druſi mors

Druſus deinde extinguitur, cum ſe miſerandis alimentis, mandendo è cubili tomento, nonū ad diem detinuiſſet. Tradidere quidam deſcriptum fuiſſe Macroni, ſi arma ab Seiano tentarentur, extractum cuſtodia iuuenem (nam in palatio attinebatur) ducem populo imponere. mox quia rumor incedebat, fore, ut nuru ac nepoti conciliaretur Cæſar, ſæuitiam, quàm pœnitentiam maluit. Quin & inuectus in defunctum, probra corporis, exitiabilem in ſuos, infenſum

Druſi nepotis facta dictaq; cōplurib. annis per dies deſcripta, Tiberiū auū recitanda iubere nō puduit.

Reip. animum obiecit: recitariq; factorum, dictorumq; eius deſcripta per dies iuſſit. quo non aliud atrocius uiſum: adſtitiſſe tot per annos qui uultum, gemitus, occultum etiam murmur exciperent. & potuiſſe auum audire, legere, in publicū promere, uix fides, niſi quod Actij centurionis, & Didymi liberti, epiſtulæ, ſeruorum nomina præferebant, ut quis egrediētem cubiculo Druſum pulſauerat, exterruerat. etiā ſua uerba centurio ſæuitiæ plena, tanquam egregium, uoceſq; deficientis adiecerat, quis primò alienationem mentis ſimulans, quaſi per dementiā, funeſta Tiberio, mox ubi

Exſpes uitæ diræ

exſpes uitæ fuit, meditatas, compoſitaſq; diras imprecabatur: ut quemadmodum nurum, filiumq; fratris, & nepotes, domumq; omnem cædibus compleuiſſet, ita pœnas nomini generiq; maiorum, & poſteris exolueret. Obturbabant quidem patres ſpecie deteſtandi. ſed penetrabat pauor, & admiratio, callidum olim & tegendis ſceleribus obſcurū, huc confidentiæ

Tanq̃ dimotis parietibus

ueniſſe, ut tanquam dimotis parietibus oſtenderet nepotem ſub uerbere centurio-

centurionis,inter ſeruorum ictus,extrema uitæ alimenta fruſtra orantem.

Agrippinæ mors

Nondum is dolor exoleuerat,cum de Agrippina auditum.quam interfecto Seiano ſpe ſuſtentatam prouixiſſe reor, & poſtquam nihil de ſæuitia remittebatur,uolũtate extinctam:niſi ſi negatis alimentis, adſimulatus eſt finis,qui uideretur ſponte ſumptus.Enimuero Tiberius fœdiſſimis criminationibus exarſit,impudicitiam arguens, & Aſinium Gallum adulterum,eiuſq; morte ad tædium uitæ compulſam. Sed Agrippina æqui impatiens,dominandi auida,uirilibus curis,fœminarũ uitia exuerat.Eodem die defunctam quo biennio ante Seianus pœnas luiſſet, memoriæq; id prodendum addidit Cæſar, iactauitq; quod non laqueo ſtrangulata,neque in Gemonias proiecta foret. Actæ ob id grates,decretumq; ut quintumdecimum kalen. Nouembris utriuſq; necis die per omnis annos donum Ioui ſacraretur.

Cocceius Nerua continuus principis

Haud multo poſt Cocceius Nerua cõtinuus principis,omnis diuini humaniq; iuris ſciens,integro ſtatu,corpore inlæſo,moriendi conſilium cepit. Quod ut Tiberio cognitum,adſidere,cauſas requirere,addere preces, fateri poſtremo graue conſcientiæ, graue famæ ſuæ,ſi proximus amicorum nullis moriendi rationibus uitam fugeret. auerſatus ſermonem Nerua abſtinentiam cibi coniunxit. ferebant gnari cogitationum eius quãto propius mala Reip. uiſeret,ira,& metu,dum integer,dum intentatus, honeſtũ finem uoluiſſe.

Plancina Gn. Piſonis uxor

Cæterũ Agrippinæ pernicies (quod uix credibile)Plancinam traxit.Nupta olim Gn.Piſoni,& palàm læta morte Germanici, cum Piſo caderet precibus Auguſtæ, nec minus inimicitijs Agrippinæ defenſa erat.ut odium,& gratia deſiere,ius ualuit. petitaq; criminibus haud ignotis,ſua manu,ſera magis,q; immerita ſupplicia perſoluit.

Iuliæ cũ Rubellio Blando matrimoniũ

Tot luctibus funeſta ciuitate,pars mœroris fuit,quod Iulia Druſi filia, quondam Neronis uxor,denupſit in domum Rubellij Blandi, cuius auum Tiburtem equitem Romanum,pleriq; meminerant.

Aelij Lamiæ mors

Extremo anni mors Ælij Lamiæ funere cenſorio celebrata, qui adminiſtrandæ Suriæ imagine tandem exolutus,urbi præfuerat.genus illi decorum, uiuida ſenectus, & non permiſſa prouincia dignationem addiderat.

Pom. Flaccus

Exin Flacco Pomponio Syriæ proprætore defuncto, recitãtur Cæſaris literæ,quis incuſabat,egregium quenq;,& regendis exercitubus idoneũ abnuere id munus: ſeq; ea neceſſitudine ad preces cogi, per quas conſularium aliqui capeſſere prouincias adigerentur:oblitus Aruntium ne in Hiſpaniam pergeret,decimum iam annum attineri.

M. Lepidus

Obijt eodem anno & M.Lepidus,de cuius moderatione,atq; ſapientia in prioribus libris ſatis conlocaui.neque nobilitas diutius demonſtranda eſt.quippe Æmilium genus fœcundũ bonorum ciuium,& qui eadem familia corruptis moribus,inluſtri tamen fortuna egere.

Phœnix auis in Aegypto uiſa

Paulo Fabio,L.Vitellio Coſs.poſt longum ſeculorum ambitum auis Phœnix in Ægyptum uenit,præbuitq; materiem doctiſſimis indigenarum,& Græcorum,multa ſuper eo miraculo diſſerẽdi. de quibus

congruunt,& plura ambigua,ſed cognitu non abſurda promere libet. Sacrum ſoli id animal, & ore ac diſtinctu pinnarum à cæteris auibus diuerſum,conſentiunt qui formam eius definiere. De numero annorum uaria traduntur.maximè uulgatum, quingētorum ſpatium. ſunt qui adſeuerét, mille quadringentos ſexaginta unum interici, prioresq; alites Seſoſtride primum,poſt Amaſide dominantibus,dein Ptolemæo,qui ex Macedonibus tertius regnauit,in ciuitatem cui Heliopolis nomen aduolauiſſe, multo cæterarum uolucrum comitatu,nouam faciem mirantium.Sed antiquitas quidem obſcura. inter Ptolemæum ac Tiberium minus ducenti quinquaginta anni fuerunt,unde non nulli falſum hunc phœnicem, neq; Arabum è terris credidere, nihilq; uſurpauiſſe ex his quæ uetus memoria firmauit.confecto quippe annorū numero,ubi mors propinquet, ſuis in terris ſtruere nidum,eiq; uim genitalem adfundere.ex qua fœtū oriri, & primam adulto curam ſepeliendi patris.neq; id temere, ſed ſublato murrhæ pondere,tentatoq; per longum iter,ubi par oneri,par meatui ſit,ſubire patrium corpus.inq; ſolis aram perferre,atq; adolere.hæc incerta, & fabuloſis aucta.Cæterum aſpici aliquando in Ægypto eam uolucrem, non ambigitur. At Romæ cæde continua,Pomponius Labeo, quem præfuiſſe Mœſiæ rettuli,per abruptas uenas ſanguinem effudit.æmulataq; eſt coniunx Paxæa.nam promptas eiuſmodi mortes metus carnificis faciebat:& quia damnati, publicatis bonis ſepultura prohibebantur:eorum qui de ſe ſtatuebant,humabantur corpora,manebant teſtamenta, preciū feſtinandi.Sed Cæſar miſſis ad ſenatum literis,diſſeruit,morem fuiſſe maioribus quoties dirimerent amicitias,interdicere domo,eumq; finem gratiæ ponere:id ſe repetiuiſſe in Labeone.atq; illum, quia male adminiſtratæ prouinciæ,aliorumq; criminum urgebatur,culpam inuidia uelauiſſe, fruſtra conterrita uxore,quam & ſi nocentem,periculi tamen expertem fuiſſe. Mamercus dein Scaurus rurſum poſtulatur, inſignis nobilitate & orādis cauſis,uita probroſus.nihil hunc amicitia Seiani,ſed labefecit haud minus ualidum ad exitia Macronis odiū,qui eaſdem artes occultius exercebat: detuleratq; argumentum tragœdiæ à Scauro ſcriptæ,additis uerſibus qui in Tiberium flecterentur. Verū ab Seruilio & Cornelio accuſatoribus, adulterium Liuiæ,magorum ſacra obiectabantur. Scaurus, ut dignum ueteribus Æmylijs,damnationē anteit,hortante Sexitia uxore, quæ incitamentum mortis,& particeps fuit.Ac tamē accuſatores,ſi facultas incideret, pœnis adficiebantur: ut Seruilius Corneliusq; perdito Scauro famoſi, quia pecuniam à Vario Ligure omittendæ delationis ceperant,in inſulas interdicto igni atque aqua demoti ſunt. & Abudius Ruſo functus ædilitate, dum Lentulo Getulico,ſub quo legioni præfuerat,periculū faceſſit, quod is Seiani filium generum deſtinaſſet, ultro damnatur, atq; urbe exigitur. Getulicus ea tempeſtate ſuperioris Germaniæ legiones curabat.mirumq;

Falſus phœnix · *Pomp. Labeo* · *Paxæa cōiūx* · *Scaurus* · *Macro* · *Abudius Ruſo calūniator* · *Lentulus Getulicus*

amorem adſecutus erat,effuſæ clementiæ,modicus ſeueritate, & proximo quoq; exercitui per L.Apronium ſocerum non ingratus: unde fama conſtans auſum mittere ad Cæſarem literas,adfinitatē ſibi cum Seiano haud ſponte, ſed conſilio Tiberij cœptam . perinde ſe quàm Tiberium falli potuiſſe.neq; errorem eundem illi ſine fraude,alijs exitio habendum . ſibi fidem integram,& ſi nullis inſidijs peteretur,manſuram . ſucceſſorē non aliter quàm indicium mortis accepturum.firmarent uelut fœdus , quo princeps cæterarum rerum potiretur,ipſe prouinciā retineret.Hæc mira quanquam,fidem ex eo trahebant,quod unus omnium Seiani adfinium incolumis,multaq; gratia manſit:reputante Tiberio publicū ſibi odium, extremam ætatem,magisq; fama,quàm ui ſtare res ſuas. C.Ceſtio, M.Seruilio Coss.nobiles Parthi in urbem uenere ignaro rege Artabano.Is metu Germanici fidus Romanis , æquabilis in ſuos , mox ſuperbiam in nos, ſæuitiam in populares ſumpſit, fretus bellis,quæ ſecūda aduerſum circum iectas nationes exercuerat, & ſenectutem Tiberij ut inermem deſpiciens, auidusq; Armeniæ,cui defuncto rege Artaxia , Arſacen liberorū ſuorum ueterrimum impoſuit,addita contumelia , & miſſis qui gazam à Vonone relictam in Syria Ciliciaq; repoſcerent , ſimul ueteres Perſarum ac Macedonum terminos:ſeq; inuaſurum poſſeſſa Cyro , & poſt Alexandro, per uaniloquentiam ac minas iaciebat.Sed Parthis mittendi ſecretos nuncios ualidiſſimus auctor fuit Sinnaces , inſigni familia ac perinde opibus , & proximus huic Abdus ademptæ uirilitatis. Non deſpectum id apud barbaros,ultroq; potentiam habet . Ii adſcitis & alijs primoribus,quia neminem gentis Arſacidarū ſummæ rei imponere poterant , interfectis ab Artabano pleriſq;,aut nondum adultis,Phrahaten regis Phrahatis filiū Roma poſcebant.Nomine tantum & auctore opus,ut ſponte Cæſaris,ut genus Arſacis,ripam apud Euphratis cerneretur.Cupitum id Tiberio.ornat Phrahaten,accingitq; paternum ad faſtigium,deſtinata retinens,conſilijs & aſtu res externas moliri , arma procul habere . Interea cognitis inſidijs Artabanus tardari metu,modo cupidine uindictę inardeſcere.Et barbaris cunctatio,ſeruilis:ſtatim exequi,regium uidetur . Valuit tamen utilitas, ut Abdum ſpecie amicitiæ uocatum ad epulas lento ueneno inligaret, Sinnacen diſſimulatione ac donis,ſimul per negotia , moraretur . Et Phrahates apud Syriam dum omiſſo cultu Romano , cui per tot annos inſueuerat, inſtituta Parthorum inſumit , patrijs moribus impar , morbo abſumptus eſt.Sed non Tiberius omiſit incœpta.Tiridaten ſanguinis eiuſdem,æmulum Artabano , recuperandæq; Armeniæ Hiberum Mithridatem deligit,conciliatq; fratri Pharaſmani, qui gentile imperium obtinebat. & cunctis,quæ apud Orientem parabantur,L.Vitellium præfecit. Eo de homine haud ſum ignarus ſiniſtram in urbe famam, pleraque fœda memorari . cæterum regendis prouincijs priſca uirtute egit . Vnde regreſſus , &

Nobiles Parthi Romam
Artabanus
Arſaces impoſitus armeniæ
Sinnaces
Abdus
Excecti nō ſūt apud Parthos contempti
Phrahates
Spōte cæſaris
Pharaſmanes
L. Vitellius

formidine C. Cæſaris, familiaritate Claudij turpe in ſeruitiũ mutatus, exemplar apud poſteros adulatorij dedecoris habetur. ceſſerũtq; prima poſtremis, & bona iuuentæ ſenectus flagitioſa obliterauit.

Exẽplar adulatorij dedecoris

At ex regulis prior Mithridates Pharaſmanen perpulit, dolo & ui conatus ſuos iuuare: repertiq; corruptores, miniſtros Arſacis multo auro ad ſcelus cogunt, ſimul Hiberi magnis copijs Armeniam inrumpunt, & urbe Artaxata potiuntur. Quæ poſtq; Artabano cognita, filium Orodem ultorẽ parat, datq; Parthorum copias, mittit qui auxilia mercede facerent. Contra, Pharaſmanes adiungere Albanos, accipere Sarmatas, quorũ Sceptuchi utrinq; donis acceptis more gentico diuerſa induere. Sed Hiberi locorum potentes, Caſpia uia Sarmatam in Armenios raptim effundũt. At qui Parthis aduentabant, facile arcebantur, cum alios inceſſus hoſtis clauſiſſet, unum reliquum, mare inter & extremos Albanorum montes, æſtas impediret. quia flatibus Eteſiarum implẽtur uada, hybernus Auſter reuoluit fluctus, pulſoq; introrſus freto, breuia littorum nudãtur. Interim Orodem ſociorum inopem auctus auxilio Pharaſmanes uocare ad pugnã, & detrectantem inceſſere, adequitare caſtris, infenſare pabula, ac ſæpe modum obſidij ſtationibus cingebat, donec Parthi contumeliarum inſolentes, circumſiſterẽt regem, poſcerent prælium. atq; illis ſola in equite uis. Pharaſmanes & pedite ualebat. nam Hiberi Albaniq; ſaltuoſos locos incolentes, duritiæ patientiæq; magis inſueuere. Feruntq; ſe Theſſalis ortos, qua tempeſtate Iaſon poſt auectam Medeam, genitoſq; ex ea liberos, inanem mox regiam Æetæ, uacuoſq; Colchos repetiuit. Multaq; de nomine eius, & oraclum Phryxi celebrãt. Nec quiſquam ariete ſacrificauerit, credito uexiſſe Phryxum: ſiue id animal, ſeu nauis inſigne fuit.

Orodes Artabani filius

σκηπτοῦχοι, reges ſiue principes

Hiberi Albaniq; Theſſalis orti

Cæterum directa utrinque acie, Parthus imperium Orientis, claritudinem Arſacidarũ: contraq; ignobilem Hiberum mercennario milite, diſſerebat. Pharaſmanes integros ſemet à Parthico dominatu: quanto maiora peterent, plus decoris uictores, aut ſi terga darent, flagitij atq; periculi laturos: ſimul horridam ſuorũ aciem, picta auro Medorũ agmina, hinc uiros, inde prædã oſtendere. Enimuero apud Sarmatas non una uox ducis. ſe quiſq; ſtimulant, ne pugnam per ſagittas inirẽt, impetu & comminus præueniendũ. Variæ hinc bellantium ſpecies, cũ Parthus ſequi uel fugere pari arte ſuetus, diſtraheret turmas, ſpacium ictibus quæreret: Sarmatæ omiſſo arcu, quo breuius ualent, contis gladijſq; ruerẽt: modo equeſtris prælij more, frontis & tergi uices, aliquando ut conſerta acies corporibus & pulſu armorum pellerent, pellerentur. Iamq; & Albani Hiberiq; prenſare, detrudere, ancipitem pugnam hoſtibus facere. Quos ſuper, eques & propioribus uulneribus pedites adflictabant. Inter quæ Pharaſmanes Orodeſq; dum ſtrenuis adſunt, aut dubitantibus ſubueniunt, conſpicui, eoq; gnari, clamore, telis, equis cõcurrunt. inſtantius Pharaſmanes: nam uulnus per galeam adegit, nec iterare

Medi

ualuit

ualuit,prælatus equo, & fortiſſimis ſatellitum protegentibus ſaucium.Fama tamen occiſi falſo credita, exterruit Parthos, uictoriamq́ conceſſere. Mox Artabanus tota mole regni ultimi.id peritia locorũ, ab Hiberis melius pugnatum.nec ideo abſcedebat, ni contractis legionibus Vitellius, & ſubdito rumore tanquã Meſopotamiam inuaſurus, metum Romani belli feciſſet. Tum omiſſa Armenia,uerſæq́ Artabani res, inliciente Vitellio deſererent regem ſæuum in pace,& aduerſis præliorum exitioſum. Igitur Sinnaces,quem antea infenſum memoraui, patrem Abdagaſem, alioſq́ occultos conſilit, & tunc continuis cladibus promptiores ad defectionem trahit,adfluentibus paulatim, qui metu magis quam beniuolentia ſubiecti,repertis auctoribus ſuſtulerant animum. Nec iam aliud Artabano reliquum,quàm ſi qui externorum,corpori cuſtodes aderant, ſuis quiſq; ſedibus extorres,quis neq; boni intellectus,neq; mali cura,ſed mercede aluntur,miniſtri ſceleribus.His adſumptis in longinqua & cõtermina Scythiæ fugam maturauit ſpe auxilij,quia Hyrcanis Carmanijſq; per adfinitatem innexus erat. Atq; interim poſſe Parthos abſentium æquos, præſentibus mobiles ad pœnitentiã mutari. At Vitellius profugo Artabano & flexis ad nouum regem popularium animis, hortatus Tiridaten parata capeſſere,robur legionum ſociorumq́,ripam ad Euphratis ducit.Sacrificantibus, cum hic more Romano Suouetaurilia daret, ille equum placando amni adornaſſet,nunciauere accolæ Euphraten nulla imbrium ui, ſponte & immenſum attolli:ſimul albentibus ſpumis in modũ diadematis ſinuare orbes:auſpicium proſperi tranſgreſſus.quidam callidius interpretabantur,initia conatus ſecunda,neq; diuturna:quia eorũ quæ terra,cœlóue portenderentur,certior fides:fluminũ inſtabilis natura, ſimul oſtenderet omina,raperetq́.Sed ponte nauibus effecto,tramiſſoq́ exercitu, primus Ornoſpades multis equitum millibus in caſtra uenit,exul quondam,& Tiberio cum Dalmaticum bellum conficeret,haud inglorius auxiliator,eoq́ ciuitate Romana donatus: mox repetita amicitia regis, multo apud eũ honore præfectus campis, qui Euphrate & Tigre inclutis amnibus circumflui Meſopotamiæ nomen acceperunt. Neq; multo poſt Sinnaces auget copias:& columen partium Abdageſes gazam & paratus regios adicit. Vitellius oſtentaſſe Romana arma ſatis ratus,monet Tiridaten primoreſq́: hunc Phrahatis aui & altoris Cæſaris, quæ utrobiq; pulchra, meminerit: illos,obſequium in regem,reuerentiam in nos,decus quiſq; ſuum & fidem retineret.Exin cum legionibus in Syriam remeauit. Quæ duabus æſtatibus geſta coniunxi, quo requieſceret animus à domeſticis malis. Non enim Tiberium,quanquã triennio poſt cædem Seiani, quæ cæteros mollire ſolent, tempus, preces,ſatias, mitigabant, quin incerta uel abolita pro grauiſſimis & recentibus puniret. Eo metu Fulcinius Trio ingruẽtis accuſatores haud perpeſſus,ſupremis tabulis multa & atrocia in Macronem ac præci-

Externi

Suouetaurilia

Fluminũ inſtabilis natura

Meſopotamia

Columẽ partium

Trio Fulcinius

ac præci

ac præcipuos libertorum Cæſaris compoſuit: ipſi fluxam ſenio mentem, & continuo abſceſſu, uelut exilium obiectando. Quæ ab hæredibus occultata recitari Tiberius iuſſit, patientiam libertatis alienæ oſtentans, & contemptor ſuæ infamiæ, an ſcelerum Seiani diu neſcius, mox quoquo modo dicta uulgari malebat, ueritatiſq́, cui adulatio officit, per probra ſaltem gnarus fieri. *Granius Martianus* Iiſdem diebus Granius Martianus ſenator à C. Graccho maieſtatis poſtulatus, uim uitæ ſuæ attulit. *Tatius Gratianus* Tatiuſq́ Gratianus prætura functus, lege eadem extremum ad ſuppliciū damnatus. *Treb. Rufus* *Sextius Paconianus* Nec diſpares Trebellieni Rufi & Sextij Paconiani exitus. Nam Trebellienus ſua manu cecidit, Paconianus in carcere ob carmina illic in principem factitata ſtrangulatus eſt. Hæc Tiberius non mari ut olim diuiſus, neq; per longinquos nuncios accipiebat, ſed urbem iuxta, eodem ut die uel noctis interiectu, literis conſulum reſcriberet: quaſi aſpiciens undantē per domos ſanguinem, aut manum carnificum. *Pop. Sabinus* Fine anni Poppæus Sabinus conceſſit uita, modicus originis, principum amicitia conſulatum ac triumphale decus adeptus, maximiſq́ prouincijs per quatuor & uiginti annos impoſitus, nullam ob eximiam artem, ſed quod par negotijs, neque ſupra erat.

Q. Plautius Sex. Papinius Coss. ſequũtur. Eo anno, neq; quod *L. Aruſeius* L. Aruſeius morte adfecti forent, adſuetudine malorum ut atrox aduertebatur, *Vib. Agrippa* ſed exterruit, quod Vibulenus Agrippa eques Romanus, cum peroraſſent accuſatores, in ipſa curia depromptum ſinu uenenum hauſit, prolapſuſq́ ac moribundus feſtinatis lictorum manibus in carcerem raptus eſt, fauceſq́ iam exanimis laqueo uexatæ. *Tigrànes* Ne Tigranes quidem Armenia quondam potitus, ac tunc reus, nomine regio ſupplicia ciuium effugit. *C. Galba* *Blæſij* At C. Galba conſularis, & duo Blæſij uoluntario exitu cecidere: Galba triſtibus Cæſaris literis prouinciā ſortiri prohibitus: Blæſijs ſacerdotia, integra eorum domo, deſtinata, conuulſa, diſtulerat: tunc ut uacua contulit in alios. quod ſignū mortis intellexere, & executi ſunt. *Aemilia Lepida* Et Æmylia Lepida, quam iuueni Druſo nuptam rettuli, crebris criminibus maritum inſecuta, quanquam inteſtabilis, tamen impunita agebat, dum ſuperfuit pater Lepidus. poſt à delatoribus corripitur ob ſeruū adulterum. nec dubitabatur de flagitio. Ergo omiſſa defenſione, finem uitæ ſibi poſuit. *Citarum ſiue Clitarū natio* Per idem tempus Citarum natio Cappadociæ, Archelao ſubiecta, quia noſtrū in modum deferre cenſus, pati tributa adigebatur, in iuga Tauri montis abſceſſit: locorumq́ ingenio ſeſe cōtra imbelles regis copias tutabatur: donec M. Trebellius legatus, à Vitellio præſide Syriæ cum quatuor millibus legionariorum, & delectis auxilijs miſſus, duos collis, quos barbari inſederant, minori Cadra, alteri Dauara nomen eſt, operibus circumdedit, & erumpere auſos ferro, cæteros ſiti ad deditionē coëgit. *Tiridates* At Tiridates uolentibus Parthis Nicephorium & Anthemuſiada, cæteraſq́ urbes, quę Macedonibus ſitæ, Græca uocabula uſurpant, Halumq́ & Artemitam Parthica oppida

recepit

receepit,certantibus gaudio,qui Artabanum Scythas inter eductum ob ſæ-
uitiam execrati, come Tiridatis ingenium Romanas per artes ſperabant.
Plurimũ adulationis Seleucenſes induere,ciuitas potens,ſepta muris,neq; *Seleucenſes*
in barbarum corrupta,ſed cõditoris Seleuci retinens.Trecenti opibus, aut
ſapientia delecti, ut ſenatus. ſua populo uis.& quoties concordes agunt,
ſpernitur Parthus:ubi diſſenſere, dum ſibi quiſq; contra æmulos ſubſidi-
um uocant,accitus in partem,aduerſum omnes ualeſcit.Id nuper acciderat
Artabano regnante,qui plebem primoribus tradidit ex ſuo uſu. nam po-
puli imperium,iuxta libertatem,paucorum dominatio,regię libidini pro-
pior eſt.Tum aduentantẽ Tiridaten extollunt, ueterum regũ honoribus
& quos recens ętas largius inuenit: ſimul probra in Artabanũ fundebant,
materna origine Arſaciden,cætera degenerẽ. Tiridates rem Seleucenſem
populo permittit.mox conſultans quo nam die ſolennia regni capeſſeret, *Solennia regni*
literas Phrahatis & Hieronis,qui ualidiſſimas præfecturas obtinebãt,ac- *capeſſeret*
cipit,breuem moram precãtium.Placitumq́; opperiri uiros præpollentis.
Atq; interim Cteſiphon ſedes imperij petita.ſed ubi diem ex die prolata- *Cteſiphon*
bant,multis coràm & adprobantibus,Surena patrio more Tiridatem in-
ſigni regio euinxit. Ac ſi ſtatim interiora,cęteraſq́; nationes petiuiſſet,op-
preſſa cunctantium dubitatio,& omnes in unum cedebant.Adſidendo ca
ſtellum,in quod pecuniam & pellices Artabanus cõtulerat, dedit ſpacium
exuendi pacta.Nam Phrahates & Hiero,& ſi qui alij delectum capiendo
diademati diem non cõcelebrauerant, pars metu, quidã inuidia in Abda-
geſen, qui tum aula,& nouo rege potiebatur,ad Artabanum uertere. Iſq́; *Artabanus*
in Hyrcanis repertus eſt,inluuie obſitus,& alimenta arcu expediens.ac pri
mò tanquam dolus pararetur,territus,ubi data fides reddendæ domina-
tioni ueniſſe,adleuatur animum,& quæ repẽtina mutatio exquirit. Tum
Hiero pueritiam Tiridatis increpat: neq; penes Arſacidem imperium, ſed
inane nomen apud imbellem externa mollitia: uim in Abdageſis domo.
Senſit uetus regnandi,falſos in amore odia nõ fingere. nec ultra moratus
quàm dum Scytharũ auxilia conciret,pergit properus, & præueniens ini-
micorum aſtus, amicorum pœnitentiam: neq; exuerat pedorem, ut uul-
gum miſeratione aduerteret:non fraus,nõ preces,nihil omiſſum,quo am-
biguos inliceret,prompti firmarentur.Iamq́; multa manu propinqua Se-
leuciæ aduentabat,cum Tiridates ſimul fama atq; ipſo Artabano percul-
ſus,diſtrahi conſilijs,iret contra,an bellum conctatione tractaret. Quibus
prælium & feſtinati caſus placebant diſiectos & longinquitate itineris feſ-
ſos, ne animo quidem ſatis ad obſequium coaluiſſe diſſerunt, proditores
nuper hoſteſq́; eius,quem rurſum foueant. Verum Abdageſes regredien
dum in Meſopotamiam cenſebat, ut amne obiecto Armenijs interim Ely
mæiſq́; & cæteris à tergo excitis,aucti copijs ſocialibus, & quas dux Ro-
manus miſiſſet,fortunã tentarent.Ea ſententia ualuit,quia plurima aucto-

ritas penes Abdagaſen,& Tiridates ignarus ad pericula erat. ſed fugæ ſpecie diſceſſum,ac principio à gente Arabum facto,cæteri domos abeũt,uel in caſtra Artabani:donec Tiridates cum paucis in Syriam reuectus,pudore proditionis omnes exoluit. *Incendium Romæ* Idem annus graui igne urbem adficit, deuſta parte Circi,quæ Auentino cõtigua,ipſoq́ꝫ Auentino.quod damnum Cæſar ad gloriam uertit, exolutis domuum & inſularum precijs. Millies ſeſtertium ea munificentia conlocatum,tanto acceptius in uulgum, quanto modicus priuatis ædificationibus. *Duo opera à Tib. ſtructa* Ne publicè quidem niſi duo opera ſtruxit,templum Auguſto,& ſcenã Pompeiani theatri, eaq́ꝫ perfecta contemptu ambitionis,an per ſenectutem haud dedicauit.ſed æſtimando cuiuſqꝫ detrimento quatuor progeneri Cæſaris,Gn.Domitius, Caſſius Longinus,M.Vinicius,Rubellius Blãdus delecti,additusq́ꝫ nominatione conſulum P.Petronius.Et pro ingenio cuiuſqꝫ quæſiti decretiq́ꝫ in principem honores.Quos omiſerit receperitúe in incerto fuit, ob propinquum uitæ finem.Neqꝫ enim multo poſt ſupremi Tiberio conſules, Gn.Acerronius, *Macronis potentia* C.Pontius magiſtratum occepere,nimia iam potentia Macronis: qui gratiam C.Cæſaris nunquam ſibi neglectam,acrius in dies fouebat: impuleratq́ꝫ poſt mortem Claudiæ,quam nuptam ei rettuli,uxorem ſuam Enniam immittendo,amore iuuenem inlicere,pactoq́ꝫ matrimonij uincire, nihil abnuentem dum dominationis apiſceretur.Nam & ſi commotus ingenio,ſimulationum tamen falſa in ſinu aui perdidicerat.Gnarum hoc principi.eoq́ꝫ dubitauit de tradenda Rep.primum inter nepotes,quorum Druſo genitus,ſanguine & charitate propior,ſed nondum pubertatem ingreſſus.Germanici filio robur iuuentæ,uulgi ſtudia.eaq́ꝫ apud auum odij cauſa. *Claudius Cæſar Liuiæ f.* Etiam de Claudio agitanti, quod is compoſita ætate bonarum artium cupiens erat,imminuta mens eius obſtitit. Sin extra domũ ſucceſſor quæreretur,ne memoria Auguſti,ne nomen Cæſarum in ludibria & contumelias uerterent,metuebat.quippe illi non perinde curæ, gratia præſentium, quàm in poſteros ambitio.Mox incertus animi, feſſo corpore, conſilium cui impar erat fato permiſit,iactis tamen uocibus, per quas intelligeretur prouidus futurorum.Namqꝫ Macroni non abdita ambage, Occidentem ab eo deſeri,Orientem ſpectari exprobrauit. Et C.Cæſari forte orto ſermone L.Sullam inridenti,omnia Sullæ uitia,& nullam eiuſdem uirtutem habiturum prædixit:ſimul crebris cum lachrymis minorem ex nepotibus complexus,truci alterius uultu:occides hunc tu,inquit,& te alius. Sed graueſcente ualetudine nihil è libidinibus omittebat,in patiẽtia firmitudinem ſimulans:ſolitusq́ꝫ eludere medicorum artes,atqꝫ eos qui poſt triceſimum ætatis annum ad internoſcenda corpori ſuo utilia uel noxia, alieni conſilij indigerent. *Acutia Lælius Balbus* Interim Romæ futuris etiam poſt Tiberium cædibus ſemina iaciebantur. Lælius Balbus Acutiam P.Vitellij quondam uxorem maieſtatis poſtulauerat:qua damnata, cum præmiũ accuſatori decerneretur,

Iunius

Iunius Otho tribunus plebei interceſſit.unde illis odia, mox Othoni exi- lium.Dein multorum amoribus famoſa Albucilla,cui matrimonium cum Satrio Secundo coniurationis indice fuerat, defertur impietatis in princi- pem. cōnectebātur ut conſcij & adulteri eius,Gn.Domitius,Vibius Mar- ſus,L.Aruntius.de claritudine Domitij ſupra memoraui.Marſus quoque uetuſtis honoribus,& inluſtris ſtudijs erat. Sed teſtiū interrogationi, tor- mentis ſeruorum Macronem præſediſſe commētarij ad ſenatum miſſi fe- rebant:nullæq; in eos imperatoris literæ ſuſpicionem dabant, inualido ac fortaſſe ignaro, ficta pleraq; ob inimicitias Macronis notas in Aruntiū. Igitur Domitius defenſionem meditans,Marſus tanquam inediam deſti- nauiſſet,produxere uitam. Aruntius cunctationem & moras ſuadentibus amicis:non eadem omnibus decora reſpondit, ſibi ſatis ætatis: neq; aliud pœnitendum quàm quod inter ludibria & pericula anxiam ſenectam to- lerauiſſet,diu Seiano,nunc Macroni,ſemper alicui potentium inuiſus,non culpa,ſed ut flagitiorū impatiens.Sanè paucos & ſupremos principis dies poſſe uitari,quemadmodū euaſurum imminentis iuuentam? An cum Ti- berius poſt tantam rerum experientiam ui dominationis cōuulſus & mu- tatus ſit,C.Cæſarem uix finita pueritia,ignarum omniū, aut peſſimis in- nutritum meliora capeſſiturum Macrone duce? qui ut deterior ad oppri- mendum Seianum delectus,plura per ſcelera Remp.conflictauiſſet: pro- ſpectare iam ſe acrius ſeruitium,eoq; fugere ſimul acta & inſtantia. Hæc uatis in modum dictitans,uenas reſoluit,Documento ſequentia erunt,be- ne Aruntium morte uſum. Albucilla inrito ictu à ſemet uulnerata, iuſſu ſenatus in carcerem fertur. Stuprorum eius miniſtri, Graſidius Sacerdos prætorius ut in inſulam deportaretur,Pontius Fregellanus amitteret ordi nem ſenatorium:& eædem pœnæ in Lælium Balbum decernuntur.id qui dem à lætantibus,quia Balbus truci eloquentia habebatur promptus ad- uerſum inſontes. Iiſdem diebus Sex. Papinius conſulari familia re- pentinum & informem exitum delegit,iacto in præceps corpore.cauſa ad matrem referebatur,quæ pridē repudiata, adſentationibus atq; luxu per- puliſſet iuuenem ad ea,quorum effugium non niſi morte inueniret,Igitur accuſata in ſenatu,quanquā genua patrum aduolueretur, luctumq; com- munem,& magis imbecillum tali ſuper caſu fœminarum animum, aliaq; in eundem dolorem mœſta & miſeranda diu ferret,urbe tamen in decem annos prohibita eſt, donec minor filius lubricum iuuentæ exiret. Iam Tiberium corpus,iam uires,nondum diſſimulatio deſerebat. Idem animi rigor ſermone ac uultu intentus, quæſita interdum comitate quamuis ma niſeſtam defectionem tegebat.mutatiſq; ſæpius locis, tandem apud pro- montorium Miſeni conſedit in uilla, cui L. Lucullus quondam dominus. illic eum adpropinquare ſupremis tali modo compertum. Erat medicus arte inſignis nomine Charicles, non quidem regere ualetudines principis

Iun.Otho
Albucilla multorum amoribus famoſa
Gn. Domitius
Vib.Marſus
L.Aruntius
C.Cæſar
Vaticinium L.Aruntij
Graſidius Sacerdos
Sex.Papinius
Diſſimulatio Tiberij
Charicles medicus

ſolitus,conſilij tamen copiam præbere.Is uelut propria ad negocia digrediens,& per ſpeciem officij manum complexus pulſum uenarum attigit: neq; fefellit.Nam Tiberius incertum an offenſus,tantoq; magis iram premens,inſtaurari epulas iubet,diſcumbitq; ultra ſolitum,quaſi honori abeuntis amici tribueret.Charicles tamen labi ſpiritum,nec ultra biduum duraturum Macroni firmauit.Inde cũcta conloquijs inter præſentes,nuncijs apud legatos & exercitus feſtinabãtur. Decimoſeptimo kalen. Aprilis interclusa anima creditus eſt mortalitatem expleuiſſe. Et multo gratantum

C.Cæſar concurſu,ad capienda imperij primordia C.Cæſar egrediebatur, cum repente adfertur redire Tiberio uocem,ac uiſus,uocariq; qui recreãdæ defectioni cibum adferrent.Pauor hinc in omnes,& cæteri paſſim diſpergi, ſe quiſq; mœſtum aut neſcium fingere.Cæſar in ſilentiũ fixus à ſumma ſpe, nouiſſima expectabat. Macro intrepidus, opprimi ſenem iniectu multæ

Tiberij mors ueſtis iubet,diſcediq; ab limine,Sic Tiberius finiuit,octauo & ſeptuageſi-

Tiberij genus mo ætatis anno.Pater ei Nero, & utrinq; origo gentis Claudiæ, quanq; mater in Liuiam & mox Iuliam familiã adoptionibus tranſierit.caſus prima ab infantia ancipites. nam proſcriptũ patrẽ exul ſecutus, ubi domum Auguſti priuignus introijt,multis æmulis conflictatus eſt,dum Marcellus & Agrippa,mox Caius Luciusq; Cæſares,uiguere.Etiam frater eius Druſus proſperiore ciuium amore erat. Sed maximè in lubrico egit accepta in matrimonium Iulia,impudicitiã uxoris tolerans aut declinans.Dein Rhodo regreſſus,uacuos principis penates duodecim annis,mox rei Romanæ arbitrium tribus fermè & uiginti obtinuit. Morum quoq; tempora illi di-

Tib.mores uerſa:egregium uita,famaq;,quoad priuatus,uel in imperijs ſub Auguſto fuit:occultum ac ſubdolũ fingendis uirtutibus,donec Germanicus ac Druſus ſuperfuere.Idem inter bona malaq; mixtus incolumi matre: inteſtabilis ſæuitia, ſed obtectis libidinibus, dum Seianum dilexit, timuitue. Poſtremo in ſcelera ſimul ac dedecora prorupit, poſtquam remoto pudore & metu,ſuo tantum ingenio utebatur.

LIBRI QVINTI FINIS

BEATVS RHENANVS LECTORI S.

QVIA quinq; priores Annalium libros percurri, ne uiderer intactos ex negligẽtia reliquiſſe,nolo cælare Lectorem de locis quibuſdam iudicium meum. Idem ante nos fecit Philippus Beroaldus iunior miro candore citra omnem ambitionẽ. Quod ſi nobis copia fuiſſet archetypi codicis Corbeienſis,quem Romæ etiamnum extare puto Leoni X Pont.Max.dum uiueret,oblatum,fortaſſis plura quum meliora tum certiora adnotaſſemus eruiſſemusq;.Nunc laborem qualemcunq; æqui boniq; conſule,& nos,uel de iuuandi ſtudio,ama.

IN LIBRVM

IN LIBRVM PRIMVM ANNALIVM P. CORNELII TACITI EQVITIS ROMANI, CASTIGATIONES PER BEATVM RHENANVM.

AT Romæ ruere in ſeruitium Conſules, Patres, Eques, quanto quis illuſtrior) Hic non erat opus aſteriſco. Nam quod ſequitur, Neu triſtior primordio, refertur ad illud quod præceſſit Eques, & ſubauditur, quiſquam eſſet.

Multa Antonio tunc interfectores patris ulciſceretur, multa Lepido conceſſiſſe) Lego. Multa Antonio ut interfectores patris ulciſceretur, multa Lepido conceſſiſſe.

Vt non aliter ratio conſtet, quàm ſi uni reddantur.) Malim reddatur.

Sed Pompeium imagine pacis, ſed Lepidum ſpecie amicitiæ deceptos.) Legerim. Sed Pompeium imagine pacis, & Lepidum ſpecie amicitiæ deceptos.

Quæ Tedij & Vedij Pollionis luxus.) Lego. Q. Vedij Pollionis luxus. Hoc eſt, Quinti Vedij.

Sed & ſua confeſſione argueretur.) Accipiendum & pro etiam. nam ſubauditur ut, quod mox præceſſit.

Quouſq; patieris Cęſar nõ adeſſe apud te Reip.) Quid ſi quis legat, Quouſq; patieris Cæſar non adeſſe caput Reipublicæ.

Mox celebratio annum ad prætorem translata.) Lege. Mox celebratio annuum ad prætorem translata.

Non obtrectari à ſe urbanas excubias, ſibi tamen apud horridas gentes è contubernijs hoſtem aſpici.) Lego. ibi tamen, hoc eſt, eo loci.

Intus operis ac laboris.) Legerim, Attentus operis ac labori. Vt operis dandi caſu dictum intelligatur numero pluratiuo ab opera, æ.

Proſperecq; ceſſura quæ pergerẽt.) Malim, quæ gererẽt. Quia præſentia ſatis cõſyderat, in urbẽ redijt.) Lego. Quia præſentia ſatis cõpoſuerat. Aut cõſederãt.

Nil paucorum inſtinctu.) Scripſerim. Vel paucorum inſtinctu.

Et ſi uellet imperium promptas oſtentauere.) Melius, promptos.

Seu nihil militi, ſeu omnia concedentur, in ancipiti republica.) Poſſit etiã legi. Concederentur. Mox ſcripſi, Igitur uolutatis inter ſe rationibus, placitum &c.

Quos igitur anteferret? ac ne poſtpoſiti contumelia incenderentur.) Legerim. Ecquos igitur anteferret, ne poſtpoſiti contumelia incenderentur?

Inritusq; diſceſſerit ille inter nomina dicatus Auguſtus.) Scribendũ, numina.

Per quæ geritur humus.) Malim egeritur.

Tanto maiora offenduntur.) Reponendum offunduntur.

Nox, uox, & mutui hortatus iuuabant aduerſante unda.) Lego. Nec uox.

IN LIBRVM SECVNDVM.

IACVS inde & Oceanum uſq; ad Amiſiam flumen ſecunda nauigatione peruehitur.) Lego prętuehitur.

Diſtantibus locis inuecti, ut hoſtem deducerẽt.) Malim diducerent. Vt infra. Quia diductis terris hauriebantur.

Aliud ſibi reliquum.) Malim. Non aliud ſibi reliquum. Aut, Nihil aliud ſ.r.

Qui tumidis germanię terris.) hoc ẽ inflatis. Alioqui poſſet etiã legi humidis.

Reductus inde in Hiona miles.) Scripſimus, Iuhiona. Malim tamẽ Iuhionem. Iuhionum ciuitatis meminit Tacitus libro decimotertio, ad calcẽ. Et nos libro tertio rerum Germanicarum, huius loci facta mentione.

Quaſi auretur poteſtas eius.)Lego.quaſi augeretur poteſtas eius.

Quod magis mirum fuit quod preces M.Hortali nobilis iuuenis in paupertate manifeſta ſuperbius accepiſſet.) Scribo.Quo magis mirum fuit,quod.

Eandem uim in me tranſmerci.) Fortaſſis leg.tranſumere.

Igitur non modo Cheruſcis ſocijq; eorum,) Lego.Igitur non modo Cheruſci ſocijq; eorum.

Quiq; Moſteni aut Maced.Hyrcani uocâtur.)Mẽtio Moſthenorũ ſit Plinio.

Sed nihil æque cauebatur,quàm ne bellum metu eluderent.)Fortaſſe ſcribendum,quàm ne bellum aſtu eluderent.

Igitur aliaq; quæ ibi uarietate fortunæ & noſtri origine uenerãda, relegit Aſiam.) Arbitror hic à librario factam tranſpoſitionem. Vt forſan ſic ſcripſerit Tacitus.Atq; illum in regreſſu ſacra Samothracum uiſere nitentem,aliaq; ibi uarietate fortunæ,& noſtri origine ueneranda. Igitur relegit Aſiam, appellitq; Colophona.Nam quæ relatiuum pronomen uidetur mihi uacare.Ideo uero dixit, noſtri origine ueneranda, quod Aeneas propter oraculi reſponſum, Antiquam exquirite matrem,quum Italiam peteret,profectus ad Thraciam, Samothracas deos ſuſtulerit, & pertulerit ſecum,propter originem matris. Autor Seruius exponens illud Maronis carmen Aeneidos libro ſeptimo,

Threiciamq; Samum,quæ nunc Samothracia dicta eſt.

A`reo iudicio falſi damnatum.)Lego.Areo iudicio,hoc eſt iudicio Arei pagi. τῷ ἀρείῳ κρίσει.Dicaſterij notum nomen eſt apud Athenas ἄρειος πάγος. ubi capitales cauſæ cognoſcebantur.

Et cupere renouari dextras.) Forte. Se cupere r.d.

Ne ſi quando inſoleſcerent Sueui quaſi reditus in regnum oſtentabatur.)Aut ſcribendũ næ cum diphthongo.ut ſit particula Greca,certe ſiue utiq; ſignificans. & tum in habitus ſubauditur uerbum,eſt.Aut ſcribendum,ne quando, uel ne aliquando.Aut omittendum ne,ut legas,ſi quando inſ.S.

Et Vibilio daice.) Scripſi.duce.

Et reſiſtentium facere.) Tu ſcribe.Et reſiſtenti uim facere.

Qui propius regrederetur.) Id eſt,quo.

Ac uulgus impeditum primorum ore rapiant.) Scripſi. Ac uulgus imperitum primo rumore rapiant.

IN LIBRVM TERTIVM

AC ſuperſtitem iniquorum precarentur.)Forſitan,inimicorum.

Præpoſitam toro effigiem.)Malim.Præpoſitam thoro effigiem.

Scripſiſſent expoſtulantes.)Senſus eſt.Obiectũ à ſenatu Piſoni, quod ipſi nẽpe Germanicus & Piſo per literas expoſtulauiſſent de ueneno præbito aut non præbito.

Prohibuit ob externas ea uictoria ſacrari.) Lego diſtinguoq;, prohibuit, ob externas ea uictorias ſacrari dictitans.

Sed in ſingulos homines lætæ quæſtiones.)Poſſet etiam legi,latæ quæſtiones.

Quis pace & principe uteremur.) Et principe ſubauditur exiſtente.

Et lege Pappia Poppæa præmijs inducti uiſi à priuilegijs parentũ ceſſaretur.) Lego diſtinguoq;.inditi cuſtodes,& lege Pappia Poppæa præmijs inducti (ſubaudi ſunt illi cuſtodes) ſi à priuilegijs parentum ceſſaretur. Aut, ſicubi à priuilegijs parentum ceſſaretur.Aut.præmijs inducti,ui,ueluti præmijs cogentibus.

Quæ Oppijs quondam,alijſq; legibus conſtrictæ,nõ uinclis exolutis, domos, fora,iam & exercitus regerent.)Haud abſurde legas,nunc uinclis exolutis.

Et maiorum bona facta.)Forte,bene facta.

Liberalibus

Liberalibus ſtudijs ſibi operatã.) Caſtigaui. Liberalibus ſtudijs ibi operatam.
Quibus more gentico cõtinuum ferri tegimen.) Legerem, Quibus more gentis contin. ferri tegimen, niſi libro quinto ſic quoq; loqueretur, Quorum, inquit, ſceptuchi utrinq; donis acceptis, more gentico, diuerſa induere. Sed ſuſpicor hãc elegantiam Librario ferendam acceptam. De qua re mentẽ noſtram aperuimus in Annotationibus conſtructionum locutionumq; quibus Tacitus utitur.
Verũ hæc nobis maiores certamina.) Quid ſi legat, erga maiores certamina.
Neq; aliud iuſſum.) Scribendum. Neq; aliud ius ſuum.
Nulla de eo populi ſita.) Repone, ſcita.
Littora & lacus Campaniæ, tum maxime peragrantẽ.) Scribo, cum maxime.
Flagitia hominum ut cærimonias deûm protegentes.) Repoſui, protegentis. nam ad genitiuum populi refertur.
Et ſi rectum iter perageret.) Forte, pergeret.
Poſtremo ſuaſmet ipſe ſpes antereparat.) Legendum. anteire parat, diſtinctis uerbis.
Egregium publicum.) Obſcurus locus eſt aut certe mendoſus. qui forſan ſic legi debeat, Se, rempublicam, & bonas domi artes dehoneſtauiſſet.
Vt pontificis Maximi arbitriũ pluſquam binoctium abeſſet.) Lego, Vt pontificis Maximi arbitrio ne pluſquam binoctium abeſſet.
Quia in magnis operibus.) Lege opibus.

IN LIBRVM QVARTVM

Eque fœmina amiſſa pudicitia, alia abnuerit.) Subaudi, flagitia. Quid enim ſalui eſt mulieri amiſſa pudicitia? apud Li. Lucretiæ uerba ſunt.
Plebes agri quidẽ annona fatigabatur.) Tu ſcribe. Plebes acri quidem annona fatigabatur.
Vitandam potionem quæ prima & apud filiũ epulanti offerretur.) Lego, quæ prima ei apud filium epulanti offerretur.
Ea qua tempeſtate.) Aut ſupereſt ablatiuus ea, aut ſcribe, Ea tempeſtate qua Græci conditis per Aſiam urbibus ora maris potiebantur.
Et quando exiret è iure patrio qui id Flaminium apiſceretur.) Lego queſitiue. Ecquando exiret è iure patrio, qui id Flaminium adipiſceretur, quæq; in manum Flaminis conueniret?
Is diſpoſita claſſiariorum copia cœptantem tum maxime coniurationẽ diſiecit.) Lego. Cœptantem cum maxime coniurationem diſiecit.
Iam trepida ob multitudinem familiarũ.) Caſtigaui, iam trepidã ob mul. fam.
Sublatiſq; inanib. uera potẽtia augere.) Malim, augeri. Niſi legere libet, agere.
Suoq; recident Heliatem agrũ in quo id delubrum, ceſſiſſe.) Hic locus nõ fuit aſteriſco fruſtra notatus. Nam haud dubie corruptus eſt. Fortaſſe legendũ. Suoq; regi Penthelo Eleatem agrũ, in quo id delubrum, ceſſiſſe. Hęc non in hoc proferimus, ut quiſpiã libro ſuo ſtatim illinat. quũ ſit mera cõiectura è ueſtigijs deprauatæ ſcripturæ ſumpta, ſed ne quis putet me quærendi laborẽ ſubterfugiſſe. Vtinã licuiſſet hic exemplar illud Saxonicũ inſpicere, quod Quæſtor quidã Pontificius quũ è Dania rediret, in Corbeienſi bibliotheca repertũ, Romam ſecum detulit ad Leonem X. Pont. Max. bonarũ literarũ haud illiberalem patronum, qui illi quingentos ducatos numerari iuſſit.
Quod magna uis armata aut incondita tuebat.) Lego. at incondita tuebatur.
Cum auxiliũ appellatũ tauiſſet.) Quid ſi legas. Quũ auxiliũ appellatũ abiſſet, id eſt ad auxilium appellandum accerſendumq;. Vt appellatum ſit prius Supinum uerbi appello. Aut ſimpliciter; Quũ auxiliũ appellaſſet ſiue appellitauiſſet.
Metus, uiſus, ſonitus, aut ſorte ortæ ſuſpiciones erãt.) Suſpicor ſcribendũ, Aut forte ortæ ſuſpicionis erat.

Non aliâs magis anxia & pauens ciuitas, ægens aduerſum proximos.) Legerim, ſatagens aduerſum proximos.

Et poſtq̃ nõ ſubueniebat.) Aut ſcribẽdũ, ſubueniebat̃, aut nemo ſubueniebat.

Soluto iam caſtello obſidio.) Lego. Soluto iam caſtelli obſidio, ſicq̃ caſtigaui.

Qui iam acie cõpoſiti pelluntur, turmas ſociales.) Repoſui, qui iam acie compoſiti pellunt turmas ſocialeis, equiteſq́; legionum ſubſidio miſſos.

Et magnitudini urbis incertum.) Scripſimus Et magnitudine urbis, incertum, quod quiſq̃ ad negocium pergat. Hoc eſt, propter magnitudinem urbis.

IN LIBRVM QVINTVM

EOque meditationis eius introſpicere creditus.) Scripſi meditationes.

Quippe lapſum cuſtodiæ pergere ad paternos exercitus.) Melius, ut opinor, ſcribatur, Quippe elapſum cuſtodia perg. ad pat. exercitus.

Et ſi retinerẽt propinquus aut parẽs.) Malim. Et ſi reniterent̃ p. a. p.

Quos neq̃ dicta imperatoris.) Forte. Quos neq̃ dicta niſi imperatoris.

Vt uero Latiniũ Latiarẽ ingreſſus eſt accuſator, acrius iuxta inuiſi.) Suſpicor ſcribendũ, & diſtinguẽdũ. Vt uero Latini Latiaris ingreſſus eſt accuſator Arius, Aut, Latinium Latiarem, aggreſſus eſt accuſator Arius, iuxta inuiſi. Nam plane nouũ eſt Latiniũ Latiarem ingreſſus, pro, actionem Latinij Latiaris, id eſt contra Latiniũ Latiarẽ ingreſſus. Quod noſtrã coniecturã adiuuet, ſic rurſum loquitur libro. 16. Atq̃ interim Torius Sabinus Sorani accuſator ingreditur.

Vbi primũ facultas data arguitur pleraq̃ C. Cæſarẽ quaſi inceſta uirilitatis.) Diſtinxi, Vbi primum facultas data, arguitur pleraq̃, hoc eſt, in pleriſq̃. Græca conſtructio eſt, apud hiſtoricos tamẽ ſolennis. Quod uero ſequitur, quaſi inceſta uirilitatis, Legerim, quaſi inceſtæ uirilitatis. Hoc ideo dixit, quod Caius Cæſar à propriarum ſororum ſtupro non abhorruit.

Immitti reſcripto uenas reſoluit.) Caſtigaui. Immiti reſcripto, uenas reſoluit.

Feruntq̃ ab Romulo Dentrem Romuliũ.) A T. Liuio primæ decad. libro. 10. recenſetur inter Pontifices tum è plebe creatos, M. Liuius Denter.

Ac ne dubiũ haberetur magnitudinẽ pecuniæ malo uertiſſe.) Vertiſſe malo pro in malum.

Modo equites tres prælij more, frontis & tergi uices.) Caſtigaui, Modo equeſtris prælij more.

Quũ hic more Romano Suouetaurilia daret.) Scribendũ, Sue, oue, Taurilia daret. Sic enim Liuius quoq̃ loquitur lib. primo dec. primæ. Ibi, inquit, inſtructũ exercitũ omnem ſue, oue, Taurilibus luſtrauit. Tametſi in omnibus æditionibus quę hodie extant uulgo pro Taurilibus corrupte legitur, tauriſq̃ tribus luſtrauit. Verũ nos ſyncerã iſtam lectionẽ deprehẽdimus in uolumine manuſcripto, quod huc miſit clariſſimus uir Reinhardus à Rietpur Borbetomagenſis eccleſiæ Decanus. Ludorũ Taurilium rurſus meminit Liui. libro nono decad. quartæ. Ludi, inquit, Taurilia per biduum facti religionis cauſa.

Auſpicium proſpere tranſgreſſus.) Malim, auſpicium proſperi tranſgreſſus.

Cum Tiridates ſimul fama atque ipſo Artabano percuſſus.) Reponendum, perculſus.

Sane paucos & ſuprema principis dies poſſe uitari.) Expono. Sane paucos dies, & pro, id eſt ſuprema principis. Appoſitiue.

Albucilla inrito ictu ac ſemet uulnerata.) Scribendum, à ſemet uulnerata.

FINIS

FRANCISCVS PVTEOLANVS IACOBO ANTIQVA/
RIO DVCALI SECRETARIO S.

MAXIMIS plurimiſq; rebus in utraq; mea fortuna
à te adiutus, ſubleuatus ac ornatus uir perſectiſsime,
uni omnium ſecundum deos immortales plurimum
debeo. & quia parem gratiam nullam unquam refer/
re poſſem, qua una uia datur ingratitudinis notã effu
giam, habebo quam non referre eſt: & quicquid aut
nunc eſt, aut in futurum mihi erit, tibi acceptum referri debere haud inui/ Grati[illegible]
tus fatebor. Tu mihi omnia non amici ſolũ officia, ſed affectũ pietatemq;
paternã præſtitiſti: tu grauiſſimis in fluctibus, non ſolũ merſatum, ſed ob/
rutum manũ porrigens in portũ perduxiſti: tu omnibus incõmodis per/
functũ poſt longa certamina præmijs ſudoris & pulueris ornaſti: tu tran/
quillam uitam, ad quã enixiſſimè fruſtra contendebam, tribuiſti. Neq; in
me uno tua innotuit beneficentia. longus ordo poſt me & ante me extat
te patronũ ſalutantiũ. nam cum ob rariſſimas animi tui uirtutes, grauiſſi/
mos mores, religionis cultũ, totius uitæ tenorẽ æquabilẽ, modeſtiã in iſto Iacobi Anti/
faſtigio admirandã, lenitatem & manſuetudinẽ pari coniunctam grauita/ quarij laus
ti, in omni fortuna conſtantiã, miram ſcientiam atq; facundiã, in agendis
rebus dexteritatẽ, ad maxima negotia obeunda efficaces cogitationes, in
omnibus rebus fidem ac pares laude prudentiã atq; ſimplicitatẽ, non mo/
do multitudini fueris acceptiſſimus, uerũ & totius Italiæ principes, tetrar/
chę, reges, pontifices te ſuſpexerint, euexerint, promouerint, nihil unquam
tibi ambiuiſti, rogaſti, impetraſti: quicquid tuliſti, honores, ſacerdotia, me/
ra principum liberalitas ac iudicium fuit: quanq; nec ea quidẽ pro uirtuti/
bus aut meritis: quæ licet multis maxima uideantur, pleriq; haud quaq;
artibus tuis pares plura tenuerunt. Piget pudetq; referre adulatores, ſcur/
ras, delatores, quos cernimus ditiores. Cur tu ut uirtute & innocẽtia, ita fla
minijs, procurationibus, præfecturis, alios non excellis? Verũ non eodem
iudicio quo cæteri felicitatẽ metiris. ideo quæ maxima iſti putant, ſemper
contempſiſti. Compertũ habeo exiguo labore leuiſſimis atq; etiam hone
ſtiſſimis precibus, honorificentiſſimũ quiddã tibi quæri potuiſſe. Obſtitit
antiquus rigor, & priſca frugalitas, & modicis cõtentus animus. Quod pro
te tamen nunq; propoſitis ullis præmijs faceres, uidimus multoties amico
rum cauſa ambitioſiſſime contendiſſe. multa enim multis rogaſti atq; im/
petraſti. Sed ego in hoc latiſſimo campo, in uberrima tuarũ laudum mate
ria parcius loqui cogor. quod enim omnia tibi debeo, uereor ne fœda aſ/
ſentandi libidine rapi uidear. accedit quod uirtutibus tuis parẽ orationem

afferre non poſſumus:ſed ut floribus ac interdum ſolis precibus dijs ſupplicant qui thura non habent,ſic hoc tempore ego tibi, quem uice magni numinis colo munuſculum affero Cor.Taciti equitis Ro. hiſtoricorũ omnium grauiſſimi, diſertiſſimiq́ꝫ quicquid incurioſæ uetuſtati ſuperfuit, id eſt,fragmenta ex actionibus diurnalibus Auguſtæ hiſtoriæ, de moribus & ſitu Germaniæ,De genere eloquētiæ non corruptæ,cui operi à quibuſdam titulus de claris oratoribus inſcribitur, Vitam Iulij Agricolæ ſoceri, multis uigilijs intentiſſimoq́ꝫ ſtudio recognita adiuuante Berardino Lanterio omnium Mediolanenſium eruditiſſimo, ut eum parciſſime laudem, ſub tuo nomine noſtris impreſſoribus tradidimus:tum quia eius eloquentia perfecta meo iudicio & admirabilis peculiariter ita te ut me delectat, tum ne in tanta librorum copia ſolus ipſe ſupprimeretur.ueteres enim impreſſores adeo inculcauerant ac fœdauerant hoc diuinũ opus,ut non modo Cornelianæ facundiæ maieſtas inquinaretur, ſed uix ſenſus ullus conіectari poſſet.quid ego effecerim iudicēt docti,ſed collatis exemplaribus. De ipſo Tacito hęc præfanda duxi:in Rep.uerſatum,Belgicæ Galliæ rationes procuraſſe,cauſas dixiſſe,hiſtoriam ſcripſiſſe ab Auguſto ad principatum Adriani: ſed maior & melior pars proh dolor & humani generis immenſa iactura,temporum incuria abolita eſt: abſoluiſſe omnē hiſtoriæ legem.nam cum ſuorum temporum maiore ex parte memoriæ conſuluerit, id pari eloquentia ac libertate præſtitit. debebat tribus deinceps gentis Flauiæ imperatoribus ab ijs ad maximos honores euectus, quos incorruptam rerũ fidem profeſſus, ut nullo odio ſic nullo amore rettulit, nihil falſi dicere, nihil ueri omittere auſus. in ſcribendo enim ne ſuſpectus quidem unq́ꝫ fuit,aut gratiæ aut ſimultati aliquid tribuiſſe. rerum rationem, qua ordo temporum,regionum deſcriptio, exigitur, nemo hiſtoricorum diligentius obſeruauit.Iam conſilia,acta,euentus ut dij boni expendit: & de conſilijs quid probet,quid non:in rebus geſtis non ſolum quid actum, ſed quale:de euentu uero omnes cauſas explicat,caſus,ſapientiæ, temeritatis:hominũ porrò non ſolum res geſtas,ſed quæ fama,quod nomen, quæ natura,quæ uita. quo artificio omnes mea ſententia facile uicit, ita creber rerum frequentia,ut uerborũ propè numerum ſententiarũ numero ſequatur,ita dein uerbis aptus & preſſus,ut neſcias utrum res oratione,an uerba ſententijs illuſtrētur:in cōcionibus(audeo enim promere quod ſentio) Liuio quoq; anteferendus,magis tamen Saluſtij argutam denſitatem q́ꝫ huius amplitudinem imitatus.hunc primo legens laudabis eloquentiā, cum iterum in manum ſumpſeris mirum acumen deprehendes & miraberis, ubi contubernalem reddideris, ſemper artificioſa docebit uarietate,immenſaq́ꝫ iucunditate delectabit.Vale decus & præſidium meum.

Fragmēta hiſtoriæ Auguſtæ

Berardinus Lanterius mediolanēſis adiutor caſtigationis

Cor. Tacitus in repub.uerſatus

Orator

Hiſtoricus

Eloquētia ac libertas Tac.

Fides

Ratio rerum

Preſſus Tacitus

Argutā Saluſtij denſitatē imitatur

BEATVS

BEATVS RHENANVS AD LECTOREM

CREDITVM eſt hactenus inter monumenta autorum quæ poſteritati ſors non inuidit, uix quicquã ſupereſſe quod minus ſit librariorum inſcitia corruptũ, quàm P. Cornelij Taciti fragmenta Annalium. In qua ego quoq; ſemper opinione fui. Verum quũ proximis menſibus flagitante Compatre meo Hieronymo Frobenio uulgatam æditionem conferre cœpiſſem cũ exemplari manuſcripto ſed recẽtiori, quod ſuperioribus annis mihi dono miſerat ſummus amicus Iacobus Spiegellius iureconſultus atq; Ferdinandi Cæſaris à ſecretis & à conſilio, Matthiæ Coruini illius Hungariæ quondam regis ſumptu deſcriptũ olim in Italia, comperi idem propemodũ Tacito accidiſſe quod ſcriptoribus cæteris. In hoc tamen fortunatior uidetur, quod primum in manus certe eruditiſſimorum hominum uenit, qui magna religione æditionẽ caſtigare & adiuuare conati ſunt. Poſt quorum laborem quid nos huic autori contulerimus, indicabunt ſequentia. Cæterum communis eſt hæc ueterum ſcriptorum omnium infelicitas, quod errata nemo facile ſentit, niſi qui cõfert, aut exactius ſingula rimatur. Verbi gratia. Apud Liuium legitur ſeptimo libro tertiæ decadis. Et de M. Liuio præfecto arcis Taren *Liuij locus* tinæ haud minore certamine actum eſt, alijs ſentẽtijs notantibus præfectũ, quod eius ſocordia Tarentum proditum hoſti eſſet. Quis hic putaret corruptum eſſe locum? Tota difficultas eſt in his uerbis. alijs ſententijs notantibus præfectũ, imò in unica dictione ſententijs. Sed facile eſt aliquid in ſpeciem excogitare quo tueare errorem. puta ſi ſententijs ſeptimo caſu dictum interpretere pro per ſententias. Ego quum hunc librum cõferrem, reperi in uetuſto codice ſcriptum, Alijs ſocijs notantibus, Vnde ſtatim eluxit germana lectio, nempe, Alijs ocij notãtibus præfectum. nam ſequitur, quod eius ſocordia Tarentum proditũ hoſti eſſet. Proferam alterius generis è Cicerone exemplum. Libellus de ſenectute cui non eſt in *Ciceronis locus expendendus* manibus? cui ignotus uerſiculus ille qui citatur è Næuio poeta,

Proueniebant oratores, noui, ſtulti, adoleſcentuli.

Quis eſt cui non optime habere ſententia uideatur? Nec uero prorſus habet male, ſi quis reputet eloquentiã illam δημογόρον quæ præcipue apud Græcos uiguit, quemadmodum ex orationibus Iſocratis liquere poteſt, nonnunquã exiſtere comitem ſeditionum, effrenati populi incitamentum, contumacem, temerariam, arrogantem, quæ in bene conſtitutis ciuitatibus non oritur. His enim elogijs hanc ornat autor dialogi, qui de Oratoribus inſcribitur huic adnexus uolumini. Sed tamen quando carmen claudicat, poſſit quis ſuſpicari ueterem ſcripturã quæ mendoſæ lectioni præſtiterit occaſionem, huiuſcemodi fuiſſe.

Prouehebant uradres (ſiue uratres) noui, ſtulti, adoleſcentuli. Vt debeat ſic ſtare carmen.

Prouehebantur ad res noui, ſtulti, adoleſcentuli.

Sic enim aptius cohærebit cum uerſu præcedenti

Cedò, qui ueſtram rempublicam tantam amiſiſtis tam cito?

Reſponſ. Prouehebantur ad res, noui, ſtulti, adoleſcentuli.

Nam hinc maxima pernicies reipublicæ quod homines noui, imprudentes, & iuuenes, rebus moderandis imponebantur. Quum oratores contra ſi noui forent, carerent autoritate, ſtulti potius riderentur. contemnerẽtur adoleſcẽtuli. Sed hoc ad arbitrium eruditorum referimus, inquirentes, nihil pronunciantes. Vt uero redeam unde ſum digreſſus, multa nos fallũt in autoribus prorſum deprauata, quæ tamen nullus temere deprehendat. In cauſa eſt ſtulta perſuaſio, libros eſſe longe emendatiores q̃ ſunt. Enimuero decreueram ab iſto tædioſo caſtigandi labore

deinceps

deinceps abſtinere, poſtquã hactenus tam maligne reſpondit mihi fauor, lucrum typographo. Verum datũ eſt hoc amici precibus, & meo in Tacitũ amori, quem ex hiſtoricis ob uarias dotes feci ſemper plurimi. Porrò nemo putet me tam mutandi auidum, ut quicquam citra autoritatem manuſcripti codicis uel addiderim uel dempſerim. Nec quoties occurret, ſic ſcripſi, caſtigaui, repoſui, ſuſpicet quiſquam id ex meo tantum factum ingenio. Nam quum meum ſecutus iudiciũ aliquid muto, quod tamen niſi in manifeſtis erratis, non feci, lectorem ea de re in caſtigationibus admoneo. Vnde & hæc utilitas, quod hoc modo uetus lectio conſeruatur, quam utinam haberemus non in Liuio ſolum ſed & Cicerone atq; alijs autoribus. Siquidem dici non poteſt ꝙ uarie ſint interpolata autorum omnium ſcripta. Sane multũ debemus Berardino Lanterio Mediolanenſi, atq; Franciſco Puteolano, & alijs, quibus ante illos hunc autorem pro uirili reſtituere ſtudio fuit. nam quia regius liber quem penes me habeo, uetuſti uoluminis cui ſunt illi manus admoliti, aut inniſi preſidio, exemplũ eſt, facile ſenſi, quid de ſuo addiderint, ubi ſudarint, ubi coniecturis ſint uſi. Et laboratũ quidem eſt ab illis ſtrenue. Nos ſi non laudem meremur, nec uero inſectatione digni ſumus, gratis ſtudioſorum commodis conſulentes.

IN LIBRVM VNDECIMVM CASTIGATIONES

NAM Valer. Aſiaticum.) Apparet hunc librũ eſſe ἀκέφαλον.

Inſigni magnificẽtia extollebat.) Scripſimus, excolebat, quemadmodum & æditio uetus habet, ab exemplari manu deſcripto diſſentiens.

Caueri uim atq; opes principibus infenſas.) Codex Budenſis hic notatus erat, ut aliâs compluribus locis raſus præſertim hoc undecimo libro, quẽ conatus fuit quidã ex uulgatis æditionibus caſtigare. Sed tamen eius uoluminis prior lectio ſic habebat, Caueri indeque opes principibus infenſas. Legerim ego, Cauendas opes principibus infenſas.

Præcipuum autorem Aſiat. interf. Cæſ. non extimuiſſe in contione pop. Ro. fateri.) in libro regis Coruini quẽ ex Budenſi bibliotheca dono Iacobi Spiegellij nactus ſum, neq; erat in concione ſed tantum concionem, neq; uerbum fateri illic comperi. Itaq; ſuſpicor ſynceriorem lectionem eſſe, præcipuum autorem Aſiaticum interficiendi Cæſaris non extimuiſſe concionem populi Romani gloriamque facinoris ultro petere.

Quos pecunia & ſtupro in omni flagitio obſtrictos arguebat.) Malim, in omne flagitium.

Ac poſtremũ mollitiã corporis obiectante.) Poſtremũ uſurpat aduerbialiter. Vt & libro primo. Perniciem alijs, ac poſtremum ſibi inuenere.

Valerij & Poppeæ congreſſibus.) In uolumine Budenſi ſcriptum eſt in Neſtoris & Poppeæ congr. Hinc repoſui. Quod domum ſuam M. Neſtoris & Poppeæ congreſſibus præbuiſſent. Hiſtrio fuit M. Neſtor, intimus Meſſalinæ cuius ſæpe miniſterio abuſa eſt. proinde trucidata Meſſalina, inter eos qui illius ſæuitię ac libidini inſeruierant M. Neſtor quoq; eſt interfectus. Id quod in huius libri fine commemorat Tacitus, quanquam in uulgatis æditionibus eo loco Mneſter legitur pro M. Neſtor, quemadmodum illic admonebimus. Hic eſt ille M. Neſtor cuius Seneca mentionem facit in ludicro libello de morte Claudij Cæſaris, quem nos ſcholijs olim expoſuimus, pro noſter Pantomimus, Neſtor Pantomimus reponentes. Eum locum infra citabimus.

M. Neſtor

Neſtor Pantomimus

Grauitatẽ

Grauitatem annonæ dixiſſet.) Vel prædixiſſet, uel ſignificari dixiſſet.

Ne fidem quidem integram manere.) Quum coniunctio quidẽ non ſit in exemplari ſcripto, maluimus legere, Nec fidem integram manere. Nam hanc particulam etiam in ſequentibus ſæpe reperi inſultam a caſtigatoribus.

Ad ſumma prouectorũ.) Codex Budenſis habet, ad ſumma prouectos, & eſt non abſurda lectio, ſi quis recte diſtinguat, nempe hoc modo. Meminiſſent T. Galbę, C. Aſinij, & Meſſalę, ac recẽtiorũ Aruntij & Eſſernini. Ad ſumma prouectos, incorrupta uita & facundia. Subauditur uerbũ eſſe. Nã illud, ad ſumma prouectorũ, plane durius eſt. Paulo poſt is codex habet, Quẽ illũ tãta ſuperbia eſſe.

Nihil à quoquam expeti, niſi cuius fructus ante præuidetur.) Illic manifeſte legitur, prouiderit. Et quid erat opus hoc mutare? Subauditur aũt quiſquã aut ipſe.

Cogitaret plebem qua toga eniteſceret.) Diu cum hoc loco ſumus luctati, nihil nos adiuuante codice ſcripto. Deprehendimus tandẽ pro cogitaret legendum cogitare, & qua non pronomen hic eſſe, ſed aduerbiũ pro quatenus. Itaq; circumflexum accentũ ſuperimpoſuimus, ne ſe lector hic torqueat. Cogitare plebẽ, quâ toga eniteſceret. Senſus eſt, Cogitare plebeios quo pacto ſeſe altioribus ordinib. inſerant, atq; in ſenatum allegantur.

Ignarumq; & exterritum Gotarzem perturbat.) Caſtigauimus, proturbat.

Nec enim reſtitere Armenij.) Scripti codicis lectio, reſiſtere, id eſt reſiſtebant. Paulopoſt pro patefecit repoſuimus, patefecerat.

Potiorq; Bardanes uiſus retinendo regno.) Illic non eſt adnexa particula que. Et quid erat opus addere, quũ breuitati Cornelianę magis conueniat eam abeſſe.

Exin ualidiſſimas præfecturas inuaſit.) Hic locus meo iudicio recte fuit caſtigatus, quum in ſcripto uolumine legatur inuiſit, ſed perperam.

Et recuperare Armeniam parabat, ni Vibio Marſo.) Hic uerbum parabat eſt inſultum poſtea, nam Tacitus ſcripſit. Et recuperare Armeniam, ni Vibio M. ſ. l. b. m. c. foret, id eſt recuperabat. Teſtatur id codex Budenſis.

Ad flumen Gynden.) Illic, ad flumen Sinden.

Longinquam quanque aſpernabantur.) Particulam quanq; errore librarij repetitam induximus.

Nec enim cuiquam ante Arſacidarum tributa illis de gentibus parata.) Docuit regius liber coniunctione enim expuncta pro parata ſcribendũ parta, ſententiamq; legendã abſq; parentheſi, hoc modo, quibus opes ſuas teſtabatur, nec cuiq; ante Arſacidarum tributa illis de gentibus parta, regreditur. Quanquã nihil mali ſit, ſi clauſula parentheſi includatur.

Fallere pro latere

Et nonnulla fallendi ſpe.) Hoc eſt latendi, ne res uidelicet deprehenderetur. Nam fallere pro latere ſæpe reperias apud hunc ſcriptorẽ, quæ eſt eleganiíſsima uerbi huius ſignificatio. Libro. 13. Quæ mutatio neq; Neronem fefellit. Libro. 18. Non fallebat duces impetus militum, hoc eſt non latebat.

Egreſſibus adhæreſcere.) Sic libro. 15. de Nerone. Cuius ne modicos quidem egreſſus tolerarent.

Simbruini colles

Sub imbruinis collibus.) Scribit Tacitus libro. 14. Neronis apud Simbruina ſtagna diſcumbentis ictas fulgure dapes menſamq; fuiſſe diſiectam. Quare ſcripſimus hoc loco, fontes Simbruinis collib. deductos, hoc ẽ à Simbruinis collibus.

Et formæ literis Latinis.) Antiquior lectio. Et forma literis Latinis.

Eodẽ anno Cheruſcorum gens regem Romæ petiuit.) Malim, Roma petiuit. Nam ſic ſcribit libro decimotertio. Barbaros malle Roma petere reges q̃ habere.

Iamq; apud proximos, iam longius clareſcere.) Melius illic, Iamq; apud proximos longius clareſcere.

Supra cunctos extollatur.) Caſtigauimus, attollatur. Item hoſtili in loco, hoſtili in

ſtili in ſolo. Rurſum, poſſet extimeſci, poſſe extimeſci.

Auxiliaris & diu meritus.) Budenſis codex habet, ex diu meritis.

Cæteras naues.) Emendauimus, cæteras nauium. Sic enim ſubinde Tacitus loquitur per genitiuum, ut quoſdam militum, cunctis ciuium, reſiduis nobilium, pro quoſdam milites, cunctis ciuibus, reſiduis nobilibus. Et ſic de ſimilibus.

Quæ munia & incertũ an falſo iacta uel aucta.) Pro munia ſcripſimus nimia, & clauſulam uel aucta deleuimus. Infra ex perlocutus, fecimus prolocutus.

In agro Machiaco.) Puto Mattiacos eum innuere, qui tametſi alteram Rheni ripam incolerent, tamen Prouinciales erant, & Romanis parebant. Mox, & fodere riuos. Forte melius, effodere riuos.

Videtur mihi ex ſe natus Videtur mihi ex ſenatu.) Reſtituimus hunc locum è libro Budenſi. Videtur mihi ex ſe natus. Hoc autem dixit Claudius hominis uirtutes commendans. Ex uirtute enim quiſq; æſtimari debet, quę ſui cultores regenerat. Mox adipiſcerentur, pro adipiſcentur.

Qui Capitolio & ara Romana manibus eorundem proſtratis.) Hic locus difficilis eſt & à nemine hactenus intellectus. Regium exemplar habet, manibus eorundem per ſe ſatis. Puto germanam eſſe Taciti lectionem, ſi quis pro per ſe ſatis *Manes* aut proſtratis, ſcribat, parceretis. Eſt autẽ manibus hic datiuus à manes ium, pro animis defunctorum. quomodo non uno loco Tacitus uſurpat libro. 13. Infernos Sillanorum manes inuocare. Libro. 20. Damnatuſq; Publius, & Sorani manibus ſatisfactum. In uita Iulij Agricolæ. Si quis piorũ manibus locus. Atq; hæc dictio non intellecta hoc loco, occaſionẽ errori caſtigatoribus dedit. Præterea ſciendum hic apoſiopeſin eſſe, qui Capitolio & ara Romana, ſubaudiend. potiti ſunt. Nunc pronuncia quæſitiue ſententiã, & erit lucidiſsima. Quid ſi memoria eorũ inorietur, qui Capitolio & ara Romana? manibus eorundem parceretis?

Multo gaudio Cæſaris inibantur.) Cenſoris habet manifeſte uolumẽ Budenſe. Intelligitur autem Claudius Cæſar. De quo narrationem iſtam auſpicans Tacitus ſupra dixit, At Claudius matrimonij ſui ignarus, & munia cẽſoria uſurpãs. Et lib. proxime ſequẽti. Quod porrò honeſtius Cenſoriæ mẽtis leuamẽ, ꝙ aſſumere cõiugẽ proſperis dubijſq; ſociã? Loquitur de Claudio Agrippinã ducturo.

Summam adeptus Sed ne Silius ſumma adeptus.) Scripſimus quod illic habebatur, ſummã adeptus. Intelligitq; ſummã rerũ. Sic libro ſequenti, Summamq; R. P. agi obteſtans

Dum induſtria cubiculum principis occulit adulteros.) Corruptus locus eſt. Nec quicquam hic minus ſcribendũ quàm uocabulum induſtria. Exemplar regium hic crucicula notatũ erat, & uarijs lituris raſuriſq; fœdatum. Videtur tamen antiquior lectio fuiſſe: dum incluſum in cubiculũ principis exultat: & poſtea quidam inſeruit cum præpoſitionẽ & ſuperinſcripſit, adultero, idq; ceu uidetur propter exultandi uerbum. Opinor ſynceram eſſe lectionem, Dum incluſum, cubiculum principis occultat, dedecus quidem illatum, ſed. Mox, propinquoq; conſulatu, repoſuimus, ac propinquo conſ. Item acriorib. cõſilijs pro acribus, paulo poſt.

Perſtitit Narciſſus, & ſolum id immutans.) Et particulam expunximus.

Cis Vectium Plancium.) Illic eſt ſemper Plautius.

Paratus Et cæteros fortunæ apparatus.) Scripſimus, paratus. quod uerbũ uſurpat ſæpe Tacitus. Vt ſupra, Serui, liberti, paratus principis apud adulterum uiſebãtur. Libro tertio, Ventris & ganeę paratus aſſiduis ſermonibus uulgati. Libro quinto. Et columen partiũ Abdageſes gazam & paratus regios adijcit. Item libro. 15. Parthi omiſſo paratu inuadendæ Syriæ. Libro. 17. Studia militum iampridem ſpe ſucceſsionis, aut paratu facinoris affectauerat. Lib. 18. Igitur nauiũ, militum, armorũ paratu ſtrepere prouincię. Eodem libro. Ita Vitellij paratus noſcebãtur.

Primumq; rei frumentariæ præfectum Turranum.) Scripſimus, Turanium.

Adulto

Adulto autũno · *Adulta hyeme*

Adulto autumno.) Hoc eſt, medio iam autumno. Sic libro ſecundo. Sed ęſtate iam adulta, legionũ aliç itinere terreſtri in hybernacula remiſſę. Annus in quatuor digeritur ſpecies. Prima cuiuſq; pars noua uocatur aut uiridis, id eſt immatura: ſecunda, adulta: tertia, pręceps. Sic Marcellinus adulta hyeme dixit libro 20. Adulta hyeme dux, inquit, antedictus Bononiam uenit. Tacitus rurſum libro 17. ſeditionem incipientem, uocat necdum adultam. Item lib. 19. dixit adultã noctem. Donec, inquit, adulta nocte, luna ſurgens oſtenderet acies, falleretq;. Rurſum lib. 21. dixit, Parthis nondum adultis. Pro eo quod eſt, qui nondum inualuerãt. Quo ſenſu libro tertio dixit, præualida & adulta uitia.

Simulachrum uindemiæ per domum celebrat.) Scripſimus celebrabat.

Fertur imperſonaliter

Ferunt Vectium Valentem.) Deprehendimus in codice Budenſi ſcriptum, fertur. Id accipiendum imperſonaliter. Et bene habet lectio.

Lucullianos in hortos.) Miror quod illic hoc loco reperi, Fultianos in hortos. Sed & paulo poſt, Lucullianis in hortis, illic rurſum ſcriptum, Lucianis. In libello de regionibus urbis Romæ, fit mentio hortorum Lucullianorum regione nona.

Diſsimulando metu.) Non me fugit hoc Latine eleganterq; dici pro diſsimulando metui, ſiue ob metũ diſsimulandum. Sed tamen in exemplari ſcripto manifeſte legebatur, diſſimulando metum.

Eximere conſilium · *Eximere diſsimulationem*

Quanquam res aduerſæ conſilium adimerent.) Illic eſt eximerent. Nec improbanda lectio. Nam eximere cõſilium eſt ueluti differre. Sed & eximitur, quod adimitur. Sic libro decimotertio. Quia diſſimulationẽ nox & laſciuia exemerat.

Largus Cæcina.) Illic Largius Cęcina. Paulo poſt. Et ad minas prorumpentẽ, lectio codicis ſcripti habet erumpentem.

Titium Proculũ cuſtodem Silio ac Meſſalinæ dat.) Suſpicor ſcribendũ, datũ.

Vectium Valentem & confeſſum.) Particulã & expunximus. Mox ex conſcijs tradi. Malim trahi.

M. Neſtor

Solus Mneſter.) Caſtigauimus, ſolus M. Neſtor. In ludicro libello de morte Claudij Cæſaris meminit huius Neſtoris Seneca catalogum interfectorũ à Claudio recenſens. Medius, inquit, erat in hac canentium Neſtor Pantomimus, quem Claudius decoris cauſa minorem fecerat. Sic enim illic ſcripſimus, quum ante legeretur, noſter Pantomimus. Apparet autem ei caput amputatum fuiſſe, & longa ſtatura præditum. Tacitus hiſtrionem uocat, Seneca Pantomimum. Meminit eius & Sueto. in uita Caligulę. Tacito quoq; & nobis pauloante eſt memoratus.

Sponte an coactus tam magne peccauiſſet.) Repoſuimus è uolumine Budenſi, tam magna peccauiſſet.

Verterat pernicies in accuſatorem

Verterat perniciem in accuſatorẽ.) Caſtigauimus, Verterat pernicies. Nam autores uerbum uertit abſolute nonnunquam & tamen quaſi in paſſiua ſignificatione ſoliti ſunt uſurpare. Sic ſupra. Seu forte lapſa uox in præſagiũ uertit. Libro ſecundo. Aſtuſq; hoſtium in perniciem ipſis uertebat. Libro quarto. Quod aſpere acceptũ ad præſens, mox in laudem uertit. Eodem libro paulopoſt. Nam quæ ſaxo ſtruũtur, ſi iudiciũ poſterorum in odium uertit, pro ſepulchris ſpernuntur. Libro quinto. Adeo facinora atq; flagitia ſua ipſi quoq; in ſuppliciũ uerterant.

Vbi uino incaluit.) Scripſimus, incaluiſſet. Et paulopoſt, raptim in hortos progreſſus. Item, iugulo ac pectori. Et infra, priuatis ac publicis locis.

Leuiſſimum faſtigij eius.) Conijcio legendum, lætiſsimo faſtigij eius, & pro flagitijs multis, flagitijs inultis, ſiue uitijs inultis. Nam exemplar regium habet triſtitijs inultis.

FINIS

P. CORNELII TACITI AB EXCESSV DIVI AVGVSTI ANNALIVM LIBER VNDECIMVS.

Valer. Aſiaticus

NAM Valerium Aſiaticum bis conſulem, fuiſſe quondam adulterum eius credidit: pariterq́; hortis inhians quos ille à Lucullo cœptos inſigni magnificentia excolebat, Suillium accuſandis utriſq; immittit. Adiungitur Soſibius Britannici educator, qui per ſpeciem beniuolentię moneret Claudium, caueri uim atq; opes principibus infenſas: præcipuum auctorem Aſiaticum interficiendi Cęſaris nó extimuiſſe in concione populi Romani fateri, gloriamq́; facinoris ultro petere. clarũ ex eo in urbe, dedita per prouincias ſama, parare iter ad Germanicos exercitus, quando genitus Viennæ multisq́; & ualidis propinquitatibus ſubnixus, turbare gentiles nationes promptũ haberet. At Claudius nihil ultra ſcrutatus, citis cum militibus tanquam opprimendo bello, Criſpinum prætorij præfectum miſit: à quo repertus eſt apud Baias, uinclisq́; inditis in urbem raptus, neq; data ſenatus copia, intra cubiculũ auditur, Meſſalina coram, & Suillio corruptionem militum quos pecunia & ſtupro in omni flagitio obſtrictos arguebat, exin adulterium Poppeæ, ac poſtremum mollitiam corporis obiectante. Ad quod uicto ſilentio prorupit reus, & interroga, inquit, Suilli filios tuos, uirum me eſſe fatebuntur: ingreſſusq́; defenſionem, commoto maiorem in modũ Claudio, Meſſalinæ quoq; lachrymas exciuit: quibus abluendis cubiculo egrediens, monet Vitellium ne elabi reum ſineret. Ipſa ad perniciem Poppeæ feſtinat, ſubditis qui terrore carceris ad uoluntariam mortem propellerent, adeo ignaro Cæſare, ut paucos poſt dies epulantem apud ſe maritum eius Scipionem percũctaretur, cur ſine uxore diſcubuiſſet: atq; ille functam fato reſponderet. Sed cõſultanti ſuper abſolutione Aſiatici, flens Vitellius commemorata uetuſtate amicitiæ, utq́; Antoniam principis matrem pariter obſeruaſſent, dein percurſis Aſiatici in Remp. beneficijs, recentiq́; aduerſus Britanniam militia, quæq́; alia conciliandæ miſericordiæ uidebantur, liberum ei mortis arbitriũ permiſit: & ſecuta ſunt Claudij uerba in eandem clementiã. Hortantibus dehinc quibuſdam inediam & lenem exitum, remittere beneficium Aſiaticus ait: & uſurpatis quibus inſueuerat exercitationibus, lauto corpore, hilare epulatus, cum ſe honeſtius calliditate Tiberij, uel impetu C. Cæſaris periturum dixiſſet, quàm quod fraude muliebri & impudico Vitellij ore caderet, uenas exoluit, uiſo tamen ante rogo, iuſſoq́; transferri partem in aliam, ne opacitas arborum uapore ignis minueretur: tantum illi ſecuritatis nouiſſimæ

Criſpinus

Meſſalina

Suillius

Poppeæ uoluntaria mors

Vitellius hic omnia poterat apud Claudium

Tiberij calliditas

C. Caligulæ impetus

Valer. Aſiati. uenas exoluit

nouiſſimę fuit. Vocantur poſt hæc patres,pergitq; Suillius addere reos *Suillius calumniator ſub Claudio*
equites Romanos illuſtres, quibus Petra cognomentum: At cauſa necis,
quod domũ ſuam M.Neſtoris & Poppeæ congreſſibus præbuiſſent. Ve- *Petræ eq.Ro.*
rum nocturnæ quietis ſpecies alteri obiecta,tanquam uidiſſet Claudium *M.Neſtor*
ſpicea corona euinctum, ſpicis retro conuerſis,eaq; imagine grauitatẽ an-
nonæ dixiſſet. Quidam pampineam coronã albentibus folijs uiſam, atq;
ita interpretatum tradidere,uergente autumno mortem principis oſtendi.
Illud haud ambigitur,qualicũq; inſomnio ipſi fratriq; perniciem allatam.
Seſtertium quindecies & inſignia præturæ Criſpino decreta. Adiecit Vi-
tellius ſeſtertium decies Soſibio,quod Britannicum præceptis,Claudium
conſilijs iuuaret.Rogatus ſententiã & Scipio,cũ idem, inquit, de admiſſis
Poppeæ ſentiã quod omnes,putate me idem dicere quod omnes:eleganti
temperamento inter coniugalem amorẽ & ſenatoriam neceſſitatẽ. Con-
tinuus inde & ſæuus accuſandis reis Suillius,multiq; audaciæ eius æmuli. *Suillius*
Nam cuncta legum & magiſtratuum munia in ſe trahens princeps, mate-
riam prædandi patefecerat.nec quicquam publicæ mercis tam uenale fuit,
quàm aduocatorum perfidia: adeo ut Samius inſignis eques Romanus *Samius eq. R.*
quadringentis nummorum millibus Suillio datis, & cognita præuaricati-
one,ferro in domo eius incubuerit.Igitur incipiente C. Silio conſule deſi- *C.Silius*
gnato,cuius de potentia & exitio in tempore memorabo, conſurgunt pa-
tres,legemq; Titiam flagitant,qua cauetur antiquitus, ne quis ob cauſam *Titia lex*
orandam pecuniã donúmue accipiat. Deinde obſtrepentibus his quibus
ea contumelia parabatur, diſcors Suillio Silius acriter incubuit, ueterum «
oratorum exempla referens, qui famam in poſteros præmia eloquentiæ «
cogitauiſſent pulcherrima: alioquin & bonarum artium principem ſordi- «
dis miniſterijs fœdari:nec fidẽ integrã manere,ubi magnitudo quęſtuum «
ſpectetur:quod ſi in nullius mercedẽ negocia tueãtur, pauciora fore: nunc «
inimicitias,accuſationes,odia,& iniurias foueri,ut quomodo uis morborũ «
precia medentibus, ſic fori tabes pecuniam aduocatis ferat. meminiſſent «
T.Galbæ,C. Aſinij,& Meſſalæ, ac recentiorũ Aruntij & Eſernini ad ſum- «
ma prouectorum,incorrupta uita & facundia. Talia dicente conſule de- «
ſignato,conſentientibus alijs parabatur ſententia,qua lege repetundarum
tenerentur,cum Suillius,& Coſſutianus,& cæteri qui non iudicium, quip-
pe in manifeſtos,ſed pœnam ſtatui uidebãt,circumſiſtunt Cæſarem, ante
acta deprecantes.Et poſtquã annuit tacens,incipiunt: Quem ullum tanta «
ſuperbia eſſe,ut æternitatem famæ ſpe præſumat?uſui & rebus ſubſidium «
præparari,ne quis inopia aduocatorum potentioribus obnoxius ſit: neq; «
tamen eloquentiam gratuito contingere,omitti curas familiares,ut quis ſe «
alienis negotijs intendat. multos militia, quoſdam exercendo agros tole- «
rare uitam.Nihil à quoquam expeti,niſi cuius fructus ante prouiderit.Fa- «
cile Aſinium,& Meſſalam,inter Antonium & Auguſtum bellorũ premijs «

" refertos,aut ditium familiarum hæredes Eſerninos & Aruntios magnum
" animum induiſſe: prompta ſibi exempla quantis mercedibus P.Clodius
" aut C. Curio concionari ſoliti ſint:ſe modicos ſenatores, qui à Rep. nulla
" niſi pacis emolumenta peterent:cogitare plebẽ, quâ toga eniteſceret: ſublatis ſtudiorum pretijs,etiam ſtudia peritura,ut minus decora. Hæc ita haud fruſtra dicta princeps ratus, capiendis pecunijs poſuit modũ, uſq; ad dena ſeſtertia,quæ egreſſi repetundarum tenerentur. Sub idem tempus Mithridates quem imperitaſſe Armenijs, & ad præſentiam Cæſaris uectum memoraui,monente Claudio in regnũ remeauit,fiſus Pharaſmanis opibus.Is rex Hyberis,idemq; Mithridatis frater, nunciabat diſcordare Parthos,ſummaq; imperij ambigua,minora ſine cura haberi. Nam inter Gotarzis pleraq; ſæua (qui necem fratri Artabano, coniugiq; ac filio eius præparauerat,unde metus eius in cæteros)acciuere Bardanem.Ille ut erat magnis auſis promptus,biduo tria milia ſtadiorũ inuadit,ignarumq; & exterritum Gotarzem proturbat:neq; cunctatur quin proximas præfecturas corripiat, ſolis Seleucenſibus dominationem eius abnuentibus.In quos ut patris ſui quoq; defectores ira magis quàm ex uſu præſenti accenſus,implicatur obſidione urbis ualidæ, & munimentis obiecti amnis muroq; & cõmeatibus firmatæ. Interim Gotarzes Daharũ Hyrcanorumq; opibus auctus bellum renouat, coactusq; Bardanes omittere Seleuciam, Bactrianos apud campos caſtra contulit.Tunc diſtractis orientis uiribus, & quonam inclinarent incertis, caſus Mithridati datus eſt occupandi Armeniam ui militis Romani ad excidenda caſtellorum ardua,ſimul Hybero exercitu campos perſultante.Nec enim reſiſtere Armenij,fuſo qui prælium auſus erat Demonacte præfecto. Paululum conctationis attulit rex minoris Armeniæ Cotys,uerſis illuc quibuſdam procerum, deinde literis Cæſaris coërcitus:& cuncta in Mithridatẽ fluxere, atrociorem quàm nouo regno conduceret. At Parthi imperatores cum pugnam pararent, fœdus repente iaciunt,cognitis popularium inſidijs,quas Gotarzes fratri patefecerat:cõgreſſiq;,primo cunctanter,deinde complexi dextras, apud altaria deûm pepigere,fraudem inimicorum ulciſci,atq; ipſi inter ſe concedere.Potior Bardanes uiſus retinendo regno. At Gotarzes ne quid æmulationis exiſteret penitus in Hyrcaniam abijt,regreſſoq; Bardane deditur Seleucia ſeptimo poſt defectionem anno,non ſine dedecore Parthorũ,quos una ciuitas tamdiu eluſerat.Exin ualidiſſimas præfecturas inuaſit. & recuperare Armeniam,ni Vibio Marſo Syriæ legato bellum minitante cohibitus foret.Atq; interim Gotarzes pœnitentia conceſſi regni,& reuocante nobilitate,cui in pace durius ſeruitium eſt,contrahit copias. & huic contraitum ad amnem Erindem,in cuius tranſgreſſu multũ certato,peruicit Bardanes, proſperiſq; prælijs medias nationes ſubegit ad flumen Ginden, quod Dahas Arioſq; diſterminat. Ibi modus rebus ſecũdis poſitus.nam

Mithridates in regnũ redit

Pharaſmanes

Gotarzes

Artabanus

Bardanes

Dahæ

Hyrcani

Parthi quanquam uictores,longinquam militiam aſpernabantur. Igitur extructis munimentis,quibus opes ſuas teſtabatur,nec cuiquam ante Arſacidarum tributa illis de gẽtibus parata,regreditur,ingens gloria, atq; eo ferocior, & ſubiectis intolerantior. Qui dolo ante compoſito, incautum uenationiq́; intentum interfecere primam intra iuuentam, ſed claritudine paucos inter ſenum regum,ſi perinde amorem inter populares,quàm metum apud hoſtes quæſiuiſſet. Nece Bardanis turbatæ Parthorum res inter ambiguos quis in regno acciperetur. Multi ad Gotarzen inclinabant, quidam ad Meherdatem prolem Phrahatis obſidio nobis datum. Deinde præualuit Gotarzes,potitusq́; regia, per ſæuitiam ac luxũ adegit Parthos mittere ad principem Romanum occultas preces, quis permitti Meherdatem patrium ad faſtigium orabant. Iiſdem conſulibus ludi ſeculares octingenteſimo poſt Romam conditã, quarto & ſexageſimo quàm Auguſtus ædiderat ſpectati ſunt. Vtriuſq; principis rationes prętermitto, ſatis narratas libris quibus res imperatoris Domitiani compoſui. nam is quoq; edidit ludos ſeculares. ijsq́; intentius affui ſacerdotio Quindecimuirali præditus, ac tum prætor. quod non iactantia refero,ſed quia collegio quindecimuirûm antiquitus ea cura:& magiſtratus potiſſimum exequebãtur officia cærimoniarũ. Sedente Claudio Circenſibus ludis,cum pueri nobiles equis ludicrum Troiæ inirent, interq́; eos Britannicus imperatore genitus,& L. Domitius adoptione mox in imperium & cognomentum Neronis adſcitus, fauor plebis acrior in Domitium loco præſagij acceptus eſt, uulgabaturq́; affuiſſe infantiæ eius dracones in modum cuſtodum,fabuloſa & externis miraculis aſſimulata. nam ipſe haud quaquam ſui detractor, unã omnino anguem in cubiculo uiſam narrare ſolitus eſt. Verum inclinatio populi ſupererat ex memoria Germanici, cuius illa reliqua ſoboles uirilis: & matri Agrippinæ miſeratio augebatur ob ſæuitiam Meſſalinæ,quæ ſemper infeſta,& tunc commotior,quo minus ſtrueret crimina & accuſatores,nouo & furori proximo amore diſtinebatur. Nam in C.Silium iuuentutis Romanæ pulcherrimum ita exarſerat,ut Iuliam Syllanam nobilem fœminam, matrimonio eius exturbaret,uacuoq́; adultero potiretur.Neq; Silius flagitij aut periculi neſcius erat,ſed certo ſi abnueret exitio,& nonnulla fallendi ſpe,ſimul magnis præmijs opperiri futura, & præſentibus frui pro ſolatio habebat.Illa non furtim,ſed multo comitatu uentitare domum,egreſſibus adhæreſcere,largiri opes,honores:poſtremo uelut translata iam fortuna,ſerui,liberti, paratus principis apud adulterum uiſebantur. At Claudius matrimonij ſui ignarus,& munia cenſoria uſurpans,theatralem populi laſciuiã ſeueris edictis increpuit, quod in P. Pomponiũ conſularem,is carmina ſcenæ dabat, inq́; fœminas illuſtres probra iecerat. Et lege lata,ſæuitiam creditorum coercuit,ne in morte parentum pecunias filijs familiarum fœnori darent. Fontesq́; aquarũ Sim

Bardanes occiditur

Ludi ſeculares

Volumina Taciti de rebus Domitiani Imperatoris

Tacitus ſacerdotiũ quindecimuirale geſſit,& præturam,ſub Domitiano

Britannicus Cl. Imp. f.

L. Domitius Nero

Meſſalinæ adulteriũ cum C.Silio

Claudius munia cenſoria uſurpans

Simbruini colles
Nouæ literarum formæ, per Cl. Cæſ.
Græca literatura
Aegyptij
ἱερογλυφικά
Phœnices
Cadmus
Cecrops
Linus
Palamedes
Demaratus
Euander
Aruſpices
Ethruſci
Cheruſci
Italus

bruinis collibus deductos urbi intulit. Ac nouas literarum formas addidit uulgauitq́;, comperto quoq; Græcam literaturam non ſimul cœptam abſolutamq́;. Primi per figuras animalium Ægyptij ſenſus mentis effingebant, & antiquiſſima monimenta memoriæ humanæ impreſſa ſaxis cernuntur, & literarum ſemet inuentores perhibent. Inde Phœnicas quia mari præpollebant intuliſſe Græciæ, gloriamq́; adeptos, tanquam repererint quæ acceperant. Quippe fama eſt Cadmum claſſe Phœnicum uectum rudibus adhuc Græcorum populis artis eius auctorem fuiſſe. Quidam Cecropem Athenienſem, uel Linum Thebanũ, & temporibus Troianis Palamedem Argiuum memorant, ſexdecim literarum formas, mox alios ac præcipuũ Simonidem cæteras reperiſſe. At in Italia Etruſci ab Corinthio Demarato, Aborigines Arcade ab Euandro didicerũt. Et formæ literis Latinis, quæ ueterrimis Græcorum. Sed nobis quoq; paucæ primum fuere, deinde additæ ſunt. Quo exemplo Claudius tres literas adiecit, quæ uſui, imperitante eo, poſt obliteratæ, aſpiciuntur etiam nunc in ære publicandis plebiſcitis per fora ac templa fixo. Rettulit deinde ad ſenatũ ſuper collegio aruſpicum, ne uetuſtiſſima Italiæ diſciplina per deſidiam exoleſceret: ſæpe aduerſis Reip. temporibus accitis, quorum monitu redintegratas cærimonias & in poſterum rectius habitas: primoresq́; Ethruriæ ſponte aut patrum Romanorũ impulſu retinuiſſe ſcientiã, & in familias propagaſſe: quod nunc ſegnius fieri publica circa bonas artes ſocordia, & quia externæ ſuperſtitiones inualeſcant: & læta quidem in præſens omnia, ſed benignitati deûm gratiam referendam, ne ritus ſacrorum inter ambigua culti, per proſpera obliterarentur. Factum ex eo ſenatuſconſultũ: uiderent pontifices, quæ retinenda firmandaq́; aruſpicum. Eodem anno Cheruſcorum gens regẽ Romæ petiuit, amiſſis per interna bella nobilibus, & uno reliquo ſtirpis regiæ, qui apud urbẽ habebatur, nomine Italus. Paternum huic genus è Flauio fratre Arminij. Mater ex Catumero principe Cattorum erat. ipſe forma decorus & armis equisq́; in patrium noſtrumq; morem exercitus. Igitur Cæſar, auctum pecunia, additis ſtipatoribus, hortatur gentile decus magno animo capeſſere. Illum primũ Romæ ortum, nec obſidem, ſed ciuem, ire externum ad imperiũ. Ac primo lætus Germanis aduentus, atq; eo magis, quod nullis diſcordijs imbutus pari in omnes ſtudio ageret: celebrari, coli, modo comitatem & temperantiam nulli inuiſam, ſæpius uinolentiam ac libidines grata barbaris uſurpans. Iamq́; apud proximos longius clareſcere, cum potentiã eius ſuſpectantes qui factionibus floruerant, diſcedunt ad conterminos populos, ac teſtificantur, adimi ueterem Germaniæ libertatẽ, & Romanas opes inſurgere: adeo neminẽ iiſdem in terris ortum qui principis locum impleat, niſi exploratoris Flauij progenies ſupra cunctos attollatur? Fruſtra Arminium præſcribi: cuius ſi filius hoſtili in ſolo adultus, in regnũ ueniſſet, poſſe extimeſci, infectũ alimonia,

ſeruitio

ſeruitio,cultu,omnibus externis.at ſi paterna Italo mens eſſet, non alium
infenſius arma contra patriam ac deos penates,quàm parentes eius exer/
cuiſſe.His atq; talibus magnas copias coëgere.Nec pauciores Italū ſeque/
bantur.non enim irrupiſſe ad inuitos, ſed accitum memorabant. quando
nobilitate cæteros anteiret, uirtutē experirentur,an dignum ſe patruo Ar/
minio,auo Catumero præberet.nec patrem illi rubori eſſe, quod fidē ad/ *Arminius*
uerſus Romanos,uolentibus Germanis ſumptam nunquam omiſiſſet.fal/
ſo libertatis uocabulū obtendi ab ijs qui priuatim degeneres, in publicum
exitioſi,nihil ſpei,niſi per diſcordias habeāt. Adſtrepebat huic alacre uul/
gus: & magno inter Barbaros prælio uictor rex, dehinc ſecunda fortuna
ad ſuperbiam prolapſus,pulſusq́;,ac rurſus Langobardorum opibus refe *Langobardi*
ctus,per læta per aduerſa res Cheruſcas afflictabat. Per idem tempus
Chauci nulla diſſenſione domi,& morte Sanquinij alacres, dum Corbu/
lo aduentat,inferiorem Germaniam incurſauere, duce Gannaſco,qui na/ *Chauci Ger/*
tione Caninefas auxiliaris & diu meritus,poſt transfuga,leuibus nauigijs *maniā inferio*
prædabundus,Gallorum maxime oram uaſtabat, nō ignarus dites & im/ *rem incurſant*
belles eſſe.At Corbulo prouinciā ingreſſus,magna cum cura & mox glo/ *Gānaſcus Ca/*
ria,cui principiū illa militia fuit, triremes alueo Rheni, cæteras nauium,ut *ninefās*
quæq; habiles, per æſtuaria & foſſas adegit: lintribusq́; hoſtiū depreſſis *Corbulo*
& exturbato Gannaſco,ubi præſentia ſatis compoſita ſunt, legiones ope/
rum & laboris ignaras,populationibus lætantes,ueterem ad morem redu
xit,ne quis agmine decederet,nec pugnam niſi iuſſus iniret.ſtationes,uigi/
liæ,diurna nocturnaq́; munia in armis agitabantur. Feruntq́; militē quia
uallum nō accinctus, atq; alium quia pugione tantum accinctus foderet,
morte punitos.quæ nimia & incertum an falſo iacta,originem tamen è ſe/
ueritate ducis traxere. intentumq́; & magnis delictis inexorabilem ſcias,
cui tantum aſperitatis etiam aduerſus leuia credebatur.Cæterum is terror
milites hoſtesq́; in diuerſum affecit.nos uirtutem auximus,Barbari feroci
am infregere. Et natio Friſiorum per rebellionem clade L. Apronij cep/ *Friſij*
tam infenſa,aut male fida,datis obſidibus conſedit apud agros à Corbu/
lone deſcriptos. Idem ſenatū,magiſtratus,leges impoſuit.Ac ne iuſſa exu/
erent,præſidiū inde muniuit,miſſis qui maiores Chaucos ad deditionem *Chauci ma/*
pellicerēt,ſimul Gannaſcum dolo aggrederētur. Nec irritæ aut degeneres *iores*
inſidiæ fuere aduerſus transfugam & uiolatorem fidei.Sed cæde eius mo/
tæ Chaucorum mentes,& Corbulo ſemina rebellionis præbebat, ut læta
apud pleroſq;,ita apud quoſdam ſiniſtra fama,cur hoſtē conciret? aduer/
ſa in Rempublicā caſura:cum proſperè egiſſet,formidoloſum paci, uirum
inſignem,& ignauo principi prægrauē.Ideo Claudius adeo nouā in Ger/
manias uim prohibuit,ut referri præſidia cis Rhenū iuberet.Iam caſtra in
hoſtili ſolo molienti Corbuloni,hæ literæ reddūtur. Ille re ſubita quanq́;
multa ſimul offunderentur,metus ex imperatore, cōtemptio ex barbaris,

ludibrium apud ſocios,nihil aliud prolocutus,q̃ beatos quoſdã duces Ro
Foſſa inter Rhenũ & Moſam manos, ſignum receptui dedit. Ne tamen miles otium exueret,inter Mo/
ſam Rhenumq; trium & uiginti millium ſpacio foſſam produxit, qua in/
certa Oceani uetarentur.inſignia tamen triumphi indulſit Cæſar, quam/
Curtius Rufus Corbuloni ſucceſſor uis bellum negauiſſet. Nec multo poſt Curtius Rufus eundem hono/
rem adipiſcitur, qui in agro Mattiaco recluſerat ſpecus quærendis uenis
Mattiacus ager argenti:unde tenuis fructus,nec in longum fuit:at legionibus cum damno
labor,& fodere riuos,quæq; in aperto grauia,humũ infra moliri.quis ſub
actus miles,& quia plures per prouincias ſimilia tolerabantur, componit
occultas literas nomine exercituum precantium imperatorem, ut quibus
Curtij genus permiſſurus eſſet exercitus,triumphalia ante tribueret. De origine Curtij
Rufi quem gladiatore genitum quidã prodidere, neq; falſa prompſerim,
& uera exequi pudet.Poſtquã adoleuit, ſectator quæſtoris cui Africa ob/
tigerat,dum in oppido Adrumento uacuis per medium diei porticibus ſe/
cretus agitat,oblata ei ſpecies muliebris ultra modum humanum, & audi
ta eſt uox: Tu es Rufe, qui in hanc prouinciã pro conſule uenies.tali omi/
ne in ſpem ſublatus,digreſſusq; in urbem,& largitione amicorum, ſimul
acri ingenio,quæſturam,& mox nobiles inter candidatos præturam prin/
cipis ſuffragio aſſequitur, cum hiſce uerbis Tiberius dedecus nataliũ eius
uelauiſſet,Curtius Rufus uidetur mihi ex ſe natus.Longa poſt hæc ſene/
cta,& aduerſus ſuperiores triſti adulatione,arrogans minoribus, inter pa/
res difficilis,cõſulare imperium,triumphi inſignia,ac poſtremo Africã ob/
tinuit,atq; ibi defunctus fatale præſagiũ impleuit. Interea Romæ nul/
Gn.Nouius Eq.Ro. lis palàm neq; cognitis mox cauſis,Gn.Nouius eques Romanus,ferro ac/
cinctus reperitur in cœtu ſalutantium principem: nam poſtq̃ tormentis
dilaniabatur,de ſe Nouius conſcios non edidit,incertũ an occultans. Iiſ/
Spectaculum gladiatorium dem cõſulibus P. Dolabella cenſuit ſpectaculum gladiatorum per omnes
annos celebrandum pecunia eorum qui quæſturam adipiſcerentur.Apud
maiores uirtutis id præmium fuerat,cunctiſq; ciuium, ſi bonis artibus fi/
derent,licitum petere magiſtratus:ac ne ætas quidem diſtinguebatur,quin
Quæſtores prima iuuenta conſulatũ ac dictaturas inirent.Sed quæſtores regibus eti/
am tum imperantibus inſtituti ſunt,quod lex curiata oſtendit ab L. Bru/
to repetita.Manſitq; conſulibus poteſtas deligendi,donec eum quoq; ho
norem populus mandaret,creatiq; primum Valerius Poſthumius Æmy/
lius Mamercus LXIII anno poſt Tarquinios exactos, ut rem militarem
comitarentur.Dein gliſcentibus negotijs, duo additi qui Romæ curarent.
Mox duplicatus numerus,ſtipendiaria iam Italia,& accedẽtibus prouinci/
arum uectigalibus.Poſt lege Syllæ uiginti creati ſupplendo ſenatui,cui iu/
dicia tradiderat.& quanquã equites iudicia recuperauiſſent, quæſtura ta/
men ex dignitate candidatorum, aut facilitate tribuentium gratuito conce
debatur,donec ſententia Dolabellæ uelut uenundaretur. A.Vitellio L.

Vipſano

Vipſano cóſulibus,cum de ſupplendo ſenatu agitaretur, primoresq́; Gal/liæ quæ comata appellatur, fœdera & ciuitatem Romanam pridem aſſe/cuti,ius adipiſcendorum in urbe honorum expeterent, multus ea ſuper re uariusq́; rumor,& ſtudijs diuerſis apud principem certabatur, aſſeueran/tium,Non adeo ægram Italiam, ut ſenatum ſuppeditare urbi ſuæ nequi/ret: ſuffeciſſe olim indigenas conſanguineis populis, nec pœnitere ueteris Reip. Quin adhuc memorari exempla,quæ priſcis moribus ad uirtuté & gloriam Romana indoles prodiderit.An parum quod Veneti & Inſubres curiam irruperint,niſi cœtus alienigenarũ uelut captiuitas inferatur? quem ultra honorem reſiduis nobiliũ? aut ſi quis pauper è Latio ſenator foret? oppleturos omnia diuites illos, quorũ aui proauiq́; hoſtilium nationum duces exercitus noſtros ferro igniq́; ceciderint,diuum Iulium apud Alexi am obſederint.Recentia hæc,quid ſi memoria eorum inoriretur, qui Ca/pitolio & ara Romana manibus eorundem proſtratis.fruerentur ſanè uo/cabulo ciuitatis:inſignia patrum,decora magiſtratuũ ne uulgarent. His atq́; talibus haud permotus princeps,etiam ſtatim contra diſſeruit, & uo/cato ſenatu ita exorſus eſt. Maiores mei, quorum antiquiſſimus Clau/ſus origine Sabina,ſimul in ciuitatem Romanã & in familias patriciorum adſcitus eſt,hortantur uti paribus conſilijs Remp.capeſſam, transferendo huc quod uſquam egregiũ fuerit.Neq; enim ignoro Iulios Alba, Corun/canos Camerio, Porcios Tuſculo: & ne uetera ſcrutemur,Ethruria Luca/niaq́; & omni Italia in ſenatum accitos.Poſtremo ipſam ad Alpes promo tam,ut non modo ſinguli uiritim, ſed terræ gentesq́; in nomen noſtrum coaleſcerent.Tunc ſolida domi quies,& aduerſus externa floruimus, cum Tranſpadani in ciuitatem recepti, cum ſpecie deductarum per orbem ter/ræ legionum,additis prouincialium ualidiſſimis,feſſo imperio ſubuentum eſt. num pœnitet Balbos ex Hiſpania, nec minus inſignes uiros è Gallia Narbonenſi tranſiuiſſe? Manent poſteri eorum, nec amore in hanc patri/am nobis concedunt.Quid aliud exitio Lacedæmonijs & Athenienſibus fuit,quanquam armis pollerent,niſi quod uictos pro alienigenis arcebãt? At conditor noſtri Romulus tantum ſapientia ualuit,ut pleroſq; populos eodem die hoſtes,dein ciues habuerit. Aduenæ in nos regnauerũt.Liber/tinorum filijs magiſtratus mandati,nó ut pleriq; falluntur,recens, ſed pri/ori populo factitatum eſt.At cum Senonibus pugnauimus, ſcilicet Volſci & Equi nunquã aduerſam nobis aciem inſtruxere? Capti à Gallis ſumus, ſed & Tuſcis obſides dedimus,& Samnitum iugum ſubiuimus. Attamen ſi cuncta bella recenſeas, nullum breuiore ſpacio quàm aduerſus Gallos confectum.continua inde ac fida pax.Tam moribus,artibus, affinitatibus, noſtris mixti,aurum & opes ſuas inferant potius,quàm ſeparati habeant. Omnia P. C. quæ nunc uetuſtiſſima creduntur,noua fuere. plebei magi/ſtratus poſt patricios,Latini poſt plebeios, cæterarum Italiæ gentiũ poſt

Latinos

Gallia comata

An ius adipiſcendorum in urbe honorũ Celtis dandũ.

Vide Annotationes

" Latinos. Inueteraſcet hoc quoque. & quod hodie exemplis tuemur, inter exempla erit. Orationem principis ſecuto patrum conſulto, primi Edui ſenatorum in urbe ius adepti ſunt. datum id fœderi antiquo, & quia ſoli Gallorũ fraternitatis nomen cum populo Ro. uſurpant. Iiſdem diebus in numerum patriciorum aſciuit Cæſar uetuſtiſſimũ quemq; è ſenatu, aut quibus clari parentes fuerant, paucis iam reliquis familiarum quas Romulus maiorum, & L. Brutus minorum gentium appellauerant, exhauſtis etiam quas dictator Cęſar lege Caſſia, & princeps Auguſtus lege Senia ſublegere, Lætaq; hæc in R.P. munia, multo gaudio Cenſoris inibantur. Famoſos probris quo nam modo ſenatu depelleret anxius, mitem & recens repertam quandam ex ſeueritate priſca rationem adhibuit: monendo, ſecum quiſq; de ſe conſultaret, peteretq; ius exeundi ordinis. facilem eius rei ueniam. & motos ſenatu, & excuſatos ſimul propoſiturum: ut iudiciũ cenſorum ac pudor ſponte cedentium permixti, ignominiã mollirent. Ob ea Vipſanus conſul rettulit, patrem ſenatus appellandum eſſe Claudium. quippe promiſcuum patris patriæ cognomentum: noua in Remp. merita non uſitatis uocabulis honorãda. Sed ipſe cohibuit conſulem ut nimium aſſentantem. condiditq; luſtrum, quo cenſa ſunt ciuium LXVIIII centena & CXLIIII millia. Iſq; illi finis inſcitiæ erga domum ſuam fuit. haud multo poſt, flagitia uxoris noſcere ac punire adactus, ut deinde ardeſceret in nuptias inceſtas. Iam Meſſalina facilitate adulterorum in faſtidium uerſa, ad incognitas libidines profluebat, cum abrumpi diſſimulationẽ etiam Silius, ſiue fatali uæcordia, an imminentium periculorum remedium ipſa pericula ratus urgebat, quippe non eò uentum, ut ſenectam principis opperirentur. inſontibus, innoxia conſilia: flagitijs manifeſtis, ſubſidium ab audacia petendum. adeſſe conſcios paria metuentes: ſe celibem, orbum, nuptijs, & adoptando Britannico paratum. manſuram eandem Meſſalinæ potentiam, addita ſecuritate, ſi præuenirent Claudiũ, ut inſidijs incautum, ita iræ properum. Segniter hæ uoces acceptæ, non amore in maritum, ſed ne Silius ſummam adeptus, ſperneret adulterã, ſceluſq; inter ancipitia probatum, ueris mox pretijs æſtimaret. nomen tamen matrimonij concupiuit ob magnitudinem infamiæ, cuius apud prodigos nouiſſima uoluptas eſt. Nec ultra expectato, quàm dum ſacrificij gratia Claudius Hoſtiam proficiſceretur, cuncta nuptiarum ſolennia celebrat. Haud ſum ignarus fabuloſum uiſum iri, tantum ullis mortalium ſecuritatis fuiſſe in ciuitate omnium gnara & nihil reticente, nedum conſulem deſignatũ cum uxore principis, prædicta die, adhibitis qui obſignarent uelut ſuſcipiendorum liberorum cauſa conueniſſe: atq; illam audiſſe auſpicũ uerba, ſubiſſe, ſacrificaſſe apud deos, diſcubitum inter conuiuas, oſcula, complexus, noctem deniq; actam licentia coniugali. Sed nihil compoſitum miraculi cauſa, uerum audita ſcriptaq; ſenioribus tradam. Igitur domus principis inhorruerat, maximeq;

Edui — *Pater ſenatus* — *Luſtrũ condit* — *Meſſalina nuptura C. Silio* — *Ex infamia uoluptas*

ximeq; quos penes potentia,& ſi res uerterentur,formido, non iam ſecre/tis colloquijs,ſed aperte fremere: dum induſtria cubiculum principis occu/lit adulteros,dedecus quidem illatum,ſed excidium procul abfuiſſe : nunc iuuenem nobilem dignitate,forma,iuuenta, ac propinquo conſulatu ma/iorem ad ſpem accingi . nec enim occultum quid poſt tale matrimonium ſupereſſet . ſubibat ſine dubio metus,reputātes hebetem Claudiū & uxo/ri deuinctum,multasq; mortes iuſſu Meſſalinæ patratas.Rurſus ipſa faci/litas imperatoris fiduciam dabat,ſi atrocitate criminis prçualuiſſent,poſſe opprimi damnatam antequam ream . Sed in eo diſcrimen uerti,ſi defen/ſio audiretur,utq; clauſæ aures etiam cōfitenti forent. Ac primo Caliſtus iam mihi circa mortem Cæſaris narratus,& Appianæ cædis molitor Nar/ciſſus,flagrantiſſimaq; eo tempore gratia Pallas agitauere, num Meſſali/nam ſecretis minis depellerent amore Silij,cuncta alia diſſimulātes : dein/de metu ne ad perniciē ultro traherētur,deſiſtūt , Pallas per ignauiā,Cali/ſtus prioris quoq; regiæ peritus,& potentiā cautis quam acrioribus conſi/lijs tutius haberi.perſtitit Narciſſus,ſolum id immutans , ne quo ſermone præſciam criminis & accuſatoris faceret.Ipſe ad occaſiones intentus,longa apud Hoſtiam Cæſaris mora duas pellices , quarū is corpori maxime in/ſueuerat,largitione ac promiſſis,& uxore deiecta plus potentiæ oſtentan do perpulit delationem ſubire.Exin Calphurnia(id pellici nomen) ubi da tum ſecretum, Cæſaris genibus prouoluta nupſiſſe Meſſalinam Silio ex/clamat:ſimul Cleopatram quæ idem opperiens adſtabat,an comperiſſet, interrogat:atq; illa annuente,cieri Narciſſum poſtulat.Is ueniam in præte ritum petens,quod ei cis Vectium Planciū diſsimulauiſſet,nec nunc adul/teria obiecturum ait,ne domum,ſeruitia,& cæteros fortunæ paratus repo ſceret,frueretur imò ijs,& redderet uxorem rumperetq; tabulas nuptiales: an diſſidium,inquit, tuum noſti ? nam matrimonium Silij uidit populus, & ſenatus & miles,ac ni propere agis , tenet urbem maritus.Tum potiſſi/mum amicorum uocat , primumq; rei fumentariæ præfectū Turranium, poſt Lucium Getam prætorianis impoſitum,percunctatur.Quibus faten tibus,tum certatim cæteri circumſtrepunt,iret in caſtra,firmaret prætorias cohortes,ſecuritati antequā uindictæ conſuleret . Satis conſtat eo pauore offuſum Claudium ut identidem interrogaret,an ipſe imperij potens? an Silius priuatus eſſet?At Meſſalina non alias ſolutior luxu, adulto autum/no ſimulachrum uindemiæ per domum celebrabat,urgeri prela,fluere la/cus,& fœminæ pellibus accinctæ aſſultabant,ut ſacrificantes uel inſanien/tes Bacchæ.Ipſa crine fluxo thyrſum quatiens , iuxtaq; Silius hedera uin/ctus,gerere cothurnos,iacere caput,ſtrepēte circum procaci choro. Ferunt Vectium Valentem laſciuia in præaltam arborem cōniſum, interroganti/bus quid aſpiceret,reſpondiſſe,tempeſtatem ab Hoſtia atrocem : ſiue cœ/perat ea ſpecies,ſeu forte lapſa uox in prçſagiū uertit.Non rumor interea, ſed

Vide Annot. Beat.Rhenani

Turanius

Adulto autumno

ſed undiqꝫ nuncij incedũt,qui gnara Claudio cũcta, & uenire promptum ultioni afferrent. Igitur Meſſalina Lucullianos in ortos, Silius diſſimulan/do metu, ad munia fori digreditur. Cæteris paſſim dilabentibus, affuere centuriones, inditaqꝫ ſunt uincula, ut quis reperiebatur in publico aut per latebras. Meſſalina tamen quanquam res aduerſæ conſilium adimerent, ire obuiam, & aſpici à marito, quod ſæpe ſubſidium habuerat, haud ſegniter intendit, iuſſitqꝫ ut Britannicus & Octauia in complexum patris per/gerent. Et Vibidiam uirginum Veſtalium uetuſtiſſimam orauit, Pontifi/cis maximi aures adire, clementiam expetere. Atqꝫ interim tribus omnino comitantibus (id repente ſolitudinis erat) ſpacium urbis pedibus emenſa, uehiculo quo purgamenta ortorum eripiuntur, Hoſtienſem uiam intrat, nulla cuiuſquam miſericordia, quia flagitiorum deformitas præualebat. Trepidabat nihilominus à Cæſare. quippe Getæ prætorij pręfecto haud ſatis fidebat, ad honeſta ſeu praua iuxta leui. Ergo Narciſſus aſſumptis quibus idem metus, non aliã ſpem incolumitatis Cæſaris affirmat, quàm ſi ius militum uno illo die in aliquem libertorum transferret, ſeqꝫ offert ſu/ſcepturum. Ac ne dum in urbem uehitur ad pœnitentiam à L. Vitellio, P. Largo Cæcina mutaretur, in eodem geſtamine ſedem poſcit ſumitqꝫ. Crebra poſt hæc fama fuit, inter diuerſas principis uoces, cum modo incuſa/ret flagitia uxoris, aliquando ad memoriam coniugij, & infantiam libero/rum reuolueretur, non aliud prolocutum Vitellium, quàm ô facinus, ô ſce/lus. Inſtabat quidem Narciſſus aperire ambages, & ueri copiam facere, ſed non ideo peruicit, quin ſuſpenſa & quò ducerentur inclinatura reſponde/ret, exemploqꝫ eius Largus Cæcina uteretur. & iam erat in aſpectu Meſſa lina clamitabatqꝫ audiret Octauiæ & Britannici matrem, cum obſtrepe/ret accuſator, Silium & nuptias referẽs: ſimul codicillos libidinum indices tradidit, quibus uiſus Cæſaris auerteret. Nec multo poſt urbẽ ingredienti offerebãtur cõmunes liberi, niſi Narciſſus amoueri eos iuſſiſſet. Vibidiam depellere nequiuit, quæ multa cum inuidia flagitaret, ne indefenſa cõiunx exitio daretur. Ergo auditurũ principem, & fore diluendi criminis faculta/tem reſpondit. Iret interim uirgo & ſacra capeſſeret, Mirũ inter hæc ſilentium Claudij. Vitellius ignaro propior. Omnia liberto obediebant. patefie/ri domũ adulteri, atqꝫ illuc deduci imperatorẽ iubet. Ac primũ in ueſtibu/lo effigiem patris Silij conſulto ſenatus abolitam demonſtrat. Tum quic/quid habitũ Neronibus & Druſis, in precium probri ceſſiſſe. incenſumqꝫ & ad minas prorumpentẽ, caſtris infert, parata cõcione militũ, aqud quos, præmonente Narciſſo, pauca uerba fecit. nam, & ſi iuſtum dolorẽ, pudor impediebat. Cohortiũ clamor dehinc cõtinuus, nomina reorum & pœnas flagitantiũ: admotuſqꝫ Silius tribunali non defenſionẽ, non moras tenta/uit, precatus ut mors acceleraretur. eadem cõſtantia & illuſtres equites Romanos cupidos maturæ necis fecit. Titiũ Proculũ cuſtodẽ Silio ac Meſſa/

linæ

ô facinus ô ſcelus

linæ dat, & indicium offerentẽ, Vectium Valentẽ confeſſum, & Pompeium Vrbicum,ac Saufellum Trogum ex conſcijs tradi ad ſuppliciũ iubet. Decius quoq; Calphurnianus uigilũ præfectus,Sulpicius Rufus ludi procurator, Iuncus Vergilianus ſenator, eadẽ pœna affecti.ſolus M. Neſtor contationẽ attulit,dilaniata ueſte clamitans aſpiceret uerberũ notas,reminiſceretur uocis qua ſe obnoxiũ iuſſis Meſſalinæ dediſſet. Alijs largitione aut ſpei magnitudine,ſibi ex neceſſitate culpã: nec cuiq; ante pereundum fuiſſe,ſi Silius rerũ potiretur.Commotũ his & pronum ad miſericordiam Cæſarem perpulere liberti,ne tot illuſtribus uiris interfectis,hiſtrioni conſuleretur:ſponte an coactus tam magna peccauiſſet,nihil referre.Ne Trauli quidẽ Montani equitis Romani defenſio recepta eſt. is modeſta iuuenta,ſed corpore inſigni,accitus ultro, noctemq; intra unã à Meſſalina proturbatus erat,paribus laſciuijs ad cupidinem & faſtidia. Suilio Ceſonino, & Plautio Laterano mors remittitur:huic ob patrui egregiũ meritũ,Ceſoninus uitijs protectus eſt, tanq; in illo fœdiſſimo cœtu paſſus muliebria. Interim Meſſalina Lucullianis in hortis prolatare uitã,componere preces, nõnulla ſpe,& aliquãdo ira.tanta inter extrema ſuperbia agebat. Ac ni cædem eius Narciſſus properauiſſet,uerterat pernicies in accuſatorem.Nam Claudius domũ regreſſus,& tempeſtiuis epulis delinitus, ubi uino incaluiſſet,iri iubet nunciariq; miſeræ(hoc enim uerbo uſum ferunt) dicendã ad cauſam poſtera die adeſſet. Quod ubi auditum, & langueſcere ira,redire amor,ac ſi contarentur,propinqua nox, & uxorij cubiculi memoria timebantur,prorupit Narciſſus,denunciatq; centurionibus & tribuno qui aderant exequi cædẽ,ita imperatorẽ iubere. cuſtos exactor è libertis Euodus datus.Isq; raptim in hortos progreſſus,reperit fuſam humi, aſſidente matre Lepida:quæ florẽti filiæ haud concors, ſupremis eius neceſſitatibus ad miſerationẽ euicta erat:ſuadebatq; ne percuſſorẽ opperiretur:tranſiſſe uitam,neq; aliud q̃ morte decus quærendũ.Sed animo per libidines corruptο, nihil honeſtũ inerat. lachrymæq; & queſtus irriti ducebantur.Tum impetu uenientiũ pulſæ fores.aſtitit tribunus per ſilentiũ,ac libertus increpans multis ac ſeruilibus probris. Tunc primũ fortunã ſuam introſpexit, ferrumq; accepit,quod fruſtra iugulo ac pectori per trepidationẽ admouens,ictu tribuni transfigitur.corpus matri conceſſum.Nunciatũq; Claudio epulanti periſſe Meſſalinã, non diſtincto ſua an aliena manu: nec ille quæſiuit, popoſcitq; poculũ, & ſolita conuiuio celebrauit. Ne ſecutis quidem diebus,odij,gaudij,iræ,triſtitiæ, ullius deniq; humani affectus ſigna dedit, non cum lætantes accuſatores aſpiceret, non cum filios mœrentes. Iuuitq; obliuionẽ eius ſenatus,cenſendo nomen & effigies priuatis ac publicis locis demouendas.decreta Narciſſo quæſtoria inſignia, leuiſſimum faſtigij eius,cum ſecundũ Pallantẽ & Caliſtum ageret, honeſta quidem, ſed ex quibus deterrima orirentur, flagitijs inultis.

M. Neſtor

Pl. Lateranus

ET ELIA Petina.) Caſtigauimus, At Aelia Petina.

Ferre cri/mina Serere crimina in Syllanum.) Volumen ſcriptũ habet, ferre. Proinde ſic ſcripſi. Hoc Liuius dicit, ferre ſermonibus.

Fratriſq́ non inceſtum ſed incuſtoditum amorem.) Hic lo/cus in Budenſi codice erat interpolatus, nam quidam non parti culam ſupra aſcripſerat. Et legebatur illic, Fratremq́, quod eſt in uulgatis æditionibus, fratriſq́. Mihi uidetur hæc eſſe ſyncera lectio, Fratreq́ inceſtum ſed incuſtoditum amorem ad infamiam traxit. Expone ſic, amorem in/ cæſtum fratre, id eſt ob fratrem, ſed incuſtoditũ. Q. d. ſi cuſtoditus fuiſſet & caute cælatus non fuiſſet periculum.

Populumq́ Romanum eadem orare clamitat.) Suppoſuimus, rogare.

Additum & quaſi uile ſeruitium.) Deprauata uerba ſunt. Illic legitur, Addu/ *Virile ſer/uitium* ctum quaſi & uirile ſeruitium. Nos emendauimus, Addictum quaſi & uirile ſer/uitium. Palàm ſeueritas, ac ſępius ſuperbia. Senſus eſt, etiam ſeruos Claudij Cæſ. quaſi addictos fuiſſe Agrippinæ, quæ cõtenta muliercularum ancillatu non erat.

Sed & filius Vononis, nepotem Phrahatis accerſere.) Demiror quur quiſpi/ um uoluerit accedere uerbum quod in exemplari manuſcripto legitur, mutare in accerſere. Nam defectioni elegãter acceſſus opponitur. Senſus eſt. Nemo nos po teſt defectionis arguere, quum ad filium Vononis, nepotẽ Phrahatis accedamus. Subijcit cauſam, Aduerſus dominationem Gotarzis. Mallem ego pro, Sed & fi/ lium ſcribere, ſed ad filium. Verum infra ſic quoq́ loquitur. Quia ſocietatem no/ ſtram uolentes acceſſerãt, non ad ſocietatẽ, quod tamẽ Latine dicitur. Item lib. 2. Vt ripã Euphratis accederet. Itaq́ expone & pro etiã, hoc ſenſu. Nos non modo non deficimus à familia Arſacidarum, ſed etiam ueram ſtirpem accedimus.

Abijci coniuges grauidas, liberos paruos.) Repoſuimus, adijci con. grauid. Significat enim Gotarzen ſcelera ſceleribus cumulantem, nec contentum fratri/ bus propinquiſq́ trucidatis, niſi illis uxores grauidas & liberos adijciat.

Quanto ignoratiora.) Vetuſtior lectio, Quanto ignara barbaris. Subauditur magis. Accipitur autẽ hæc lectio paſſiue, pro ignoto. Sic ſæpe Tacitus in ſequen tibus. Quæ gnara militi. Quæ gnara Veſpaſiano. Hoc ipſo libro, infra. Nihil tam ignarum barbaris q́ machinamenta & aſtus oppugnationum. At nobis ea pars militiæ maxime gnara eſt.

Ac tamen ferenda regum ingenia.) Deprehendi librarium ſubinde ſcripſiſſe Ac tamen pro Attamen.

Induſtrioſq́ ac ignauos.) Caſtigaui, aut ignauos. Item, Zeugma, pro Zeu/ ma. Ex Strabone, Stephanoq́.

In Gotarzen per occultam & magis fidam inclinabat.) Scripſimus, per occul/ ta & magis fida inclinabat. Ex Budenſi codice. In quo modo Acbarus, modo Ab/ barus legitur, Sicut Yliates & Ezates.

Quod unum erat reliquum.) Verbum erat illic non reperio. Tacitus autem breuitatem amat.

Quæ ubi cognita, & iam iamq́ Boſphorũ inuaſurus habebatur.) Duas par/ ticulas, & iam deleuimus, & pro habebatur ſcripſimus uidebatur.

Noſtris in armis.) Syncerior lectio. Noſtri in armis. Subauditur, erant.

Dandarica Ventumq́ Soza oppidum Dandaridæ.) Correximus, Dandaricæ. Subintel/ ligitur, terræ.

Sed cratibus iunctis ac media humo.) Volumen regium habet, ſed cratibus

uinctis

uinctis ac uimentis media humo. Quid ſi legas, Sed cratibus, uinctis ſarmẽtis media humo. Subauditur exiſtente. Paulopoſt, pleriſq; Conſulariũ interfectis. Quidam emendarat in libro Budenſi, pleriſq; Centurionum interfectis.

Romanorũ nemo eius autoritatis aderat.) Miror quid ei uenerit in mentem, qui in æditione Romana aut Baſilienſi locum hunc adulterauit, pro id autoritatis ſcribens, eius autoritatis. Latine eleganterq; dicitur id autoritatis, ſicut, id ætatis, id tẽporis, quiduis temporis, id genus, omne genus, quod genus, pro, eius autoritatis, eius ętatis, eius temporis, cuiuſuis tẽporis, omnis generis, & cuius generis. Ad hanc formã pertinet quod dixit libro decimoſexto, id honoris indicibus, pro eius honoris, quemadmodum illic admonebimus. Paulopoſt ſcripſimus, Et prece haud degenere permotus, Vbi erat ante, promotus. *Id autoritatis* *Id honoris*

Laudatq; quod gentem Adorſorum, quod ſuam dexteram petendæ ueniæ de legerit.) Libenter hic legerim contra uulgatas æditiones omnes, ſimul & ſcriptũ exemplar: Laudatq; gentem Adorſorum, quod ſuam dexteram petendæ ueniæ delegerit. Nam hic indubie ſuã dixit pro eius. Vt & libro decimoquinto: Quod clàm ad omen ac dolum ſui exitij uerteret. ſic enim ibi nobis legendum uideri indicabimus. Et libro. 18. de Nerone. Sed ſua immanitas, ſua luxuria, ceruicibus publicis depulere. Quomodo Cicero quoq; loquitur, & autores alij. *Suã pro eius*

Quoties ignoſcendo tranſigentur.) Scripſimus, tranſigatur. Id accipiendum imperſonaliter.

Adhæc reges feroces.) Adhoc repoſuimus, uſurpatũ & Liuio Saluſtioq;. Sic infra. Adhoc gẽtium ductores, circumire, hortari, firmare animos. Item hijs permotus, non promotus. *Adhoc*

Quantalibet peruicacia in hoc tentata.) Quid ſi legatur, in nos tentata.

Et materiam ſceleri detrahendam.) Scripſimus, materiem. Sic libro ſecundo, Si foret adhuc bellandum, relinqueret materiem Druſi fratris gloriæ. Libro 3. Præbuit iuueni materiem adipiſcendi fauoris. Libro quinto. Et materies criminandi. Item, in curias ueteres.

Per intẽpeſtiua nouercæ officia, in ludibria uertebat.) Et hic uſurpat abſolute uerto, quemadmodum ſupra annotauimus. *In ludibria uertebat*

Intelligens falli ſe.) Synceriorlectio, Intelligens falſi. Gaudet autẽ huiuſmodi conſtructionibus cum genitiuo Tacitus. *Intelligens falſi*

Siue uerum ſeu periculis cõmendatus.) In Budenſi uolumine legitur eodem modo, niſi quod illic eſt, ſiue periculis. Conijcio ſcribendum priori particula ſiue expuncta, Verum ſine periculis commẽdatus, retinuit famam ſine experimento.

Addito equite alario monuit.) Codex regius habet, monitos. Opinor ſcrib. addit, equite alario monito.

Ad montem Taurum reuertuntur.) Caſtigauimus, Taunum. Supra libro primo, Poſitoq; caſtello ſuper ueſtigia paterni præſidij in monte Tauno expeditum exercitum in Chattos rapit. Pomponius Mela in deſcriptione Germaniæ, Montium, inquit, altiſſimi Taunus & Rhetico. Occaſionem errori præſtitit ut ingens ita etiam celebris Ciliciæ mons Taurus. Paulopoſt, ſcripſimus Vangio ac Sido. *Taunus*

Quia Lugius Hermundurusq; illic ingruerãt.) Correximus, ingruebãt. Item capeſsit. Infra, aditu anguſto. Item Silurum. Nam quidam Sylurũ uerterat in ſyluarum. alius addidit r, & fecit ſilurarum. Poſtremo, Ordouicas pro Ordolucas. Britanniæ populus eſt.

Et ſupplicium mei obliuio ſequeretur.) Malim, ſequetur.

Nec multo poſt pabulatis noſtros.) Scripſimus, pabulantes noſtros ipſos.

Et Cæſar adulationibus ſenatus liberis ceſſit.) Vocabulum liberis non eſt in exemplari. Conijcio uoluiſſe aliquẽ ſcribere, libens ceſſit, quod poſtea uerſum ſit in liberis.

Quanq; cenſuerint patres.) Emẽdauimus illinc, queq; cenſuerint patres. Alioqui accuſatiuus quanq; refert, quod mox præcedit, adoptionem.

Vt accuſatori aqua atque igne interdiceretur.) Caſtigauimus, interdiceret. Item, accipiebatur.

Et modeſtia urbis rebus extremis ſubuentum.) Habet regius codex. Et modeſtia hyemis rebus extremis ſubuentum. Lego. Et moleſtia hyemis reb. extr. ſub. Expone & id eſt etiã moleſtia hyemis. ſ. in moleſtia hyemis reb. extremis ſubuentum. Quod ſanè maius eſt, quàm ſi æſtate quis ſubueniſſet. Nam hyems importandis frumentis ſiue mari ſeu terra minime eſt opportuna. quando ueriſſima eſt T. Quintij apud Liuium ſententia. Adhæc, inquit, hyems accedit, ad comportandum ex longinquo difficilis. Igitur apte dixit, moleſtia hyemis. nam hyems per ſe moleſta eſt, etiamſi non accedat fames. Mox, Italiæ regionibus, illic eſt, ex Italiæ regionibus. Quanq; ea lectio mihi minus probatur, qui ſciam ſolenne eſſe Tacito præpoſitiones omittere.

Moleſtia hyemis

Ne ſocius rex, ne Armenia donum populi Ro. ſcelere & pecunia uenderent.) In ſcripto libro legitur, uerterentur. Opinor ſcribendum, auerterentur. Aut uerterentur, pro ſubuerterentur. Vt uerſam Remp. aliquando uocat.

Digreſſu Centurionis uelut cuſtodiæ exolutus præfectus.) Reſtituimus, uelut cuſtode exol. p. Item, oppugnationẽ quoquomodo accelerare, pro celerare.

Mox ubi ſanguis in artus extremos ſuffuderit.) ſcripſimus ſe effuderit.

Quod dedecorum Barbaris trahebatur.) Suſpicor legẽdum, quo dedecorum. Sed hoc frigidũm ſit. Si quis me audiet, leget potius, modo pecorum barbaris trahebatur. Modo, hoc eſt more ſeu ritu. Sic Liuius dixit itineris modo. Libro 8. primæ decad. Signis repente ſublatis, fugæ magis, q̃ itineris modo penitus ad Oceanum & Gadeis ducit. Et noſter Tacitus libro 18. Cõtinuus orbis latiore initio tenuem in ambitum mete modo exurgens. Item eodẽ libro. Caſtra in modum penatium dirigebãtur. Verum quid multis opus eſt, libro quarto expreſſe ſic loquitur. Hoſtibus contra omnium neſcijs, non arma, non ordo, non conſilium, ſed pecorum modo, trahi, occidi, capi. Item Liuius libro 10. quartæ decad. Sed ijs, inquit, qui hos ipſos Ligures aliquãdo pecorum modo fugientes per ſaltus inuios conſectati ceciderunt. Libro octauo decad. eiuſdem. Eos ex eo tempore per ducentos iam annos pecorum in modum conſternatos cædunt. Barbaris ſubaudi. à, id eſt à Barbaris trahebatur.

Modo pecorũ trahebatur

Vt ſæpe principes Romani eandem Armeniam.) Addidimus particulam in, in eandem Armeniam.

Et deridiculo corporis iuxta conſpiciendus.) Fecimus, deſpiciendus. Porrò deridiculi uocem etiam libro tertio uſurpat. Deridiculo fuit ſenex fœdiſsimę adulationis. Rurſum libro quinto, Togonius Gallus dum ignobilitatẽ ſuam magnis nominibus inſerit, per deridiculum auditur.

Percellunt Vologeſen omittere præſentia.) Repoſui, perpellunt.

Et in tempore bellaturos.) Meum ſecutus iudicium, bellaturos mutaui in rebellaturos, id expoſcente ſenſu.

Armiſq; regiam circumeunt.) Scripſi, circumueniunt.

Statuitq; ut ignaro domino ad id prolapſa, in ſeruitutem ſui cõſenſiſſet, & qui nati eſſent pro liberis haberentur.) Hæc uerba, & qui nati eſſent, non ſunt in Budenſi codice. Diuino ſic Tacitũ ſcripſiſſe, Statuiturq; ut ignaro domino ad id prolapſa, in ſeruitute: ſin conſenſiſſet, pro libertis haberentur.

Poſtq; cognita cęde eius, haud obtemperatũ eſſet.) Aut legendũ poſt quam diuiſis dictionibus, ſed expuncto uerbo eſſet, hoc modo, Sanè prębuerant Iudęi ſpeciẽ motus, orta ſeditione, poſt quam, cognita cęde Cai, haud obtemperatum.

Sed

Sed manebat metus &c. Aut potius ſic. Sanè preb. Iud. ſpe. motus. Poſtq̃, cogni/ta cæde, iuſſis haud obtemperatũ eſſet, manebat metus, ne quis principum eadem imperitaret. Inducta cõiunctione ſed. Hanc rem explicat lib. 21. de Iudæis loquens. Sub Tiberio quies, inquit, dein iuſſi à C. Cæſare effigiem eius in templo locare, arma potius ſumpſere, quem motum Cæſaris mors diremit. Quia uero non præ/ceſſit, Sub Caio, quod queat referre genitiuus Eius, ſcribendum aut Cai, aut iuſ/ſis haud obtemperatum eſſet.

Et incuria operis manifeſta fuit.) Et cõnectẽs particula nõ eſt in uolumine Bu denſi, nec ea ẽ opus. Sed paulopoſt eã adiecimus, aut fragore, & ſonitu exterritis.

Aliaq; haud procul fabulis uera.) Correximus. Aliaq; h. p. fabulis uetera. Pau lopoſt ſcripſimus, rerum h. à procuratoribus ſuis iudicatarum. Ibi codex ſcriptus uidetur quodammodo habere, fortuita, ueluti ſubaudiendũ ſit, uoce. Deinde mu/tauimus bellarent, in bellarunt.

Retulit dein de immunitate Cois reſtituẽda.) Caſtigauimus, Cois tribuenda.

Sacram & tanti dei miniſtram inſulam colerent.) Aliter legitur in exemplari ſcripto, nempe, Sacram & tantum dei miniſtram. Tanquã adeo occupata miniſte rio dei foret inſula, ut alijs rebus quæ lucrum afferant uacare non liceat.

Neq; dubium haberetur, multa eorundem in pop. Ro. merita, ſociasq; uictori/as patuiſſe. Claudius facilitate ſolita.) Budenſe uolumen ſic. Neq; dubium habe retur, multa eorundem in populum Ro. merita ſociasq; uictorias patuiſſe tradi/diſſet. Claudius facilitate ſol. Hinc deprehendimus ſic ſcripſiſſe Tacitũ. Neq; du/bium haberetur, multa eorundem in Pop. Ro. merita ſociasq; uictorias potuiſſe tradi, Sed Claudius facil. ſol. Atq; eam lectionem in contextum inſeruimus.

Nullis extrinſecus adiumẽtis uelauit.) Id faciũt prudẽtes oratores, ut aliquid cauſarũ prætexant, quo citius impetrent quod poſtulant, animis iudicum re exa/ctius cõmendata. Sic de Galba ad milites loquente libro 17. Nec ullũ orationi, in/quit, aut lenocinium additũ aut preciũ. Velandi uerbũ etiã aliâs in ſimili re uſur/pat. Vt lib. 13. Anneus Serenus ſimulatione amoris aduerſus eandem libertã, pri/mas adoleſcẽtis cupidines uelauerat. Et libro decimoquarto de Nerone. Facetus natura, & conſuetudine exercitus uelare odium fallacibus blandicijs.

Et ſuis fœtum editum cui accipitrum ungues ineſſent.) Illic erant legitur non ineſſent. Ipſe uero ſuſpicor pro fœtum æditum ſcribendũ, fœtu ædito. Biformes hominum partus, & ſuis fœtu ædito cui accipitrum ungues erant. Expone, Bifor mes hominũ partus, Subaudi, extiterunt, & id eſt etiam ſuis fœtu ædito &c. Pau/lopoſt. Ob hæc mors indita. Forte, indicta.

Adeoq; cuncta mox pernotuere.) Regium exemplar tantum habet, notuere. à noteſco uerbo. Sic libro 5. Libertis quoq; ac ianitoribus eius noteſcere pro ma/gnifico accipiebatur.

Simul ſoluta aluus ſubueniſſe uidebatur.) Legitur illic, Simul ſolutam aluum ſubueniſſe uidebatur. Quid erat hoc opus mutare? Nã uidebatur imperſonaliter accipiendũ, Mox, Ille tanq; niſſus euomẽtis, repoſuimus, niſus, à uerbo nitor eris.

Tempusq; proſperũ ex monitis Chaldæorũ aduentaret.) Fœdus lapſus eſt, in uerbo aduẽtaret. Rectius in Budenſi codice legitur, attemptaret. Tu ſcribe, atten/taret. Senſus eſt. Agrippinam nouercam Claudij liberos tamdiu attinuiſſe domi, mortemq; mariti cælaſſe, donec experiretur id tempus, quod Chaldæi ſiue Magi nouis cœptis accõmodum proſperumq; prædixerãt. Neq; enim quibuſuis nego/tijs quæuis horæ conueniunt, ſi illorum placitis habenda fides. Porrò attentandi uerbum conuenit inſidiandibus.

Tertium ante idus Octobr.) Caſtig. illinc, Tertio ante idus Octobr. Sicut mox. Nero egreditur ad cohortem quæ m. Vbi prius legebatur, à cohorte.

P. CORNELII TACITI AB EXCESSV DIVI AVGVSTI ANNALIVM

LIBER DVODECIMVS

Liberti CAEDE Meſſalinæ conuulſa principis domus,
orto apud libertos certamine, quis deligeret u-
xorem Claudio celibi uitæ intonanti,& coniu-
gum imperijs obnoxio. Nec minore ambitu
fœminæ exarſerant,ſuam quæq; nobilitatem,
formam,opes,contendere, ac dignã tanto ma-
trimonio oſtentare. Sed maxime ambigeba-
Lolli. Paulina tur inter Lolliam Paulinam,M. Lollij conſula-
Iulia Agrip- ris filiam, & Iuliam Agrippinam Germanico
pina *Aelia Petina* genitam. huic Pallas,illi Caliſtus,fautores aderãt. at Ælia Petina è familia
Pallas Tuberonũ Narciſſo fouebatur.Ipſe modo huc,modo illuc,ut quemq; ſua
Caliſtus dentium audierat promptus,diſcordantes in conſilium uocat, ac promere
Narciſſus ſententiam,& adijcere rationes iubet.Narciſſus uetus matrimoniũ, famili-
am cõmunẽ(nam Antonia ex Petina erat) nihil in penatibus eius nouum
diſſerebat,ſi ſueta cõiunx rediret,haud quaq; nouercalibus odijs uſura in
Britannicũ & Octauiam,proxima ſuis pignora. Caliſtus improbatã lon-
go diſſidio,ac ſi rurſus aſſumeretur,eo ipſo ſuperbã,longeq; rectius Lolli-
am induci,quando nullos liberos genuiſſet,uacuam æmulatione, & priui-
gnis parentis loco futuram. At Pallas id maxime in Agrippina laudare,
quod Germanici nepotẽ ſecum traheret dignũ prorſus imperatoria fortu
na,ſtirpem nobilem & familiæ Claudiæ,quæ poſteros cõiungeret, ne fœ-
mina experta fœcunditatis,integra iuuenta,claritudinẽ Cæſarum aliam in
Agrippina domũ ferret. Præualuere hæc adiuta Agrippinæ illecebris.Ad eum per
ſpeciem neceſſitudinis crebro uentitãdo pellicit patruũ, ut prælata cæteris,
& nondũ uxor,potentia uxoria iam uteretur.Nam ubi ſui matrimonij cer
Domitius qui ta fuit,ſtruere maiora, nuptiaſq; Domitij quẽ ex Gn. Ænobarbo genue-
poſtea Nero rat,& Octauiæ Cæſaris filiæ moliri: quod ſine ſcelere perpetrari non po-
terat,quia L.Syllano deſponderat Octauiã Cæſar,iuuenemq;,& aliàs cla
rum,inſigni triumphaliũ & gladiatorij muneris magnificentia, protulerat
ad ſtudia uulgi.Sed nihil arduũ uidebatur in animo principis, cui non iu-
Vitell.Cenſor dicium,non odiũ erat, niſi indita & iuſſa. Igitur Vitellius nomine Cenſo-
ris,ſeruiles fallacias obtegens,ingruentiumq; dominationũ prouiſor, quo
L. Syllanus in gratiam Agrippinæ pararet,conſilijs eius implicari,ferre crimina in Sylla-
ceſti inſimu- num,cui ſane decora & procax ſoror Iunia Caluina,haud multũ ante Vi-
latur tellij nurus fuerat.hinc initium accuſationis,fratriſq; non inceſtum, ſed in-
Iunia Caluina cuſtoditum amorẽ ad infamiã traxit,& præbebat Cæſar aures accipiendis
aduerſum generũ ſuſpicionibus charitate filiæ promptior.At Syllanus in-

ſidiarum

ſidiarum neſcius,ac forte eo anno prætor,repente per edictũ Vitellij ordine ſenatorio mouetur,quanq̃ lecto pridem ſenatu,luſtroq́ꝫ cõdito. ſimul affinitatẽ Claudius diremit.adactusq́ꝫ Syllanus eiurare magiſtratũ,& reliquus præturæ dies in Eprium Marcellũ collatus eſt. C.Pompeio, Q. Verannio Coſs.pactum inter Claudiũ & Agrippinam matrimoniũ.Iam fama,iam amore illicito firmabatur,necdum celebrare ſolénia nuptiarum audebant,nullo exemplo deducta in domũ patrui,fratris filia.Quin & inceſtum,ac ſi ſperneretur,ne in malum publicũ erumperet metuebatur.Nec ante omiſſa cunctatio, q̃ꝫ Vitellius ſuis artibus id perpetrandum ſumpſit: Percunctatusq́ꝫ Cæſarem,an iuſsis populi,an auctoritati ſenatus cederet, ubi ille unum ſe ciuiũ & cõſenſui imparem reſpondit, opperiri intra palatium iubet,ipſe curiam ingreditur,ſummamq́ꝫ Reip.agi obteſtans, ueniam dicendi ante alios expoſcit,orditurq́ꝫ,Grauiſſimos principis labores, quis orbem terræ capeſſat, egere adminiculis,ut domeſtica cura uacuus,in commune conſulat.quod porrò honeſtius cenſoriæ mentis leuamẽ,q̃ꝫ aſſumere coniugẽ proſperis dubijsq́ꝫ ſociam?cui cogitationes intimas,cui paruos liberos tradat,nõ luxui aut uoluptatibus aſſuefactus, ſed qui prima ab iuuenta legibus obtemperauiſſet.Poſtq̃ꝫ hæc fauorabili oratione præmiſit, multaq́ꝫ patrũ aſſentatio ſequebatur,capto rurſus initio,quando maritandum principem cuncti ſuaderẽt,deligi oportere fœminam nobilitate, puerperijs, ſanctimonia inſignem. Nec diu inquirendum, quin Agrippina claritudine generis anteiret, datum ab ea fœcunditatis experimentum, & congruere artes honeſtas. Id uero egregium, quod prouiſu deûm uidua iungeretur principi, ſua tantum matrimonia experto: audiuiſſe à parentibus,uidiſſe ipſos,arripi coniuges ad libita Cæſarum:procul id à præſenti modeſtia: ſtatueretur imò documentum quo uxorem imperator acciperet.At enim noua nobis in fratrum filias coniugia,ſed alijs gentibus ſolennia, nec lege ulla prohibita. Et ſobrinarum diu ignorata, tempore addito percrebruiſſe: morem accommodari prout conducat,& fore hoc quoq; in his quæ mox uſurpentur. Haud defuere qui certatim,ſi cunctaretur Cæſar, uim acturos teſtificantes erumperent curia. Conglobatur promiſcua multitudo, populumq́ꝫ Romanum eadem rogare clamitat. Nec Claudius ultra expectato,obuiũ apud forum præbet ſe gratantibus. Senatumq́ꝫ ingreſſus, decretum poſtulat,quo iuſtæ inter patruos fratrumq́ꝫ filias nuptiæ etiam in poſterum ſtatuerentur. Neque tamen repertus eſt, niſi unus talis matrimonij cupitor,Talledius Seuerus eques Romanus, quem pleriq; Agrippinæ gratia impulſum ferebãt. Verſa ex eo ciuitas & cuncta fœminæ obediebãt, non per laſciuiã, ut Meſſalinæ rebus Romanis illudenti.Addictum quaſi & uirile ſeruitiũ.Palàm ſeueritas,ac ſæpius ſuperbia: nihil domi impudicum, niſi dominationi expediret: cupido auri immenſa obtentum habebat,quaſi ſubſidiũ regno pararetur.Die nuptiarum

Talledi.Seuerus eq.Ro. Agrippinæ potentia.

Syllanus ſibi mortem cõſciuit,ſiue eo uſq; ſpem uitæ produxerat, ſeu de-
lecto die augendam ad inuidiam.Caluina ſoror eius Italia pulſa eſt. Ad-
didit Claudius ſacra ex legibus Tulli regis, piaculaq; apud lucum Dianæ
per Pontifices danda, irridentibus cunctis quod pœnæ procurationesq;
Seneca redit inceſti id temporis exquirerentur. At Agrippina ne malis tantum faci-
de exilio noribus noteſceret,ueniam exilij pro Anneo Seneca, ſimul præturam im-
Fit prætor,& petrat,lætum in publicum rata,ob claritudinem ſtudiorum eius,utq; Do-
Domitij pue- mitij pueritia tali magiſtro adoleſceret,& conſilijs eiuſdem ad ſpem domi
ritiæ magiſter nationis uteretur:quia Seneca fidus in Agrippinam memoria beneficij,&
infenſus Claudio dolore iniuriæ credebatur. Placitum dehinc non ultra
cunctari:ſed deſignatum conſulem Memmium Pollionẽ,ingentibus pro-
miſſis inducunt,ſententiam expromere,qua hortaretur Claudius, deſpon
Octauia Cl. f. dere Octauiam Domitio. quod ætati utriuſq; non abſurdum, & maiora
Domitio patefacturum erat. Pollio haud diſparibus uerbis ac nuper Vitellius cen-
ſet.deſpondeturq; Octauia. ac ſecundum priorem neceſſitudinem, ſpon-
ſus iam & gener Domitius æquari Britannico ſtudijs matris, arte eorum
quis ob accuſatam Meſſalinam ultio ex filio timebatur. Per idem tem-
Parthorũ le- pus legati Parthorum ad expetendum,ut rettuli,Meherdatem miſſi,ſena-
gati Romam tum ingrediuntur,mandataq; in hunc modum incipiunt. Non ſe fœderis
Meherdates ignaros,nec defectione à familia Arſacidarum uenire:ſed & filium Vono
filius Vononis nis nepotem Phrahatis accerſere aduerſus dominationem Gotarzis, no-
bilitati plebiq; iuxta intolerandam.Iam fratres,iam propinquos,iam lon-
gius ſitos, cædibus exhauſtos: adijci coniuges grauidas, liberos paruos,
dum ſocors domi,bellis infauſtus,ignauiam ſæuitia tegat. Veterem ſibi ac
publice cœptam nobiſcum amicitiam,& ſubueniendũ ſocijs uirium æmu-
Liberi cur ob lis,cedentibusq; per reuerentiã.Ideo regum obſides liberos dari, ut ſi do-
ſides ſoliti Ro meſtici imperij tædeat,ſit regreſſus ad principem patresq; quorum mori-
manis dari bus aſſuefactus rex melior adſciſceretur. Vbi hæc atq; talia diſſertaue-
re,incipit orationem Cęſar de faſtigio Romano,Parthorumq; obſequijs,
ſeq; diuo Auguſto adæquabat;petitum ab eo regem referens, omiſſa Ti-
berij memoria,quanquam is quoq; miſerat.Addiditq; præcepta(& enim
aderat Meherdates)ut non dominationem & ſeruos, ſed rectorẽ & ciues
Rectorẽ & ci cogitaret,clementiamq; ac iuſtitiã quanto ignoratiora barbaris, tanto to-
ues cogitaret lerantiora capeſſeret.Hinc uerſus ad legatos, extollit laudibus alumnum
Non ſunt uſui urbis,ſpectatæ ad id modeſtiæ.ac tamẽ ferenda regum ingenia, neq; uſui
crebræ muta- crebras mutationes.rem Romanã huc ſatietate gloriæ prouectam, ut ex-
tiones ternis quoq; gentibus quietem uelit datam.Poſt hæc C.Caſſio qui Syriæ
C.Caſſius præerat,deducere iuuenẽ ripam ad Euphratis iubet.Ea tempeſtate Caſſi-
us cæteros præeminebat peritia legum.nam militares artes per otiũ igno-
tæ.induſtriosq; ac ignauos pax in æquo tenet. Attamen quantũ ſine bel-
lo dabatur,reuocare priſcum morẽ,exercere legiones,cura, prouiſu, agere

perinde

perinde ac ſi hoſtis ingrueret. Ita dignum maioribus ſuis, & familia Caſſia ratus, per illas quoq; gentes celebrata. Igitur excitis quorum de ſententia petitus rex, poſitisq; caſtris apud Zeugma, unde maxime peruius amnis, poſtquam illuſtres Parthi, rexq; Arabum Abbarus aduenerat, monet Meherdatem, Barbarorum impetus acres cunctatione langueſcere, aut in perfidiam mutari: itaq; urgeret cœpta. Quod ſpretum fraude Abbari, qui iuuenem ignarum, & ſummam fortunam in luxu ratum, multos per dies attinuit apud oppidum Edeſſam. Et uocante Carrhene, promptasq; res oſtentante ſi citi aduenisſent, non cominus Meſopotamiam, ſed flexu Armeniam petiuit. Id temporis importunũ, quia hyems occipiebat. Exin niuibus & montibus feſſi, poſtquam campis propinquabant, copijs Carrhenis adiunguntur. Tranſmiſſoq; amne Tygri, permeant Adiabenos, quorum rex Hyliates ſocietatẽ Meherdatis palàm induerat, in Gotarzen per occulta & magis fida inclinabat. Sed capta in tranſitu urbs Ninos uetuſtiſſima ſedes Aſſyriæ, caſtellum inſigne fama, quod poſtremo inter Darium atq; Alexandrum prælio Perſarũ illic opes conciderant. Interea Gotarzes apud montem cui nomen Sambulos, uota dijs loci ſuſcipiebat, præcipua religione Herculis: qui tempore ſtatuto, per quietem monet ſacerdotes, ut, templũ iuxta, equos uenatui adornatos ſiſtant. equi ubi pharetras telis onuſtas accepere, per ſaltus uagi, nocte demũ uacuis pharetris, multo cum anhelitu redeũt. Rurſus deus quas ſyluas pererrauerint, nocturno uiſu demonſtrat: reperiunturq; fuſæ paſſim feræ. Cæterum Gotarzes nondum ſatis aucto exercitu, flumine Corma pro munimento uti. Et quanq; per inſectationes & nuncios ad prælium uocaretur, nectere moras, locos mutare, & miſſis corruptoribus exuendam ad fidem hoſtes emercari. Ex quis Ezates Adiabenus mox Abbarus Arabum cum exercitu abſcedunt, leuitate gentili, & quia experimentis cognitum eſt, Barbaros malle Roma petere reges quàm habere. At Meherdates ualidis auxilijs nudatus, cæterorum proditione ſuſpecta, quod unum reliquum, rem in caſum dare, prælioq; experiri ſtatuit. Nec detrectauit pugnam Gotarzes diminutis hoſtibus ferox. Concurſumq; magna cæde, & ambiguo euentu, donec Carrhenem profligatis obuerſis, longius euectum integer à tergo globus circumueniret. Tum omni ſpe perdita, Meherdates promiſſa Parrhacis paterni clientis ſecutus, dolo eius uincitur, traditurq; uictori. Atq; ille non propinquum neq; Arſacis de gente, ſed alienigenam & Romanum increpãs, auribus deciſis uiuere iubet, oſtentui clemẽtiæ ſuæ & in nos dehoneſtamento. Dein Gotarzes morbo obijt, accitusq; in regnũ Vonones, Medis tum præſidens. Nulla huic proſpera aut aduerſa quis memoraretur, breui & inglorio imperio perfunctus eſt. Resq; Parthorum in filium eius Vologeſen translatæ. At Mithridates Boſphoranus amiſſis opibus uagus poſteaq; Didium ducem Romanũ, roburq; exercitus abijſſe cognouerat, relictos

Zeugma

Abbarus Arabum rex

Carrhenes

Tygris

Hyliates ſiue Ezates Adiabenorum rex

Ninos

Herculis Parthici religio

Corma flu.

Leuitas gentilis

Mithridates

relictos in nouo regno Cotyn iuuenta rudem, & paucas cohortium cum Iulio Aquila equite Romano, ſpretis utriſq;, concire nationes, illicere perfugas, poſtremo exercitu coacto, regem Dandaridarum exturbat, imperioq; eius potitur. Quæ ubi cognita, & iam iamq; Boſphorum inuaſurus habebatur, diffiſus proprijs uiribus Aquila & Cotys, quia Zorſines Soracorum rex hoſtilia reſumpſerat, externas & ipſi gratias quęſiuere, miſſis legatis ad Eunonem qui Adorſorum genti præcellebat. Nec fuit in arduo ſocietas, potentiam Romanam aduerſus rebellem Mithridatem oſtentantibus. Igitur pepigere equeſtribus prælijs Eunones certaret, obſidia urbium Romani capeſſerent. Tum conpoſito agmine incedunt, cuius frontem & terga Adorſi, media cohortes & Boſphorani tutabantur. Noſtri in armis. Sic pulſus hoſtis. uentumq; Soza oppidum Dandaricæ, quod deſertum à Mithridate, ob ambiguos popularium animos, obtineri relicto ibi præſidio uiſum. Exin Soracos pergunt. & tranſgreſſi amnem Pandam, circumueniunt urbem Viſpen, editam loco, & mœnibus ac foſſis munitam, niſi quod mœnia nō ſaxo, ſed cratibus iunctis, ac media humo aduerſum irrumpentes inualida erant: eductæq; altius turres, facibus atq; haſtis turbabant obſeſſos, Ac ni præliū nox diremiſſet, cœpta patrataq; expugnatio eundem intra diem foret. Poſtremo miſere legatos, ueniam liberis corporibus orantes. Seruitij decem millia offerebant, quod aſpernati ſunt uictores, quia trucidare deditos ſæuum, tantam multitudinem cuſtodia cingere arduū, ut belli potius iure caderent. Datumq; militibus qui ſcalis euaſerant ſignum cædis. Excidio Viſpenſium metus cæteris iniectus, nihil tutum ratis, cum arma, munimenta, impediti uel eminentes loci, amnesq; & urbes iuxta perrumperentur. Igitur Zorſines diu penſitato Mithridatisne rebus extremis, an patrio regno conſuleret, poſtquam præualuit gentilis utilitas, datis obſidibus, apud effigiem Cæſaris procubuit, magna gloria exercitus Romani, quem incruentum & uictorem, tridui itinere abfuiſſe ab amne Tanai conſtitit. Sed in regreſſu diſpar fortuna fuit, quia nauium quaſdam, quæ mari remeabant, in littora Taurorum delatas circumuenere barbari, præfecto cohortis, & pleriſq; centurionū interfectis. Interea Mithridates nullo in armis ſubſidio, conſultat cuius miſericordiā experiretur. Frater Cotys proditor olim, deinde hoſtis metuebatur. Romanorum nemo id auctoritatis aderat, ut promiſſa eius magni penderentur. Ad Eunonem conuertit proprijs odijs infenſum, & recens coniuncta nobiſcum amicitia, ualidum. Igitur cultu, uultuq; quàm maxime ad præſentem fortunam comparato, regiam ingreditur, genibusq; eius prouolutus, Mithridates, inquit, terra mariq; Romanis per tot annos quæſitus, ſponte adſum. Vtere ut uoles prole magni Achemenis, quod mihi ſolum hoſtes non abſtulerunt. At Eunones claritudine uiri, mutatione rerum, & prece haud degenere permotus, alleuat ſupplicē, laudatq; quod gentē Adorſorum

Eunones Adorſorum rex

Soza oppidū

Soraci

Panda flu.

Viſpe

Zorſines

Tauri

Mithridates ad Eunonem

ſorum,quod ſuam dexteram petendæ ueniæ delegerit.Simul legatos litteraſq; ad Cæſarem in hunc modum mittit. Po. Romani imperatoribus magnarumq; nationum regibus, primam ex ſimilitudine fortunæ amicitiam, Sibi & Claudio,ex communione uictoriæ eſſe, Bellorum egregios fines,quoties ignoſcendo tranſigatur.Sic Zorſini uicto nihil ereptū. Pro Mithridate quando grauius mereretur,non potentiam,neq; regnum precari,ſed ne triumpharetur,néue pœnas capite expenderet. Atq; Claudius quanquam nobilitatibus externis mitis, dubitauit tamen,accipere captiuum pacto ſalutis,an repetere armis rectius foret. Hinc dolor iniuriarū & libido uindictæ adigebat.Sed diſſerebatur contra: Suſcipi bellum auio itinere,importuoſo mari:adhoc reges feroces,uagos populos,ſolū frugum egens, tum tædium ex mora,pericula ex properantia, modicā uictoribus laudem ac multum infamiæ ſi pellerentur:quin arriperet oblata, & ſeruaret exulem:cui inopi quanto longiorē uitam,tanto plus ſupplicij fore. His permotus,ſcripſit Eunoni, meritum quidē nouiſſima exempla Mithridatem,nec ſibi uim ad exequendū deeſſe.uerum ita maioribus placitū,quantalibet peruicacia in hoc tentata, beneficētia aduerſus ſupplices utendum. Nam triūphos de populis regniſq; integris adquiri. Traditus poſt hæc Mithridates, uectuſq; Romam per Iunium Colonem procuratorē Ponti, ferocius quàm pro fortuna diſſeruiſſe apud Cæſarē ferebatur. Elataq; uox eius in uulgum hiſce uerbis. Non ſum remiſſus ad te,ſed reuerſus:uel ſi non credis,dimitte & quære.uultu quoq; interrito permanſit,cum roſtra iuxta cuſtodibus circundatus, uiſui populo preberetur.Cōſularia inſignia Coloni, Aquilæ prætoria decernūtur. Iiſdem conſulibus atrox odij Agrippina ac Lolliæ infenſa,quod ſecum de matrimonio principis certauiſſet, molitur crimina,& accuſatorē,qui obijceret Chaldæos, Magos, interrogatumq; Apollinis Clarij ſimulachrum ſuper nuptijs imperatoris.Exin Claudius inaudita rea, multa de claritudine eius apud ſenatum præfatus, ſorore L.Voluſij genitam, maiorem ei patruum Cottam Meſſalam eſſe, Mennio quondam Regulo nuptam(nam de C.Cæſaris nuptijs conſulto reticebat)addidit pernicioſa in Remp.Conſilia,& materiem ſceleri detrahendam.Proin publicatis bonis cederet Italia. Ita quinquagies ſeſtertium ex opibus immenſis exuli relictū. Et Calphurnia illuſtris fœmina peruertitur,quia formam eius laudauerat princeps,nulla libidine ſed fortuito ſermone.unde uis Agrippinæ citra ultima ſtetit.In Lolliam mittitur tribunus à quo ad mortem adigeretur. Damnatus & lege repetundarū Cadius Rufus accuſantibus Bithynis. Galliæ Narbonenſi ob egregiam in patres reuerentiam datum, ut ſenatoribus eius prouinciæ, non exquiſita principis ſententia, iure quo Sicilia haberetur,res ſuas inuiſere liceret.Ituræiq; & Iudæi defunctis regibus Sohennio atq; Agrippa prouinciæ Syriæ additi. Salutis augurium quinq; & uiginti annis omiſſum repeti,ac deinde

Lollia accuſatur Magicæ curioſitatis

Calphurnia

Cad.Rufus

Ituræi Iudæiq; Syriæ additi

Salutis augurium

Pomeriũ urbis auxit Claudius

Pomerium à Romulo poſitum

deinde continuari placitum. Et pomerium urbis auxit Cæſar more priſco, quo ijs qui protulere imperiũ, etiam terminos urbis propagare datur. Nec tamen duces Romani quanquam magnis nationibus ſubactis, uſurpauerant, niſi L. Sylla, & diuus Auguſtus. Regum in eo ambitio, uel gloria uariè uulgata. Sed initium condendi, & quod pomerium Romulus poſuerit noſcere haud abſurdum reor. Igitur à foro boario ubi æreum tauri ſimulachrum aſpicimus, quia id genus animalium aratro ſubditur, ſulcus deſignandi oppidi cœptus, ut magnã Herculis aram amplecteretur. Inde certis ſpacijs interiecti lapides, per ima montis Palatini ad aram Conſi, mox in Curia uetere, tum ad ſacellum Larium: forumq́ Romanum & Capitolium non à Romulo, ſed à T. Tatio additũ urbi credidere. Mox pro fortuna pomerium auctum. Et quos tum Claudius terminos poſuerit, facile cognitu, & publicis actis præſcriptum. C. Antiſtio, M. Suillio Coſs. adoptio in Domitiũ auctoritate Pallantis feſtinatur, qui obſtrictus Agrippinæ ut cõciliator nuptiarũ, & mox ſtupro eius illigatus, ſtimulabat Claudium, conſuleret Reip. Britannici pueritiam robore circundaret. Sic apud diuum Auguſtum quanquam nepotibus ſubnixum uiguiſſe priuignos, à Tiberio ſuper propriam ſtirpem Germanicum aſſumptum. Se quoq́ accingeret iuuene, partem curarum capeſſituro. His euictus, biennio maiorem natu Domitium filio anteponit, habita apud ſenatũ oratione in eundem, quem à liberto acceperat, modum. Adnotabant periti nullã antehac adoptionẽ inter patricios Claudios reperiri, eosq́ ab Appio Clauſo continuos durauiſſe. Cæterum actæ principi grates, exquiſitiore in Domitium adulatione. Rogataq́ lex qua in familiam Claudiam & nomen Neronis tranſiret. Augetur & Agrippina cognomento Auguſtæ. quibus patratis, nemo adeo expers miſericordiæ fuit, quem non Britannici fortunæ mœror afficeret. deſolatus paulatim etiam ſeruilibus miniſterijs, per intempeſtiua nouercæ officia, in ludibria uertebat, intelligens falſi. Neque enim ſegnem ei fuiſſe indolem ferunt, ſiue uerum ſeu periculis cõmendatus retinuit famam ſine experimẽto. Sed Agrippina quo uim ſuam socijs quoq́ nationibus oſtentaret, in oppidum Vbiorũ, in quo genita erat, ueteranos coloniamq́ deduci impetrat, cui nomen inditum ex uocabulo ipſius. Ac forte acciderat, ut eam gentẽ Rheno tranſgreſſam auus Agrippa in fidem acciperet. Iiſdem temporibus in ſuperiore Germania trepidatũ, aduentu Cattorum latrocinia agitantium. Deinde L. Pomponius legatus auxiliares Vangiones ac Nemetas addito equite alario monuit, ut anteirent populatores, uel delapſis improuiſi circũfunderentur. Et ſecuta conſilium ducis induſtria militum, diuiſiq́ in duo agmina, qui læuum iter petiuerant, recens reuerſos, prædaq́ per luxum uſos, & ſomno graues circumuenere. Aucta lætitia, quod quoſdam è clade Variana poſt quadrageſimum annum ſeruitio exemerãt. At qui dextris & propioribus compendijs ierant,

Adoptat Domitium Claudius

Claudij continui durarunt

Vbiorũ oppi. Colonia Agrippinenſis

Germania ſuperior Catti Vangiones Nemetes

obuio

obuio hoſti & in aciem auſo,plus cladis faciunt. Et præda famaq́ onuſti,
ad montem Taunum reuertuntur,ubi Pomponius cum legionibus oppe- *Taunus mons*
riebatur,ſi Catti cupidine ulciſcendi caſum pugnæ præberent.Illi metu ne
hinc Romanus,inde Cheruſci,cum quis æternum diſcordant, circumgre- *Cheruſci*
derentur,legatos in urbẽ & obſides miſere , decretusq́ Pomponio trium-
phalis honos , modica pars famæ eius apud poſteros, in quis carminum
gloria præcellit. Per idem tempus Vannius Sueuis à Druſo Cæſare im- *Vannius Sueuorum rex*
poſitus,pellitur regno,prima imperij ętate clarus acceptusq́ popularibus:
mox diuturnitatem in ſuperbiam mutans,& odio accolarum,ſimul dome-
ſticis diſcordijs circumuentus.Auctores fuere Iubillius Hermundurorum *Iubilius Hermundurorum rex*
rex,& Vangio ac Sido ſorore Vannij geniti . Nec Claudius quanquã ſæ-
pe oratus arma certantibus Barbaris interpoſuit , tutum Vannio perfugi- *Vangio*
um promittẽs ſi pelleretur. ſcripſitq́ P. Attilio Hiſtro,qui Pannoniæ præ- *Sido*
ſidebat,legionẽ ipſaq́ è prouincia lecta auxilia, pro ripa cõponeret ſubſi-
dio uictis,& terrori aduerſus uictores,ne fortuna elati,noſtram quoq́ pa-
cem turbarent.nam uis innumera Ligij,aliæq́ gentes aduentabant , fama *Ligij*
ditis regni quod Vannius xxx.per annos prædationibus & uectigalibus
auxerat.Ipſi manus propria pedites,eques è Sarmatis Iazygibus erat,im-
par multitudini hoſtium: eoq́ caſtellis ſeſe defenſare,bellumq́ ducere ſta-
tuerat.Sed Iazyges obſidionis impatientes , & proximos per campos ua- *Iazyges Sarmatæ*
gi,neceſſitudinẽ pugnæ attulere,quia Ligius,Hermundurusq́ illic ingrue-
bant.Igitur digreſſus caſtellis Vannius,funditur prælio,quanquam rebus *Vannius funditur*
aduerſis laudatus,quod & pugnã manu capeſſijt , & corpore aduerſo uul-
nera excepit.Cæterum ad claſſem in Danubio opperientem perfugit. Se-
cuti mox clientes,& acceptis agris,in Pannonia locati ſunt.Regnum Van-
gio ac Sido inter ſe partiti ſunt , egregia apud nos fide:ſubiectis ſuó ne an
ſeruitij ingenio,dum adipiſcerentur dominationes multa charitate, & ma-
iore odio poſtquam adepti ſunt. At in Britannia P.Oſtorium propræ- *Britannia*
torem turbidæ res excepere,effuſis in agrum ſociorum hoſtibus,eo uiolen- *P.Oſtorius*
tius quod nouum ducem exercitu ignoto , & cœpta hyeme iturum obui-
am nõ rebantur. Ille gnarus primis euentibus metum aut fiduciam gigni,
citas cohortes rapit:& cęſis qui reſtiterunt,diſiectos conſectatus, ne rurſus
conglobarentur,infenſaq́ & infida pax non duci non militi requiem per-
mitteret,detrahere arma ſuſpectis,cinctosq́ caſtris Antonã & Sabrinam *Antona fl.*
fluuios cohibere parat.Quod primi Iceni abnuere,ualida gens,nec prælijs *Sabrina fl.*
concuſſa,quia ſocietatem noſtram uolentes acceſſerant . hisq́ auctoribus *Iceni*
circumiectæ nationes locum pugnę delegere ſeptũ agreſti aggere & aditu
anguſto,ne peruius equiti foret.Ea munimẽta dux Romanus,quanquam
ſine robore legionũ ſociales copias ducebat,perrumpere aggreditur, & di-
ſtributis cohortibus,turmas quoq́ peditum ad munia accingit . Tunc da-
to ſigno perfringunt aggerem,ſuisq́ clauſtris impeditos turbant. Atq́ illi

conſcientia rebellionis & obſeptis effugijs, multa & clara facinora fecere.
M.Oſtorius Qua pugna filius legati, M. Oſtorius ſeruati ciuis decus meruit. Cæterum clade Icenorum compoſiti qui bellũ inter & pacem dubitabant, & ductus in Cangos exercitus. Vaſtati agri, prædæ paſſim actæ, nõ auſis aciem hoſtibus, uel ſi ex occulto carpere agmẽ tentarent, punito dolo. Iam uentum
Hybernia inſ. haud procul mari, quod Hyberniam inſulã aſpectat, cum ortæ apud Bri-
Brigantes gantes diſcordiæ retraxere ducem, deſtinationis certũ, ne noua moliretur, niſi prioribus firmatis. Et Brigantes quidem paucis qui arma cœptabant
Silyres interfectis, in reliquos data uenia, reſedere. Silurum gens non atrocitate, non clementia mutabatur, quin bellum exerceret, caſtriſq; legionum pre-
Camulodunũ menda foret. Id quo promptius ueniret, colonia Camulodunũ ualida ueteranorum manu deducitur in agros captiuos, ſubſidiũ aduerſus rebelles, & imbuẽdis ſocijs ad officia legum. Itum inde in Syluras ſuper propriam
Caractacus ferociam Caractaci uiribus confiſos, quem multa ambigua, multa proſpera extulerant, ut cæteros Britannorum imperatores præmineret. Sed tum aſtu, tum locorum fraude prior, ui militum inferior, transfert bellũ in Or-
Ordouices douicas, additiſq; qui pacem noſtram metuebant, nouiſſimum caſum experitur, ſumpto ad prælium loco, ut aditus, abſceſſus, cuncta nobis importuna, & ſuis in melius eſſent. Tunc montibus arduis, & ſi qua clemẽter accedi poterant, in modum ualli ſaxis præſtruit: & præfluebat amnis uado incerto, cateruaeq; maiorum pro munimentis conſtiterãt. Adhoc gentium ductores circumire, hortari, firmare animos, minuendo metu, accendenda ſpe, alijſq; belli incitamentis. Enimuero Caractacus huc illuc uolitãs, illum diem, illã aciem teſtabatur, aut recuperandæ libertatis, aut ſeruitutis æternæ initium fore: uocabatq; nomina maiorum, qui dictatorem Cæſarem pepuliſſent: quorum uirtute uacui à ſecuribus & tributis, intemerata coniugum & liberorum corpora retinerent. Hæc atque talia dicenti adſtrepere uulgus, gentili quiſq; religioni obſtringi, non telis, non uulneribus ceſſuros. Obſtupefecit ea alacritas ducem Romanũ, ſimul obiectus amnis, additum uallum, imminentia iuga, nihil niſi atrox & propugnatoribus fre-
Cuncta uirtute expugnabilia quens terrebat. Sed miles prælium poſcere, cuncta uirtute expugnabilia clamitare, præfectiq; ac tribuni paria diſſerentes, ardorem exercitus intendebant. Tum Oſtorius circumſpectis quæ impenetrabilia quæq; peruia, ducit infenſos, amnemq; haud difficulter euadit. Vbi uentũ ad aggerem, dum miſſilibus certabatur, plus uulnerũ in nos, & pleræq; cædes oriebantur. Poſteaquam facta teſtudine, rudes & informes ſaxorum compages diſtractæ, parq; cominus acies, decedere Barbari in iuga montiũ. Sed eò quoq; irrupere ferentarius grauiſq; miles, illi telis aſſultantes, hi conferto gradu, turbatis contra Britannorũ ordinibus, apud quos nulla loricarum galearúmue tegmina: & ſi auxiliaribus reſiſterent, gladijs ac pilis legionariorum, ſi huc uerterent, ſpatis & haſtis auxiliarium ſternebantur. clara ea

uictoria

uictoria fuit, captaq; uxore & filia Caractaci, fratres quoque in deditionem accepti. Ipſe, ut fermè intuta ſunt aduerſa, cum fidem Cartimanduæ reginæ Brigantum petiuiſſet, uinctus ac uictoribus traditus eſt, nono poſt anno quàm bellum in Britannia cœptũ. Vnde fama eius euecta inſulas, & proximas prouincias peruagata, per Italiã quoq; celebrabatur, auebantq; uiſere, quis ille tot per annos opes noſtras ſpreuiſſet. Ne Romæ quidem ignobile Caractaci nomen erat. Et Cæſar dum ſuum decus extollit, addidit gloriam uicto. Vocatus quippe ut ad inſigne ſpectaculũ populus. Stetere in armis prætoriæ cohortes campo qui caſtra præiacet. Tunc incedentibus regijs clientulis phaleræ torquesq;, quæq; externis bellis quæſierat, traducta, mox fratres & coniunx & filia: poſtremo ipſe oſtentatus. Cæterorum preces degeneres fuere ex metu. At non Caractacus aut uultu demiſſo, aut uerbis miſericordiam requirens, ubi tribunali aſtitit, in hunc modum locutus eſt. Si quanta nobilitas & fortuna mihi fuit, tanta rerum proſperarum moderatio fuiſſet, amicus potius in hanc urbem, quàm captus ueniſſem: neq; dedignatus eſſem claris maioribus ortus, pluribus gentibus imperitans, fœdere pacem accipere. Præſens ſors mea ut mihi informis, ſic tibi magnifica eſt. habui equos, uiros, arma, opes, quid mirũ ſi hæc inuitus amiſi? Nam ſi uos omnibus imperitare uultis, ſequitur ut omnes ſeruitutem accipiant. Si ſtatim deditus traderer, neq; mea fortuna, neque tua gloria inclaruiſſet. & ſupplicium mei obliuio ſequeretur. At ſi incolumem ſeruaueris, æternũ exemplar clementiæ ero. Ad ea Cæſar ueniam ipſiq;, & coniugi, & fratribus, tribuit. Atq; illi uinclis abſoluti, Agrippinam quoq; haud procul alio ſuggeſtu conſpicuam, iiſdem quibus principem laudibus gratijsq; uenerati ſunt. Nouum ſanè, & moribus ueterum inſolitum, fœminam ſignis Romanis præſidere. Ipſa ſemet parti à maioribus ſuis imperij ſociam ferebat. Vocati poſthac patres multa & magnifica ſuper captiuitate Caractaci diſſeruere. Neq; minus id clarũ quàm cum Siphacem, P. Scipio: Perſem, L. Paulus, & ſi qui alij uictos reges Populo Ro. oſtendere. Cenſentur Oſtorio triũphi inſignia, proſperis ad id rebus eius; mox ambiguis: ſiue quod amoto Caractaco, quaſi debellatum foret, minus intenta apud nos militia fuit, ſiue hoſtes miſeratione tanti regis, acrius ad ultionem exarſere. Præfectum caſtrorũ, & legionarias cohortes extruendis apud Siluras præſidijs relictas, circumfundunt. Ac ni cito uicis & caſtellis proximis ſubuectum foret, copię tum occidione occubuiſſent. Præfectus tamen & octo centuriones, ac promptiſſimus quiſq; manipulus cecidere. nec multo poſt pabulantis noſtros, ipſasq; miſſas ad ſubſidiũ turmas profligant. Tum Oſtorius cohortes expeditas expoſuit, nec ideo fugam ſiſtebat, ni legiones prælium excepiſſent. Earum robore æquata pugna, dein nobis pro meliore fuit. Effugere hoſtes tenui damno, quia inclinabat dies. crebra hinc prælia, & ſæpius in modũ latrocinij: per ſaltus, per

Intuta, aduerſa

Orõ Caractaci regis ad Claudiũ Cæſ.

Agrippina in ſuggeſtu

paludes,ut cuiq; ſors,aut uirtus:temere,prouiſa:ob iram,ob prędam:iuſſu & aliquando ignaris ducibus,ac præcipua Silurum peruicacia,quos accendebat uulgata imperatoris Ro. uox: ut quondam Sycambri exciſi, ut in Gallias traiecti forent,ita Silurum nomen penitus extinguendum. Igitur duas auxiliares cohortes auaritia præfectorum incautius populantes intercepere. Spoliaq; & captiuos largiendo,cæteras quoq; nationes ad defectionem trahebant,cum tædio curarum feſſus Oſtorius conceſſit uita,lætis hoſtibus,tanquam ducem haud ſpernendum,& ſi non prælium,at certe bellum abſumpſiſſet. At Cæſar cognita morte legati,ne prouincia ſine rectore foret,A.Didium ſuffecit.Is propere uectus, nō tamen integras res inuenit,aduerſa interim legionis pugna, cui Manlius Valens præerat. auctaq; & apud hoſtes eius rei fama,quo uenientem ducem exterrerent: atq; illo augente audita, ut maior laus compoſiti,uel ſi durauiſſent, uenia iuſtior tribueretur. Silures id quoq; damnum intulerant,lateq; perſultabant,donec accurſu Didij pellerentur.Sed poſt captum Caractacum, præcipuus ſcientia rei militaris Venutius è Iugantum ciuitate,ut ſupra memoraui,fidusq; diu,& Romanis armis defenſus, cum Cartimandā reginam matrimonio teneret:mox orto diſſidio,& ſtatim bello,etiam aduerſus nos hoſtilia induerat.Sed primo tantum inter ipſos certabatur,callidisq; Cartimanda artibus, fratrem ac propinquos Venutij intercepit. Inde accenſi hoſtes,ſtimulante ignominia, ne fœminæ imperio ſubderentur,ualida & lecta armis iuuentus regnū eius inuadunt:quod nobis præuiſum,& miſſæ auxilio cohortes acre prælium fecere,cuius initio ambiguo, finis lætior fuit.Neq; diſpari euentu pugnatū à legione cui Ceſius Naſica pręerat.Nam Didius ſenectute grauis, & multa copia honorum, per miniſtros agere & arcere hoſtem ſatis habebat. Hæc,quanquā à duobus Oſtorio Didioq; proprætoribus plures per annos geſta,cōiunxi,ne diuiſa haud perinde ad memoriam ſui ualerent. Nunc ad temporū ordinem redeo. T.L. Claudio quintum,Ser. Cornelio Orfito Coſs. uirilis toga Neroni maturata, quo capeſſendæ Reip. habilis uideretur. Et Cæſar adulationibus ſenatus ceſſit,ut uiceſimo ætatis anno conſulatum Nero iniret: atq; interim deſignatus proconſulare imperium extra urbem haberet, ac princeps iuuentutis appellaretur.Additum nomine eius donatiuum militi, congiarium plebi:& ludicro Circenſium quod acquirendis uulgi ſtudijs edebatur, Britannicus in prætexta,Nero triumphaliū ueſte,tranſuecti ſunt. Spectaret populus hunc decore imperatorio,illum puerili habitu, ac perinde fortunam utriuſq; præſumeret.Simulq; qui centurionum tribunorumq; ſortem Britannici miſerabātur,remoti fictis cauſis,& alij per ſpeciem honoris: etiam libertorum ſi quis incorrupta fide,depellitur. Tali occaſione obuij inter ſe, Nero Britannicum nomine,ille Domitiū,ſalutauere. Quod ut diſcordiæ initium,Agrippina multo queſtu,ad maritum defert:ſperni quippe adoptionem

Sycambri exciſi

A.Didius in Britanniam

Venutius

tionem, quæcꝫ cenſuerint patres, iuſſerit populus, intra penates abrogari: ac niſi prauitas tam infenſa docētium arceatur, eruptura in publicam perniciem. Commotus his quaſi criminibus Claudius, optimū quemqꝫ educatorem filij exilio ac morte afficit: datosqꝫ à nouerca, cuſtodiæ eius imponit. Nondum tamen ſumma moliri Agrippina audebat, ni prætoriarum cohortiū cura exolueretur Luſcius Geta, & Rufus Criſpinus, quos Meſſalinæ memores & liberis eius deuinctos credebat. Igitur diſtrahi cohortes ambitu duorum, & ſi ab uno regerentur intentiorem fore diſciplinam aſſeuerante uxore, transfertur regimen cohortiū ad Burrhum Afranium egregiæ militaris famæ, gnarum tamen cuius ſponte præficeretur. Suū quoqꝫ faſtigiū Agrippina extollere altius, carpento Capitoliū ingredi: qui mos ſacerdotibus, & ſacris Druidibus antiquitus conceſſus, uenerationem augebat fœminæ: quam Imperatore genitam, ſororem eius qui rerum potitus ſit, & coniugem & matrem fuiſſe, unicum ad hunc diem exemplum eſt. Inter quæ præcipuus propugnator eius Vitellius, ualidiſſima gratia, ætate extrema (adeo incertæ ſunt potentiū res) accuſatione corripitur, deferente Iunio Lupo ſenatore. Is crimina maieſtatis, & cupidinem imperij obiectabat. Præbuiſſetqꝫ aures Cæſar, niſi Agrippinæ minis magis quàm precibus, mutatus eſſet, ut accuſatori aqua atqꝫ igne interdiceret. Hactenus Vitellius uoluerat. Multa eo anno prodigia euenere. Inſeſſum diris auibus Capitolium, crebris terræmotibus proruptæ domus, ac dum latius metuitur, trepidatione uulgi, inualidus quiſqꝫ obtritus. Frugum quoqꝫ egeſtas, & orta ex eo fames, in prodigium accipiebatur. Nec occulti tantum queſtus: ſed iura reddentem Claudiū, circumuaſere clamoribus turbidis, pulſumqꝫ in extremam fori partem urgebant, donec militum globo, infeſtos perrupit. Quindecim dierum alimenta urbi non amplius ſuperfuiſſe conſtitit. magnaqꝫ deûm benignitate, & modeſtia urbis rebus extremis ſubuentum. At Hercule olim ex Italiæ regionibus longinquas in prouincias commeatus portabāt. nec nunc infœcunditate laboratur, ſed Africam potius & Ægyptū exercemus, nauibusqꝫ & caſibus uita populi Romani permiſſa eſt. Eodem anno bellum inter Armenios Hyberosqꝫ exortū, Parthis quoqꝫ ac Romanis grauiſſimorum inter ſe motuum cauſa fuit. Genti Parthorū Vologeſes imperitabat, materna origine ex pellice Græca, conceſſu fratrum regnum adeptus. Hyberos Pharaſmanes uetuſta poſſeſſione, Armenios frater eius Mithridates obtinebat opibus noſtris. Erat Pharaſmani filius nomine Rhadamiſtus, decora proceritate, ui corporis inſignis, & patrias artes edoctus, claraqꝫ inter accolas fama. Is modicum Hyberiæ regnum ſenecta patris detineri ferocius crebriusqꝫ iactabat quàm ut cupidinem occultaret. Igitur Pharaſmanes iuuenē potentiæ promptæ, & ſtudio popularium accinctum uergentibus iam annis ſuis metuens, aliam ad ſpem trahere, & Armeniā oſtentare, pulſis Parthis, datam Mithri-

Burrhus Afranius

Druides

Vitellius accuſator

Incertæ potentium res

dati à ſemet memorando:ſed uim differendam, & potiorem dolũ quo incautum opprimerẽt. Ita Rhadamiſtus ſimulata aduerſus patrẽ diſcordia, tanquam nouercæ odijs impar,pergit ad patruum,multaq; ab eo comitate in ſpeciem liberũm cultus,primores Armeniorũ ad res nouas illicit:ignaro & orante inſuper Mithridate, reconciliationis ſpecie aſſumpta, regreſſus ad patrem, qua fraude confici potuerit prompte nunciat, cætera armis exequenda.Interim Pharaſmanes belli cauſas confingit,prælianti ſibi aduerſus regem Albanorum,& Romanos auxilio uocanti fratrem aduerſatam,eamq; iniuriam excidio ipſius ultum iturum. Simul magnas copias filio tradidit. Ille irruptione ſubita territum exutumq; campis Mithridatem compulit in caſtellum Gorneas, tutum loco ac præſidio militum, quis Celius Pollio præfectus,centurio Caſperius præerat. Nihil tam ignarum Barbaris quàm machinamenta & aſtus oppugnationũ. At nobis ea pars militiæ maxime gnara eſt. Ita Rhadamiſtus fruſtra uel cum damno tentatis munitionibus obſidium incipit.Et cum uis negligeretur,auaritiam præfecti emercatur,obteſtante Caſperio,ne ſocius rex, ne Armenia donũ populi Romani ſcelere & pecunia uenderentur.Poſtremo quia multitudinem hoſtium Pollio,iuſſa patris Rhadamiſtus obtendebant, pactus inducias abſcedit,ut niſi Pharaſmanem bello abſterruiſſet,T. Vinidium Quadratum præſidem Syriæ doceret quo in ſtatu Armeniæ forent. Digreſſu centurionis uelut cuſtode exolutus præfectus, hortari Mithridatẽ ad ſanciendum fœdus,cõiunctionem fratrum, ac priorem ætate Pharaſmanem & cætera neceſſitudinũ nomina referens, quod filiam eius in matrimonio haberet,quod ipſe Rhadamiſto ſocer eſſet. Non abnuere pacem Hyberos, quanquam in tempore ualidiores,& ſatis cognita Armeniorum perfidia,nec aliud præſidij quàm caſtellum commeatu egenum, ne dubitaret armis quàm incruentas conditiones malle. Cunctante ad ea Mithridate & ſuſpectis præfecti conſilijs quod pellicem regiã polluerat, inq; omnem libidinem uenalis habebatur,Caſperius interim ad Pharaſmanem peruadit:utq; Hyberi obſidio decedant expoſtulat.Ille propalam incerta, & ſæpius molliora reſpondens,ſecretis nuncijs monet Rhadamiſtum, oppugnationem quoquo modo accelerare.Augetur flagitij merces, & Pollio occulta corruptione impellit milites,ut pacem flagitarent, ſeq; præſidio abituros minitarẽtur. Qua neceſſitate Mithridates diem locumq; fœderi accepit,caſtelloq; egreditur.Ac primo Rhadamiſtus in amplexus eius effuſus,ſimulare obſequium,ſocerum ac parentem appellare. Adijcit iuſiurandum,non ferro,non ueneno uim allaturum: ſimul in lucum propinquum trahit,prouiſum illic ſacrificium imperatum dictitans, ut dijs teſtibus pax firmaretur.Mos eſt regibus quoties in ſocietatẽ coëant,implicare dextras pollicesq; inter ſe uincire,nodoq; perſtringere. Mox ubi ſanguis in artus extremos ſe effuderit, leui ictu cruorem eliciunt,atq; inuicem lambunt. Id fœdus

Machinamenta & aſtus oppugnationum ignara Barbaris

Mos regũ Armeniæ Hyberiæq;

fœdus archanum habetur,quaſi mutuo cruore ſacratum. Sed tum qui ui-
uincula admouebat,decidiſſe ſimulās,genua Mithridatis inuadit,ipſumq́;
proſternit:ſimulq́; concurſu plurium iniciuntur cathenæ ac cōpedes, quod
dedecorum Barbaris trahebatur. Moxq́; uulgus duro imperio habitum,
probra ac uerbera intentabat. Et erant contra qui tantam fortunæ com/
motionem miſerarentur. Secutaq́; cum paruis liberis coniunx cuncta la/
mentatione cōplebat. Diuerſis & contectis uehiculis abduntur, dum Pha/
raſmanis iuſſa exquirerētur. Illi cupido regni fratre & filia potior,animuſ/
que ſceleribus paratus. uiſui tamen conſuluit, ne coràm interficerentur. Et
Rhadamiſtus quaſi iuriſiurandi memor,non ferrum,non uenenum in ſo/
rorem & patruum expromit,ſed proiectos in humum,& ueſte multa gra/
uiq́; opertos necat. Filij quoque Mithridatis quod cædibus parentum il/
lachrymauerāt,trucidati ſunt. At Quadratus cognoſcens proditum Mi/
thridatem, & regnum ab interfectoribus obtineri,uocat conſilium, docet
acta, & an ulciſceretur conſultat. Paucis decus publicum curæ.plures tuta
diſſerunt, omnes ſcelus externum cum lætitia habendum. Semina etiam
odiorum iacienda, ut ſæpe principes Romani eandem Armeniam ſpe/
cie largitionis,turbandis Barbarorum animis præbuerint. Potiretur Rha/
damiſtus male partis,dum inuiſus,infamis, quādo id magis ex uſu quàm
ſi cum gloria adeptus foret. In hanc ſententiam itum. Ne tamen annuiſſe
facinori uiderentur, & diuerſa Cæſar præciperet, miſſi ad Pharaſmanem
nuncij,ut abſcederet à finibus Armenijs, filiumq́; abſtraheret. Erat Cap/
padociæ procurator Iulius Pelignus ignaui animi, & deridiculo corporis
iuxta deſpiciendus. ſed Claudio perquàm familiaris, cum priuatas olim
conuerſationes curaret,iners otium oblectaret. Is Pelignus auxilijs prouin
cialium contractis, tanquam recuperaturus Armeniam, dum ſocios ma/
gis quàm hoſtes prædatur, abſceſſu ſuorum, & incurſantibus Barbaris,
præſidij egens,ad Rhadamiſtum uenit,doniſq́; eius euictus,ultro regium
inſigne ſumere cohortatur. Sumentiq́; adeſt auctor & ſatelles. Quod
ubi turpi fama diuulgatum, ne cæteri quoque ex Pelignо coniectarentur,
Heluidius Priſcus legatus cum legione mittitur,rebus turbidis pro tempo
re ut cōſuleret. Igitur propere montem Taurum tranſgreſſus,moderatio/
ne plura quàm ui,compoſuerat,cum redire in Syriam iubetur, ne initium
belli aduerſus Parthos exiſteret. Nam Vologeſes caſum inuadendæ Ar/
meniæ obueniſſe ratus, quam à maioribus ſuis poſſeſſam, externus rex
flagitio obtineret, contrahit copias fratremq́; Tiridatem deducere in re/
gnum parat, ne qua pars domus ſine imperio ageret. Inceſſu Parthorum
ſine acie pulſi Hyberi: urbeſq́; Armeniorum Artaxata & Tigranocerta
iugum accepere. Deinde atrox hyems,ſeu parum prouiſi commeatus, &
orta ex utroque tabes, perpellunt Vologeſen omittere præſentia: uacu/
amq́; rurſus Armeniam Rhadamiſtus inuaſit, truculentior quàm antea,

Paucis decus publicū curæ (margin)

Helui. Priſcus (margin)

tanquam aduerſus defectores,& in tempore rebellaturos. Atq; illi quãuis ſeruitio ſueti patientiam abrumpunt,armisq́; regiam circumueniunt. Nec aliud Rhadamiſto ſubſidium fuit,quàm pernicitas equorum, quis ſeq; & coniugem abſtulit. Sed coniunx grauida,primam utcunq; fugam ob metum hoſtilem & mariti charitatẽ tolerauit. Poſt feſtinatione continua, ubi quati uterus,& uiſcera uibrantur, orare ut morte honeſta contumelijs captiuitatis eximeretur. Ille primo amplecti,alleuare,adhortari,modo uirtutem admirans,modo timore æger,ne quis relicta potiretur. Poſtremo uiolentia amoris,& facinorum nõ rudis, diſtringit Acinacem, uulneratamq́; ad ripam Araxis trahit,flumini tradit,ne corpus etiã auferretur. Ipſe præceps Hyberos ad patrium regnum peruadit. Interim Zenobiam, id mulieri nomen,placida illuuie,ſpirantem ac uitæ manifeſtam aduertere paſtores,& dignitate formæ haud degenerẽ reputantes, obligant uulnus, agreſtia medicamina adhibent,cognitoq; nomine & caſu, in urbem Artaxata ferunt:unde publica cura deducta ad Tiridatem,comiterq́; excepta, cultu regio habita eſt. *Furius Scribonianus* Fauſto Sylla, Siluio Othone Coss. Furius Scribonianus in exilium agitur,quaſi finem principis per Chaldæos ſcrutaretur. adnectebatur crimini Iunia mater eius,ut caſus prioris,nam relegata erat,impatiens. Pater Scriboniani Camillus arma per Dalmatiam mouerat. Idq́; ad clementiam trahebat Cæſar,qui ſtirpem hoſtilem iterum conſeruaret. Neq; tamẽ exuli longa poſthac uita fuit: morte fortuita,an per uenenum extinctus eſſet, ut quiſq; credidit,uulgauere. *Mathematici Italia pellẽdi* De Mathematicis Italia pellendis factum Senatuſconſultum atrox & irritum. Laudati dehinc oratione principis,qui ob anguſtias familiares ordine ſenatorio ſponte cederent,motiq́; qui remanendo impudentiam paupertati adijcerent. Inter quæ refertur ad patres de pœna fœminarum,quæ ſeruis coniungerentur. Statuiturq́; ut ignaro domino ad id prolapſa,in ſeruitutem ſui conſenſiſſet,& qui nati eſſent pro libertis haberentur. Pallanti quem repertorem eius relationis ediderat Cæſar, prætoria inſignia, & centies quinquagies ſeſtertium cenſuit conſul deſignatus Barea Soranus: additum à Scipione Cornelio grates publice agendas,qui regibus Arcadiæ ortus,ueterrimam nobilitatem uſui publico poſtponeret,ſeq; inter miniſtros principis haberi ſineret. *Pallas* Aſſeuerauit Claudius contentum honore Pallantem, intra priorem paupertatem ſubſiſtere. Et fixum eſt ære publico Senatuſconſultum, quo libertinus ſeſtertij ter millies poſſeſſor,antiquæ parſimoniæ laudibus cumulabatur. *Felix* At non frater eius cognomento Felix pari moderatione agebat,iam pridem Iudææ impoſitus,& cuncta malefacta ſibi impune ratus,tanta potentia ſubnixo. Sanè præbuerant Iudæi ſpeciem motus orta ſeditione,poſtquam cognita cæde eius,haud obtemperatũ eſſet. Sed manebat metus,ne quis principũ eadem imperitaret. Atq; interim Felix, intempeſtiuis remedijs delicta accendebat, æmulo ad deterrima Ventidio

Cumano

Cumano,cui pars prouinciæ habebatur,ita diuiſis, ut huic Galilæorũ na/
tio,Felici Samaritæ parerẽt,diſcordes olim & tum contemptu regentium
minus cohercitis odijs.Igitur raptare inter ſe,immittere latronum globos,
componere inſidias,& aliquando prælijs congredi,ſpoliaq; & prædas ad
procuratores referre.Hiq; primo lætari:mox gliſcente pernicie,cum arma
militum interieciſſent,cæſi milites. Arſiſſetq; bello prouincia, ni Quadra/
tus Syriæ rector ſubueniſſet.Nec diu aduerſus Iudæos qui in necem mili/
tum proruperãt,dubitatum, quin capite pœnas luerent: Cumanus & Fe/
lix conctationem afferebant, quia Claudius cauſis rebellionis auditis ius
ſtatuendi etiam de procuratoribus dederat.Sed Quadratus Felicem inter
iudices oſtentauit, receptum in tribunal quo ſtudia accuſantium deterre/
rentur.Damnatusq; flagitiorum,quæ duo deliquerãt,Cumanus, & quies *Cumanus*
prouinciæ reddita. Nec multo poſt agreſtium Cilicum nationes, quibus *Clitæ Cilices*
Clitarum cognomentum, ſæpe & aliâs commotæ, tunc Troſobore duce,
montes aſperos caſtris cepere. Atq; inde decurſu in littora aut urbes,uim
cultoribus ac oppidanis, ac plerunq; in mercatores & nauicularios aude/
bant.Obſeſſaq; ciuitas Anemurienſis, & miſſi è Syria in ſubſidium equi/
tes cum præfecto Curtio Seuero turbantur,quod duri circum loci,pediti/
busq; ad pugnam idonei,equeſtre prælium haud patiebantur. Dein rex
eius oræ Antiochus blandimẽtis aduerſus plebem, fraude in ducem cum
Barbarorum copias diſſociaſſet, Troſobore paucisq; primoribus interfe/
ctis,cæteros clementia compoſuit. Sub idem tempus inter lacum Fuci/
num amnemq; Lyrin perrupto monte,quo magnificentia operis à pluri/ *Inter lacũ Fu*
bus uiſeretur,lacu in ipſo nauale prælium adornatur,ut quondam Augu/ *cinũ et Lyrin*
ſtus ſtructo cis Tiberim ſtagno,ſed leuibus nauigijs & minore copia edi/ *amnẽ perrup*
derat. Claudius triremes quadriremesq; & undeuiginti hominum millia *tus mons*
armauit, cincto ratibus ambitu, ne uaga effugia forent: attamen ſpacium
amplexus,ad uim remigij,& gubernantium artes,impetusq; nauium præ
lio ſolitos. in ratibus prætoriarum cohortiũ manipuli turmæq; adſtiterãt,
antepoſitis propugnaculis,ex quîs catapultæ baliſtæq; tenderentur. Reli/
qua lacus claſſiarij rectis nauibus obtinebant.Ripas & colles, ac montium
edita in modum theatri,multitudo innumera compleuit, proximis è mu/
nicipijs, & alij urbe ex ipſa, uiſendi cupidine,aut officio in principem. Ipſe
inſigni paludamẽto, neq; procul Agrippina chlamyde aurata præſidere.
Pugnatum,quanquam inter ſontes,fortium uirorum animo: ac poſt mul/
tum uulnerũ, occidioni exẽpti ſunt.Sed perfecto ſpectaculo apertũ aqua/
rum iter, & incuria operis manifeſta fuit, haud ſatis depreſſi ad lacus ima
uel media. Eoq;, tempore interiecto altius effoſſi ſpecus,& contrahendæ
rurſus multitudini, gladiatorum ſpectaculum editur,inditis pontibus pe/
deſtrem ad pugnam. Quin & conuiuiũ effluuio lacus appoſitum magna
formidine cunctos affecit,quia uis aquarum prorumpens, proxima trahe

bat

bat,conuulſis ulterioribus,aut fragore & ſonitu exterritis.Simul Agrippi-na trepidatione principis uſa,miniſtrum operis Narciſſum incuſat cupidi-nis,ac prædarum. Nec ille reticet,impotentiam muliebrem nimiasq; ſpes eius arguens. D.Iunio,Q.Auterio Coss. ſedecim annos natus Nero Octauiam Cęſaris filiam in matrimonium accepit. Vtq; ſtudijs honeſtis, & eloquentiæ gloria niteſceret,cauſa Ilienſium ſuſcepta,Romanum Troia demiſſum,& Iuliæ ſtirpis auctorē Æneam,aliaq; haud procul fabulis ue-tera facundè executus impetrat ut Ilienſes omni publico munere ſoluerentur.Eodem oratore Bononienſi Coloniæ igni hauſtæ ſubuentum,centies ſeſtertij largitione.Redditur Rhodijs libertas, adempta ſæpe aut firmata, prout bellis externis meruerant, aut domi ſeditione deliquerant. Tributumq; Apamienſibus terræmotu conuulſis, in quinquennium remiſſum. At Claudius ſæuiſſima quæq; promere adigebatur eiuſdem Agrippinæ artibus,quæ Statilium Taurum opibus illuſtrem hortis eius inhians peruertit,accuſante Tarquinio Priſco.Legatus is Tauri Africam imperio proconſulari regentis,poſtquam reuenerant,pauca repetundarū crimina, cæterum magicas ſuperſtitiones obiectabat.Nec ille diutius falſum accuſatorem indigna ſorte perpeſſus,uim uitæ ſuæ attulit ante ſententiam ſenatus. Tarquinius tamen curia exactus eſt, quod Patres odio delatoris, contra ambitum Agrippinæ peruicere.Eodem anno ſępius audita uox principis, parem uim rerum habendam à procuratoribus ſuis iudicatarum, ac ſi ipſe ſtatuiſſet. Ac ne fortuito prolapſus uideretur,Senatus quoq; conſulto cautum, plenius q̃ antea & uberius. Nam diuus Auguſtus apud equeſtres qui Ægypto præſiderent lege agi,decretaq; eorum proinde haberi iuſſerat,ac ſi magiſtratus Romani conſtituiſſent: mox alias per prouincias, & in urbe pleraq; conceſſa ſunt,quæ olim à prætoribus noſcebantur.Claudius omne ius tradidit,de quo toties ſeditione aut armis certatū, cum Semproniјs rogationibus equeſter ordo in poſſeſſione iudiciorū locaretur,aut rurſum Seruiliæ leges ſenatui iudicia redderēt.Mariusq; & Sylla olim de eo uel præcipue bellarunt.Sed tunc ordinum diuerſa ſtudia: & quæ uicerant,publicè ualebant.C.Oppius & Cornelius Balbus primi Cæſaris opibus potuere conditiones pacis & arbitria belli tractare.Matthios poſthac & Vedios,& cætera equitum Romanorum prævalida nomina,referre nihil attinuerit,cum Claudius libertos, quos rei familiari præfecerat, ſibiq; & legibus adæquauerit. Rettulit dein de immunitate Cois tribuenda. Multaq; ſuper antiquitate eorum memorauit: Argiuos uel cum Latonæ parente,uetuſtiſſimos inſulæ cultores:mox aduentu Æſculapij artem medendi illatam, maximeq; inter poſteros eius celebrem fuiſſe,nomina ſingulorum referens, & quibus quiſq; ætatibus uiguiſſent. Quinctiam dixit Xenophontem, cuius ſcientia ipſe uteretur, eadem familia ortum. Precibusq; eius dandum ut omni tributo uacui in poſterum Coi, ſacrā & tanti dei

Ilienſes facti immunes

Bononiēſis colonia

Rhodij

Apamienſes

Procuratorū poteſtas

Liberti

Cois immunitas tributa

dei miniſtram inſulam colerent.neq; dubium haberetur,multa eorundem in Pop.Ro.merita,ſociasq́; uictorias potuiſſe tradi.Sed Claudius facilitate ſolita quod uni conceſſerat,nullis extrinſecus adiumentis uelauit.At Byzantij,data dicendi copia,cum magnitudinem onerum apud ſenatum deprecarentur,cuncta repetiuere,orſi à fœdere quod nobiſcum iecerant,qua tempeſtate bellauimus aduerſus regem Macedonũ, cui ut degeneri,Pſeudophilippi uocabulum impoſitum. Miſſas poſt hac copias in Antiochũ, Perſen,Ariſtonicum,& piratico bello adiutum Antoniũ, Memorabantq́; quæ Syllæ aut Lucullo aut Pompeio obtuliſſent. Mox recentia in Cæſares merita,quando ea loca inſiderent,quæ tranſmeãtibus terra mariq́; ducibus,exercitibusq́;,ſimul uehendo commeatui opportuna forent. Nanq; arctiſſimo inter Europam Aſiamq́; diuortio Byzantium in extrema Europa poſuere Græci, quibus Pythium Apollinem conſulentibus ubi conderent urbem, redditum oraculum eſt: quærerent ſedem cæcorum terris aduerſam.Ea ambage Chalcedonij monſtrabãtur, quod priores illuc aduecti,præuiſa locorum utilitate peiora legiſſent.Quippe Byzantium fertili ſolo fœcundoq́; mari, quia uis piſcium in Pontũ erumpens, & obliquis ſubter undas ſaxis exterrita, omiſſo alterius littoris flexu, hos ad portus defertur. Vnde primo quæſtuoſi & opulenti, poſt magnitudine onerum urgente,finem aut modum orabant,annitente principe qui Thracio Boſphoranoq́; bello recens feſſos iuuãdosq; rettulit.Ita tributa in quinquennium remiſſa. M.Aſilino,M.Acilio Coſs.mutationem rerum in deterius portendi cognitum eſt crebris prodigijs. Signa enim ac tentoria militum igne cœleſti arſere.Faſtigio Capitolij examẽ apum inſedit.Biformes hominum partus.Et ſuis fœtum editum,cui accipitrum ungues erant.Numerabatur inter oſtenta,diminutus omnium magiſtratuũ numerus,quæſtore,ædili,tribuno,ac prætore, & conſule,paucos intra menſes defunctis.

Byzantij — *Pſeudophilippus* — *Byzantium* — *Byzantijs in quinquenniũ tributa remiſſa* — *Prodigia*

Sed in præcipuo pauore Agrippina uocem Claudij,quam temulentus iecerat,fatale ſibi,ut coniugũ flagitia ferret,dein puniret,metuens,agere & celerare ſtatuit, perdita prius Domitia leuibus & muliebribus cauſis:quia Lepida minore Antonia genita, auunculo Auguſto, Agrippinæ ſobrina prior,ac Gnei mariti eius ſoror,parem ſibi claritudinem credebat,Nec forma, ætas,opes multum diſtabant,& utraq; impudica,infamis, uinolenta, haud minus uitijs æmulabantur quàm ſi qua ex fortuna proſpera acceperant. Enimuero certamen acerrimum,amita potius an mater apud Neronem præualeret.Nam Lepida blandimentis & largitionibus iuuenilẽ animum deuinciebat,truci contra ac minaci Agrippina, quæ filio dare imperium,tolerare imperitantem nequibat.Cæterum obiecta ſunt quod coniugium principis deuotionibus petiuiſſet,quodq́; parum coërcitis per Calabriam ſeruorũ agminibus pacem Italiæ turbaret. Ob hæc mors indicta multum aduerſante Narciſſo,qui Agrippinã magis magisq́; ſuſpectans, prompſiſſe

Domitia — *Nar.libertus*

prompſiſſe inter proximos ferebatur,certam ſibi perniciem, ſeu Britanni-cus rerum,ſeu Nero potiretur. Verum ita de ſe meritum Cæſarem, ut ui-tam uſui eius impenderet.Conuictam Meſſalinā & Silium. Pares iterum accuſandi cauſas eſſe. Si Nero imperitaret Britannico ſucceſſore, nullum principi meritum,ac nouercæ inſidijs domum omnem cōuelli,maiore fla-gitio,quàm ſi impudicitiam prioris coniugis reticuiſſet:quanquam ne im-pudicitiam quidem nūc abeſſe,Pallante adultero,ne quis ambigat, decus, pudorē,corpus,cuncta regno uiliora habere.Hæc atq; talia dictitans,am-plecti Britannicum,robur ætatis quàm maturrimum precari,modo ad de os,modo ad ipſum tendere manus,adoleſceret,patris inimicos depelleret: matris etiam interfectores ulciſceretur. In tanta mole curarum Claudi-us ualitudine aduerſa corripitur,refouendiſq; uiribus mollitie cœli & ſalu britate aquarum,Sinueſſam pergit.Tum Agrippina ſceleris olim certa & oblatæ occaſionis propera,nec miniſtrorum egens, de genere ueneni con-ſultauit:ne repentino & præcipiti facinus proderetur:ſi lentum & tabidum delegiſſet,ne admotus ſupremis Claudius,& dolo intellecto, ad amorem filij rediret.Exquiſitum aliquid placebat,quod turbaret mentem, & mor-tem differret.Deligitur artifex talium, uocabulo Locuſta, nuper ueneficij damnata,& diu inter inſtrumenta regni habita.Eius mulieris ingenio pa-ratum uirus, cuius miniſter è ſpadonibus fuit Halotus, inferre epulas,& explorare guſtu ſolitus.Adeoq; cuncta mox pernotuere,ut temporum il-lorum ſcriptores prodiderint,infuſum delectabili cibo boletorū uenenum, nec uim medicaminis ſtatim intellectam,ſocordiá ne Claudij an uinolen-tia, ſimul ſoluta aluus ſubueniſſe uidebatur.Igitur exterrita Agrippina, & quando ultima timebantur,ſpreta præſentium inuidia,prouiſam iam ſibi Xenophontis medici conſcientiam adhibet. Ille tanquam niſus euomen-tis adiuuaret,pinnam rapido ueneno illitam faucibus eius demiſiſſe credi-tur,haud ignarus ſumma ſcelera incipi cum periculo,peragi cum præmio. Vocabatur interim ſenatus,uotaq; pro incolumitate principis conſules & ſacerdotes nuncupabant,cum iam exanimis ueſtibus & fomentis obtege-retur, dum res firmando Neronis imperio componuntur. Iam primum Agrippina uelut dolore uicta & ſolatia conquirens, tenere amplexu Bri-tannicum,uerā paterni oris effigiem appellare,ac uarijs artibus demorari, ne cubiculo egrederetur. Antoniam quoq; & Octauiam ſorores eius atti-nuit.& cunctos aditus cuſtodijs clauſerat,crebroq; uulgabat, ire in melius ualitudinē principis, quo miles bona in ſpe ageret, tempuſq; proſperum ex monitis Chaldæorum attentaret. Tunc medio diei, tertio ante idus Octobr.foribus palatij repente diductis,comitāte Burro Nero egreditur ad cohortē quæ more militiç excubijs adeſt.ibi monente Præfecto, feſtis uocibus exceptus,inditur lecticæ.Dubitauiſſe quoſdā ferunt reſpectantes, rogitātesq; ubi Britānicus eſſet:mox nullo in diuerſum auctore,quç offe-

rebantur

Locuſta ue-nefica

Boletorum cibus

Xenophon medicus

Claudius ue-neno perit

rebantur ſecuti ſunt. Illatusq́; caſtris Nero, & cõgruentia tẽpori prefatus, promiſſo donatiuo, ad exemplum paternæ largitionis, Imperator conſalutatur. Sententiam militum ſecuta Patrum conſulta. Nec dubitatum eſt apud prouincias. Cœleſtesq́; honores Claudio decernuntur, & funeris ſolenne perinde ac diuo Auguſto celebratur æmulante Agrippina proauiæ Liuiæ magnificentiam. Teſtamentum tamen haud recitatum, ne antepoſitus filio priuignus, iniuria & inuidia animos uulgi turbaret. *Nero ſalutatur Imp̃ator*

FINIS XII LIBRI

BEATI RHENANI IN LIBRVM DECIMVM TERTIVM CASTIGATIONES.

EXITVM irritauerit.) Sæpe exitum uſurpat pro morte. Vt in calce libri 15. de Nerone. Quod clàm ad omen ac dolum ſui exitus uerteret. Sic enim illic legendum putamus. Libro 18. Exitu demum Neronis, poſitis odijs in medium conſuluere. Et paulo poſt. Vario ſuper exitu eius rumore. Eodem libro. Sanè ante utriuſque exitum. *Exitus pro morte*

Et pari in ſocietate potentiaq́; concordes.) Caſtigauimus. Et pari in ſocietate potentia concordes. Expone, pari potentia, in ſocietate.

Quæ cunctis malæ dominationis cupidinibus flagrans.) Pro genitiuo malæ repoſuimus ablatiuũ malis. Coniungit autẽ nõnunq́; duo adiectiua, ut hic cũctis malis cupidinib. Et li. 16. de Oſtorio. Multa militari fama. Alijs itẽ locis cõplurib.

Ac conſulto ambiguus.) Lectio ſcripti codicis. Aut conſultò ambiguus. De Tiberio loquitur.

Capeſſendi egregij imperij.) Melius illic. Capeſſendi egregiè imperij. Sicq́; nos emendauimus.

Vt aſtaret abditis à tergo foribus.) Expone, ita ut aſtaret abditis à tergo forib. quanq́; illic legitur additis, Tanq̃ propter ipſam factæ ſint additæq́; fores.

Pluraq́; in ſumma fortuna auſpicijs & conſilijs, quàm telis & manibus geri.) Scribendũ, Pleraq́; in ſumma fortuna auſp. & conſ. quàm t. & manibus geri. Ecliptica oratio eſt. nam aduerbium magis, aut potius ſubauditur. Hoc loquendi genere ſæpenumero Tacitus utitur. Lib. 14, Deniq́; ſi rebus conducat, libens quàm coactus acciret dominam. Lib. 19. de Flauianis, Ne ſuas quidem legiones opperiebantur, ut prædæ quàm periculorum ſocias. Lib. 20. de rege Ptolemæo. Vbi ſecuritas redijt, uoluptatum quàm religionũ appetens. In libello de Germanis. Cedere loco, dum modo rurſus inſtes, conſilij quàm formidinis arbitrantur.

Daturum planè documentum.) Datum, habet exemplar Budenſe. Quaſi dicas, obiectum documentum ſiue oblatum experimentum, per iſtud bellum quod tum inſtabat. Sed magis quadrat, daturum.

Si ducem.) Caſtigauimus, & ſi ducem. Subauditur, daturum documentum.

Etiam ſpecie inanium ualidus.) Ante dixit, Corpore ingens, quur hic rurſum ſubdit, etiam ſpecie. Budenſe uolumen habet, ſpe inanium. Lego, ſpe aut ſpei animum ualidus, Hoc enim melius placet, quàm ſpe immani ualidus.

Quod ne diutius externis ſpectaculo eſſet.) Pronomen quod poteſt abeſſe. & quidam in exemplari ſcripto ſuperne adiecerat. Tum ponendum punctũ poſt iurgium, & ſubaudiendum uerbum, eſt.

Cauſa iactandi ingenij.) Addidimus uel particulam hic non ocioſam, uel cauſa iactandi ingenij.

Ignara matre,dein fruſtra obtinente.) Scripſimus,obnitente.

Seneceq́ permitteret.) Malim, ſe Senecæq́ permitteret.

Quæ prima ætas,& ſumma forma expeterēt.) Repoſuimus,ſumma fortuna. Item,orabantq́ cauere inſidias mulieris. Vbi potius legendum caueret.

Miſitq́ domum matri.) Scribendum,donum matri.

Sanè pepigerat Pallas,nè cuiuſq; facti in præteritum interrogaretur.) Emendauimus,ne cuius facti. Alioqui ſtare poterat cuiuſquā facti. Paulopoſt uocabulum inrita ſic erat raſum,ut nemo ſciret, an pro irrita facinora legendū foret, inita facinora,ſi modo Latine dicitur inire facinus.

Quo euolutum eum ſede patria rebusq́ ſummis ſignificabatur.) In codice ſcripto legitur,ſede patria rebus ſummis ſignificabatur. Appoſitiue.

Quod rumorem reſpiciunt.) Hic particulam dum inſeruimus,& ſecuritatem uertimus in ſecuritate. Quod dum rumorem reſpiciunt, dum parāt defenſiones, ſecuritate morarentur,id eſt ob ſecuritatem.

Promittentibus dein tam præcipitem necem quaſi ferro urgeretur.) Scripſimus,quàm ſi ferro urgeretur.

Frigida in aqua infunditur uenenum.). Emendauimus affunditur uenenum.

Affundo Et eſt elegās uerbū affundo.libr.5.de Phœnice aue.Eiq; uim genitalē adſundere. Lib.21. Vbi Moſæ fluminis amnem Rhenus Oceano affundit.

Trepidatur à circumſedentibus.) Repoſuimus,Trepidatū à circumſedentib. Subauditur eſt.Mox,prouiſo ante funebri apparatu. Scripſimus funebri paratu. Item.Antiquas fratrū diſcordias,& inſociabile regnū exiſtimātes, pro æſtimātes.

Crebris ante exitiū diebus illuſum eſſe puericiæ Britannici Neronē.) Correximus,illuſiſſe puericię Britannici Neronem.Hoc eſt intuliſſe ſtuprum.Et ſequitur,ſtupro prius quàm ueneno pollutum.

Neq; laudationibus,aut pompa detinere.) In codice Budenſi legitur additū, preces effundere.Quam clauſulam opinor ſic emendandā,ut præceps effundere legamus,ſubaudiendo funus è ſandapila,aut loculo, quod alioqui non ſine cærimonijs deponi in rogum ſolebat.

Præceps effundere

Et tanto magis fouendum.) Illic deeſt & particula.Legitur. Reliquas ſpes in Rep.ſitas.Tanto magis fouendum.

Quæ ut coniugi imperatoris ſoli, tum & ut matri ſeruabantur.) Lectio regij codicis.Quæ,ut coniugi imperatoris ſolitum,ut matri ſeruabantur.Quidam mutarat ut in ita.

Amore an odio incertū.) Illic,Amore an odio incertas.Expone, incertas,amore an odio,adirent eam.

Inſignis genere,forma,laſciuia.) Correximus , forma laſciua.

Luxus principis intendere.) Nos luxus mutauimus in luſus.Intendere ſignificat hic adiuuare augereq́.

Intendere

Nos conſenſum autorum ſecuturi quæ diuerſa prodiderint.) Illic legitur,qui diuerſa prodiderint.

Deinde & à Burro.) Particulā & ſuſtulimus,ſicut mox.Et Agrippina, eadem particula deleta ſcripſimus tantū. Agrippina ferociæ memor.Paulopoſt. At exiſtat,ex at fecimus, aut.

At Syllana in exilium acta.) Vocabulum extremum deeſt in ſcripto libro.

(Qui per nuptias Antoniæ,gener erat.) Melius ſcribas,cui per nup.ant.g.erat.

Et tum uanitatibus manifeſtus.) Caſtigauimus.Et tum uanitatis manifeſtus. Hoc autem ſermonis genere ſepe Tacitus utitur. Vt lib.12.Interim Zenobiam,id mulieri nomen,placida illuuie,ſpirantem ac uitæ manifeſtam aduertere paſtores. Hoc ipſo libro,Ac criminū manifeſtos merito ad ſeruitutem retrahi , ut metu coerceantur

Manifeſtus uanitatis

erceantur

erceantur,quos beneficia nõ mutauiſſent.Lib.14.Supremis teſtamẽti uerbis am/bitionis manifeſtus.Lib.15.Atq; ipſe mœſtus & magnæ cogitationis manifeſtus erat.Et infra.Non quia coniurationis manifeſtum compererat.Et paulopoſt.Sed uerba ſua præpediens,& pauoris manifeſtus.

Nec tam grata Pallantis innocentia.) Sincerior regij codicis lectio, Nec grata Pallantis innocẽtia quàm grauis ſuperbia fuit. Vt ſit ecliptici generis oratio.Sub auditur enim aduerb.magis aut tã.Paulopoſt,illic legiẽ,ut miles theatrali lic.n.p.

Et ore præferret.) Habet Budenſe uolumen.Et fore ſe Cæſarem præferret.Le/go,ore ſe Cæſarem præferret.

Iulius quidem Montanus.) Particula quidem illic non legitur.

Quia uim tentantem acriter repulerat.)Exemplaris ſcripti lectio,qui auia tem ptantem.Lego,quia ui attentantem acriter repulerat. *Quia ui atten tantẽ acriter repulerat*

Deinde agnitum orauerat.) Illic ſcriptum eſt. Deinde adagnitũ orauerat. Vt poſſit adagnoſco cuipiam dictum uideri ſicut Adalligo Plinius protulit. Sed ar/bitror primo fuiſſe ſcriptũ adgnitus more uetuſto,quod interpretans aliquis aſcri pſerit agnitus. Vnde poſtea conflatum adagnitus. *Adagnitus*

Si à læſis ualidius ageretur,arma inferrent.) Scripſimus,inferebant.

Donec diſcordi populo & grauioris motus terrore.) Nos repoſuimus, ex gra uioris motus terrore.

Perſcripſere tamen conſenſum ſenatus.) Miror illic eſſe in conſenſum. Mox non eſt,ui ne an æquo,ſed tantum,ui an æquo.Quod ſequitur conſultarent, ma/lim ego,confutarent,& pro impulere,implere. Vt ſic tota ſententia legatur. Sed Conſules relationẽ incipere non auſi,ignaro principe. Subauditur fuerunt. Per/ſcripſere tamen cõſenſum ſenatus,ille an autor conſtitutionis fieret,ut inter pau/cos & ſententiæ aduerſos.Quibuſdam, coalitam libertate irreuerentiam eò pro/rupiſſe fremẽtibus,ui an æquo cũ patronis iure agerent,ſententiã eorũ cõfutarẽt, ac uerberibus ultro manus intenderent,implere uel pœnã ſuam diſſuadentes.

Quos beneficia non commutauiſſent.) Emendauimus,mutauiſſent.

Si ſepararentur libertini.) Scripſimus,ſi ſeparentur,

Medio tempore contradicerent.) Illic eſt,Medio temporis.Sic & Libro proxi me ſequenti.Medio temporis tantũ honorũ atq; opum in me cumulaſti. Itaq; & nos ſcripſimus hic,Medio temporis. Mox repoſuimus, Obultronium Sabinum. *Medio tem/poris*

Veneno damnationẽ anteuertit.) Habet exemplar ſcriptum,anteijt.Quo uer bo alibi quoq; Tacitus utitur.Vt libro tertio.Poſtremo ſuaſmet ipſe ſpes anteire parat.Sic enim eum locum emendãdum cenſemus, ubi uulgo perperam legitur, antereparat,pro anteire parat.Infra pro quadrigeni nummi,illic quadringenti. *Anteijt*

Aut procurator in prouincia obtineret ſpectaculũ gladiatorum.) Reſtituimus locum,qui prouinciam obtineret.

Ac ſuperſtitionis externæ rea.) Forte Chriſtianã pietatẽ intelligit.nam appa/ret ſanctã mulierẽ fuiſſe Pomponiã Græcinã. Tacitus loquitur ut ethnicus.

Idq; illi imperitante Claudio impune, mox ad gloriam uertit.) Et hic uertit u/ſurpat abſolute. *Ad gloriam uertit*

Tanquam inſonti periculum feciſſent.) Latine dici facere periculũ alicui pro adducere in periculum,indicat locus alter libr.16. Vbi inquit. Fregitq; annulum, ne mox uſui eſſet ad facienda pericula.Alioqui maluiſſem hic legere, faceſsiſſent periculum,à faceſſo uerbo.Quemadmodũ libro primo loquitur de Romano Hi/ſpone.Mox clariſsimo cuiq; periculũ faceſsit.Item libr. 20. Qui perinde diues ac eloquentia clarus,nulli unquam ſub Nerone periculum faceſsiſſet.Quin uſurpat pecuniæ periculum facere,pro iacturam facere.Libr.14.Auxitq; patrũ honorem ſtatuendo,ut qui à priuatis iudicibus ad ſenatum prouocauiſſent, eiuſdem pecu/ *Inſonti pericu lũ faceſsiſſent* *Faceſſere peri culum alicui*

 niæ pe/

niæ periculum facerent,cuius ij qui imperatorem appellauere.

Simul init conſulatum Valer.Meſſala.) Scripſimus. Simul iniit.

Prolatatum bellum Mollibus adhuc initijs prolatū inter Parthos Rom.) Reſtitui prolatatū. nam etiam alibi Tacitus noſter hoc utitur uerbo.Libro quinto.Sed ubi diē ex die prolatabant. Libro 15.Interim cunctantibus prolatantibusq; ſpem ac metum.Lib.18.

Prolatare Seu domū extruere,ſeu prolatare agros.Libr.19.Sed omnem prolatationē ut inimicam uictoriæ ſuſpectabant. Vſurpatur & Liuio.Paulopoſt. Ac libertate ignota illuc.Malim,illic.

Truncis brachijs reciderent.) Mutaui reciderent in deciderent.

Extrahere Plura fama q̃ pugna exterrere.) Codex Budenſis habet,extrahere. Vt de tempore ſit intelligendū.Et præcedit,eludere huc & illuc nolitās.Itaq; caſtigaui locū.

Vt dolus patraretur.) Mihi magis arridet quod illic legit̄,ut dolus pararetur.

Nam equiti ſagittarum uſu exercito.) Non erat hic opus adijcere particulam nam,quæ non eſt in exemplari ſcripto.

Cognomēto uallandū.) Illic legitur,Volandū,tanq̃ id ſit caſtelli cognomētū.

Siniſtro ſexta inſedebat.) Caſtigaui,incedebat.Mox,productiore cornu, ſcripſi, productior cornu.

Et diuerſos cōſectari poſſet.) Illic ſcriptū diuerſa. Nec magnopere refert utro modo legas.Diuerſum uſurpat pro diuiſo. Sic & alibi.

Quis diuina colerent.) Repoſui,colerentur. Item paulopoſt. An grauius exiſtimandum.

Quàm ueterem ac olim partam dignationem.) Quid ſi legas. Quàm ueterē adeo partam dignationem ſubitæ felicitati ſubmittere.

Aut uerſa.) Hæ duæ dictiones non ſunt in codice Budenſi, qui ſic habet.Nec deerāt qui hæc ijſdem uerbis in deterius Senecæ deferrēt. Nec erat opus lectionē ueterem hic interpolare.Et infra.Octauius contra modo conqueri, illic tantū eſt; Octauius contra conqueri.

Libidine ſepoſita.) Malim libidini ſepoſita.Mox affuit quiſpiam que particulam,Conueneratq;,quū illic legatur tantum,Conuenerat quoſdam.

Et lege Cornelia de ſicarijs condemnatur.) Scripti codicis lectio. Et lege de ſicarijs condemnatur.Arbitror additam dictionem è margine receptam in contextum.Alibi tamen addit.

Huic mulieri cuncta alia fuere.) Forte affuere.Paulopoſt,ſcripſimus, potentiam ei adijceret.

Ibi conceſſam dictitans nobilitatem.) Volumen Matthiæ Coruini. Vbi conceſſam dictitaret nobilitatem. Legerim. Vbi conceſſam dictitarent nobilitatem. Expone, Vbi uota omniū & gaudia felicium dictitarent conceſſam nobilitatem atq; pulchritudinem.Nam connectentes particulas ſæpe Tacitus omittit.

Ibi ſe ſumma fortuna dignā uiſere.) Lego.Ibi ſe ſumma fortuna digna uiſere.

Quas diuerſas ſenatorius ordo plebsq; ad ſenatum miſerant.) Vocabulū ſenatorius nō eſt in codice Budēſi.Mox.Ad ſaxa,& minas. Illic,ad ſaxa, ad minas.

Quibusq; alijs Romana cōtinent.) Apparet ex ſcripto lib.legēdū,cōtinerent.

Suadere diſſuadere licere patribus.) Emendauimus.Suadere diſſuadereue licere patribus.

Neceſſitates Pleraſq; uectigalium ſocietates.) Malim,neceſſitates.Sic enim libro primo legitur.Quantum ciuium ſociorumq; in armis,quot claſſes,regna,prouinciæ,tributa aut uectigalia,& neceſſitates ac largitiones, quæ cuncta ſua manu perſcripſerat Auguſtus.

Acri etiam populi Romani libertate.) Particulam tum hic addidimus. Acri etiam populi Romani tum libertate.

Vt ratio

Vt ratio quæſtuū & neceſſitas irrogationū inter ſe congruerēt.) Correxi locum, ut ratio quæſtuum & neceſſitas erogationum int.ſe cong.

Et quæ alia ex auctionibus illicitis nomina publicani inuenerant.) Repoſuimus. Et quæ alia exactionibus illicitis n.p.i.Dandi caſu dictum.

Qui proconſulare imperium illic habuerunt.) Scripſi,habuerant.

Quorū ambitum euaſerat.) Emendauimus.Quorum ambitu euaſerat.

Peruulgatis triūphi inſignibus.) Hoc eſt,quę iam nimiū frequētia cōmuniaq; eſſe cœperant.

Moſſelamq; atq; Ararim.) Scripſimus.Moſellam atq; Ararim.Mox eſt illic,itineris pro itinerum.

Deterrendo Vetere.) Malim Veterē.Exemplar ſcriptū habuit,Veteres.

In ſtudiaq; Galliarū affectaret.) Et hic malim legere.Ne legiones alienæ prouincię inferret, ſtudiaq; Galliarū affectaret. Niſi quis potius arbitretᷣ ſcribendū, incuſtoditaq; Galliarum affectaret.

Malorige.) Hic Teutonice uocatus fuit Malrich. Vnde Am.Marcellino Malarichi uocabulū.

In qua tum Germanici regnabant.) Legendū forte,nutu Germanici:aut,iuſſu Germanici.

Iamq; fixerant domos.) Caſtigauimus indidem. Iamq; finxerant domos.Sic in libello de Germanis.Quia & domos,inquit,fingunt,& ſcuta geſtant.Mox eſt illic.Atq; patrium ſolum exercebant.

Nullos mortaliū armis aut fidei ante Germanos eſſe exclamāt.) Repoſuimus, armis aut fide.

Et bona æmulatione.) Nō dubito quin Tacitus ſcripſerit, bona æmulatio,cōtra librario ne ſyllabā à proxima dictione Nero perperam mutuante.Proinde ſcripſimus.Quod comiter à uiſentibus exceptum,quaſi impetus antiqui,& bona æmulatio.Nero ciuitate Ro. *Bona æmulatio*

Eoſdem agros Anſibarij occupauere.) Marcellinus lib.20. de Iuliano Cæſare *Anſibarij* In limitē,inquit,Germanię ſecundæ eſt egreſſus,omniq; apparatu quē flagitabat inſtās negociū cōmunitus,Toxādro oppido propinquabat.Rheno deinde tranſmiſſo,regionē ſubito peruaſit Francorū,quos Anſuarios uocant,inquietorū hominum,licētius etiā perſcrutantiū extima Galliarū.Hactenus ille. Vocat igitur Anſuarios u pro b,quos Tacitus Anſibarios. Vt hinc ualidū meæ coniecturæ ſit argumētum Francos è Chaucis prodiſſe.Nam aperte tradit hoc loco Tacitus Anſibarios à Chaucis pulſos.Igitur generale Francorū nomē,& forte recētius, multas nationes proprijs adhuc appellationibus diſtinctas cōplectens. Sicut & Sueuorum plurimis olim commune.

Quæ ſunt uacuæ.) Emendauimus.quæq; uacuæ ſint.

Solem inde reſpiciens.) Illic legitur.Solem deinde deſpiciēs.Legerim. Solem dein aſpiciens.Infra eſt, ꝙ ſe paterentur.

Deeſſe nobis terra uiua,in qua moriamur.) Hunc locum non ſolum in uulgatis ęditionibus,uerum etiam in manuſcripto uolumine deprauatum ac mutilum, ſic audacter reſtitui,meum ſecutus iudicium.Deeſſe nobis terra in qua uiuamus, in qua moriamur non poteſt.Id uerbum in priori parte etiam ſubauditur.

Igitur aſſiſtētibus hijs.) Correximus.Igitur abſiſtētibus hijs.ſ.Tencteris.Nam *Abſiſtens* abſiſtendi uerbum etiam alibi Tacitus uſurpat. Vt libro ſecūdo.Aut ille abſiſtit. *Abſiſtere* Libro 19. Stantem pro gradibus palatij Vitellium,& preces parantem, peruicere ut abſiſteret.Li.20.Et miſſus cū mādatis Montanus ad Ciuilē ut abſiſteret bello.

Et cæteris quoq; aliena pericula deferentibus.) Quoq; coniunctio non eſt in libro regio. Nam & hic pro etiam exponēdum. Quod autem illic defendentibus legitur ſtare non poteſt, niſi quis periculo ſcribat.

Super libidine cuncta armis agendi.) Emendauimus.Super libidinem, id eſt, præter libidinem,quod ſermonis genus Tacito familiare.

Ex contrarijs inter ſe elementis.) Deleuimus præpoſitionem ex.

Et minæ quidem hoſtiles in ipſos uertebantur.) Quid ſi Tacitus ſcripſit, in ipſos uertebant, abſolute, non uertebantur.

Sed ciuitas Iuhonū.) Huius ſit mentio ſupra libro ſecūdo. Reductus, inquit, inde Iuhiona miles lætus animi quod aduerſa maris, expeditione proſpera penſauiſſet, quanquam illic in æditione Romana perperā legitur diuiſis ſyllabis in Hiona pro Iuhiona. Arbitror Friſijs & mari Germanico proximā fuiſſe eam ciuitatē.

Aut quo alio humore niterentur.) Forte, reniterentur.

Vſu & uiliori polluta.) Habet codex Budenſis tantum, & uſu polluta, quam lectionem ſecuti ſumus.

Quæ ſuper octingētos & quadraginta ante annos Remi Ro.) Exemplar manuſcriptum habet, quæ ſupra octingentos & quadraginta ante per annos Remi. Quid ſi legas, quæ ſupra octingētos & quadraginta annos perennans, Remi Romuliqꝫ infantiam texerat. Perennans, hoc eſt, continue edurans.

FINIS

P. CORNELII TACITI AB EXCESSV DIVI AVGVSTI ANNALIVM

LIBER XIII

Iun. Sillani mors

PRIMA nouo principatu mors Iunij Sillani proconſulis Aſiæ, ignaro Nerone, per dolū Agrippinæ paratur, nō quia ingenij uiolentia exitum irritauerit, ſegnis & dominationibus alijs faſtiditus, adeo ut C. Cæſar pecudem auream eum appellare ſolitus ſit: uerū Agrippina fratri eius, L. Sillano necem molita ultorem metuebat, crebra uulgi fama, anteponendum eſſe uix dum pueritiam egreſſo Neroni, & imperium per ſcelus adepto, uirum ætate compoſita, inſontem, nobilem, & quod tunc ſpectaretur, è Cæſarum poſteris. quippe & Sillanus diui Auguſti abnepos erat. hæc cauſa necis: miniſtri fuere, P. Celerius eques Romanus & Elius libertus, rei familiari principis in Aſia impoſiti. Ab ijs proconſuli uenenum inter epulas datum eſt, apertius quàm ut fallerent. Nec minus properato Narciſſus Claudij libertus, de cuius iurgijs aduerſus Agrippinam rettuli, aſpera cuſtodia, & neceſſitate extrema, ad mortem agitur inuito principe, cuius abditis adhuc uitijs per auariciam ac prodigentiā mire congruebat. Ibaturqꝫ in cædes niſi Afranius Burrus, & Anneus Seneca obuiam iſſent. Hi rectores imperatoriæ iuuentæ, & pari in ſocietate potentia concordes. diuerſa arte ex æquo pollebant, Burrus militaribus curis, & ſeueritate morum, Seneca præceptis eloquentiæ, & comitate honeſta, iuuātes inuicem, quo facilius lubricam principis ætatem ſi uirtutem aſpernaretur uoluptatibus conceſſis retinerent. Certamen utriqꝫ unū erat contra ferociā Agrippinæ

Pecus aurea

Narciſſus ad mortē actus

pinæ, quæ cunctis malis dominationis cupidinibus flagrans, habebat in partibus Pallantem, quo auctore Claudius nuptijs inceſtis & adoptione exitioſa ſemet peruerterat. Sed neq; Neroni infra ſeruos ingeniũ, & Pallas triſti arrogãtia modũ liberti egreſſus, tędiũ ſui mouerat. Propalam tamen omnes in eam honores cumulabantur, ſignumq; more militiæ petenti tribuno dedit, OPTIMAE MATRIS. Decreti & à ſenatu duo lictores, flaminium Claudiale, ſimul Claudio cenſoriũ funus, & mox conſecratio. Die funeris laudationem eius princeps exorſus eſt. Dum antiquitatem generis, conſulatus, ac triumphos maiorum enumerabat, intentus ipſe & cæteri. Liberalium quoq; artium cõmemoratio, & nihil regente eo Reip. triſte ab externis accidiſſe, pronis animis audita. Poſtquã ad prouidentiam ſapientiamq; flexit, nemo riſui temperare, quanquã oratio a Seneca compoſita multum cultus præferret: ut fuit illi uiro ingenium amœnum & temporis illius auribus accommodatum. Adnotabant ſeniores, quibus otium eſt uetera & præſentia contendere, primũ ex ijs qui rerum potiti eſſent Neronem alienæ facundiæ eguiſſe. Nam dictator Cæſar ſummis oratoribus æmulus, & Auguſto prompta ac profluens, quæ deceret principẽ eloquentia fuit. Tiberius artem quoq; callebat, qua uerba expenderet, tum ualidus ſenſibus aut conſulto ambiguus. Etiam C. Cæſaris turbata mens uim dicendi nõ corrupit. Nec in Claudio quoties meditata diſſereret, elegantiam requireres. Nero puerilibus ſtatim annis uiuidum animum in alia detorſit. Cælare & pingere, cantus aut regimen equorum exercere. & aliquando carminibus pangendis, ineſſe ſibi elemẽta doctrinę oſtendebat. Cæterum peractis triſtitiæ imitamentis, curiam ingreſſus, & de auctoritate patrum, & conſenſu militum præfatus, conſilia ſibi & exempla capeſſendi egregiè imperij memorauit: nec iuuentã armis ciuilibus, aut domeſticis diſcordijs imbutam, nulla odia, nullas iniurias, nec cupidinem ultionis afferre. Tum formã futuri principatus præſcripſit, ea maxime declinans, quorũ recens flagrabat inuidia. Non enim ſe negociorũ omnium iudicẽ fore, ut clauſis unam intra domũ accuſatoribus & reis, paucorũ potentia graſſaretur. Nihil in penatibus ſuis uenale, aut ambitioni peruium: diſcretam domum & Remp. Teneret antiqua munia ſenatus. Conſulũ tribunalibus Italia & publicæ prouincię aſſiſterent. Illi Patrum aditum præberent, ſe mandatis exercitibus conſulturũ. Nec defuit fides. Multaq; arbitrio ſenatus conſtituta ſunt, Nequis ad cauſam orandã mercede aut donis emeretur. Ne deſignatis quidẽ quæſtoribus edendi gladiatores neceſſitas eſſet. Quod quidem aduerſante Agrippina, tanq; acta Claudij ſubuerterent, obtinuere patres, qui in palatiũ ob id uocabãtur, ut aſtaret abditis à tergo foribus uelo diſcreta, quod uiſum arceret, aditus non adimeret. Quin & legatis Armeniorum cauſam gentis apud Neronẽ orãtibus, aſcendere ſuggeſtũ imperatoris, & præſidere ſimul parabat, niſi cæteris pauore defixis Seneca admonuiſſet,

Flaminium Claudiale

An. Seneca

Nero facũdiæ alienæ egens
Iul. Cæſar
Auguſtus
Tiberius
C. Cæſar
Claudius

Nero curiam ingreditur

uenienti matri occurreret. Ita ſpecie pietatis, obuiam itum dedecori. Fine anni turbidis rumoribus prorupiſſe rurſum Parthos, & rapi Armeniã allatum eſt, pulſo Rhadamiſto, qui ſępe regni eius potitus, dein profugus, tum quoq; bellum deſeruerat. Igitur in urbe ſermonũ auida, quemadmodum princeps uix ſeptemdecim annos egreſſus, ſuſcipere eam molem aut propulſare poſſet: quod ſubſidium in eo qui à fœmina regeretur: num prælia quoq; & oppugnationes urbiũ, & cætera belli per magiſtros adminiſtrari poſſent, inquirebant. Contra alij melius eueniſſe dixerunt, quàm ſi inualidus ſenecta & ignauia Claudius, militiæ ad labores uocaretur, ſeruilibus iuſſis obtemperaturus. Burrum tamen & Senecam multarum rerum experientia cognitos, & imperatori quantum ad robur deeſſe? cum octauodecimo ætatis anno Gn. Põpeius, nonodecimo Cæſar Octauius ciuilia bella ſuſtinuerint. Pleraq; in ſumma fortuna auſpicijs & conſilijs quàm telis & manibus geri. Daturum planè documentum, honeſtis an ſecus amicis uteretur, & ſi ducem amota inuidia egregium, quàm ſi pecunioſum & gratia ſubnixum per ambitum deligeret. Hæc atq; talia uulgantibus, Nero & iuuentutem proximas per prouincias quæſitam ſupplendis Orientis legionibus admouere, legionesq; ipſas propius Armeniam collocari iubet. Duosq; ueteres reges Agrippam & Iocchum expedire copias, quis Parthorũ fines ultro intrarent, ſimul pontes per amnem Euphratem iungi. Et minorem Armeniã Ariſtobolo, regionẽ Sophenem Sohemo cum inſignibus regijs mandat. Exortusq; in tempore æmulus Vologeſo filius Vardanis. Et abſceſſere Armenia Parthi, tanquam differrent bellum. Sed apud ſenatum omnia in maius celebrata ſunt, ſententijs eorum qui ſupplicationes & diebus ſupplicationum ueſtem principi triumphalem, utq; ouans urbem iniret, effigiesq; eius pari magnitudine, ac Martis Vltoris eodem in templo cenſuere, præter ſuetam adulationem læti, quod Domitium Corbulonem retinendæ Armeniæ præpoſuerat. Videbaturq; locus uirtutibus patefactus. Copiæ Orientis ita diuiduntur, ut pars auxiliarium cum duabus legionibus apud prouinciam Syriam, & legatum eius Quadratum Vinidium remaneret, par ciuium ſociorumq; numerus Corbuloni eſſet, additis cohortibus alisq;, quæ apud Cappadociã hyemabãt. Socij reges prout bello conduceret, parere iuſſi, Sed ſtudia eorum in Corbulonem promptiora erant. qui ut famæ inſeruiret, quæ in nouis cœptis ualidiſſima eſt, itinere propere confecto, apud Egas ciuitatem Ciliciæ obuium Quadratum habuit, illuc progreſſum, ne ſi ad accipiendas copias Syriã intrauiſſet Corbulo, omnium ora in ſe uerteret, corpore ingens, uerbis magnificus, & ſuper experientiam ſapientiamq;, etiam ſpe inanium ualidus. Cæterum uterq; Vologeſem regem nuncijs monebant, pacem quàm bellum mallet, datisq; obſidibus, ſolitam prioribus reuerentiam in populum Romanum continuaret. Et Vologeſes quo bellum ex æquo modo pararet, an ut æmulationis

In nouis cœptis ualidiſſima fama

lationis ſuſpectos per nomen obſidũ amoueret, tradit nobiliſſimos ex familia Arſacidarum. Accepitq́; eos centurio Hoſtorius ab Vinidio miſſus, forte priore de cauſa adito rege. Quod poſtquam Corbuloni cognitũ eſt, ire præfectum cohortis Arrium Varum, & recipere obſides iubet. Hinc ortum inter Præfectum & centurionem iurgiũ, ne diutius externis ſpectaculo eſſet, arbitriũ rei obſidibus legatisq́; qui eos ducebant, permiſſum. Atq; illi ob recentem gloriam, & inclinationem quandam etiam hoſtium, Corbulonem prætulere, Vnde diſcordia inter duces, querente Vinidio prærepta quæ ſuis conſilijs patrauiſſet: teſtante contra Corbulone nõ prius conuerſum regem ad offerendos obſides, quàm ipſe dux bello delectus, ſpes eius ad metum mutaret. Nero quo cõponeret diuerſos, ſic euulgari iuſſit: Ob res à Quadrato & Corbulone proſpere geſtas laurum faſcibus imperatorijs addi. quæ in alios conſules egreſſa, coniunxi. Eodem anno Cæſar effigiem Gn. Domitio patri, conſularia inſignia Aſconio Labeoni, quo tutore uſus erat, petiuit à ſenatu, ſibiq́; ſtatuas argẽto uel auro ſolidas, aduerſus offerentes prohibuit. Et quanquã cenſuiſſent patres, ut principium anni inciperet menſe Decembri quo ortus erat Nero, ueterem religionem calendarum Ianu. inchoando anno retinuit. Neq; recepti ſunt inter reos Carinâs Celer ſenator, ſeruo accuſante, aut Iulius Denſus eques ter, cui fauor in Britannicũ crimini dabatur. Claudio Nerone, L. Antiſtio Coss. cum in acta principis iurarent magiſtratus, in ſua acta collegã Antiſtium iurare prohibuit, magnis patrũ laudibus, ut iuuenilis animus leuium quoque rerum gloria ſublatus, maiores continuaret. Secutaq́; lenitas in Plautium Lateranum, quem ob adulterium Meſſalinæ ordine remotum, reddidit ſenatui, clementiam ſuam obſtringens crebris orationibus, quas Seneca, teſtificando quàm honeſta præciperet, uel cauſa iactandi ingenij, uoce principis uulgabat. Cæterum infracta paulatim potentia matris, delapſo Nerone in amorem libertę, cui uocabulum Acte fuit: ſimul aſſumptis in conſcientiã Othone & Claudio Senecione adoleſcentulis decoris. quorum Otho familia conſulari: Senecio liberto Cæſaris patre genitus, ignara matre, dein fruſtra obnitente, penitus irrepſerat per luxum & ambigua ſecreta: ne ſeuerioribus quidem principis amicis aduerſantibus, muliercula nulla cuiuſquã iniuria cupidines principis explente: quãdo uxore ab Octauia nobili quidem, & probitatis ſpectatæ, fato quodã, an quia præualent illicita, abhorrebat, metuebaturq́; ne in ſtupra fœminarum illuſtrium prorumperet, ſi illa libidine prohiberetur. Sed Agrippina libertam æmulam, nurum ancillam, aliaq́; eundem in modum muliebriter fremere. Neq; pœnitentiam filij, aut ſatietatẽ opperiri: quantoq́; fœdiora exprobrabat, acrius accendere, donec ui amoris ſubactus, exueret obſequiũ in matrem, Senecæq́; permitteret. Ex cuius familiaribus Anneus Serenus ſimulatione amoris aduerſus eandem libertã primas adoleſcentis cupidines uelauerat, præbue-

Illicita præualent

præbueratq́ nomen,ut quæ princeps furtim mulierculæ tribuebat, ille palàm largiretur. Tum Agrippina uerſis artibus, per blandimenta iuuenem aggredi,ſuum potius cubiculum ac ſinum offerre contegendis quæ prima ætas,& ſumma fortuna expeterent. Quin & fatebatur intempeſtiuam ſeueritatem, & ſuarum opum quæ haud procul imperatorijs aberant,copias tradebat, ut nimia nuper coërcendo filio,ita rurſum intemperanter demiſſa. Quæ mutatio neq; Neronem fefellit,& proximi amicorum metuebant,orabantq́ caueri inſidias mulieris ſemper atrocis,tum & falſæ. Forte illis diebus Cæſar inſpecto ornatu, quo principum coniuges ac parentes effulſerant,deligit ueſtem & gemmas,miſitq́ donũ matri, nulla parſimonia,cum præcipua & cupita alijs,prior deferret. Sed Agrippina nõ his inſtrui cultus ſuos,ſed cæteris arceri proclamat, & diuidere filium, quæ cuncta ex ipſa haberet. Nec defuere qui in deterius referrent. Et Nero infenſus ijs quibus ſuperbia muliebris innitebatur,demouet Pallantem cura rerum,quis à Claudio impoſitus,uelut arbitrum regni agebat. Ferebaturq́ digrediente eo, magna proſequentium multitudine, non abſurde dixiſſe: Ire Pallantem,ut eiuraret. Sanè pepigerat Pallas,ne cuius facti in præteritum interrogaretur, pareſq́ rationes cum Rep. haberet. Præceps poſt hæc Agrippina,ruere ad terrorem & minas, neq; principis auribus abſtinere,quo minus teſtaretur,adultum iam eſſe Britãnicum, uerã dignamq́ ſtirpem ſuſcipiendo patris imperio,quod inſitus & adoptiuus per iniurias matris exerceret. Non abnuere ſe,quin cuncta infelicis domus mala patefierent,ſuæ in primis nuptiæ,ſuum ueneficium: Id ſolum dijs & ſibi prouiſum,quod uiueret priuignus: Iturã cum illo in caſtra. Audiretur hinc Germanici filia,inde uilis rurſus Burrus & exul Seneca,trunca ſcilicet manu,& profeſſoria lingua,generis humani regimen expoſtulantes. Simul intendere manus,aggerere probra:conſecratum Claudium, infernos Sillanorum manes inuocare,& tot irrita facinora. Turbatus his Nero,& propinquo die,quo quartumdecimum ætatis annum Britannicus explebat, uolutare ſecum,modo matris uiolentiam,modo ipſius indolem,ut quidem experimento nuper cognitam,quo tamen fauorem late quæſiuiſſet. Feſtis Saturno diebus inter alia æqualium ludicra, regnum luſu ſortientium, euenerat ea ſors Neroni. Igitur cęteris diuerſa,nec ruborem allatura,ubi Britannico iuſſit exurgeret,progreſſusq́ in medium cantum aliquẽ inciperet, irriſum ex eo ſperans pueri ſobrios quoq; conuictus,nedum temulentos ignorantis:ille conſtanter exorſus eſt carmen, quo euolutum eum ſede patria rebusq́ ſummis ſignificabatur. Vnde orta miſeratio manifeſtior,quia diſſimulationem nox & laſciuia exemerat. Nero intellecta inuidia, odium intendit. Vrgentibusq́ Agrippinæ minis, quia nullum crimen, neq; iubere cædem fratris palàm audebat,occulta molitur. Parari uenenum iubet, miniſtro Pollione Iulio prætoriæ cohortis tribuno, cuius cura attinebatur

Profeſſoria lingua

Britannici indoles

damnata ueneficij nomine Locuſta, multa ſcelerum fama. Nam ut proximus quiſq; Britannico, neq; fas, neq; fidem penſi haberet, olim prouiſum erat. Primum uenenum ab ipſis educatoribus accepit, tranſmiſitq; exoluta aluo parum ualidum, ſiue temperamentũ inerat, ne ſtatim ſæuiret. Sed Nero lenti ſceleris impatiens, minitari tribuno, iubere ſuppliciũ ueneficæ, quod dum rumorem reſpiciunt, dum parant defenſiones, ſecuritatẽ morarentur. Promittentibus dein tam præcipitem necem quàm ſi ferro urgeretur, cubiculũ Cæſaris iuxta decoquitur uirus cognitis antea uenenis rapidum. Mos habebatur principum liberos cum cæteris idem ætatis nobilibus ſedentes ueſci in aſpectu propinquorum, propria & parciore menſa. Illic epulante Britannico, quia cibus potuſq; eius delectus ex miniſtri guſtu explorabatur, ne omitteretur inſtitutum, aut utriuſq; morte proderetur ſcelus, talis dolus repertus eſt. Innoxia adhuc ac præcalida, & libata guſtu potio traditur Britannico. Dein poſtquam feruore aſpernabatur, frigida in aqua affunditur uenenum, quod ita cunctos eius artus peruaſit, ut uox pariter & ſpiritus eius raperentur. Trepidatũ à circunſedentibus, diffugiunt imprudentes. At quibus altior intellectus, reſiſtunt defixi, & Neronem intuentes. Ille ut erat recliuis, & neſcio ſimilis, ſolitum ita ait, per comitialem morbum quo primum ab infantia afflictaretur Britannicus, & redituros paulatim uiſus ſenſuſq;. At Agrippinæ is pauor, ea cõſternatio mentis quamuis uultu premeretur, emicuit, ut perinde ignaram fuiſſe ac Octauiam ſororem Britannici conſtiterit: quippe ſibi ſupremum auxilium ereptum, & parricidij exemplum intelligebat. Octauia quoq;, quamuis rudibus annis, dolorem, charitatem, omnis affectus abſcondere didicerat. Ita poſt breue ſilentium repetita conuiuij lætitia. Nox eadem necem Britannici & rogum coniunxit, prouiſo ante funebri apparatu, qui modicus fuit. In campo tamen Martio ſepultus eſt, adeo turbidis imbribus, ut uulgus iram deûm portendi crediderit aduerſus facinus, cui pleriq; etiã hominum ignoſcebant, antiquas fratrum diſcordias, & inſociabile regnum exiſtimantes. Tradunt pleriq; eorum temporum ſcriptores, crebris ante exitium diebus illuſiſſe pueritiæ Britannici Neronem, ut iam nõ præmatura, neq; ſæua mors uideri queat, quamuis inter ſacra menſæ, ne tempore quidem ad complexum ſorori dato, ante oculos inimici properata ſit in illum ſupremum Claudiorum ſanguinem, ſtupro prius quàm ueneno pollutum. Feſtinationem exequiarũ edicto Cæſar defendit, id à maioribus inſtitutum referens, ſubtrahere oculis acerba funera, neq; laudationibus, aut pompa detinere. Cæterum & ſibi amiſſo fratris auxilio, reliquas ſpes in Rep. ſitas: & tanto magis fouendum patribus populoq; principem, qui unus ſupereſſet è familia ſummum ad faſtigium genita. Exin largitione potiſſimos amicorum auxit. Nec defuerunt, qui arguerent uiros grauitatem aſſeuerantes, quod domos uillaſq; id temporis quaſi prędas diuiſiſſent. Alij neceſſitatem

Britannico uenenum à Nerone

Idem ætatis

Britannicus moritur

Octauia f. Claudij, ſoror Britannici

ceſſitatem adhibitam credebant à principe,ſceleris ſibi conſcio, & ueniam ſperante,ſi largitionibus ualidiſſimum quenq; obſtrinxiſſet. At matris ira nulla munificentia leniri:ſed amplecti Octauiam. Crebra cum amicis ſecreta habere.Super ingenitam auaritiam, undiq; pecunias quaſi in ſubſidium corripiens,tribunos & centuriones comiter excipere.Nomina & uirtutes nobilium,qui etiam tum ſupererant,in honore habere,quaſi quæreret ducem & partes.Cognitũ id Neroni,excubiasq; militares, quæ ut coniugi imperatoris ſoli tum & ut matri ſeruabãtur, & Germanos ſuper eundem honorem cuſtodes additos digredi iubet. Ac ne cœtu ſalutantiũ frequentaretur,ſeparat domũ,matremq; transfert in eam quæ Antoniæ fuerat,quoties ipſe illuc uentitaret,ſeptus turba centurionũ,& poſt breue oſculum digrediens. Nihil rerum mortaliũ tam inſtabile ac fluxum eſt, quàm fama potentiæ,non ſua ui nixa.Statim relictum Agrippinæ limen.Nemo ſolari,nemo adire,præter paucas fœminas.amore an odio incertũ.Ex quibus erat Iulia Syllana, quam matrimonio C. Silij à Meſſalina depulſam, ſupra rettuli, inſignis genere, forma laſciua, & Agrippinæ diu perchara: mox occultis inter eas offenſionibus, quia Sextium Africanum nobilem iuuenem à nuptijs Syllanæ deterruerat Agrippina,impudicam & uergentem annis dictitans,non ut Africanum ſibi ſeponeret,ſed ne opibus & orbitate Syllanæ maritus potiretur. Illa ſpe ultionis cauſa oblata, parat accuſatores ex clientibus ſuis Iturium & Caluiſium,nõ uetera,& ſæpius iam audita deferens, quod Britannici mortem lugeret, aut Octauiæ iniurias euulgaret:ſed deſtinauiſſe eam Rubellium Plautum, per maternam originem pari ac Nero gradu à diuo Auguſto, ad res nouas extollere: coniugioq; eius etiam imperio Remp. rurſus inuadere.hæc Iturius & Caluiſius Atimeto Domitię Neronis amitæ liberto aperiũt.Qui lętus oblatis(quippe inter Agrippinam & Domitiã infenſa æmulatio exercebatur)Paridem hiſtrionem libertũ & ipſum Domitiæ impulit ire properè, crimenq; atrociter deferre.Prouecta nox erat,& Neroni per uinolẽtiã trahebatur. Cum ingreditur Paris,ſolitus alioquin id temporis luſus principis intẽdere. Sed tunc compoſitus ad mœſtitiam, expoſitoq; indicij ordine, ita audientem exterret,ut non tantum matrem Plautumq; interficere,ſed Burrum etiam dimouere præfectura deſtinaret, tanq; Agrippinæ gratia prouectum, & uicem reddentẽ.Fabius Ruſticus auctor eſt,ſcriptos eſſe ad Cecinã Thuſcum codicillos mandata ei prætoriarum cohortium cura, ſed ope Senecæ dignationem Burro retentam. Plinius & Cliuius nihil dubitatum de fide præfecti referũt.ſanè Fabius inclinat ad laudes Senecæ cuius amicitia floruit.Nos conſenſum auctorum ſecuturi,quæ diuerſa prodiderint, ſub nominibus ipſorum trademus. Nero trepidus,& interficiendæ matris auidus,non prius differri potuit, quàm Burrus necem eius promitteret, ſi facinoris coargueretur.Sed cuicunq;, nedum parenti defenſionem tribuendam

Germani cuſtodes Agrippinæ

Fama potentiæ

Agrippina accuſatur

Fabius Ruſticus hiſtoricus

dam,nec accuſatores adeſſe,ſed uocem unius ex inimica domo afferri.Re-futare tenebras , & uigilatam conuiuio noctem, omniaq; temeritati & inſcitiæ propiora.Sic lenito principis metu & luce orta, itur ad Agrippinam ut noſceret obiecta,diſſolueretq;,uel pœnas lueret.Burrus ijs mãdatis Seneca coràm fungebatur. Aderant & ex libertis arbitri ſermonis. Deinde à Burro poſtquã crimina & auctores expoſuit,minaciter actum. Agrippina ferociæ memor,Non miror,inquit,Syllanam nunquam edito partu, matrum affectus ignotos habere. Neq; enim perinde à parentibus liberi, quàm ab impudica adulteri mutantur . Nec ſi Iturius & Caluiſius adeſis omnibus fortunis , nouiſſimam ſuſcipiendæ accuſationis operam anui rependunt,ideo aut mihi infamia parricidij,aut Cæſari conſcientia ſubeunda eſt:nam Domitiæ inimicitijs gratias agerem, ſi beniuolentia mecum in Neronem meum certaret.Nunc per cõcubinum Atimetum,& hiſtrionem Paridem quaſi ſcenæ fabulas componit. Baiarum ſuarum piſcinas excolebat,cum meis cõſilijs adoptio,& proconſulare ius,& deſignatio conſulatus,& cætera adipiſcendo imperio præpararentur. Aut exiſtat qui cohortes in urbe tentatas,qui prouinciarum fidem labefactatam, deniq; ſeruos uel libertos ad ſcelus corruptos arguat. Viuere ego Britannico potiente rerum poteram? ac ſi Plautus aut quis alius Remp. iudicaturus obtinuerit, deſunt ſcilicet mihi accuſatores , qui non uerba impatientia charitatis aliquando incauta , ſed ea crimina obijciant,quibus niſi à filio mater abſolui non poſſim. Commotis qui aderant,ultroq; ſpiritus eius mitigantibus, colloquium filij expoſcit. Vbi nihil pro innocentia quaſi diffideret,nec beneficijs quaſi exprobraret diſſeruit , ſed ultionem in delatores & præmia amicis obtinuit.Præfectura annonæ Senio Rufo,cura ludorum qui a Cæſare parabantur Aruntio Stellæ, Ægyptus C. Balbillo permittuntur. Syria Pantello deſtinata,& uarijs mox artibus eluſus,ad poſtremum in urbe retentus eſt.At Syllana in exiliũ acta.Caluiſius quoq; & Iturius relegantur. De Atimeto ſupplicium ſumptum , ualidiore apud libidines principis Paride,quàm ut pœna afficeretur.Plautus ad præſens ſilentio tranſmiſſus eſt. Deferuntur dehinc conſenſiſſe Pallas,ac Burrus,ut Cornelius Sulla claritudine generis,& affinitate Claudij , qui per nuptias Antoniæ, gener erat,ad imperiũ uocaretur.Eius accuſationis auctor extitit Pętus quidam, exercendis apud ærariũ ſectionibus famoſus,& tum uanitatis manifeſtus. Nec tam grata Pallantis innocẽtia,quàm grauis ſuperbia fuit. quippe nominatis libertis eius,quos conſcios haberet,reſpondit,nihil unquam ſe domi,niſi nutu aut manu ſignificaſſe,uel ſi plura demonſtrãda eſſent,ſcripto uſum,ne uocem conſociaret.Burrus quamuis reus,inter iudices ſententiam dixit.Exiliumq; accuſatori irrogatum,& tabulæ exuſtæ ſunt , quibus obliterata ærarij monimenta retrahebat. Fine anni ſtatio cohortis aſſidere ludis ſolita,demouetur,quo maior ſpecies libertatis eſſet, utq; miles thea-

Arbitri ſermonis

Agrippinæ reſponſum

trali licentiæ nõ permixtus,incorruptior ageret,& plebs daret experimen-
tum,an amotis cuſtodibus,modeſtiam retineret. Vrbem princeps luſtra-
uit è reſponſo aruſpicũ, quod Iouis ac Mineruæ ædes de cœlo tactæ erãt.

Q. Voluſio,P.Cepione Coſs.otium foris,fœda domi laſciuia,qua Ne-
ro itinera urbis & lupanaria,& diuerticula,ueſte ſeruili in diſſimulationem
ſui compoſitus pererrabat, comitantibus qui raperẽt ad uenditionem ex-
poſita,& obuijs uulnera inferrẽt aduerſus ignaros, adeo ut ipſe quoq; ex-
ciperet ictus,& ore præferret.Deinde ubi Cæſarẽ eſſe qui graſſaretur per-
notuit, augebanturq; iniuriæ aduerſus uiros fœminaſq; inſignes, & qui-
dam ſimili licẽtia ſub nomine Neronis,multi proprijs cum globis eadem
exercebant,& in modum captiuitatis nox agebatur.Iulius quidem Mon-
tanus ſenatorij ordinis,ſed qui nondum honorem capeſſiſſet, congreſſus
forte per tenebras cum principe quia uim tentantem acriter repulerat, de-
inde agnitum orauerat,quaſi exprobraſſet,mori adactus eſt.Nero autem
metuentior in poſterum,milites ſibi,& pleroſq; gladiatorum circundedit,
qui rixarum initia modica,& quaſi priuata ſinerent.ſi à læſis ualidius age-
retur,arma inferebant.Ludicram quoq; licentiam,& fautores hiſtrionum
uelut in prælia conuertit impunitate & præmijs, atq; ipſe occultus,& ple-
runq; coràm proſpectans: donec diſcordi populo ex grauioris motus ter-
rore,non aliud remedium repertum eſt,quàm ut hiſtriones Italia pelleren
tur,mileſq; theatro rurſum aſſideret. Per idem tempus actum in ſenatu
de fraudibus libertorum, efflagitatumq; ut aduerſus male meritos, reuo-
candæ libertatis ius patronis daretur.Nec deerant qui cenſerent.Sed con-
ſules relationem incipere non auſi ignaro principe,perſcripſere tamen con
ſenſum ſenatus.Ille an auctor conſtitutionis fieret, ut inter paucos & ſen-
Vide Anno-tationes tentiæ aduerſos,quibuſdam coalitam libertate irreuerentiã, eò prorupiſſe
frementibus,ui ne an æquo cum patronis iure agerent, ſententiam eorum
conſultarent,ac uerberibus manus ultro intenderent,impulere uel pœnam
ſuam diſſuadentes. Quid enim aliud læſo patrono cõceſſum, quàm ut ui-
ceſimum ultra lapidem in oram Campaniæ libertũ releget? Cæteras acti-
ones promiſcuas & pares eſſe. Tribuendum aliquod telum quod ſperni
nequeat.Nec graue manumiſſis,per idem obſequium retinẽdi libertatem,
per quod aſſecuti ſint. Ac criminum manifeſtos merito ad ſeruitutem re-
trahi,ut metu coërceantur quos beneficia non mutauiſſent. Diſſerebatur
contra,Paucorum culpam ipſis exitioſam eſſe debere,nihil uniuerſorũ iu-
ri derogandum.quippe late fuſum id corpus.Hinc plerunq; tribus, decuri
as,miniſteria magiſtratibus & ſacerdotibus, cohortes etiam in urbe con-
ſcriptas,& plurimis equitum,pleriſq; ſenatoribus,non aliunde originẽ tra-
hi.Si ſeparentur libertini,manifeſtam fore penuriam ingenuorum:nõ fru-
ſtra maiores cum dignitatem ordinum diuiderent, libertatem in commu-
ni poſuiſſe. Quin & manumittẽdi duas ſpecies inſtitutas, ut relinqueretur

pœnitẽtię

pœnitentiæ aut nouo beneficio locus. Quos uindicta patronus nõ libera-uerit, uelut uinculo ſeruitutis attineri. Diſpiceret quiſq; merita, tardeq; con cederet, quod datum non adimeretur. Hæc ſententia ualuit. Scripſitq; Cæ ſar ſenatui, priuatim expenderent cauſam libertorum, quoties à patronis arguerentur: in commune nihil derogent. Nec multo poſt, ereptus amitæ libertus Paris, quaſi iure ciuili, non ſine infamia principis, cuius iuſſu perpe tratum ingenuitatis iudicium erat. Manebat nihilominus quædã ima-go Reip. Nam inter Bibulium prætorem, & plebei tribunum Antiſtium, ortum certamen: quod immodeſtos fautores hiſtrionum & à prætore in uincula ductos, tribunus omitti iuſſiſſet, cõprobauere patres, incuſata An-tiſtij licentia. Simul prohibiti tribuni ius prætorum & conſulum præri-pere, aut uocare ex Italia cum quibus lege agi poſſet. Addidit L. Piſo deſi-gnatus conſul, ne quid intra domũ pro poteſtate animaduerterent: né ue mulctam ab ijs dictã, quæſtores ærarij in publicas tabulas ante quatuor menſes referrent: medio temporis contradicere liceret. deq; eo conſules ſta tuerent. Cohibita arctius & ædilium poteſtas, ſtatutumq; quantũ cu-rules, quantum plebei pignoris caperent, uel pœnæ irrogarent. Eo Helui-dius Priſcus tribunus plebis, aduerſus Obultronium Sabinũ ærarij quæ-ſtorem contentiones proprias exercuit, tanquam ius haſtæ aduerſus ino-pes inclementer augeret. Dein princeps curam tabularum publicarum à quæſtoribus ad præfectos trãſtulit. Varie habita, ac ſæpe immutata eius rei forma. Nam Auguſtus permiſit ſenatui deligere præfectos. dein ambi tu ſuffragiorum ſuſpecto, ſorte ducebãtur ex numero prætorum qui præ-eſſent. Neq; id diu manſit, quia ſors deerrabat ad parum idoneos. Tunc Claudius quæſtores rurſum impoſuit, ijſq; ne metu offenſionum ſegnius conſulerent, extra ordinẽ honores permiſit. Sed deerat robur ætatis cum primum magiſtratum capeſſentibus. Igitur Nero præfectura perfunctos, & experientia probatos delegit. Damnatus ijſdem conſulibus Vipſani us Lenâs ob Sardiniam prouinciam auare habitam. Abſolutus Ceſtius Proculus repetundarum, cedentibus accuſatoribus. Clodius Quirinalis, quod præfectus remigum qui Rauennæ haberentur, uelut infimam natio num, Italiam luxuria ſæuitiaq; afflictauiſſet, ueneno damnationem ante-uertit. Aminius Rebius ex primoribus peritia legum, & pecuniæ magnitu dine, cruciatus ægræ ſenectæ miſſo per uenas ſanguine effugit, haud credi tus ſufficere ad conſtantiam ſumendæ mortis, ob libidines muliebriter in-famis. At L. Voluſius egregia fama cõceſſit. cui tres & nonaginta anni ſpa-cium uiuendi præcipuæq; opes bonis artibus, inoffenſa tot imperatorum malitia fuit. Nerone ſecundum, L. Piſone conſulibus, pauca memoria di-gna euenere, niſi cui libeat, laudandis fundamẽtis & trabibus, quis molem amphitheatri apud campum Martis Cæſar extruxerat, uolumina imple-re, cum ex dignitate populi Romani repertum ſit, res illuſtres annalibus,

Vindicta liberare

Obultronius Sabinus

Ius haſtæ

Cura tabularum publicarum à quæſtoribus ad Præfectos

Vipſa. Lenâs

Ceſt. Proculus

Clod. Quirinalis

L. Voluſius

Diurna Acta urbis

talia diurnis urbis actis mandare. Cæterum Coloniæ Capua atq; Nuceria, additis ueteranis, firmatæ ſunt. Plebeiq; congiarium quadrigeni nummi uiritim dati, & ſeſtertium quadringenties ærario illatum eſt ad retinendam populi fidem. Vectigal quoq; quintæ & uiceſimæ uenalium mancipiorum remiſſum ſpecie magis quàm ui, quia cum uenditor péndere iuberetur, in partem precij emptoribus accreſcebat. Edixit Cæſar ne quis magiſtratus, aut procurator qui prouinciam obtineret, ſpectaculum gladiatorum, aut ferarum aut quod aliud ludicrum ederet. Nam ante non minus tali largitione, quàm corripiendis pecunijs, ſubiectos affligebãt, dum quæ libidine deliquerant, ambitu propugnant. Factum & S.conſultum ultioni iuxta & ſecuritati, ut ſi quis à ſuis ſeruis interfectus eſſet, ij quoq; qui teſtamento manumiſſi ſub eodem tecto manſiſſent, inter ſeruos ſupplicia péderent. Redditur ordini Luſius Varius cõſularis, auariciæ criminibus olim perculſus. Et Pomponia Græcina inſignis fœmina Plantio, qui ouãs ſe de Britannijs rettulit, nupta, ac ſuperſtitionis externæ rea, mariti iudicio permiſſa.

Pomponia Græcina

Isq; priſco inſtituto propinquis coràm, de capite famaq; coniugis cognouit, & inſontem nunciauit. Longa huic Pomponiæ ætas, & continua triſtitia fuit. Nam poſt Iuliam Druſi filiam dolo Meſſalinæ interfectam, per quadraginta annos, non cultu niſi lugubri, nõ animo niſi mœſto egit. Idq; illi imperitante Claudio impune, mox ad gloriam uertit. Idem annus plures reos habuit, quorum P. Celerem accuſante Aſia, quia abſoluere nequibat Cæſar, traxit ſenecta donec mortem obiret. Nam Celer interfecto ut memoraui Syllano proconſule, magnitudine ſceleris cætera flagitia obtegebat. Coſſucianũ Capitonem Cilices detulerant, maculoſum fœdumq;, & idem ius audaciæ in prouincia ratum, quod in urbe exercuerat. Sed peruicaci accuſatione conflictatus, poſtremo defenſionem omiſit, ac lege repetundarum damnatus eſt. Pro Eprio Marcello à quo Lycij res repetebant, eò uſq; ambitus præualuit, ut quidam accuſatorum eius exilio mulctarentur, tanquam inſonti periculum feciſſent. Nerone tertiũ conſule ſimul inijt cõſulatum Valerius Meſſala, cuius proauum oratorẽ Coruinum, diuo Auguſto abauo Neronis, collegam in eo magiſtratu fuiſſe, pauci iam ſenum meminerant. ſed nobili familiæ honor auctus eſt, oblatis in ſingulos annos quingenis ſeſtertijs, quibus Meſſala paupertatem innoxiam ſuſtentaret. Aurelio quoq; Cottæ & Aterio Antonino annuam pecuniam ſtatuit princeps, quamuis per luxum habitas opes diſſipaſſent.

Eius anni principio, mollibus adhuc initijs prolatatũ inter Parthos Romanosq; de obtinenda Armenia bellum acriter ſumitur: quia nec Vologeſes ſinebat fratrem Tyridatem dati à ſe regni expertem eſſe, aut alienæ id potentiæ donum habere: & Corbulo dignum magnitudine populi Romani rebatur, parta olim à Lucullo Pompeioq; recipere. Ad hæc Armenij ambigua fide utraq; arma inuitabant, ſitu terrarum, ſimilitudine morum

Parthis

Parthis propiores,cōnubiiſq; permixti, ac libertate ignota illuc magis ad ſeruitium inclinantes. Sed Corbuloni plus molis aduerſus ignauiam militum quàm contra perfidiam hoſtium erat. Quippe Syria tranſmotæ legiones pace longa ſegnes,munia Romanorum ægerrime tolerabant. Satis conſtitit fuiſſe in eo exercitu ueteranos,qui non ſtationē, non uigilias iniſſent: uallum foſſamq; quaſi noua & mira uiſerent: ſine galeis, ſine loricis, nitidi & quæſtuoſi,militia per oppida expleta. Igitur dimiſſis quibus ſenecta,aut ualitudo aduerſa erat,ſupplementum petiuit. Et habiti per Galatiam ac Cappadociam delectus. Adiectaq; ex Germania legio cum equitibus alariis,& peditatu cohortiū. Retentusq; omnis exercitus ſub pellibus, quamuis hyeme ſęua adeo ut obducta glacie,niſi effoſſa humus,tentoriis locum nō præberet. Ambuſti multorum artus ui frigoris, & quidam inter excubias exanimati ſunt. Annotatuſq; miles, qui faſcem lignorum geſtabat ita præriguiſſe manus,ut oneri adhærentes,truncis brachiis deciderēt. Ipſe cultu leui,capite intecto,in agmine,in laboribus, frequens adeſſe:laudem ſtrenuis,ſolatium inualidis,exemplum omnibus oſtendere. Dehinc quia duriciam cœli militiæq; multi abnuebant, deſerebantq;,remediū ſeueritate quæſitum eſt. Nec enim ut in aliis exercitibus primum alterumq; delictum uenia proſequebatur,ſed qui ſigna reliquerat, ſtatim capite pœnas luebat. Idq; uſu ſalubre,& miſericordia melius apparuit. Quippe pauciores illa caſtra deſeruere,quàm ea in quibus ignoſcebatur. Interim Corbulo legionibus intra caſtra habitis,donec uer adoleſceret,diſpoſitiſq; per idoneos locos cohortibus auxiliariis, ne pugnam priores adirēt,prædicit. Curam præſidiorum Pactio Orphito primipili honore perfuncto mandat. Is quanquā incautos Barbaros,& bene gerendæ rei caſum offerri ſcripſerat,tenere ſe munimentis, & maiores copias opperiri iubetur. Sed rupto imperio,poſtquam paucæ è proximis caſtellis turmæ aduenerant,pugnamq; imperitia poſcebant,cōgreſſus cum hoſte funditur. Et damno eius exterriti qui ſubſidium ferre debuerant, ſua quiſq; in caſtra trepida fuga rediere. Quod grauiter Corbulo accepit. Increpitumq; Pactium,& præfectos,militeſq; tendere omnes extra uallum iuſſit. Inq; ea contumelia detenti,nec niſi precibus uniuerſi exercitus exoluti ſunt. At Tyridates ſuper proprias clientelas, ope Vologeſi fratris adiutus, non furtim iam,ſed palàm bello infenſare Armeniam,quoſq; fidos nobis rebatur depopulari,& ſi copiæ contraducerentur,eludere,huc quoq; & illuc uolitans, plura fama quàm pugna extrahere. Igitur Corbulo quæſito diu prælio, fruſtra habitus,& exemplo hoſtium circumferre bellum coactus, diſpartit uires,ut legati præfectiq; diuerſos locos pariter inuaderent. Simul Antiochum regem monet,proximas ſibi præfecturas petere. Nam Pharaſmanes interfecto filio Rhadamiſto,quaſi proditore ſuo, quo fidem in nos teſtaretur, uetus aduerſus Armenios odium promptius exercebat. Tunc quoq; pri-

Sub pellibus

mum illecti Iſichi,gens ante alias ſocia Romanis, auia Armeniæ incurſa-uit.Ita conſilia Tyridati in contrarium uertebantur. Mittebatq́ oratores, qui ſuo Parthorumq́ nomine expoſtularent, cur datis nuper obſidibus, redintegrataq́ amicitia,quæ nouis quoq; beneficijs locum aperiret,uetere Armeniæ poſſeſſione depelleretur. Ideo nondũ ipſum Vologeſem commotum,quia cauſa,quàm ui agere mallet.Sin perſtaretur in bello,non defore Arſacidis uirtutẽ fortunamq́ ſæpius clade Romana expertã. Ad ea Corbulo,ſatis cõperto,Vologeſem defectione Hyrcaniæ attineri, ſuadet Tyridati precibus Cæſarem aggredi:poſſe illi regnũ ſtabile, & res incruentas contingere,ſi omiſſa ſpe longinqua & ſera, præſentẽ potioremq́ ſequeretur.Placitum dehinc,quia commeantibus inuicem nuncijs, nihil in ſumma pacis proficiebatur, colloquio ipſorũ tempus locumq́ deſtinari. Mille equitum præſidium Tyridates affore ſibi dicebat,quantum Corbuloni cuiuſq́ generis militum aſſiſteret, non ſtatuere,dum poſitis loricis & galeis,in faciem pacis ueniretur. Cuicunq; mortaliũ, nedum ueteri & prouido duci,barbaræ aſtutiæ patuiſſent. Ideo arctum inde numerum finiri, & hinc maiorem afferri, ut dolus patraretur. Nam equiti ſagittarum uſu exercito,ſi detecta corpora obijcerentur,nihil profuturam multitudinem. Diſſimulato tamen intellectu,rectius de hijs quæ in publicum conſulerentur,totis exercitibus coràm diſſertaturos reſpõdit.Locumq́ delegit, cuius pars altera colles erant clementer aſſurgentes,accipiendis peditum ordinibus,pars in planiciem porrigebatur,ad explicandas equitũ turmas. Dieq́ pacto, prior Corbulo ſocias cohortes & auxilia regum pro cornibus,medio ſextam legionem conſtituit: cui accita per noctem alijs ex caſtris, tria millia tertianorum permiſcuerat,unà cum aquila, quaſi eadẽ legio ſpectaretur.Tyridates uergente iam die procul aſtitit, unde uideri magis quàm audiri poſſet. Ita ſine cõgreſſu dux Romanus abſcedere militẽ ſua quenq; in caſtra iubet.Rex ſiue fraudem ſuſpectans, quia plura ſimul in loca ibatur, ſiue ut commeatus noſtros Pontico mari,& Trapezunte oppido aduentantes interciperet,properè diſcedit. Sed neq; commeatibus uim facere potuit, quia per montes ducebantur præſidijs noſtris inſeſſos: & Corbulo,ne irritum bellum traheretur, utq́ Armenios ad ſua defendenda cogeret,excindere parat caſtella. Sibiq́ quod ualidiſſimũ in ea præfectura, *Volandum* cognomento Volandum,ſumit. minora Cornelio Flacco legato, & Iſteo Capitoni caſtrorum præfecto mandat. Tum circumſpectis munimentis, & quę expugnationi idonea,prouiſis,hortatur milites,ut hoſtem uagum, neq; paci aut prælio paratum,ſed perfidiam & ignauiã fuga confitentem, exuerent ſedibus,gloriæq́ pariter & prædæ conſulerent. Tum quadripartito exercitu,hos in teſtudinem conglobatos,ſubruendo uallo inducit, alios ſcalas mœnibus admouere, multos tormentis faces & haſtas incutere iubet.Libratoribus funditoribusq́ attributus locus,unde eminus glandes

torquerẽt

torquerent: ne qua pars ſubſidium laborantibus ferret,pari undiq; motu. tantus inde ardor certantis exercitus fuit,ut intra tertiam diei partem, nudati propugnatoribus muri,obijces portarum ſubuerſi,capta aſcenſu munimenta,omnesq; puberes trucidati ſint,nullo milite amiſſo,paucis admodum uulneratis.& imbelle uulgus ſub corona uenundatum : reliqua prę da uictoribus ceſſit. Pari fortuna legatus, ac præfectus uſi ſunt, tribusq; una die caſtellis expugnatis,cætera terrore,& alia ſponte incolarum,in deditionem ueniebant. Vnde orta fiducia caput gentis Artaxata aggrediendi. Nec tamen proximo itinere ductæ legiones, quæ ſi amnem Araxem, qui mœnia alluit, ponte tranſgrederentur, ſub ictum dabantur: procul & latioribus uadis tranſiere. At Tyridates pudore & metu: ne ſi conceſſiſſet obſidioni, nihil opis in ipſo uideretur: ſi prohiberet,impeditis locis ſeq; & equeſtres copias illigaret: ſtatuit poſtremo oſtendere acië, & dato die prælium incipere,uel ſimulatione fugæ, locũ fraudi parare. Igitur repente agmen Romanum circumfundit,non ignaro duce noſtro, qui uiæ pariter & pugnæ compoſuerat exercitum: Latere dextro tertia legio, ſiniſtro ſexta incedebat,medijs decumanorũ delectis: recepta inter ordines impedimenta,& tergum mille equites tuebantur,quibus iuſſerat,ut inſtantibus cominus reſiſterent,refugos non ſequerentur. In cornibus pedes ſagittarius,& cætera manus equitum ibat,productior cornu in ſiniſtro per ima collium, ut ſi hoſtis intrauiſſet,fronte ſimul & ſinu exciperetur. Aſſultare ex diuerſo Tyridates,non uſq; ad iactum teli,ſed tum minitans, tum ſpecie trepidantis,ſi laxare ordines & diuerſos conſectari poſſet. Vbi nihil temeritate ſolutum,nec amplius quàm decurio equitum audentius progreſſus, & ſagittis confixus,cæteros ad obſequiũ exemplo firmauerat,propinquis iam tenebris abſceſſit. Et Corbulo caſtra in loco metatus,an expeditis legionibus nocte Artaxata pergeret, obſidioneq; circũdaret agitauit, conceſſiſſe illuc Tyridatem ratus. Dein poſtquã exploratores attulere longinquum regis iter, & Medi an Albani peterentur,incertum, lucem opperitur: præmiſſaq; leuis armatura, quæ muros interim ambiret, oppugnationemq; eminus inciperet. Sed oppidani portis ſponte patefactis, ſe ſuaq; Romanis permiſere,quod ſalutem ipſis tulit. Artaxatis ignis immiſſus, deletaq; & ſolo æquata ſunt: quia nec teneri ſine ualido præſidio, ob magnitudinẽ mœnium,nec id nobis uirium erat,quod firmando præſidio, & capeſſendo bello diuideretur. Vel ſi integra & incuſtodita relinquerentur, nulla in eo utilitas aut gloria quod capta eſſent. Adijcitur miraculũ uelut numine oblatũ. Nam cũcta extra tecta hactenus ſole illuſtria fuere: quod mœnibus cingebatur, ita repẽte atra nube coopertũ,fulguribusq; diſcretũ eſt,ut quaſi infenſantibus deis exitio tradi crederet. Ob hæc cõſalutatus imperator Nero,& ſenatuſcõſulto ſupplicationes habitę: ſtatuæq; & arcus,& continui cõſulatus principi: utq; inter feſtos referret dies,quo patrata uictoria,

Artax...

quo nunciata,quo relatum de ea eſſet, aliaq́ in eandem formã decernun-tur,adeo modum egreſſa, ut C. Caſſius de cæteris honoribus aſſenſus, ſi pro benignitate fortunæ dijs grates agerentur, ne totum quidem annum ſupplicationibus ſufficere diſſeruerit: coq́ oportere diuidi ſacros & nego-tioſos dies, quis diuina colerentur, & humana non impedirent. Varijs deinde caſibus iactatus,& multorum odia meritus reus, haud tamen ſine inuidia Senecæ damnatur. Is fuit P. Suillius imperitante Claudio terribi-lis ac uenalis,& mutatione temporum,non quantum inimici cuperent de-miſſus,quiq́ ſe nocentem uideri,quàm ſupplicem mallet.Eius opprimen-di gratia repetitum credebatur ſenatuſconſultũ, pœnaq́ Cinciæ legis,ad-uerſus eos qui precio cauſas orauiſſent: nec Suillius queſtu aut exprobra-tione abſtinebat, præter ferociã animi extrema ſenecta liber, & Senecam increpans, infenſum amicis Claudij, ſub quo iuſtiſſimum exilium pertu-liſſet.Simul ſtudijs inertibus,& iuuenum imperitiæ ſuetũ, inuidere ijs qui uiuidam & incorruptam eloquẽtiam tuendis ciuibus exercerent. Se quæ-ſtorem Germanici,illum domus eius adulterum fuiſſe. An grauius exiſti-mandum ſponte litigatoris præmium honeſtæ operæ aſſequi, quàm cor-rumpere cubicula principum fœminarum? Qua ſapientia,quibus philoſo phorum præceptis,intra quadriennium regiæ amicitiæ,ter millies ſeſterti-um parauiſſet? Romæ teſtamenta & orbos,uelut indagine eius capi, Itali-am & prouincias immenſo fœnore hauriri.At ſibi labore quæſitã, & mo-dicam pecuniam eſſe.Crimen,periculum,omnia potius toleraturũ, quàm ueterem ac olim partam dignationem ſubitæ felicitati ſubmittere.Nec de-erant qui hæc iiſdem uerbis,aut uerſa in deterius Senecæ deferrent.Reper tiq́ accuſatores,direptos ſocios cum Suillius prouinciam Aſiam regeret, ac publicæ pecuniæ peculatum detulere. Mox quia inquiſitionẽ annuam impetrauerat,breuius uiſum, ſuburbana crimina incipi, quorum obuij te-ſtes erant.Ii acerbitate accuſationis Q. Pomponium ad neceſſitatem belli ciuilis detruſum:Iuliam Druſi filiam, Sabinamq́ Poppæam ad mortem actas: & Valerium Aſiaticum, Luſium Saturninum, Cornelium Lupum circumuentos,iam equitũ Romanorũ agmina damnata, omnemq́ Clau-dij ſæuitiam Suillio obiectabant.Ille nihil ex his ſponte ſuſceptũ, ſed prin cipi paruiſſe defendebat,donec eam orationem Cæſar cohibuit, comper-tum ſibi referens ex commentarijs patris ſui,nullam cuiuſquam accuſatio-nem ab eo coactam. Tum iuſſa Meſſalinæ prætendi, & labare defenſio. Cur enim neminem alium electum,qui ſæuienti impudicæ uocem præbe-ret? Puniendos rerum atrocium miniſtros,ubi precia ſcelerum adepti, ſce-lera ipſa alijs delegent.Igitur adempta bonorum parte (nam filio & nepti pars concedebatur,eximebanturq́ etiam quæ teſtamento matris, aut aui acceperant) in inſula sBaleares pellitur, non in ipſo diſcrimine, non poſt damnationem fractus animo.Ferebaturq́ copioſa & molli uita, ſecretum illud

C. Caſſius · *Sacri dies Negotioſi* · *P. Suillius* · *Annua inquiſitio*

illud tolerauiſſe. Filium eius Nerulinum aggreſſis accuſatoribus per inuidiam patris, & crimina repetūdarum, interceſſit princeps, tanquam ſatis expleta ultione. Per idem tempus Octauius Sagitta plebei tribunus Pontiæ mulieris nuptæ amore uecors, ingentibus donis adulterium, & mox ut omitteret maritum emercatur, ſuum matrimonium promittens, ac nuptias eius pactus. Sed ubi mulier uacua fuit, nectere moras, aduerſam patris uoluntatem cauſari, repertaq; ſpe ditioris coniugis, promiſſa exuere. Octauius contra modo conqueri, modo minitari, famam perditam, pecuniam exhauſtam obteſtans, deniq; ſalutem quę ſola reliqua eſſet, arbitrio eius permittens. Ac poſtquam ſpernebatur, noctem unam ad ſolatiū poſcit, qua delinitus, modum in poſterum adhiberet. Statuitur nox. Et Pontia conſciæ ancillæ cuſtodiā cubiculi mandat. Ille uno cum liberto ferrum ueſte occultum infert. Tum ut aſſolet in amore & ira, iurgia, preces, exprobratio, ſatisfactio, & pars tenebrarū libidine ſepoſita. Et queſtu incenſus, nihil metuentem ferro tranſuerberat, & accurrentem ancillam uulnere abſterret, cubiculoq; prorumpit. Poſtera die manifeſta cædes, haud ambiguus percuſſor, quippe manſitaſſe unà conuincebatur. Sed libertus ſuū illud facinus profiteri, ſe patroni iniurias ultū eſſe. Commoueratq; quoſdam magnitudine exempli, donec ancilla ex uulnere refecta, uerum aperuit, poſtulatusq; apud conſules à patre interfectæ, poſtquam tribunatu abierat, ſententia patrū, & lege Cornelia de ſiccarijs condemnatur. Non minus inſignis eo anno impudicitia, maiorum Reip. malorum initium fecit. Erat in ciuitate Sabina Poppæa, T. Ollio patre genita, ſed nomen aui materni ſumpſerat, illuſtri memoria Poppæi Sabini conſulari & triumphali decore præfulgentis. Nam Ollium honoribus nondum functum amicitia Seiani peruertit. Huic mulieri cuncta alia fuere, præter honeſtum animum. Quippe mater eius ætatis ſuæ fœminas pulchritudine ſupergreſſa, gloriam pariter & formam dederat. Opes claritudini generis ſufficiebant. Sermo comis, nec abſurdum ingenium modeſtiam pręferre, & laſciuia uti. rarus in publicum egreſſus: idq; uelata parte oris, ne ſatiaret aſpectum, uel quia ſic decebat. Famæ nunquam pepercit, maritos & adulteros non diſtinguens, neq; affectui ſuo aut alieno obnoxia. unde utilitas oſtēderetur, illuc libidinē transferebat. Igitur agentē eam in matrimonio Rufi Criſpi equitis Romani, ex quo filium genuerat, Otho pellexit iuuenta ac luxu, & quia flagrantiſſimus in amicitia Neronis habebatur. Nec mora quin adulterio matrimoniū iungeretur. Otho ſiue amore incautus, laudare formam elegantiamq; uxoris apud principem: ſiue ut accenderet, ac ſi eadem fœmina potirentur, id quoq; uinculum potentiam ei adijceret. Sæpe auditus eſt conſurgens ē conuiuio Cæſaris, ſe ire ad illam, ibi conceſſam dictitans nobilitatē, pulchritudinē, uota omniū, & gaudia felicium. His atq; talibus irritamentis, non longa contatio interponitur. Sed accepto aditu, Poppæa

Octauius Sagitta

Sabina Poppæa

Ruf. Criſpus
Otho

Poppæa primum per blandimēta & artes ualeſcere, imparem cupidini ſe, & forma Neronis captam ſimulans: mox acri iam principis amore, ad ſuperbiam uertens, ſi ultra unam alteramq́ noctem attineretur, nuptā eſſe ſe dictitans, nec poſſe matrimonium amittere, deuinctam Othoni per genus uitæ, quod nemo adæquaret. Illum animo & cultu magnificum: ibi ſe ſumma fortuna dignam uiſere, At Neronem pellice ancilla & aſſuetudine Actes deuinctū, nil è cōtubernio ſeruili, niſi abiectū & ſordidum traxiſſe. Deijcitur familiaritate ſueta, poſt congreſſu & comitatu Otho, & poſtremo, ne in urbe æmulatus ageret, prouinciæ Luſitaniæ præficitur. Vbi uſq; ad ciuilia arma, nō ex priore infamia, ſed integre ſanctèq; egit, procax otij, & poteſtatis temperantior. Hactenus Nero flagitijs & ſceleribus uelamenta quæſiuit. Suſpectabat maxime Corneliū Syllam, ſocors ingenium eius in contrariū trahens, callidumq́ & ſimulatorē interpretando. Quem metum Graptus ex libertis Cæſaris, uſu & ſenecta à Tiberio uſq; domum principū edoctus, tali mendacio intendit. Pons Miluius in eo tempore celebris nocturnis illecebris erat, uētitabatq́ illuc Nero, quo ſolutius urbem extra laſciuiret. Igitur regredienti per uiam Flaminiā compoſitas inſidias, fatoq́ euitatas, quoniā diuerſo itinere Salluſtianos in hortos remeauerit, auctoremq́ eius doli Syllam ementitur: quia forte redeuntibus miniſtris principis, quidā per iuuenilem licentiā quæ tunc paſſim exercebatur, inanem metū fecerant. Neq; ſeruorū quiſquā, neq; clientium Syllæ agnitus. Maxime deſpecta & nullius auſi capax natura eius à crimine abhorrebat: perinde tamen quaſi conuictus eſſet, cedere patria, & Maſſilienſiū mœnibus coërceri iubetur. Iiſdem cōſulibus auditæ Puteolanorū legationes, quas diuerſas ſenatorius ordo plebsq́ ad ſenatū miſerant: illi uim multitudinis, hi magiſtratuū & primi cuiuſq; auaritiā increpantes. Cumq; ſeditio ad ſaxa & minas ignium progreſſa necē & arma perliceret, C. Caſſius adhibendo remedio delectus. quia ſeueritatē eius non tolerabant, precante ipſo, ad Scribonios fratres ea cura transfertur, data cohorte prętoria: cuius terrore & paucorū ſupplicio, redijt oppidanis concordia. Non referrem uulgatiſſimū ſenatuſconſultū, quo ciuitati Syracuſanorū egredi numerum edendis gladiatoribus finitū permittebatur, niſi Pætus Thraſea contradixiſſet, prębuiſſetq́ materiā obtrectatoribus arguendæ ſentētiæ. Cur enim ſi Remp. egere libertate ſenatoria crederet, tam leuia conſectaretur? quin de bello aut pace, de uectigalibus & legibus, quibusq́ alijs Romana continentur, ſuadere diſſuaderéue licere patribus: quoties ius dicendæ ſententiæ accepiſſent, quæ uellent expromere, relationemq́ in ea poſtulare. An ſolū emendatione dignū, ne Syracuſis ſpectacula largius ederentur? Cætera per omnes imperij partes perinde egregia, q̃ ſi non Nero, ſed Thraſea regimen eorum teneret? Quæ ſi ſumma diſſimulatione tranſmitterentur, quanto magis inanibus abſtinendū? Thraſea contra, rationē poſcentibus amicis

Corn. Sylla

Graptus libertus

Puteolani

amicis,non præſentium ignarum reſpondebat,eiuſmodi conſulta corrigere:ſed patrum honori dare,ut manifeſtũ fieret,magnarũ rerum curam non diſſimulaturos,qui animũ etiam leuiſſimis aduerterẽt. Eodem anno crebris populi flagitationibus,immodeſtiã publicanorũ arguentis, dubitauit Nero an cuncta uectigalia omitti iuberet:idq; pulcherrimũ donum generi mortaliũ daret.Sed impetũ eius, multũ prius laudata magnitudine animi, attinuere ſenatores, diſſolutionem imperij docendo,ſi fructus quibus Reſp.ſuſtineretur,diminuerẽtur:Quippe ſublatis portorijs, ſequens ut tributorum abolitio expoſtularetur:Pleraſq; uectigaliũ ſocietates, à conſulibus & tribunis plebis conſtitutas acri etiam populi Ro.tum libertate.Reliqua mox ita prouiſa,ut ratio quæſtuũ & neceſſitas erogationũ inter ſe congruerent. Temperandas planè publicanorũ cupidines,ne per tot annos ſine querela tolerata, nouis acerbitatibus ad inuidiã uerterent. Ergo edixit princeps ut leges cuiuſque publici occultæ ad id tempus, proſcriberentur, omiſſas petitiones non ultra annũ reſumerent.Romæ prætor,per prouincias qui pro prætore aut conſule eſſent,iura aduerſus publicanos extra ordinem redderent.Militibus immunitas ſeruaretur,niſi in ijs quæ ueno exercerent.Aliaq; admodũ ęqua:quæ breui ſeruata,dein fruſtra habita ſunt. Manet tamen abolitio quadrageſimæ quinquageſimæq;, & quæ alia exactionibus illicitis nomina publicani inuenerãt. Temperata apud tranſmarinas prouincias frumenti ſubuectio.Et ne cenſibus negotiatorũ naues aſcriberentur,tributumq; pro illis penderent,conſtitutũ. Reos ex prouincia Africa, qui proconſulare imperiũ illic habuerãt,Sulpiciũ Camerinum, & Pomponiũ Siluanum, abſoluit Cæſar. Camerinũ aduerſus priuatos & paucos, ſæuitiæ magis q; captarum pecuniarũ crimina obijcientes. Siluanum magna uis accuſatorũ circũſteterat,poſcebatq; tempus euocãdorum teſtium:reus illico defendi poſtulabat.Valuitq; pecunioſa orbitate & ſenecta, quam ultra eorũ uitam produxit, quorũ ambitu euaſerat. Quietæ ad id tempus res in Germania fuerãt, ingenio ducum,qui peruulgatis triumphi inſignibus,maius ex eo decus ſperabant,ſi pacem continuauiſſent. Paulinus Pompeius,L.Vetus ea tempeſtate exercitui præerãt. Ne tamen ſegnem militẽ attinerent,ille inchoatũ ante tres & ſexaginta annos à Druſo aggerẽ cohercendo Rheno,abſoluit: Vetus Moſellam atq; Ararim facta inter utrunq; foſſa cõnectere parabat,ut copiæ per mare,dein Rhodano & Arare ſubuectæ,per eam foſſam,mox fluuio Moſella,in Rhenũ,ex in Oceanũ decurrerent,ſublatiſq; itinerũ difficultatibus, nauigabilia inter ſe occidentis ſeptentrioniſq; littora fierent. Inuidit operi Helius Gracilis Belgicæ Legatus,deterrendo Vetere, ne legiones alienæ prouinciæ inferret,in ſtudiaq; Galliarũ affectaret,formidoloſum id imperatori dictitans, quo plerunq; prohibentur conatus honeſti. Cæterum continuo exercituum otio fama inceſſit,ereptũ ius Legatis ducendi in hoſtem. Eoq; Friſij iuuentutẽ

Vectigalia

Moſella atq; Araris foſſa connectendi

Friſij

iuuentutem ſaltibus aut paludibus,imbellem ętatē per lacus admouere ri-
Verritus pæ,agrosq́ uacuos,& militum uſui ſepoſitos inſedere,auctore Verrito,&
Maloriges Malorige qui nationem eam regebant,in qua tum Germanici regnabant.
Iamq́ finxerant domos,ſemina aruis intulerant, utq́ patriū ſolum exer-
cebant, cum Dubius Auitus accepta à Paulino prouincia, minitando uim
Romanã,niſi abſcederent Friſij ueteres in locos,aut nouã ſedem à Cæſare
impetrarent,perpulit Verritum & Malorigem preces ſuſcipere.Profectiq́
Romã,dum alijs curis intentū Neronem opperiuntur,inter ea quæ Barba
ris oſtentantur intrauere Pompeij theatrum,quo magnitudinē populi ui-
ſerent. Illic per otium (neq; enim ludicris ignari oblectabantur)dum con-
ſeſſum caueæ,diſcrimina ordinū,quis eques,ubi ſenatus percunctātur,ad-
uertere quoſdã cultu externo in ſedibus ſenatorū:& quinam forēt rogitan
tes, poſtq́ audiuerant, earum gentiū Legatis id honoris datum,quæ uir-
tute & amicitia Romana præcellerent, NVLLOS MORTALIVM
ARMIS AVT FIDE ANTE GERMANOS ESSE,exclamāt,
digrediunturq́ & inter patres conſidunt.quod comiter à uiſentibus exce-
Nero Friſiorum legatos ciuitate Romana donat ptum, quaſi impetus antiqui, & bona æmulatio. Nero ciuitate Romana
ambos donauit.Friſios decedere agris iuſſit.Atq; illis aſpernantibus,auxi-
liaris eques repente immiſſus,neceſſitatē attulit captis cæſiſúe qui peruica-
Anſibarij cius reſtiterant. Eoſdem agros Anſibarij occupauere,ualidior gens non
Chauci modo ſua copia,ſed adiacentiū populorū miſeratione: quia pulſi à Chau-
cis & ſedis inopes, tutum exiliū orabant.Aderatq́ ijs clarus per illas gen-
Boiocalus tes,& nobis quoq; fidus,nomine Boiocalus,uinctum ſe rebellione Cheru
ſca,iuſſu Arminij referens,mox Tiberio & Germanico ducibus, ſtipendia
meruiſſe,quinquaginta annorū obſequio.Id quoq; adiungere, quod gen-
tem ſuam ditioni noſtræ ſubijceret.Quotam partē campi iacere, in quam
pecora & armenta militū aliquando tranſmitterentur? Seruarent ſanè re-
ceptos gregibus inter hominū famam,modo ne uaſtitatem & ſolitudinem
Chamaui mallent,q́ amicos populos.Chamauorū quondam ea arua,mox Tuban
Tubantes tum,& poſt Vſipiorum fuiſſe.Sicut cœlū dijs,ita terras generi mortalium
Vſipij datas:quæq́ ſint uacuæ,eas publicas eſſe.Solem deinde reſpiciens,& cæte
ra ſydera uocans, quaſi coram interrogabat, uellént ne contueri inane ſo-
lum?potius mare ſuperfunderent aduerſus terrarū ereptores. Et cōmotus
his Auitus,patienda meliorū imperia.Id dijs quos implorarent placitum,
ut arbitriū penes Romanos maneret,quid darent, quid adimerent,neque
alios iudices q́ ſeipſos paterentur. Hæc in publicū Anſibarijs reſpondit,
Ipſi Boiocalo,ob memoriã amicitię daturū agros.quod ille,ut proditionis
precium aſpernatus, addidit, Deeſſe nobis terra,in qua uiuamus, in qua
moriamur non poteſt.atq; ita infenſis utrinq; animis diſceſſum. Illi Bru-
Bructeri cteros,Tencteros,ulteriores etiam nationes ſociaſq́ bello uocabant.Aui-
tus ſcripto ad Curtiliū Manciam ſuperioris exercitus Legatū,ut Rhenum
tranſgreſſus

tranſgreſſus, arma à tergo oſtenderet, ipſe legiones in agrum Tencterum induxit, excidiũ minitans, niſi cauſam ſuam diſſociarent. Igitur abſiſtentibus his, pari metu exterritis Bructeris, & cæteris quoq; aliena pericula deſerentibus ſola Anſibariorũ gens retro ad Vſipios & Tubantes conceſſit: quorum terris exacti, cum Cattos, dein Cheruſcos petiſſent, errore longo, hoſpites, egeni, hoſtes in alieno, quod iuuentutis erat, cæduntur. Imbellis ætas in prædã diuiſa eſt. Eadẽ æſtate inter Hermunduros Cattosq; certatum magno prælio, dum flumen gignendo ſale fœcundũ, & contermi num, ui trahunt, ſuper libidinẽ cuncta armis agendi, religione inſita, eos maxime locos propinquare cœlo, precesq; mortaliũ à deis nuſquã propius audiri. Inde indulgentia numinũ illo in amne, illisq; ſyluis ſalem prouenire, nõ ut alias apud gentes eluuie maris areſcente unda, ſed ſuper ardentem arborũ ſtruem fuſa, contrarijs inter ſe elementis, igne atq; aquis concreta. Sed bellũ Hermunduris proſperum, Cattis exitio fuit: quia uictores diuerſam aciem Marti ac Mercurio ſacrauere, quo uoto, equi, uiri, cuncta uicta occidioni dantur. Et minæ quidẽ hoſtiles in ipſos uertebãtur. Sed ciuitas Iuhonum ſocia nobis malo improuiſo afflicta eſt. Nam ignes terra editi, uillas, arua, uicos, paſſim corripiebãt, ferebanturq; in ipſa conditæ nuper Coloniæ mœnia. neq; extingui poterant, nõ ſi hymbres caderent, non ſi fluuialibus aquis, aut quo alio humore niterentur: donec inopia remedij, & ira cladis, agreſtes quidam eminus ſaxa iacere, dein reſidentibus flammis propius ſuggreſſi, ictu fuſtium, alijsq; uerberibus, ut feras abſterrebant: poſtremo tegmina corpori direpta inijciunt, quanto magis profana, & uſu polluta, tanto magis oppreſſura ignes. Eodem anno Ruminalem arborẽ in comitio, quę ſuper octingentos & quadraginta ante annos Remi Romulisq; infantiam texerat, mortuis ramalibus & areſcente trunco deminutam, prodigij loco habitum eſt, donec in nouos fœtus reuiuiſceret.

Hermũduros inter Cattos que bellum

Ciuitas Iuhonum

Ruminalis arbor

FINIS XIII LIBRI

BEATI RHENANI IN LIBRVM DECIMVM QVARTVM CASTIGATIONES.

IAmq; laſciuia oſcula.) Scripſimus, laſciua oſcula.

Iuſſum dehinc remigibus.) Repoſui. Viſum dehinc re.

Nando deinde occurſu lenunculorũ Lucrinũ in lacũ uectam.) Mirum obſequiũ lenunculorũ qui nanti Agrippinę nantes occurrerint. prę ſciebãt ergo caſum. Mendoſa dictio eſt lenunculorũ, repoſui, occurſu lembunculorum, hoc eſt nauicularum. Nam diminutiua uox eſt, à lembo. *Lembunculi*

Et hactenus addito diſcrimine.) Correximus. Et hactenus adito diſcri.

Niſi quid Burrus & Seneca expergiſcerentur.) Codex regis Coruini hic habet, expurgent, ſed eraſa priori ſcriptura.

Et eò deſcenſum credebant.) Illic apparet fuiſſe ſcriptũ, an eo deſcenſum credebant. Legerim, Iam eò deſcenſum credebant.

Illos inuidiæ dari imperium.) Sic caſtigator quiſpiam ſemiliteratus, illo ſiui die, quod ſcriba Hiſpanus opinor ſcripſerat, reſtituendum putauit, quum ſiui in ſibi mutandum fuerit.

Diuerſa rogantium.) Scribendum, rogitantium.

Reliquum noctis.) Emendauimus, reliquo noctis.

Et luiſſe eam pœnã conſcientia.) Addidimus pronomen, ea, Et luiſſe eam pœnam ea conſcientia.

Ac poſteaquam fruſtra oblata ſint.) Forte, fruſtrata ſit. Offertur tamen ſtuprum, & uitium.

Quod fortuitum fuiſſet.) Scripſi. Quod fortuitum fuiſſe.

An obſequiũ ſenatus an ſtudia plebis repeteret

An obſequium ſenatus, an ſtudia plebis reperiret anxio.) Budenſe exemplar habet, repeteret. Vt intelligas dubitaſſe Neronem, ad ſenatum ne confugeret, an potius ad plebem, & utris magis fidendum. Itaq; ſic locum emendauimus.

Quorum non alia regio fœcundior extitit.) Scripſimus, regia. Hoc eſt aula. Quod hic de deterrimis apud Neronem ſcribit, poſſet hodie de doctiſſimis apud Henricum VIII Angliæ regem dici, quorum non alia regia fœcundior extat.

Vetus illi copia erat

Vetus illi cura erat.) In Budenſi codice legitur. Vetus illi copia erat.

Et ſi eodem princeps trahat, lætum.) Illinc repoſuimus. Et ſi eò princeps t. l.

Cæterum uulgatus pudor.) Caſtigauimus, euulgatus pudor.

Et poſita uero irritamenta luxus.) Emendaui. Et poſita ueno, hoc eſt ut uenum darentur.

Scenas incedit

Poſtremus ipſe ſcenas aſcendit.) Scribendum, incedit. Nam hoc uerbum Tacitus cum accuſatiuo copulat. Vt infra. Græci amictus quos per eos dies plerique inceſſerant. Et mox. Quia fontem aquæ Martiæ ad urbẽ deductæ, nando inceſſerat. Sic libro primo: Incedunt mœſtos locos, uiſuq; ac memoria deformes.

Abſiſtentium facie

Aſſiſtentibus familiaribus abſceſſerat.) Legerim, Abſiſtẽtium facie abſceſſerat cohors militum. De uerbo abſiſto monuimus ante.

Hi dies ac noctes.) Pronomen hij nõ eſt in regio libro. Vt ſit continua lectio, Et pars ingenio procaces, alij in ſpe potentiæ, dies ac noctes plauſibus perſonare.

Eruebantur.) Manuſcriptum exemplar habet, ruerentur. Forte, ut contraria aſſeuerantium diſcordiæ quererentur.

Quam clariorem effecit.) Forte, quæ clariorem effecit.

Hunc illum numine deûm deſtinari credebant.) Malim, hinc illum.

Ad occupandum Tygranocerta.) Scripſimus, ad occupanda Tygranocerta.

At præſidium legerat.) Volumen regium habet, At præſidium legerat. Forte At præſidium alterum.

Pars Nipoliq; & Ariſtobolo.) Illic tantum eſt, Nipuli & Ariſt. Quid ſi legas, pars populi Ariſtobolo atq; Antiocho parere iuſſæ ſunt.

Veterani Tarentũ & Antium aſcripti.) Lectio codicis ueteris. Veterani Tarentum aſcripti.

Vibij Criſpi fratris fauore enixus.) Illic legitur, fratri ſororibus enixus. Lego, Vibij Criſpi fratris honoribus enixus.

Præſidium poſthac impoſitum uictis.) Repoſuimus, uicis.

Præducere

Neq; foſſam aut uallum produxerunt.) Scripſimus, præduxerunt. Item paulopoſt, in Galliam tranſijt.

At Suetonius mira conſtantia medius inter hoſtes.) Emendauimus, medios inter hoſtes.

Eadem clades municipio Verulamio fuit &c.) Senſus eſt: Barbari municipijs quę nullo milite defenderent̃ imminebãt. At caſtella pręſidiaq; Romanorũ omittebãt. Expone. Et aliorũ, hoc ẽ etiã aliorũ, ſ. municipiorũ inſignes pr ędas petebãt.

Velut

Velut cuneo erupit.) Fecimus,ut cuneus erupit.

Simul in urbe mandabat.) Correximus.Simul in urbem mandabat.

Ad fortunam reipublicæ.) Budenſis codex.Ad fortunam ipſius referebat.

Nondum cognita libertorum potentia erat.) Illic eſt,libertinorum.

Detentusq; rebus gerundis Suetonius, qui quod poſt paucas naues in littore, remigiumq; in ijs amiſerat.) In uolumine regis Coruini, non eſt pronomen qui, & pro poſt paucas legitur,perpaucas.Proinde locum ſic reſtituimus.Detentusq; reb.gerundis Suetonius,quod perpaucas naues in littore remigiumq; in ijs amiſerat,tanquam durante bello tradere exercitũ Petronio Turpiliano, qui iam conſulatu abierat,iubetur.

Eius propinquus.) Illic,& propinquus.Forte,ei.

Vicio Rufino.) Exemplar manuſcriptum,Vincio Rufino. Forte,Vinicio.

Vendidiſſetue.) Illic tantum,uendidiſſet.Sed tamen apparebat raſura. Melius autem placet,Senatuſconſultum,quàm quod illic legitur,ſenatuſconſulto.

Siue amori exoleti infenſus.) Emendauimus,Siue amore exoleti infenſus.

Senatus in quo ipſo erãt ſtudia.) Scripſimus,ſenatusq;.Et ſic diſtinximus uerba,ſenatusq;(in quo ipſo erant ſtudia nimiam ſeueritatẽ aſpernantium) pluribus nihil mutandum cenſentibus.Expone.Pluribus ſenatus,hoc eſt pluribus è ſenatu nihil mutandum cenſentibus.

Quod hodie uenit.) Scribendum uidetur.Quod hodie euenit.

At quem dignitas ſua defendet.) Volumen Budenſe, ut quem. Poſſet etiam legi,Ecquem dignitas ſua defendet.

Auertit.) Illic eſt aduertit. Legerim, quæ ne in metu, ſiue motu, pericula noſtra aduertit.Cum datiuo conſtruit hoc uerbũ libro tertio. Ne princeps,antiquæ parſimoniæ durius aduerteret.Alibi uſurpat aduertere pro in ſe uertere,ſiue commouere. Vt libro quarto. Atq; illic eadem actitando recentia ueteraq; odia aduertit.Libro quinto, Vt uulgum miſeratione aduerteret. *Aduertere*

Sed & ſi nunc primum ſtatuendũ haberemus.) Liber regius,Sed ſi. Conijcio leg.deliberatum eſt,ac ſi nunc primum ſtat.h.creditis ne ſeruum interficiendi domini animum ſumpſiſſe. Sic enim ſcripſimus pro inſumpſiſſe.

Num & ex fuſo exercitu,) Caſtigaui. Nam & ex fuſo exercitu.

Etiam ſtrenui non ſortiuntur.) Negatiuam particulã non,ſuſtulimus. Quippe recte habet ſententia. Nam & ex fuſo exercitu,quũ decimus quiſq; fuſte feritur,etiam ſtrenui ſortiuntur. Vſurpat autem hic ſortiuntur paſſiue.

Et ſaxa ac faces.) Particulam & induximus,

Ne mos antiquus,quem miſericordia non minuerat, per ſæuitiam incenderetur.) Malim, intenderetur.

Ne condemnatus à ſenatu.) Scripſimus. Vt condemnatus à ſenatu.

Et nulla neceſſitate obſtricto ſenatui.) Caſtigaui,ſenatu.

Quin in inſulã.) Emendauimus.Quin inſula.Nam Tacitus frequenter omittit prepoſitiones,in,de,ex,à uel ab.

Libertas Thraſeæ ſeruitium aliorum rupit.) Deprauatum hic uocabulum eſt ſeruitium.Correximus,ſilentium aliorũ rupit.

Datam & abſoluendi licentiam.) Repoſuimus.Data etiam abſoluendi licentia.Vbi licentiam uides in bonam quoq; partem accipi.Sic libro primo. Cur ueniſſet,neq; augendis militum ſtipendijs,neq; adleuandis laboribus, deniq; nulla bene faciendi licentia. *Licentia*

Iis libris quibus nomen codicillorum dederat.) Illic, ijs libris codicillorum quibus nomen dederat.Nec refert,ſi recte diſtinguas.

Venditata ab eo munere principis.) Exemplar regiũ. Vendicata ab eo mu-

nere principis. Paulopoſt uidetur ex ſcriptura regij codicis potius legendum, incertum ualitudine an ueneno.

Illitum palatum eius noxio med.) Genitiuus eius non eſt in Budenſi uolumine. Sicut nec mox accuſatiuus eum. Quum ad uiſendum eum princeps ueniſſet.

Sine queſtu tractabat.) Poſſet etiam legi, tractauerat.

Et quæ illi pro genitis moribus fuere.) Illic legitur, atque illi. Legerim, ac quæ illi. Pro genitis uero cognatis. Igitur emendauimus, pro cognatis moribus fuere.

Ex intimis libidinibus aſſumens.) Scripſimus, & intimis libidinib. aſſumens.

Et priuatim ſupra modum euectas opes.) Mutauimus priuatim in priuatum.

Innumeram pecuniam dediſti.) Codex Budenſis, circumdediſti. Subauditur hic & particula, gratiam immenſam & innumerã pecuniã circumdediſti. ſ. mihi.

Poſſumus ſeniores amici, quiete reſpondere.) Conijcio legendum. Poſcimus ſeniores amici quietem reſpondere. Nam uolumen regium habet quietem.

Qui & modica tolerarunt.) Caſtigauimus. Qui & modica tolerarent.

Bellis & periculis meruerant.) Scripſi, Bello & periculis meruerant. Paulopoſt, inornatumq́ robur. Forte, innatumq́ robur, ſiue eneruumq́ robur.

Vnde amico infamiam parit.) Repoſuimus, parat.

Quia à pluribus ſalus eius curabatur.) Præpoſitionem à deleuimus. Paulo poſt forte melius ſit legere: Et magni nominis miſeratione reperturum bonos. id eſt, ob miſerationem.

Tot enim ueniebant.) Scripſimus. Tot enim adueniebant.

Quæ ad uſque bellum eualeſcerent.) Quid ſi quis legat, quoad uſque bellum eualeſceret.

Coetanum Græci.) Nos, Cœranum.

De cædibus Syllæ Plautiq́.) Scripſimus, de cæde Syllæ Plautiq́. Nec erat hic opus uocabulo pluratiui numeri.

His (haud quaquam Nero pœnitentia flagitij.) In regio uolumine legitur: His tanquam pœnitentia flagitij. Malim, Hijs Nero tanquam pœnitẽtia flagitij.

Itur etiam in principis laudes, repetitum uenerantur.) Emendauimus, repetitum uenerantium.

Quæ ſemper odio tumens, metu atrox.) Repoſuimus ex Budenſi: Quæ ſemper odio tum & metu atrox.

In ſeruitio.) Scripſimus, ſeruo.

Et quæſtionibus ancillarum illuſerat.) Repoſuimus, eluſerat.

Præſentẽ ſæuitiam eleuabãt Et præſentem ſæuitiã melioris olim fortunæ recordatione alleuabant.) Emendauimus, eleuabant, hoc eſt minuebant, quæ elegantiſſima uerbi huius ſignificatio ſatis nota eſt.

At puella uiceſimo ætatis anno.) Scripſimus, Ac puella.

Communesq́ Germanicos.) Reſtituimus locum. Quum iam uiduam ſe, & tantum ſororem teſtaretur, communeq́ Germanici, & poſtremo Agrippinæ nomen cieret.

FINIS

P. CORNELII TACITI AB EXCESSV DIVI AVGVSTI ANNALIVM

LIBER XIIII

CAIO Vipſano,Fonteio Coſs. diu meditatum ſcelus non ultra Nero diſtulit, uetuſtate imperij coalita audacia,& flagrantior in dies amore Poppeæ,quæ ſibi matrimonium, & diſſidium Octauiæ incolumi Agrippina haud ſperans, crebris criminationibus, aliquãdo per facetias incuſaret principem, & pupillum uocaret, qui iuſſis alienis obnoxius non modo imperij, ſed libertatis etiã indigeret. Cur enim differri nuptias ſuas? formam ſcilicet diſplicere,& triumphales auos. An fœcunditatem, & uerum animũ timeri? ne uxor ſaltem iniurias patrum ,iram populi aduerſus ſuperbiam auaritiamq; matris aperiat. Quod ſi nurũ Agrippina non niſi filio infeſtam ferre poſſet,reddatur ipſa Othonis coniugio, ituram quoquò terrarum, ubi audiret potius contumelias imperatoris quàm uiſeret periculis eius immixta. Hæc atq; talia lachrymis & arte adulteræ penetrantia,nemo prohibebat:cupientibus cunctis infringi matris potentiam,& credente nullo,uſq; ad cædem eius duratura filij odia. Tradit Cliuius ardore retinendæ Agrippinam potentiæ eo uſq; prouectam, ut medio diei, cum id temporis Nero per uinum & epulas incaleſceret, offerret ſe ſæpius temulento comptam,& inceſto paratã.Iamq; laſciua oſcula prænuncias flagitij blanditias annotantibus proximis,Senecam contra muliebres illecebras,ſubſidiũ à fœmina petiuiſſe:immiſſamq; Acten libertam, quæ ſimul ſuo periculo,& infamia Neronis anxia, deferret, peruulgatum eſſe inceſtum gloriante matre,nec toleraturos milites profani principis imperium. Fabius Ruſticus non Agrippinæ,ſed Neroni cupitum id memorat,eiuſdemq; libertæ aſtu diſiectũ.Sed quæ Cliuius eadem cæteri quoq; auctores prodidere, & fama huc inclinat, ſeu conceperit animo tantũ immanitatis Agrippina, ſeu credibilior nouæ libidinis meditatio in ea uiſa eſt,quæ puellaribus annis ſtuprum cum Lepido ſpe dominationis admiſerat,pari cupidine uſq; ad libita Pallantis prouoluta,& exercita ad omne flagitium patrui nuptijs. Igitur Nero uitare ſecretos eius cõgreſſus.Abſcedentem in hortos, aut Tuſculanũ uel Antiatem in agrũ, laudare quod otium laceſſeret.Poſtremo ubicunq; haberetur,prægrauem ratus, interficere conſtituit, hactenus conſultans,ueneno, an ferro, uel qua alia ui.Placuitq; primo uenenum.Sed inter epulas principis ſi daretur, referri ad caſum non poterat, tali iam Britannici exitio. Et miniſtros tentare arduum uidebatur mulieris uſu ſcelerum aduerſus inſidias intentę.atq; ipſa præſu-

mendo remedia munierat corpus. Ferrũ & cædes quo nam modo occultaretur nemo reperiebat, & ne quis illi tanto facinori delectus, iuſſa ſperneret metuebat. Obtulit ingenium Anicetus Libertus, claſſis apud Miſenum præfectus, & pueritiæ Neronis educator, ac mutuis odijs Agrippinæ inuiſus. Ergo nauem poſſe componi docet, cuius pars ipſo in mari per artem ſoluta, effunderet ignaram: Nihil tam capax fortuitorum quàm mare, & ſi naufragio intercepta ſit, quem adeo iniquum, ut ſceleri aſſignet, quod uenti & fluctus deliquerint? Additurum principem defunctæ templũ, & aras, & cætera oſtentandæ pietati. Placuit ſolertia, tempore etiam adiuta, quando Quinquatruum feſtos dies apud Baias frequentabat. Illuc matrem elicit, ferendas parentum iracundias, & placandum animũ dictitans, quo rumorem reconciliationis efficeret, acciperetq; Agrippinam, facili fœminarum credulitate ad gaudia uenientem. Dehinc obuius in littora (nam Antio aduētabat) excipit manu & complexu, ducitq; Baulos: id uillæ nomen eſt, quæ promontorium Miſenum inter & Baianum lacum flexo mari alluitur. ſtabat inter alias, nauis ornatior, tanquã id quoq; honori matri daretur. Quippe ſueuerat triremi, & claſſiariorum remigio uehi. Ac tum inuitata ad epulas erat, ut occultando facinori nox adhiberetur. Satis conſtitit extitiſſe proditorem, & Agrippinam, auditis inſidijs, an crederet ambiguam, geſtaminæ ſellæ Baias peruectam. Ibi blandimentum ſubleuauit metum, comiter excepta, ſuperq; ipſum collocata. Nam pluribus ſermonibus modo familiaritate iuuenili Nero, & rurſus adductus quaſi ſeria conſociaret, tracto in longum conuictu, proſequitur abeuntem arctius oculis & pectori hærens, ſiue explēda ſimulatione, ſeu perituræ matris ſupremus aſpectus, quamuis ferum animum retinebat. Noctem ſyderibus illuſtrem, & placido mari quietam, quaſi conuincendum ad ſcelus, dij præbuere. Nec multum erat progreſſa nauis, duobus è numero familiariũ Agrippinam comitātibus: ex quibus Crepereius Gallus haud procul gubernaculis adſtabat, Acceronia ſuper pedes cubitantis recliuis, pœnitentiam filij & recuperatam matris gratiam per gaudium memorabat: cum dato ſigno, ruere tectum loci multo plumbo graue, preſſusq; Crepereius, & ſtatim exanimatus eſt. Agrippina & Acceronia eminentibus tecti parietibus forte ualidioribus, quamuis oneri cederent, protectæ ſunt: nec diſſolutio nauigij ſequebatur turbatis omnibus, & quod pleriq; ignari etiã conſcios impediebant. Viſum dehinc remigibus, ratem unum in latus inclinare, atq; ita nauem ſubmergere. Sed neq; ipſis promptus in rem ſubitam cõſenſus, & alij contra nitentes dedere facultatem lenioris in mare iactus. Verum Acceronia imprudēs, dum ſe Agrippinam eſſe, & ut ſubueniretur matri principis clamitat, contis & remis, & quæ ſors obtulerat, naualibus telis conficitur. Agrippina ſilens, eoq; minus agnita, unum tamē uulnus humero excepit. Nando deinde occurſu lembunculorum Lucrinum in lacum uecta, uillæ

ſuæ

ſuæ infertur. Illic reputans, ideo ſe fallacibus literis accitam, & honore præ/
cipuo habitam, quodq́ littus iuxta non uentis acta, non ſaxis impulſa na
uis, ſumma ſui parte, ueluti terreſtre machinamentum concidiſſet, obſer/
uans etiam Aceroniæ necem, ſimul ſuum uulnus aſpiciens, ſolum inſidia/
rum remedium eſſe, ſi non intelligerentur: miſit libertum Agerinum, qui
nunciaret filio, benignitate deûm, & fortuna eius euaſiſſe grauem caſum:
Orare, ut quamuis periculo matris exterritus, uiſendi curam differret: ſibi
ad præſens quiete opus. Atq; interim ſecuritate ſimulata, medicamina uul/
neri & fomenta corpori adhibet. Teſtamētum Aceroniæ requiri, bonaq;
obſignari iubet. id tantum non per ſimulationem. At Neroni nuncios
patrati facinoris opperienti, affertur euaſiſſe ictu leui ſauciam, & hactenus
adito diſcrimine ne auctor dubitaret. Tum pauore exanimis, & iam iamq́;
affore obteſtans uindictæ properam, ſiue ſeruitia armaret, uel militem ac/
cenderet, ſiue ad ſenatum & populum peruaderet, naufragium, & uulnus,
& interfectos amicos obijciendo: quod contra ſubſidiũ ſibi? niſi quid Bur/
rus & Seneca expergiſcerentur: quos ſtatim acciuerat, incertum an & ante
ignaros. Igitur longum utriuſq; ſilentiũ ne irriti diſſuaderent, & eò deſcen
ſum credebant, ut niſi præueniretur Agrippina, pereundum Neroni eſſet.
Poſt Seneca hactenus promptior, reſpicere Burrum, ac ſi ſcitaretur, an mi/
liti imperanda cædes eſſet. Ille prætorianos toti Cæſarum domui obſtri/
ctos, & memores Germanici, nihil aduerſus progeniem eius atrox auſu/
ros reſpondit: perpetraret Anicetus promiſſa. Qui nihil cunctatus, poſcit
ſummam ſceleris. Ad illam uocem Nero, illo ſibi die dari imperiũ, aucto/
remq́; tanti muneris libertũ profitetur. Iret propere, duceretq́; promptiſſi/
mos ad iuſſa. Ipſe audito, ueniſſe miſſu Agrippinæ nuncium Agerinum,
ſcenam ultro criminis parat: gladiumq́; dum mandata perfert, abijcit inter *Scenā crimi/*
pedes eius: tum quaſi deprehenſo, uincla iniĳci iubet: ut exitium principis *nis parat.*
molitam matrem, & pudore deprehenſi ſceleris ſponte mortem ſumpſiſſe
confingeret. Interim uulgato Agrippinæ periculo, quaſi caſu eueniſſet,
ut quiſq; acceperat, decurrere ad littus. Hi molium obiectus, hi proximas
ſcaphas ſcandere. Alij quantum corpus ſinebat, uadere in mare, quidā ma
nus protendere. Queſtibus, uotis, clamore diuerſa rogantium, aut incerta
reſpondentiũ, omnis ora compleri: affluere ingens multitudo cum lumini/
bus, atq; ubi incolumem eſſe pernotuit, ut ad gratandum ſeſe expedire, do
nec aſpectu armati & minitantis agminis diſiecti ſunt. Anicetus uillā ſta/
tione circundat, refractaq́; ianua, obuios ſeruorum arripit, donec ad fores
cubiculi ueniret: cui pauci adſtabant, cæteris terrore irrumpentium exter/
ritis. Cubiculo modicum lumen inerat, & ancillarum una: magis ac magis
anxia Agrippina, quod nemo à filio, ac ne Agerinus quidē: aliam ferè litto
re faciem, nunc ſolitudinē ac repentinos ſtrepitus, & extremi mali indicia.
Abeũte dehinc ancilla, Tu quoq; me deſeris, prolocuta, reſpicit Anicetum

 trierarcho

trierarcho Herculeo & Oloarito centurione claſſiario comitatum. Ac ſi ad uiſendum ueniſſet, refotam nunciaret: ſin facinus patraturus, nihil ſe de filio credere, nō imperatum paricidium. Circunſiſtunt lectum percuſſores, & prior trierarchus fuſte caput eius afflixit. Nam in mortem centurioni ferrum diſtringenti, protendens uterum, uentrem feri, exlamauit, rogans miniſtrum ut utero dirum enſem conderet, adijciens, hic eſt hic eſt fodiendus ferro, monſtrum qui tale tulit. Poſt hanc uocē, cum ſupremo mixtam gemitu animam tandem poſt fera triſtem uulnera reddidit. Ictibus enim multisq; uulneribus confecta eſt. Hæc conſenſu traduntur. Aſpexerit ne matrem exanimem Nero, & formā corporis eius laudauerit, ſunt qui tradiderint, ſunt qui abnuant. Cremata eſt nocte eadem, cōuiuali lecto, & exequijs uilibus. Neq; dum Nero rerū potiebatur cōgeſta aut clauſa humo, mox domeſticorum cura, leuem tumulum accepit, uiam Miſeni propter, & uillā Cæſaris dictatoris, quæ ſubiectos ſinus editiſſima proſpectat. Accenſo rogo libertus eius cognomento Mneſter ipſe ferro ſe tranſegit: incertum charitate in patronam, an metu exitij. Hunc ſui finem multos ante annos crediderat Agrippina contempſeratq;. Nam conſulenti ſuper Nerone, reſponderūt Chaldæi, fore ut imperaret matremq; occideret: atq; illa, occidat, inquit, dum imperet. Sed à Cæſare perfecto demū ſcelere, magnitudo eius intellecta eſt: reliquo noctis, modo per ſilentium defixus, ſæpius pauore exurgens, & mentis inops lucem opperiebatur, tanquam exitium allaturā. Atq; eum auctore Burro, prima centurionū tribunorumq; adulatio ad ſpem firmauit, prehenſantium manum, gratantiumq;, quod diſcrimen improuiſum, & matris facinus euaſiſſet. Amici dehinc adire templa: & cœpto exemplo, proxima Campaniæ municipia uictimis & legationibus læticiam teſtari. Ipſe diuerſa ſimulatione, mœſtus, & quaſi incolumitati ſuæ infenſus, ac morte parentis illachrymans, quia tamen nō ut hominum uultus, ita locorum facies mutātur, obuerſabatur maris illius & littorum grauis aſpectus: & erant qui crederent, ſonitum tubæ collibus circum editis, planctusq; tumulo matris audiri: Neapolim cōceſſit, literasq; ad ſenatum miſit, quarum ſumma erat, Repertum cum ferro percuſſorem Agerinum, ex intimis Agrippinæ libertis, & luiſſe eam pœnam ea conſcientia, qua ſcelus parauiſſet. Adijciebat crimina longius repetita, quod conſortium imperij, iuraturasq; in fœminæ uerba prętorias cohortes, idemq; dedecus ſenatus & populi ſperauiſſet: ac poſtea quàm fruſtra oblata ſint, infenſa militibus patribusq; & plebi, diſſuaſiſſet donatiuū & congiarium, periculaq; uiris illuſtribus inſtruxiſſet. Quanto ſuo labore perpetratū, ne irrumperet curiam, ne gentibus externis reſponſa daret. Temporū quoq; Claudianorum oblita inſectatione, cuncta eius dominationis flagitia in matrem tranſtulit, publica fortuna extinctam referens. Namq; & naufragium narrabat. Quod fortuitū fuiſſe, quis adeo hebes inueniretur, ut crederet

Ventrem feri Agrippinæ uerba dū confoditur

Occidat, dum imperet

deret?aut à muliere naufraga miſſum cum telo unũ,qui cohortes,& claſſes imperatoris perfringeret?Ergo non iam Nero, cuius immanitas omnium queſtus anteibat,ſed aduerſo rumore Seneca erat,quod oratione tali confeſſionem ſcripſiſſet. Miro tamen certamine procerum decernuntur ſupplicationes apud omnia puluinaria,utq́ꝫ quinquatria quibus apertę eſſent inſidiæ,ludis annuis celebrarentur. Aureum Mineruæ ſimulachrum in curia,& iuxta principis imago ſtatueretur. Dies natalis Agrippinæ inter nefaſtos eſſet. Thraſea Pætus ſilentio uel breui aſſenſu priores adulationes tranſmittere ſolitus,exitium ſenatui,ac ſibi cauſam periculi fecit: cæteris libertatis initium non præbuit. Prodigia quoq; crebra & irrita interceſſere. Anguem enixa mulier, & alia in concubitu mariti fulmine exanimata: iam ſol repẽte obſcuratus,& tactæ de cœlo quatuordecim urbis regiones. quæ adeo ſine cura deûm eueniebant,ut multos poſt annos Nero imperium & ſcelera continuauerit. Cæterum quo grauaret inuidiam matris,eaq́ꝫ demota, auctam lenitatẽ ſuam teſtificaretur, fœminas illuſtres Iuniam & Calphurniam:præfectura functos, Valerium Capitonẽ & Licinium Gabolum ſedibus patrijs reddidit, ab Agrippina olim pulſos. Etiam Loliæ Paulinæ cineres reportari,ſepulchrumq́ꝫ extrui permiſit, quosq́ꝫ ipſe nuper relegauerat, Iturium & Caluiſium pœna exoluit. Nam Syllana fato functa erat, longinquo ab exilio Tarentũ regreſſa labante iam Agrippina,cuius inimicitijs conciderat,uel tum mitigata. Cunctanti in oppidis Campaniæ,quo nam modo urbem ingrederetur, an obſequium ſenatus, an ſtudia plebis repeteret anxio,contra deterrimus quiſq; quorũ non alia regia fœcundior extitit, inuiſum Agrippinæ nomen, & morte eius accenſum populi fauorem diſſerunt. Iret intrepidus, & uenerationem ſui coràm experiretur. Simul progredi expoſcunt,& promptiora quàm promiſerant inueniunt:obuias tribus,feſto cultu ſenatum: coniugum ac liberorũ agmina, per ſexum & ætatẽ diſpoſita: extructos quâ incederet ſpectaculorum gradus quo modo triumphi uiſuntur. Hinc ſuperbus ac publici ſeruitij uictor, Capitoliũ adijt,grates exoluit:ſeq́ꝫ in omnes libidines effudit, quas male coërcitas,qualiſcunq; matris reuerentia tardauerat. Vetus illi cura erat curriculo quadrigarum inſiſtere, nec minus fœdum ſtudium cithara ludicrum in modum canere,cum cœnaret, quod regibus & antiquis ducibus factitatum memorabat. Idq́ꝫ uatum laudibus celebre & deorum honori datum. Enim uero cantus Apollini ſacros,taliq́ꝫ ornatu aſtare,nõ modo Græcis in urbibus,ſed Romana apud templa,numen pręcipuũ,& præſcium. Nec iam ſiſti poterat,cũ Senecæ ac Burro uiſum, ne utroq; peruinceret,alterum cõcedere. Clauſumq́ꝫ ualle Vaticana ſpacium in quo equos regeret,haud promiſcuo ſpectaculo. mox ultro uocari populus Romanus, laudibus extollere,ut eſt uulgus cupiens uoluptatum,& ſi eò princeps trahat lætum. Cæterum euulgatus pudor non ſatietatem,ut rebantur, ſed in-

Prodigia

citamentum attulit. Ratusq; dedecus amoliri, ſi plures fœdaſſet, nobilium familiarum poſteros, egeſtate uenales, in ſcenã deduxit: quos fato perfunctos ne nominatim tradam, maioribus eorum tribuendum puto, Nam & eius flagitium eſt, qui pecuniã ob delicta potius dedit, quàm ne delinquerent. Notos quoq; equites Romanos operas arenę promittere ſubegit donis ingentibus, niſi quod merces ab eo qui iubere poteſt uim neceſſitatis affert. Ne tamẽ adhuc publico theatro dehoneſtaretur, inſtituit ludos Iuuenalium uocabulo, in quos paſſim nomina data. Non nobilitas cuiquã, non ætas aut acti honores impedimento, quo minus Græci Latiniúe hiſtrionis artem exercerent, uſq; ad geſtus modosq; haud uiriles. Quin & fœminæ illuſtres deformia meditari. Extructaq; apud nemus quod nauali ſtagno circumpoſuit Auguſtus, conuenticula & caupone, & poſita ueno irritamenta luxus. dabanturq; ſtipes, quas boni neceſſitate, intemperantes gloria conſumerent. Inde gliſcere flagitia & infamia, nec ulla moribus corruptis olim plus libidinũ circumdedit quàm illa colluuies. Vix artibus honeſtis pudor retinetur, nedum inter certamina uitiorum, pudicitia, aut modeſtia, aut quicquam probi moris reſeruaretur. Poſtremus ipſe ſcenas incedit, multa cura tentans citharã & præmeditans, aſſiſtentibus familiaribus. abſceſſerat cohors militum, centuriones tribuniq;: & mœrens Burrus, ac laudans. Tuncq; primum conſcripti ſunt equites Romani, cognomento Auguſtanorum, ætate ac robore conſpicui, & pars ingenio procaces, alij in ſpe potentiæ. Hi dies ac noctes plauſibus perſonare. Formam principis uocemq; deûm uocabulis appellantes, quaſi per uirtutem clari, honoratiq; agere. Ne tamen ludicræ tantũ imperatoris artes noteſcerent, carminum quoq; ſtudium affectauit, contractis quibus aliqua pangendi facultas. Nec dum inſignis ætatis nati, conſidere ſimul, & allatos uel ibidem repertos uerſus connectere, atq; ipſius uerba quoquo modo prolata ſupplere. quod ſpecies ipſa carminum docet, non impetu & inſtinctu, nec ore uno fluens. Etiam ſapientiæ doctoribus tempus impartiebat poſt epulas. utq; contraria aſſeuerantium diſcordiæ eruebantur. nec deerant qui uoce uultuq; triſti inter oblectamenta regia ſpectari cuperẽt. Sub idem tempus leui contentione atrox cædes orta inter colonos Nucerinos Pompeianosq;, gladiatorio ſpectaculo, quod Liuidineius Regulus, quem motũ ſenatu rettuli, edebat. quippe oppidana laſciuia inuicem inceſſente, probra, dein ſaxa, poſtremo ferrũ ſumpſere, ualidiore Pompeianorũ plebe, apud quos ſpectaculum edebatur. Ergo deportati ſunt in urbem multi è Nucerinis trunco per uulnera corpore, ac pleriq; liberorum ac parentum mortes deflebant. Cuius rei iudicium princeps ſenatui, ſenatus conſulibus permiſit. Et rurſus re ad patres delata, prohibiti publice in decem annos eiuſmodi cœtu Pompeiani, collegiaq; quæ contra leges inſtituerant, diſſoluta. Liuidineius & qui alij ſeditionem conciuerant, exilio mulctati ſunt. Motus

Iuuenalium ludicrum

Auguſtani equitũ nomen

Philoſophi

Nucerini Pompeiani Liuidineius Regulus

ſenatu

ſenatu & Pedius Blæſus,accuſantibus Cyrenenſibus, uiolatum ab eo theſaurum Æſculapij,delectumq́ militarem pretio & ambitione corruptum. Iidem Cyrenenſes reum agebant Attilium Strabonem,prætoria poteſtate uſum,& miſſum diſceptatorem à Claudio agrorum, quos regis Appionis quondã habitos,& Po. Ro. cum regno relictos, proximus quiſq; poſſeſſor inuaſerant, diutinaq́; licentia & iniuria,quaſi iure & ęquo nitebãtur. Igitur abiudicatis agris,orta aduerſus iudicem inuidia,& ſenatus ignota ſibi eſſe mandata Claudij, & conſulendum principem reſpondit. Princeps probata Strabonis ſententia, ſe nihilominus ſubuenire ſocijs, & uſurpata concedere ſcripſit. Sequuntur uirorum illuſtrium mortes,Domitij Afri, & M. Seruilij, qui ſummis honoribus,& multa eloquentia uiguerant. Ille orando cauſas,Seruilius diu foro,mox tradendis rebus Romanis celebris, & elegantia uitæ,quam clariorem effecit,ut par ingenio,ita morum diuerſus. Nerone quartum, Cornelio Coſſo Coss. quinquennale ludicrum Romæ inſtitutum eſt,ad morem Græci certaminis, uaria fama, ut cuncta fermè noua. Quippe erant qui Gn.quoq; Pompeium incuſatum à ſenioribus ferrent,quod manſuram theatri ſedem poſuiſſet.Nam antea ſubitarijs gradibus,& ſcena in tempus ſtructa,ludos edi ſolitos: uel ſi uetuſtiora repetas,ſtantem populũ ſpectauiſſe:ſi conſideret,theatro dies totos ignauia continuaret:Ne ſpectaculorum quidem antiquitas ſeruaretur,quoties P. R. ſederet,nulla cuiquam ciuium neceſſitate ſpectandi. Cæterum abolitos paulatim patrios mores,funditus euerti per accitam laſciuiã,ut quod uſquam corrumpi & corrumpere queat, in urbe uiſatur, degeneretq́; ſtudijs externis iuuentus,gymnaſia & otia,& turpes amores exercendo,principe & ſenatu auctoribus, qui non modo licentiam uitijs permiſerint, ſed uim adhibeant:Proceres Romani ſpecie orationum & carminũ,ſcena polluantur:quid ſupereſſe,niſi ut corpora quoq; nudent,& cæſtus aſſumant, easq́; pugnas pro militia & armis meditẽtur? An iuſtitiam augurij,& decurias equitum,egregium iudicandi munus expleturos,ſi fractos ſonos & dulcedinem uocum peritè audiſſent? Noctes quoq; dedecori adiectas, ne quod tempus pudori relinquatur,ſed cœtu promiſcuo quod perditiſſimus quiſq; per diem cõcupiuerit,per tenebras audeat.Pluribus ipſa licentia placebat,ac tamen honeſta nomina prætendebãt:Maiores quoq; non abhorruiſſe ſpectaculorũ oblectamẽtis,pro fortuna quæ tum erat, eoq́; à Thuſcis accitos hiſtriones, à Thurijs equorum certamina, & poſſeſſa Achaia Aſiaq́;,ludos accuratius editos: neq; quenquam Romæ honeſto loco ortum,ad theatrales artes degenerauiſſe,ducentis iam annis à L. Mumij triumpho qui primus id genus ſpectaculi in urbe præbuerit. Sed & conſultum parſimoniæ,quod perpetua ſedes theatro locata ſit,potius quàm immenſo ſumptu,ſingulos per annos conſurgeret ac ſtrueretur. Nec perinde magiſtratus rem familiarem exhauſturos,aut populo efflagitandi Græca

certamina

Ped. Blæſus

Attil. Strabo

Domit. Afer

M. Seruilius

Quinquẽnale ludicrum Ro.

certamina à magiſtratibus cauſam fore, cum eo ſumptu Reſp. fungatur.
Oratorum ac uatum uictorias incitamentum ingenijs allaturas: nec cuiq;
iudici graue, aures ſtudijs honeſtis, & uoluptatibus conceſſis impartire. læ-
ticiæ magis quàm laſciuiæ dari paucas potius quinquennij noctes, quibus
tanta luce ignium nihil illicitum occultari queat. Sanè nullo inſigni deho-
neſtamento id ſpectaculum tranſit. Ac ne modica quidē ſtudia plebis ex-
Pantomimi arſere, quia redditi quanquam ſcenæ Pantomimi, certaminibus ſacris pro-
hibebantur. Eloquentiæ primas partes nemo tulit, ſed uictorem eſſe Cæ-
ſarem pronunciatum. Græci amictus quos per eos dies pleriq; inceſſerāt,
Cometes tum exoleuerant. Inter quæ & ſydus cometes effulſit, de quo uulgi opi-
nio eſt, tanquā mutationem regis portendat. Igitur quaſi iam depulſo Ne
Rubellius rone, quis nam deligeretur inquirebant, & omnium ore Rubellius Plautus
Plautus celebratur, cui nobilitas per matrem ex Iulia familia. Ipſe placita maiorum
colebat habitu ſeuero, caſta & ſecreta domo, quantoq; metu occultior, tan
to plus famæ adeptus. Auxit rumorē pari uanitate orta interpretatio ful-
Simbruina guris. Nam quia diſcumbētis Neronis apud Simbruina ſtagna, cui Sub-
ſtagna laqueum nomē eſt, ictæ dapes, menſaq; diſiecta erat, idq; finibus Tibur-
Sublaqueum tum acciderat, unde paterna Plauto origo, hunc illum numine deûm deſti
nari credebant, fouebantq; multi, quibus noua & ancipitia præcolere aui-
da & plerunq; fallax ambitio eſt. Ergo permotus ijs Nero, componit ad
Plautum literas, conſuleret ſibi, & turbis, ſeq; praue diffamantibus ſubtra-
heret: eſſe illi per Aſiam auitos agros, in quibus tuta & inturbida iuuenta
frueretur. Ita illuc cum coniuge Antiſtia & paucis familiarium conceſſit.

Iiſdem diebus nimia luxus cupido, infamiam & periculum Neroni tu-
Aqua Mar- lit, quia fontem aquæ Martiæ ad urbem deductæ nando inceſſerat, uide-
tia baturq; potus ſacros & cerimoniā loci corpore toto polluiſſe, ſecutaq; an-
Cerimonia ceps ualitudo iram deûm affirmauit. At Corbulo poſt deleta Artaxata,
loci utendum recenti terrore ratus, ad occupanda Tygranocerta, quibus exci-
ſis, metum hoſtium intenderet, uel ſi pepercíſſet, clementiæ famam adipi-
ſceretur, illuc pergit non infenſo exercitu, ne ſpem ueniæ auferret, neq; ta-
men remiſſa cura, gnarus facilem mutatu gentem, ut ſegnem ad pericula,
ita infidam ad occaſiones. Barbari pro ingenio quiſq;, alij preces offerre,
quidam deſerere uicos, & in auia digredi, ac fuere qui ſe ſpeluncis, ac cha-
riſſima ſecum abderēt. Igitur dux Romanus diuerſis artibus, miſericordia
aduerſus ſupplices, celeritate aduerſus profugos, immitis ijs qui latebras
inſederant, ora & exitus ſpecuum ſarmentis uirgultiſq; cōpletos, igni exu-
rit. Atq; illum fines ſuos prætergredientem incurſauere Mardi, latrocinijs
exerciti, contraq; irrumpētem montibus defenſi: quos Corbulo immiſſis
Hyberis uaſtauit, hoſtilemq; audaciā externo ſanguine ultus eſt. Ipſe ex-
ercitusq;, ut nullis ex prælio damnis, ita per inopiam & labores fatiſcebāt,
carne pecudum propulſare famem adacti. Ad hæc penuria aquæ, feruida

æſtas

æſtas, longinqua itinera, ſola ducis patientia mitigabantur, eodem plura quàm gregario milite tolerante. Ventũ dehinc in locos cultos. Demeſſæq; ſegetes,& ex duobus caſtellis in quæ confugerant Armenij, alterum impetu, qui primam uim depulerant, obſidione coguntur. Vnde in regionem Taurauntium tranſgreſſus, improuiſum periculũ uitauit. Nam haud procul tentorio eius, non ignobilis barbarus cum telo repertus, ordinem inſidiarum, ſeq; auctorem & ſocios per tormenta edidit. Conuictiq; & puniti ſunt, qui ſpecie amicitiæ dolum parabant. Nec multo poſt legati Tygranocerta miſſi, patere mœnia afferunt, intentos popularis ad iuſſa. Simul hoſpitale donum coronam auream tradebant. Accepitq; cum honore, nec quicquam urbi detractum, quo promptius obſequium integri retinerent. At præſidium regium quod ferox iuuentus clauſerat, non ſine certamine expugnatum eſt. nam & prælium pro muris auſi erant, & pulſi intra munimenta aggeris, demum & irrumpentium armis ceſſere. quæ facilius proueniebant, quia Parthi Hyrcano bello diſtinebãtur. Miſerantq; Hyrcani ad principem Romanum ſocietatem oratum, attineri à ſe Vologeſen pro pignore amicitiæ oſtentantes. eos regredientes Corbulo, ne Euphratem tranſgreſſi hoſtium cuſtodijs circumuenirentur, dato præſidio ad littora maris rubri deduxit. Vnde uitatis Parthorum finibus patrias in ſedes remeauere. Quin & Tyridatem per Medos extrema Armeniæ intrãtem, præmiſſo cũ auxilijs Verulano legato, atq; ipſe legionibus citis abire procul, ac ſpem belli amittere ſubegit: quosq; nobis ob regem auerſos animis cognouerat, cædibus & incendijs perpopulatus, poſſeſſionem Armeniæ uſurpabat: cum aduenit Tygranes à Nerone ad capeſſendum imperium delectus, Cappadocum ex nobilitate, regis Archelai nepos, ſed quod diu obſes apud urbem fuerat, uſq; ad ſeruilem patientiam demiſſus. Nec conſenſu acceptus, durãte apud quoſdam fauore Arſacidarum. At pleriq; ſuperbiam Parthorum peroſi, datum à Romanis regem malebãt. Additum etiam præſidium, mille legionarij, tres ſociorum cohortes, duæq; equitum alæ. & quo facilius nouum regnum tueretur, pars Armeniæ ut cuiq; finitima, pars Nipoliq; & Ariſtobolo atq; Antiocho parere iuſſæ ſunt. Corbulo in Syriã acceſſit, morte Vinidij legati uacuã ac ſibi permiſſam. Eodem anno ex illuſtribus Aſiæ urbibus, Laodicea tremore terræ prolapſa, nullo à nobis remedio, proprijs opibus reualuit. At in Italia uetus oppidum Puteoli, ius Coloniæ, & cognomentum à Nerone adipiſcuntur. Veterani Tarentum & Antium aſcripti, non tamen infrequentiæ locorum ſubuenere, dilapſis pluribus in prouincias, in quibus ſtipendia expleuerãt. Neq; coniugijs ſuſcipiendis, neq; alendis liberis ſueti, orbas ſine poſteris domos relinquebant. Non enim ut olim uniuerſæ legiones deducebantur cum tribunis & centurionibus, & ſui cuiuſq; ordinis militibus, ut conſenſu & charitate Remp. efficerent, ſed ignoti inter ſe diuerſis manipulis ſine rectore,

Hoſpitale donum

Laodicea

Puteoli

ſine affectibus mutuis, quaſi ex alio genere mortalium repente in unum collecti, numerus magis quàm Colonia. Comitia prætorum arbitrio ſenatus haberi ſolita, quod acriore ambitu exarſerant, princeps compoſuit, tris qui ſupra numerum petebant, legioni præficiendo. Auxitq; patrum honorem ſtatuendo, ut qui à priuatis iudicibus ad ſenatū prouocauiſſent, eiuſdem pecuniæ periculum facerent, cuius ij qui imperatorem appellauere. nam antea uacuum id ſolutumq; pœna fuerat. Fine anni Vibius Secundus eques Romanus, accuſantibus Mauris repetundarum damnatur, atq; Italia exigitur, ne grauiore pœna afficeretur, Vibij Criſpi fratris fauore enixus. Ceſonio Pæto, Petronio Turpiliano Coss. grauis clades in Britannia accepta. In qua neq; Auitus legatus, ut memoraui, niſi parta retinuerat, & ſucceſſor Verannius, modicis excurſibus ſyluas populatus quin ultra bellum proferret, morte prohibitus eſt, magna dum uixit ſeueritatis fama, ſupremis teſtamenti uerbis ambitionis manifeſtus. quippe multa in Neronem adulatione addidit, ſubiecturum ei prouincias fuiſſe, ſi biennio proximo uixiſſet. Sed tum Paulinus Suetonius obtinebat Britannos, ſcientia militiæ & rumore populi, qui neminem ſine æmulo ſinit, Corbulonis concertator, receptæq; Armeniæ decus æquare domitis perduellibus cupiens. Igitur Monam inſulam incolis ualidam, & receptaculum perfugarum aggredi parat, nauesq; fabricatur plano alueo aduerſus breue littus & incertū. Sic pedites, equites uado ſecuti, aut altiores inter undas adnantes, equis tranſmiſere. Stabat pro littore diuerſa acies, denſa armis uiriſq;, intercurſantibus fœminis: in modum Furiarum, ueſte ferali, crinibus deiectis, faces præferebant. Druidæq; circum, preces diras ſublatis ad cœlum manibus fundentes, nouitate aſpectus perculere militem, ut quaſi hærentibus membris immobile corpus uulneribus præberent. Dein cohortationibus ducis & ſe ipſi ſtimulantes, ne muliebre & fanaticū agmen pauēſcerent, inferunt ſigna, ſternuntq; obuios, & igni ſuo inuoluūt. Præſidiū poſthac impoſitum uicis, exciſiq; luci, ſæuis ſuperſtitionibus ſacri. Nam cruore captiuo adolere aras, & hominū fibris conſulere deos fas habebāt. Hæc agenti Suetonio, repentina defectio prouinciæ nunciatur. Rex Icenorum Praſutagus, longa opulentia clarus, Cæſarem hæredem duasq; filias ſcripſerat, tali obſequio ratus regnū & domū ſuam procul iniuria fore. quod contra uertit, adeo ut regnum per centuriones, domus per ſeruos, uelut capta uaſtarentur. Iam primū uxor Boodicia uerberibus affecta, & filiæ ſtupro uiolatæ ſunt. Præcipui quiq; Icenorum, quaſi cunctam regionem muneri accepiſſent, auitis bonis exuuntur, & propinqui regis inter mancipia habebantur. Qua contumelia & metu grauiorum (quando in formā prouinciæ ceſſerant) rapiunt arma, commotis ad rebellionem Trinouantibus, & qui alij nondum ſeruitio aſſuefacti, reſumere libertatem occultis coniurationibus pepigerant, acerrimo in ueteranos odio. Quippe in coloniam

Camulo

Vibius Secundus

Suc. Paulinus

Monà inſula Britanniæ proxima

Druidæ apud Britannos

Iceni

Praſutagus Icenorū rex

Boodicia

Camulodunum recens deducti,pellebant domibus, exturbabāt agris,ca *Camulodunū*
ptiuos,ſeruos appellando,fouentibus impotentiam ueteranorū militibus,
ſimilitudine uitæ,& ſpe eiuſdem licentiæ. Ad hæc templum diuo Claudio *Templū diui*
conſtitutum,quaſi ara æternæ dominationis aſpiciebatur: delectiq; ſacer/ *Claudij in Bri*
dotes ſpecie religionis,omnes fortunas effundebant. Nec arduum uideba *tannia*
tur excindere coloniam nullis munimentis ſeptam, quod ducibus noſtris
parum prouiſum erat, dum amœnitati prius q̄ uſui conſulitur. Inter quæ
nulla palàm cauſa delapſum Camuloduni ſimulachrum uictoriæ,ac retro
conuerſum, quaſi cederet hoſtibus. Et fœminæ in furore turbatæ,adeſſe
exitium canebant,externosq́; fremitus in curia eorum auditos. Conſonu/
iſſe ululatibus theatrum,uiſamq́; ſpeciem in æſtuario, notam eſſe ſubuer/
ſæ coloniæ. Iam Oceanum cruēto aſpectu. Sic labente æſtu, humanorum
corporum effigies relictæ. Vt Britanni ad ſpem, ita ueterani ad metū tra/
hebātur. Sed quia procul Suetonius aberat,petiuere à Cato Deciano pro *Catus Deci/*
curatore auxilium. Ille haud amplius quàm ducentos ſine iuſtis armis mi/ *anus*
ſit:& inerat modica militum manus,tutela templi freti. Et impedientibus
qui occultæ rebellionis conſcij conſilia turbabant, neq; foſſam aut uallum
præduxerunt, neq; motis ſenibus & fœminis, iuuentus ſola reſtitit:quaſi
media pace incauti, multitudine barbarorum circumueniuntur. Et cætera
quidem impetu direpta aut incenſa ſunt. Templū in quo ſe miles conglo/
bauerat,biduo obſeſſum expugnatumq́;. Et uictor Britannus Peto Ceria
li legato legionis nonæ in ſubſidium aduentanti obuius, fudit legionem,
& quod peditum interfecit. Cerialis cum equitibus euaſit in caſtra & mu/
nimentis defenſus eſt. Qua clade & odijs prouinciæ, quam auaricia in bel/
lum egerat,trepidus procurator Catus, in Galliam tranſijt. At Suetonius
mira conſtantia medios inter hoſtes Londiniū perrexit,cognomento qui/ *Londinium*
dem coloniæ non inſigne,ſed copia negociatorum & commeatu maxime
celebre: ibi ambiguus an illam ſedem bello deligeret, circumſpecta infre/
quentia militis,ſatisq́; magnis documentis temeritatem Petilij coërcitam,
unius oppidi damno ſeruare uniuerſa ſtatuit. Neq; fletu & lachrymis au/
xilium eius orantium flexus eſt,quin daret profectionis ſignum, & comi/
tantes in partem agminis acciperet. Si quos imbellis ſexus, aut feſſa ætas,
uel loci dulcedo attinuerat,ab hoſte oppreſſi ſunt. Eadem clades muni/ *Verulamiū*
cipio Verulamio fuit,quia barbari omiſſis caſtellis prępſidijsq́; militarium,
quod uberrimum ſpoliant,& deferentes in tutum, læti præda, & aliorum
inſignes petebant. Ad ſeptuaginta millia ciuium & ſociorum ijs quæ me/
moraui locis,occidiſſe conſtitit. Neq; enim capere aut uenundare, aliudúe
quod belli commercium,ſed cædes,patibula,ignes,cruces,tanquam reddi/
turi ſuppliciū,ac prærepta interim ultione feſtinabant. Iam Suetonio quar
tadecima legio cū uexillarijs uiceſimarijs, & è proximis auxiliares, decem
fermè millia armatorum erant,cum omittere cunctationē, & cōgredi acie

parat.deligitq; locum arctis faucibus,& à tergo ſylua clauſum,ſatis cogni-to,nihil hoſtium niſi in fronte,& apertam planiciem eſſe ſine metu inſidiarum.Igitur legionarius frequens ordinibus, leui circum armatura conglobatus,pro cornibus eques aſtitit. At Britannorum copiæ paſſim per cateruas & turmas exultabant, quanta non aliâs multitudo, & animo adeo fero,ut coniuges quoq; teſtes uictoriæ ſecum traherent,plauſtriſq; imponerent,quæ ſuper extremum ambitum campi poſuerant. Boudicea curru filias præ ſe uehens ut quanque nationem acceſſerat, ſolitum quidem Britannis fœminarum ductu bellare teſtabatur, ſed tunc non ut tantis maioribus ortam regnum & opes,uerum ut unam è uulgo, libertatẽ amiſſam, confectum uerberibus corpus, cõtrectatam filiarum pudicitiam ulciſci.eò prouectas Romanorum cupidines,ut nõ corpora, nec ſenectam quidem, aut uirginitatem impollutam relinquant.Adeſſe tamen deos iuſtæ uindictæ.cecidiſſe legionem,quæ prælium auſa ſit:cæteros caſtris occultari, aut fugam circumſpicere.Ne ſtrepitum quidem & clamorem tot militum, nedum impetus & manus perlaturos.Si copias armatorum,ſi cauſas belli ſecum expenderent,uincendum illa acie,uel cadendum eſſe. Id mulieri deſtinatum:uiuerent uiri,& ſeruirent. Ne Suetonius quidem in tanto diſcrimine ſilebat,qui quanquã confideret uirtuti,tamen exhortationes & preces miſcebat. Vt ſpernerẽt ſonoras Barbarorum & inanes minas. plus illic fœminarum quàm iuuentutis aſpici.imbelles,inermes ceſſuros ſtatim, ubi ferrum uirtutemq; uincentium,toties fuſi agnouiſſent. etiam in multis legionibus paucos eſſe qui prælia profligarẽt. gloriæq; eorum acceſſurum, quod modica manu uniuerſi exercitus famã adipiſcerentur. Conferti tantum,& pilis emiſſis,poſt umbonibus & gladijs ſtragem,cædemq; continuarent,prædæ immemores. parta uictoria cuncta ipſis ceſſura. Is ardor uerba ducis ſequebatur,ita ſe ad intorquenda pila expedierat uetus miles & multa præliorũ experientia, ut certus euentus Suetonius, daret pugnæ ſignum.Ac primum legio gradu immota,& anguſtias loci pro munimento retinens,poſtquam propius ſuggreſſus hoſtis certo iactu tela exhauſerat,uelut cuneus erupit.Idem auxiliariũ impetus, & eques protẽtis haſtis, perfringit quod obuium & ualidum erat. Cæteri terga præbuere difficili effugio,quia circumiecta uehicula ſepſerant abitus. Et miles ne mulierum quidem neci temperabat.confixaq; telis etiam iumenta,corporum cumulum auxerãt.Clara & antiquis uictorijs par ea die laus parta. quippe ſunt qui paulominus quàm octoaginta millia Britannorum cecidiſſe tradant, militum quadringentis fermè interfectis, nec multo amplius uulneratis. Boudicea uitam ueneno finiuit. Et Pœnius Poſthumus præfectus caſtrorum ſecundæ legionis,cognitis quartadecimanorũ uiceſimanorumq; proſperis rebus,quia pari gloria legionem ſuam fraudauerat,abnueratq; contra ritum militiæ iuſſa ducis,ſe ipſum gladio tranſegit. Contractus deinde

Britãni fœminarum ductu bellant

Prælium

omnis

omnis exercitus ſub pellibus habitus eſt,ad reliqua belli perpetranda. Auxitq; copias Cæſar, miſſis è Germania duobus legionariorum millibus, octo auxiliariorum cohortibus,ac mille equitibus: quorũ aduentu,nonani legionario milite ſuppleti ſunt. Cohortes alæq; nouis hybernaculis locatæ,quodq; nationum ambiguum aut aduerſum fuerat, igni atq; ferro uaſtatur. Sed nihil æque quàm fames affligebat ſerẽdis frugibus incurioſos, & omni ætate ad bellum uerſa,dum noſtros cõmeatus ſibi deſtinant,genteſq; præferoces tardius ad pacem inclinant: quia Iulius Claſſicianus ſucceſſor Cato miſſus,& Suetonio diſcors, bonum publicum priuatis ſimultatibus impediebat,diſperſeratq;,nouum legatum opperiendum eſſe,ſine hoſtili ira & ſuperbia uictoris clemẽter deditis conſulturum: Simul in urbem mandabat, nullum prælio finem expectarent,niſi ſuccederetur Suetonio. cuius aduerſa prauitati ipſius,proſpera ad fortunã Reip. referebat. Igitur ad ſpectandum Britanniæ ſtatum miſſus eſt ex libertis Polycletus, magna Neronis ſpe,poſſe auctoritate eius,non modo inter legatum procuratoremq; concordiam gigni, ſed & rebelles Barbarorum animos pace cõponi. Nec defuit Polycletus,quo minus ingenti agmine Italiæ Galliæq; grauis,poſtquam Oceanum tranſmiſerat, militibus quoq; noſtris terribilis incederet. Sed hoſtibus irriſui fuit,apud quos flagrãte etiam tum libertate,nondum cognita libertorum potentia erat. mirabanturq; quod dux & exercitus tanti belli confector ſeruitijs obedirent. Cuncta tamen ad imperatorem in mollius relata. Detentuſq; rebus gerundis Suetonius, quod perpaucas naues in littore, remigiumq; in ijs amiſerat, tanquam durante bello tradere exercitum Petronio Turpiliano, qui iam conſulatu abierat, iubetur. Is non irritato hoſte,neq; laceſſitus,honeſtum pacis nomen ſegni otio impoſuit. Eodem anno Romæ inſignia ſcelera, alterum ſenatoris, ſeruili alterum audacia, admiſſa ſunt. Domitius Balbus erat prætorius, ſimul longa ſenecta, ſimul orbitate & pecunia inſidijs obnoxius. Eius propinquus Valerius Fabianus capeſſendis honoribus deſtinatus, ſubdidit teſtamentum,aſcitis Vicio Rufino,& Terentio Lentino equitibus Romanis. Illi Antonium Primum & Aſinium Marcellum ſociauerant. Antonius audacia promptus, Marcellus Aſinio Pollione proauo clarus, neque morum ſpernẽdus habebatur, niſi quod paupertatem præcipuum malorum credebat. Igitur Fabianus tabularijs quos memoraui,& alijs minus illuſtribus,obſignat. Quod apud patres conuictũ. Et Fabianus Antoniuſq; cum Rufino & Terentio lege Cornelia damnantur. Marcellum memoria maiorum,& preces Cæſaris,pœnæ magis quàm infamiæ exemere. Perculit is dies Pompeium quoq; Helianum iuuenem quæſtorium,tanquã flagitiorum Fabiani gnarũ. Eiq; Italia & Hiſpania in qua ortus erat,interdictum eſt. Pari ignominia Valerius Ponticus afficitur,quod reos ne apud præfectum urbis arguerẽtur,ad prætorẽ detuliſſet,interim ſpecie legum, mox

Polycletus libertus Neronis

Multi hodie etiam apud Chriſtianos ſentiũt cum Aſinio Marcello

præuaricando ultionem eluſurus. Additur ſenatuſconſultum, Qui talem operam emptitaſſet, uendidiſſetúe, ut perinde pœna teneretur, ac ſi publico iudicio calumniæ condemnatus. Haud multo poſt præfectũ urbis Pedanium Secundum ſeruus ipſius interfecit, ſeu negata libertate, cui pretium pepigerat, ſiue amore exoleti infenſus, & dominum æmulum non tolerans. Cæterum cum uetere ex more familiam omnem quæ ſub eodem tecto manſitauerat ad ſupplicium agi oporteret, concurſu plebis, quæ tot innoxios protegebat, uſq; ad ſeditionem uentũ eſt: ſenatusq́ (in quo ipſo erant ſtudia nimiam ſeueritatẽ aſpernantium) pluribus nihil mutandum cenſentibus. Ex quibus C. Caſſius ſententiæ loco in hunc modũ diſſeruit.

Orõ C. Caſſij in ſenatu de ſupplicio ſeruorum

Sæpenumero P.C. in hoc ordine interfui, cum contra inſtituta & leges maiorum noua ſenatus decreta poſtularentur. neq; ſum aduerſatus, non quia dubitarem ſuper omnibus negocijs melius atque rectius olim prouiſum, & quæ cõuerterentur, in deterius mutari, ſed ne nimio amore antiqui moris ſtudium meum extollere uiderer. Simul quicquid hoc in nobis auctoritatis eſt, crebris contradictionibus deſtruendum non exiſtimabam, ut maneret integrũ, ſi quando Reſp. conſilijs eguiſſet. quod hodie euenit, Conſulari uiro domi ſuæ interfecto, per inſidias ſeruiles, quas nemo prohibuit, aut prodidit, quamuis nondũ concuſſo ſenatuſconſulto, quod ſupplicium toti familiæ minitabatur. Decernite hercule impunitatẽ. At quem dignitas ſua defendet, cum Præfectura urbis non profuerit? Quem numerus ſeruorum tuebitur, cum Pedanium Secundum quadringenti non protexerint? Cui familia opem feret, quæ ne in metu quidem pericula noſtra auertit? An ut quidam fingere non erubeſcunt, iniurias ſuas ultus eſt interfector? quia de paterna pecunia tranſegerat, aut auitum mancipium detrahebatur? Pronunciemus ultro, dominum iure cæſum uideri. Libet argumenta conquirere in eo quod ſapientioribus deliberatũ eſt. Sed & ſi nunc primum ſtatuendum haberemus, creditis ne ſeruum interficiendi domini animum ſumpſiſſe, ut non uox minax excideret? nihil per temeritatẽ proloqueretur? Sanè conſilium occuluit, telum inter ignaros parauit. num excubias tranſiret, cubiculi fores recluderet, lumen inferret, cædem patraret, omnibus neſcijs? Multa ſceleris indicia præueniunt ſerui, ſi prodant. Poſſumus ſinguli inter plures, tuti inter anxios: poſtremo ſi pereundum ſit, non inulti inter nocentes agere. Suſpecta maioribus noſtris fuerunt ingenia ſeruorũ, etiam cum in agris aut domibus ijſdem naſcerentur, charitatemq́ dominorum ſtatim acciperent. Poſtquam uero nationes in familijs habemus, quibus diuerſi ritus, externa ſacra aut nulla ſunt, colluuiẽ iſtam non niſi metu coërcueris. At quidam inſontes peribunt. Nam & ex fuſo exercitu, cum decimus quiſq; fuſte feritur, etiam ſtrenui ſortiũtur. Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra ſingulos, utilitate publica rependitur. Sententiæ Caſſij, ut nemo unus contraire auſus eſt,

ita

ita diſſonæ uoces reſpondebant, numerum, aut ætatem, aut ſexum, ac plurimorum indubiam innocentiam miſerantium. Prçualuit tamen pars quæ ſupplicium decernebat. Sed obtemperari non poterat, conglobata multitudine ſaxa ac faces minitante. Tum Cæſar populũ edicto increpuit: atq; omne iter quo damnati ad pœnam ducebantur, militaribus præſidijs ſepſit. Cenſuerat Cingonius Varro ut liberti quoq; qui ſub eodem tecto fuiſſent, Italia deportarẽtur. Id à principe prohibitum eſt, ne mos antiquus, quem miſericordia non minuerat, per ſæuitiã incenderetur. Damnatus ijſdem conſulibus Tarquinius Priſcus repetundarum Bithynis interrogantibus, magno patrum gaudio, quia accuſatum ab eo Statiliũ Taurum proconſulem ipſius meminerant. Cenſus per Gallias à Q. Voluſio & Sex. Africano, Trebellioq; Maximo acti ſunt, æmulis inter ſe per nobilitatem Voluſio atq; Africano: Trebellium dum uterq; dedignatur, ſupra tulere.

Eo anno mortem obijt Memmius Regulus, auctoritate, conſtantia, fama (in quantum præumbrante imperatoris faſtigio datur) clarus, adeo ut Nero æger ualitudine, & adulantibus circũ qui finem imperio adeſſe dicebant, ſi quid fato pateretur, reſponderit habere ſubſidium Rempublicam. Rogantibus dehinc in quo potiſſimum, addiderit, in Memmio Regulo. Vixit tamẽ poſt hæc Regulus, quiete defenſus, & quia noua generis claritudine, neq; inuidioſis opibus erat. Gymnaſiũ eo anno dedicatũ à Nerone, prçbitumq; oleum equiti ac ſenatui Grçca facilitate. P. Mario, L. Aſinio conſulibus, Antiſtius prætor quem in tribunatu plebis licenter egiſſe memoraui, probroſa aduerſus principẽ carmina factitauit: uulgauitq; celebri conuiuio, dum apud Oſtorium Scapulam epulatur. Exin a Coſſutiano Capitone, qui nuper ſenatorium ordinẽ precibus Tigillini soceri ſui receperat, maieſtatis delatus eſt. Tum primum reuocata ea lex credebatur, quæ haud perinde exitium Antiſtio, quàm imperatori gloriam quæſiuit, ut cõdemnatus à ſenatu, interceſſione tribunitia morti eximeretur. Et cum Oſtorius nihil audiuiſſe pro teſtimonio dixiſſet, aduerſis teſtibus creditum. Cenſuitq; Iunius Marullus conſul deſignatus, adimendam reo præturam, necandumq; more maiorũ. Cçteris inde aſſentiẽtibus, Pætus Thraſea multo cum honore Cæſaris, & acerrime increpito Antiſtio, non quicquid nocens reus pati mereretur, id egregio ſub principe, & nulla neceſſitate obſtricto ſenatu, ſtatuendũ diſſeruit: carnificẽ & laqueum pridẽ abolita: & eſſe pœnas legibus cõſtitutas, quibus ſine iudicum ſçuitia & temporum infamia, ſupplicia decernerentur. Quin inſula publicatis bonis, quo longius ſontem uitam traxiſſet, eo priuatim miſerior, & publicè clemẽtiæ maximum exemplum futurũ. Libertas Thraſeæ ſilentiũ aliorum rupit. Et poſtquam diſceſſionẽ conſul permiſerat, pedibus in ſententiã eius iere, paucis exemptis: in quibus adulatione promptiſſimus fuit A. Vitellius, optimum quenq; iurgio laceſſens, & reſpondenti reticens, ut pauida ingenia ſolent.

Memmius Regulus

At conſules perficere ſenatus decretum non auſi, de conſenſu ſcripſere Cæſari. Ille inter pudorem & iram cunctatus, poſtremo reſcripſit, nulla iniuria prouocatum Antiſtium grauiſſimas in principem contumelias dixiſſe. earum ultionem à patribus poſtulatam. Et pro magnitudine delicti pœnam ſtatui par fuiſſe. cæterum ſe qui ſeueritatē decernentium impediturus fuerit, moderationem non prohibere. ſtatuerent ut uellent, data etiam abſoluendi licentia. His atq; talibus recitatis, & offenſione manifeſta, non ideo aut cōſules mutauere relationem, aut Thraſea deceſſit ſententia, cæteriue quæ probauerant deſeruere: pars ne principem obiecciſſe inuidiæ uiderentur, plures numero tuti, Thraſea ſueta firmitudine animi, & ne gloria intercideret. Haud diſpari crimine Fabricius Veiento conflictatus eſt, qui multa & probroſa in patres & ſacerdotes cōpoſuiſſet, ijs libris quibus nomen codicillorum dederat. Adijciebat Talius Geminus accuſator, uenditata ab eo munera principis & adipiſcendorum honorum ius. quæ cauſa Neroni fuit ſuſcipiendi iudicij. Conuictumq; Veientonem Italia depulit, & libros exuri iuſſit, conquiſitos lectitatoſq; donec cum periculo parabantur: mox licentia habendi, obliuionem attulit. Sed graueſcentibus

Burrus uitā concedit

in dies publicis malis, ſubſidia minuebantur. Conceſſitq; uita Burrus, incertum ualitudine an ueneno. Valitudo ex eo cōiectabatur, quod in ſe tumeſcentibus paulatim faucibus, & impedito meatu, ſpiritum finiebat. Plures iuſſu Neronis, quaſi remediū adhiberetur, illitum palatum noxio medicamine aſſeuerabant: & Burrum intellecto ſcelere, cum ad uiſendū princeps ueniſſet, aſpectum eius auerſatum, ſciſcitantiq; hactenus reſpondiſſe: Ego me bene habeo. Ciuitati grande deſiderium eius manſit, per memoriam uirtutis, & ſucceſſorum alterius ſegnem innocentiam, alterius flagrantiſſima flagitia & adulteria. quippe Cæſar duos prætorijs cohortibus impoſuerat: Fenium Rufum ex uulgi fauore, quia rem frumentariā ſine quæſtu tractabat: Ofonium Tigillinum, ueterem impudicitiā atq; infamiam in eo ſecutus, ac quę illi pro cognatis moribus fuere. Validior Tigillinus in animo principis ex intimis libidinibus aſſumptus. Proſpera populi & militum fama Rufus, quod apud Neronē aduerſum experiebatur. Mors Burri infregit Senecæ potentiā, quia nec bonis artibus idem uirium erat,

Senecā accuſatur

altero uelut duce amoto, & Nero ad deteriores inclinabat. Hi uarijs criminationibus Senecam adoriuntur, tanquam ingentes & priuatū ſupra modum euectas opes adhuc augeret, quodq; ſtudia ciuiū in ſe uerteret, hortorum quoq; amœnitate & uillarū magnificentia quaſi principem ſupergrederetur. Obijciebant etiam eloquentiæ laudē uni ſibi adſciſcere, & carmina crebrius factitare, poſtquam Neroni amor eorum eueniſſet. Nam oblectamentis principis palàm iniquum, detractare uim eius equos regentis: illudere uoces quoties caneret. Quem ad finem? nihil in Rep. clarum fore, quod non ab illo reperiri credatur. Certe finitam Neronis puericiam & robur

robur iuuentæ adeſſe.exueret magiſtrum, ſatis amplis doctoribus inſtructus,maioribus ſuis. At Seneca criminantium nō ignarus, prodentibus ijs quibus aliqua honeſti cura,& familiaritatē eius magis aſpernante Cæſare,tempus ſermoni orat:& accepto,ita incipit. Quartuſdecimus annus eſt Cæſar ex quo ſpei tuæ admotus ſum,octauus ut imperiū obtines.Medio temporis tantum honorum atq; opum in me cumulaſti,ut nihil felicitati meæ deſit,niſi moderatio eius.Vtar magnis exemplis,nec meæ fortunæ, ſed tuæ. Atauus tuus Auguſtus, M. Agrippæ Mitylenenſe ſecretum, C. Mecœnati urbe in ipſa, uelut peregrinē otiū permiſit: quorū alter bellorum ſocius, alter Romæ pluribus laboribus iactatus,ampla quidem,ſed pro ingentibus meritis præmia acceperant. Ego quid aliud munificentiæ adhibere potui q̄ ſtudia(ut ſic dixerim)in umbra educata? è quibus claritudo uenit,quod iuuentæ tuæ rudimentis affuiſſe uideor,grande huius rei pretium.at tu gratíam immenſam,innumeram pecuniam dediſti, adeo ut plerunq; intra me ipſe uoluam: Egó ne equeſtri & prouinciali loco ortus, proceribus ciuitatis annumeror? Inter nobiles & longa decora præferentes,nouitas mea enituit?Vbi eſt animus ille modicis contentus? Tales hortos inſtruit & per hæc ſuburbana incedit, & tantis agrorum ſpacijs,tam lato fœnore exuberat? Vna defenſio occurrit, quod muneribus tuis obniti nō debui.Sed uterq; menſuram impleuimus, & tu quantū princeps tribuere amico poſſet, & ego quantum amicus à principe accipere.Cætera inuidiam augent. quæ quidem,ut omnia mortalia,infra tuam magnitudinem iacent,ſed mihi incumbunt. mihi ſubueniendum eſt. quo modo in militia aut uia feſſus adminiculum orarem:ita in hoc itinere uitæ,ſenex, & leuiſſimis quoq; curis impar, cum opes meas ultra ſuſtinere non poſſim, præſidium peto. Iube eas per procuratores tuos adminiſtrari, in tuā fortunam recipi.Nec me in paupertatem ipſe detrudam, ſed traditis quorum fulgore perſtringor, quod temporis,hortorum aut uillarum curæ ſeponitur,in animum reuocabo.Supereſt tibi robur,& tot per annos nixum faſtigij regimen:poſſumus ſeniores amici,quiete reſpondere.Hoc quoq; in tuā gloriam cedet,eos ad ſumma uexiſſe,qui & modica tolerarēt. Ad quæ Nero ſic fermè reſpondit. Et quod meditatæ orationi tuę ſtatim occurrā,id primum tui muneris habeo,qui me non tantum præuiſa, ſed ſubita expedire docuiſti. Auus meus Auguſtus Agrippæ & Mecœnati uſurpare otium poſt labores conceſſit, ſed in ea ipſa ætate, cuius auctoritas tueretur quicquid illud & qualecūq; tribuiſſet.attamen neutrum datis à ſe præmijs exuit.Bello & periculis meruerāt.In his enim iuuenta Auguſti uerſata eſt. Nec mihi tela & manus tuæ defuiſſent,in armis agenti.Sed quod præſens conditio poſcebat,ratione,conſilio,præceptis pueriiciam, dein iuuentā meam fouiſti.Et tua quidē erga me munera, dum uita ſuppetet,æterna erūt. Quæ à me habes, horti, & fœnus, & uillæ,caſibus obnoxia ſunt: ac licet

Seneca ad Neronem

Nero ad Senecam

multa

" multa uideantur,pleriq; haud quaquã artibus tuis pares,plura tenuerunt.
" Pudet referre libertinos,qui ditiores ſpectantur. Vnde etiam rubori mihi
" eſt,quod præcipuus charitate,nondum omnes fortuna antecellis. Verum
" & tibi ualida ætas,rebusq; & fructui rerum ſufficiens, & nos prima impe-
" rij ſpacia ingredimur: niſi forte aut te Vitellio ter conſuli,aut me Claudio
" præponis. Sed quantum Voluſio longa parſimonia quæſiuit, tantum in
" te mea liberalitas explere non poteſt. Quin ſi qua in parte lubricum ado-
" leſcentiæ noſtræ declinat,reuocas,inornatumq; robur ſubſidio impenſius
" regis. Non tua moderatio, ſi reddideris pecuniam, nec quies ſi reliqueris
" principem,ſed mea auaricia,meæ crudelitatis metus in ore omnium uerſa-
" bitur. Quod ſi maxime continentia tua laudetur, non tamen ſapienti uiro
" decorum fuerit, unde amico infamiam parat, inde gloriam ſibi recipere.

His adijcit complexum & oſcula, facetus natura, & conſuetudine exer-citus uelare odium fallacibus blanditijs. Seneca (qui finis omnium cum dominante ſermonum)grates agit: ſed inſtituta prioris potentiæ commu tat: prohibet cœtus ſalutantium: uitat comitantes, rarus per urbem, quaſi ualitudine infenſa,aut ſapientiæ ſtudijs domi attineretur. Perculſo Se-neca, promptum fuit Rufum Fenium imminuere, Agrippinæ amicitiam in eo criminantibus. Validiorq; in dies Tigillinus, & malas artes,quibus ſolus pollebat, gratiores ratus ſi principem ſocietate ſcelerũ obſtringeret, metus eius rimatur. Compertoq; Plautũ & Syllam maxime timeri, Plau-tum in Aſiam,Syllam in Galliam Narbonenſem nuper amotos:nobilita-tem eorum,& propinquos huic orientis, illi Germaniæ exercitus comme-morat. Non ſe, ut Burrum,diuerſas ſpes, ſed ſolam incolumitatem Nero-nis ſpectare, cui caueri utcunq; ab urbanis inſidijs præſentia, longinquos motus quónam modo comprimi poſſe? Erectas Gallias ad nomen dicta-torium,nec minus ſuſpectos Aſiæ populos,claritudine aui Druſi. Syllam inopem,unde præcipuam audaciam: & ſimulatorem ſegnitiæ, dum teme-ritati locum reperiret. Plautum magnis opibus,ne fingere quidem cupidi-nem otij,ſed ueterum Romanorum imitamenta præferre,aſſumpta etiam Stoicorum arrogantia,ſectaq;, quæ turbidos,& negotiorum appetentes faciat. Nec ultra mora. Sylla ſexto die peruectis Maſſiliam percuſſoribus, ante metum & rumorem interficitur,cum epulandi cauſa diſcumberet. Re-latum caput eius illuſit Nero tanquam præmatura canicie deforme. Plau-to parari necem,non perinde occultum fuit, quia pluribus ſalus eius cura-batur, & ſpacium itineris ac maris tempusq; interiectũ mouerat famam: uulgoq; fingebant, petitum ab eo Corbulonem,tum magnis exercitibus præſidentem, ſi clari atq; inſontes interficerentur, præcipuum ad pericu-la:quin & Aſiam fauore iuuenis arma cepiſſe, nec milites ad ſcelus miſſos aut numero ualidos,aut animo promptos,poſtquam iuſſa efficere nequi-uerint,ad ſpes nouas tranſiſſe unà. Hæc in ore famæ credentium otio age-

Tigillinus ca-lumniator

bantur

bantur. Cæterum libertus Plauti celeritate uentorũ prçuenit centurionem, & mandata L. Antiſtij ſoceri attulit: effugeret ſegnem mortẽ: otium, ſuffugium, & magni nominis miſerationem, reperturum bonos, cõſociaturum audaces. nullum interim ſubſidium aſpernandum. ſi ſexaginta milites (tot enim aduenicbant) propuliſſet, dum refertur nuncius Neroni, dum manus alia permeat, multa ſecutura, quæ ad uſq; bellum eualeſcerent. deniq; aut ſalutem tali conſilio quæri, aut nihil grauius audenti quàm ignauo patiendum eſſe. Sed Plautum ea non mouere, ſiue nullam opem prouidebat inermis atq; exul, ſeu tædio ambiguæ ſpei, an amore coniugis & liberorum, quibus placabiliorẽ fore principem rebatur, nulla ſollicitudine turbatum. Sunt qui alios à ſocero nuncios ueniſſe ferant, tanquam nihil atrox immineret, doctoresq; ſapientiæ Cœranum Grçci, Muſonium Thuſci generis, conſtantiam opperiendæ mortis, pro incerta & trepida uita ſuaſiſſe. Repertus eſt certè per medium diei nudus exercitando corpori. Talem eum centurio trucidauit, coràm Pelagone Spadone, quem Nero centurioni & manipulo quaſi ſatellitibus miniſtrum regium præpoſuerat. Caput interfecti relatũ. cuius aſpectu, ipſa principis uerba referam: Quin, inquit, Nero depoſito metu nuptias Poppeæ ob eiuſmodi terrores dilatas maturare parat, Octauiamq; cõiugem amoliri, quãuis modeſte agat, & nomine patris, & ſtudijs populi grauem. Sed ad ſenatũ literas miſit, de cæde Syllæ Plautiq; haud confeſſus. uerum utriuſq; turbidum ingenium eſſe, & ſibi incolumitatem Reip. magna cura haberi. Decretæ eo nomine ſupplicationes, utq; Sylla & Plautus ſenatu mouerentur, grauioribus tamen ludibrijs quàm malis. Igitur accepto patrum conſulto, poſtquam cuncta ſcelerum pro egregijs accipi uidet, exturbat Octauiã, ſterilem dictitans. Exin Poppeæ coniungitur. Ea diu pellex, & adulteri Neronis, mox mariti potens, quendam ex miniſtris Octauiæ impulit, ſeruilem ei amorem obijcere. deſtinaturq; reus cognomento Eucerus, natione Alexandrina, canere tibijs doctus. Actæ ob id de ancillis quæſtiones, & ui tormentorum uictis quibuſdam, ut falſa annuerent, plures perſtitere ſanctitatẽ dominæ tueri. Ex quibus una inſtanti Tigillino, caſtiora eſſe muliebria Octauiæ reſpondit, quàm os eius. Mouetur tamen primo ciuilis diſſidij ſpecie, domumq; Burri, & prædia Plauti, infauſta dona accipit. Mox in Campaniam pulſa eſt, addita militari cuſtodia. Inde crebri queſtus, nec occulti per uulgum, cui minor ſapientia, & ex mediocritate fortunæ, pauciora pericula ſunt. His (haud quaquam Nero pœnitentia flagitij) coniugem reuocauit Octauiam. Exin læti Capitolium ſcandunt, deoſq; tandem uenerantur. Effigies Poppeæ proruunt. Octauiæ imagines geſtant humeris, ſpargunt floribus, foroq; ac templis ſtatuũt. Itur etiam in principis laudes, repetitum uenerantium. Iamq; & palatium multitudine & clamoribus complebant, cum emiſſi militum globi uerberibus & intento ferro turbatos diſiecere. Mutataq; quæ

Vulgus

per

per ſeditionem uerterāt, Poppeæ honos repoſitus eſt. Quæ ſemper odio tum & metu atrox, ne aut uulgi acrior uis ingrueret, aut Nero inclinatione populi mutaretur, prouoluta genibus eius: Non eò loci res ſuas agi, ut de matrimonio certet (quanquam id ſibi uita potius) ſed uitam ipſam in extremum adductam à clientulis & ſeruitijs Octauiæ, quę plebis ſibi nomen indiderint, ea in pace auſi, quæ uix bello euenirēt. Arma illa aduerſus principem ſumpta. ducem tantum defuiſſe, qui motis rebus facile reperiretur. Omitteret modo Campaniā & in urbem ipſam pergeret ad cuius nutum abſentis tumultus cierentur. Quod alioquin ſuū delictū? quam cuiuſquam offenſionem? An quia ueram progeniem penatibus Cæſarum datura ſit, malle populum Romanum tibicinis Ægyptij ſobolem imperatorio faſtigio induci? Deniq; ſi id rebus cōducat, libens quàm coactus acciret dominam, uel cōſuleret ſecuritati iuſta ultione. Et modicis remedijs, primos motus conſediſſe. at ſi deſperent uxorem Neronis fore Octauiā, illi maritum daturos. Varius ſermo, & ad metum atq; iram accommodatus, terruit ſimul audientem & accendit. Sed parum ualebat ſuſpicio in ſeruo, & quæſtionibus ancillarum eluſerat. Ergo confeſſionem alicuius quæri placet, cui rerum quoq; nouarum crimen affingeretur. Et uiſus idoneus maternæ necis patrator Anicetus, claſſi apud Miſenum (ut memoraui) præfectus, leui *Anicetus* poſt admiſſum ſcelus gratia, dein grauiore odio: quia grauiorum facinorum miniſtri quaſi exprobrantes aſpiciuntur. Igitur accitum eum Cæſar operæ prioris admonet. Solum incolumitati principis aduerſus inſidiantem matrem ſubueniſſe: locum haud minoris gratiæ inſtare, ſi coniugem infenſam depelleret. Nec manu aut telo opus. Fateretur Octauiæ adulterium. Occulta quidem ad præſens, ſed magna ei præmia, & ſeceſſus amœnos promittit: uel ſi negauiſſet, necem intentat. Ille inſita uecordia, & facilitate priorum flagitiorum, plura etiam quàm iuſſum erat, fingit, fateturq; apud amicos, quos uelut cōſilio adhibuerat princeps. Tum in Sardiniam pellitur, ubi nō inops exilium tolerauit, & fato obijt. At Nero præfectum ſpe ſociandæ claſſis corruptum, & incuſatæ paulo ante ſterilitatis oblitus, abactos partus conſcientia libidinum, eaq; ſibi comperta dicto memorat. Inſulaq; Pandateria Octauiā claudit. Non alia exul uiſentium oculos maiore miſericordia affecit. Meminerant adhuc quidam Agrippinæ à Tiberio, recentior Iuliæ memoria obuerſabatur à Claudio pulſæ. Sed illis robur ætatis affuerat. Læta aliqua uiderant, & præſentem ſæuitiam melioris olim fortunæ recordatione eleuabant. Huic primum nuptiarum dies loco funeris fuit, deductæ in domum, in qua nihil niſi luctuoſum haberet, erepto per uenenum patre, & ſtatim fratre. Tum ancilla domina ualidior. Et Poppea nō niſi in perniciem uxoris nupta. Poſtremo crimen omni exitio grauius. Ac puella uiceſimo ætatis anno, inter centuriones & milites, præſagio malorum iam à uita exempta, nondum tamen morte acquieſcebat.

Paucis

Paucis dehinc interiectis diebus, mori iubetur cum iam uiduam ſe & tantum ſororem teſtaretur,communeſq; Germanici,& poſtremo Agrippinæ nomen cieret,qua incolumi infelix quidem matrimonium, ſed ſine exitio pertuliſſet.Reſtringitur uinculis, uenæq; eius per omnes artus exoluũtur, Et quia preſſus pauore ſanguis tardius labebatur,præferuidi balnei uapore enecatur. Additurq; atrocior ſæuitia, quod caput amputatum latumq; in urbem Poppea uidit. Dona ob hæc templis decreta. Quod ad eum finem memorauimus, ut quicunq; caſus temporum illorum nobis uel alijs auctoribus noſcent, præſumptum habeant, quoties fugas & cædes iuſſit princeps,toties grates deis actas,quæq; rerum ſecundarum olim,tum publicæ cladis inſignia fuiſſe. Neq; tamen ſilebimus, ſi quod ſenatuſconſultum,adulatione nouum,aut patientia poſtremum fuit. Eodem anno libertorum potiſſimos ueneno interfeciſſe creditũ eſt, Doryphorum quaſi aduerſatum nuptijs Poppeæ,Pallantẽ quod immenſam pecuniã longa ſenecta detineret. Romanus ſecretis criminationibus incuſauerat Senecam ut C.Piſonis ſociũ, ſed ualidius à Seneca eodẽ crimine perculſus eſt. Vnde Piſoni timor & orta inſidiarũ in Neronẽ magna moles,ſed improſpera.

FINIS XIIII LIBRI

BEATI RHENANI IN LIBRVM DECIMVM QVINTVM CASTIGATIONES.

ET defectione Hyrcanorum.) Scripſimus, diſſenſione Hyrcan.

Et certamen.) Emendaui, Contra ueterum fratrum odia & certamina.

Dum ipſe poſitis aduerſus Hyrcanos diſcordijs.) Repoſuimus,Dum ipſe compoſitis aduerſus Hyrcanos diſcordijs.

Compoſitius cũcta ꝙ feſtinatius ageret.) Nos,feſtinãtius.

Quoſdam riuos congeſtu terræ obdidit.) Scripſimus,abdidit.

Et Corbulonis minis patrata magnifice extollebant.) Repoſuimus,ac magnifica,extollebant.

Famiſulanus Vectoniarius.) Codex Budenſis,Fimiſulanus Vectonianus.

Calauius Sabinus regebat.) Nos,regebant.Mox eſt illic,tranſmittebat. Sicut & ante,Armeniam intrat.Igitur & nos ſic ſcripſimus.

Caſtello cui Aſamoſata nomen eſt.) Correximus,Arſamoſata.

Et ægre compulſum ferunt.) Suſtulimus particulam &. Non autem hæc ſola ſupererat,ſed mox item particula,ut,Aegre compulſum ferunt,inſtantem Corbuloni fateretur.Subauditur autem ut.

Hinc peditatu inde equite.) Codex Budenſis,Hinc peditatu,hinc equite.

Per longinqua & auia.) Præpoſitionem per expunximus ſic diſtinguendo ſententiam: Peditum ſi quis integer, longinqua & auia: uulnerati caſtra repetiuere.Subauditur ante,petijt.

Miſſis item ad Corbulonẽ precibus.) Scripſimus, Miſſis iterum ad Corb.pr.

Ne aliud ꝙ munimenta propugnabant.) Emendaui,Nec aliud q. m.prop.

Aut metu.) Ablatiuum metu deleuimus,& pro aut ſcripſimus,ut,hoc modo, Et alij propria ignauia,ut Corbulonẽ opperiẽtes. Siquidem in manuſcripto libro

tantum eſt aut pro ut. Librarius ultimam præcedentis uocabuli quod eſt ignatuia literam, cum ut cōiunxit, ut fieret aut. Deinde quiſpiam ablatiuum adiecit metu.

Contra daret.) Hoc mihi magis probatur quàm quod uerbum in regio uolumine eſt ſcriptum, nempe, contradiceret. Sic libro 17. Si fortuna contra daret, iratis ne relinquerentur.

Pacem ex æquo utilē, nec præſentia ſpectaret.) Non eſt inepta Budenſis exemplaris lectio, Pace ex æquo utili, ne præſ.t.ſp.

Adieciſſe deos dignum Arſacidarum ſimul & de legionibus Romanis ſtatuerent.) Scribendū apparet, Adieciſſet eos, dignum Arſacidarum &c. Senſus eſt. Reſcripſit Vologeſes ſe adhibuiſſe fratres ſuos in conſilium Pacorum ac Tyridatem, ut digne Arſacidis ſimul & Romanis ſtatuerent. Quur enim non poſſim docendi gratia ſic loqui, quum Cicero dixerit, cōuenienter naturæ uiuere. Arbitror autem dignum Arſacidarū imitatione Græca protuliſſe, ἀξίως τῶν ἀρσακιδῶν. Niſi quis malit, dignum Arſacidarum pro dignitatem Arſacidarum, hoc eſt pro dignitate Arſacidarum ſimul & de legionibus Romanis ſtatuerent.

Vaſatem præfectum.) Et mox, Vaſates. Scripſimus Vaſacem, Et, Vaſaces.

Is caſtra perfluebat.) Malim, præfluebat.

Antequam agmen Romanum excederet.) Emendauimus, decederet. Quod illic ſequit̃, Aut iumēta adnoſcētes, in uulgata æditione eſt agnoſcētes, nec refert.

Validum & firmum intellexere.) Repoſui, Validum & fidum intellexere.

Necꝫ ſe plus tridui itineri abfuiſſe.) Nos, itinere.

Non eam ſpeciem inſignium & armorum prætulit.) Liber manu deſcriptus, Non eam ſpeciem inſignium armorum p.

Ne lachrymis quidem temperare.) Scripſimus, temperauere.

Conſalutatio Vix præ fletu uſurpata conſalutatio.) Sic libro 20. Nulla inter coeuntes exercitus conſalutatio. Quanquam hoc loco codex Budenſis habet conſolatio.

Hoc conquerentium.) Caſtigauimus, Hæc conquerentium.

Amnemcꝫ ut olim medium faceret.) Scribēdum, Amnemcꝫ ut omnium medium faceret. Item, Diruptaqꝫ quæ ultra Euphratem communierat Corbulo.

Fortuitus ignis aſſumpſiſſet.) Emendaui, abſumpſiſſet.

Adeunt, ibi naturæ munus, labores educādi.) Exemplar Matthię Coruini habet, Adeūtibus naturę. Proinde lego, Qui magna cū inuidia ſenatū adeūt, ius naturæ, labores educandi, aduerſus fraudem, & artes, & breuitatem adoptionis enumerant. Dele ergo uocabulū munus quod caſtigatores inſulſerunt, ibi pro ius ſcribentes. Hic locus feliciter, ut puto, reſtitutus eſt, atcꝫ in contextu mutatus.

Ius naturæ

Labores educandi

Ac ne uſurpandis quidē hæreditatibus prodeſſet.) Particula quidem illic non eſt, & poteſt abeſſe.

Potentiam ſuam tali modo oſtentandi.) Nec eſt illic ſuam.

Locus puerperio colonia Antium fuit.) Abeſt & uerbum fuit, quod nos quoque diſpunximus.

Iam ſenatus interim uterum Poppeæ commendauerat dijs.) Aduerbium interim ſuſtulimus.

Adnotandum eſt.) Scripſimus, Adnotatum eſt.

Quam populus Romanus.) Caſtigaui, quem. Subaudi modum.

Necꝫ infamia Pæti augebatur.) Correximus, angebatur.

Ponere inſigne regium Tum placuit Tyridatem ponere apud effigiem Cæſaris inſigne regium.) Ponere pro deponere.

Vt, initia uigiliarum per centurionem enunciari.) Scripſimus, nunciari.

Structa Et ſtructā ante auguralem aram ſubdita face accendi.) Caſtigauimus, Et ſtructa (hoc eſt ſtruem lignorum extructam) ante Auguralem aram ſubdita face accendi

cendi. Subauditur, ligna, uel ſimile quippiam.

Poſtero die ſpacium orauit.) Emendaui, Poſtremo die. Quanquam ſi quis de biduo ultimo tantum intelligat, recte ſcripſerit poſtero die. Id quod ſecutus eſt caſtigator huius loci. Quod ſi quis ad totũ tempus reſpiciat, quo ſemel atq; iterum congreſſi ſunt, præſertim quum præcedat, Dein paucis diebus interiectis: non abſurda lectio erit poſtremo die, quã nos Budenſi codici debemus, cui cętera fermè (omnia.

Neu ferrum traderet.) Intelligendum, neu ferrum traderet, ſ. ipſe Tyridates Corbuloni.

Equitum Romanorum locos ſedibus plebis antepoſuit apud Circum.) Scripſimus, ſedilibus plebis.

Nanq; ad eam diem indiſcreti ibant.) Repoſui, indiſcreti inibant.

Spectacula gladiatorũ idem annus habuit, pari magnificentia ac priori.) Caſtigauimus, pari magnificentia, ac priora.

Sed fœminarum illuſtrium ſenatorumq; plures per arenã fœdati ſunt.) Quid faciunt fœminæ illuſtres in arena? Deeſt hic genitiuus filiorũ, quem inſeruimus, Sed fœminarum illuſtrium ſenatorumq; filiorum plures per arenam fœdati ſunt.

Inde initium fore, ut tranſgreſſus in Achaiam.) Et hic deerat ablatiuus ſcenis. Inde initium fore, ut tranſgreſſus ſcenis in Achaiam. Scenis id eſt per ſcenas.

Et quos à proximis colonijs & municipijs eius rei fama ciuerat.) Scripſimus, (acciuerat.

Etiam alijs præemineret.) Repoſuimus, etiam malis præmineret. Quaſi d. primũ facetijs ſcurrilibus, deinde flagitijs ſceleribusq; præminuit.

Iuſſi id accuſatores obijcere.) Pronomen id non eſt in libro manuſcripto, niſi poſtea additum.

Qui ne ignobiles haberet quos ab epiſtolis & libellis & ratiõibus appellaret.) Volumen regium habet, qui ne innobiles habere quos ab epiſtolis & libellis & rationibus appellet. Conijcio legendum, Quin eum ſiue quinetiam nobiles habere, quos ab epiſtolis, & libellis, & rationibus appellet. Quare ſic emendare contextum auſi fuimus.

Hæc atq; talia plebi ualentia fuere.) Budenſe exemplar hic raſis aliquot literis habet uolentia. Scripſerim ego, Hęc atq; talia plebi uolenti fuere. Similem locutionem uſurpat in uita Agricolę, Eoq; initio erecta prouincia, ut quibus bellũ uolentibus erat. Hoc ſermonis genus Græcis familiare. Plato ἀλλ᾽ ὅρα εἴ σοι βουλομένῳ εἴη ἃ λέγω, id eſt. Sed uide num tibi uolenti ſint quæ dico. Gregorius Nazianzenus, ἐνέπαιζον ὅσα βουλομένοις ἦν, id eſt. Illuſerũt quæcunq; uolentibus erant. Sic & libro 19. loquitur. Cæteriſq; remanere & in uerba Veſpaſiani adigi uolentibus fuit. Quo loco nos dictionem liberum à caſtigatoribus inſultam ſubmouimus. Expreſſit hanc figuram amator Helleniſmi Macrobius quum inquit. Si uobis uolentibus eſt. Huius generis & illud quod Tacitus libro primo dixit. Vt quibuſq; bellum inuitis, aut cupientibus erat. Quod autores Græci dicunt ἀχθομένοις ἦν. & ἡδομένοις ἦν. Nec eſt admodũ diſſimile quod eodem primo libro infra legitur. Volentibus Armenijs præfecit. Item libro decimooctauo. Mutiano uolenti ſcripſere. quanquã in uulgatis æditionibus male legitur, uolentia. Sed de hac figura admonuimus ſub initium operis, & ſuis deinde locis. *Hæc atq; talia plebi uolenti fuere*

Ipſe quo fidem acquireret, nihil uſquam perinde lętum ſibi publicis locis.) Hic locus eſt prorſum uitiatus. Liber manuſcriptus habet. Quo ipſe fidem acquireret nihil uſquã perinelocum ſibi letum publicis locis. Diuinatione eſt opus. Legerim Ipſe quo fidem acquireret, nihil uſquam periculoſum ſibi, lętus publicis locis ſtrueret conuiuia, totaq; urbe quaſi domo uti, hoc eſt, ſtruebat, atq; utebatur. Id nimirum ſimplicius eſt, q; legere, periculoſum ſiue turbulentum, pro ſibi lętum.

Quaſi Tigillino paratæ, ut exempla referam.) Et hic deprauata uerba ſunt.

Emēdauimus, quas Tigillino paratas ut exēplū feram. Vbi ferā dixit pro referā

Et contra ſcorta uiſebantur.) Particula cōnectens, &, nō eſt in uolumine Bud.

Et poſtquam tenebræ incedebant.) Malim, incidebant.

Miſit auſpices duos.) Sic & illic legit. Forte melius, Viſi auſpices duo. Nam ſequitur, cuncta etiam ſpectata, ſiue ut in ſcripto codice legitur, aſpectata.

Cuncta denicꝫ ſpectata.) Manuſcriptus liber, Cuncta etiam aſpectata. Pluſcꝫ eſt aſpectata qꝫ ſpectata. Verbum aſpectandi libro primo uſurpat, Omnis, exuta *Aſpectare* æqualitate iuſſa principis aſpectare.

Omnibus quæ huic urbi per uiolentiam ignium acciderunt, grauior atcꝫ atrocior.) Parentheſi ſublata, coniunctionē ſed inſeruimus. Sed omnibus quæ huic urbi per uiolentiam ignium acciderūt, grauius atcꝫ atrocius. Noua ſententia eſt. Subauditur, id incommodum.

Et rurſus inferiora populando.) Particulam & deleuimus.

Huc illuc Huccꝫ & illuc flexis.) Nec hoc loco codex manuſcriptus particulā & habet. Opinor Tacitum ſcripſiſſe, huc illuc flexis, quemadmodum alibi ſæpe loquitur. Libro primo. Sed exterruit Cæcina huc illuc ferens arma. Libro quarto. Sed perſequi incertum fuit, quum ex uſu temporis huc illuc mearent.

Adhoc Adhæc lamenta pauentium fœminarum.) Scripſimus, Adhoc, qua uoce etiam alibi utitur.

Irritū cadere In irritum cadebant.) Codex Budenſis, Irritum cadebant. Sic infra. Dum merita erga Neronem ſua, & quàm irritum cecidiſſent, aperit. At utrobicꝫ legitur in uulgatis æditionibus, in irritum.

Necdū poſito metu ſatis credebatur, cum leuis r. g. ignis.) Repoſuimus, Necdum poſito metu, redibat. Leuis rurſum graſs. ig.

Multa ſeniores meminerint.) Caſtigauimus, meminerant.

Ex quo Senones.) Forte, & quo Senones capt. urbem infl.

Effodere proxima Auerno iuga connixus eſt.) Codex Budenſis, Eniſus eſt. Forte, anniſus eſt.

Sed dimenſis uirorum ordinibus.) Illic legitur, diuerſis ordinibus. Hoc eſt, ſeparatis. Sic infra. Et diuerſi interrogantur.

Subuectare Vticꝫ naues quæ frumentū Tyberi ſubuectæ eſſent.) Emendauimus, Vtcꝫ naues quæ frumentum Tyberi ſubuectaſſent.

Quod is lapis ignibus imperuius eſt.) Correxi, Quod is lapis igni imper. eſt.

Et lectiſternia ac peruigilia celebrauere fœminæ.) Exēplar regiū, Selliſternia.

Quos per flagitia inuiſos.) Hic & mox quum pietatē Chriſtianā exitiabilem ſuperſtitionē uocat, loquitur ut ethnicus, & myſteriorū noſtrę religionis ignarus.

Et pereuntibus addita ludibria.) Repoſuimus, Ea pereūtibus addita ludibria.

Sed in ſæuitiam unius adſumerentur.) Caſtigaui, abſumerentur.

Ore tenus Hic Græca doctrina oretenus exercitus.) Oretenus non eſt in uolumine Budenſi. Qui addidit motus eſt, quod ſequitur, animum bonis artibus n. ind. Quum poſſit ſtare ſentētia ſine eo aduerbio, quod hic minime locum habet. Nam oretenus ſignificat uſcꝫ ad os. Sic annalium libro primo. Permiſcētur inter ſe manipuli, modo pectore, modo ore tenus extantes.

Ferebant Senecam.) Scripſimus, Ferebatur Senecam. Nam ſæpenumero hoc uerbum uſurpat imperſonaliter. Porrò melius cohærebit ſententia ſi legas; Ferebatur Seneca orauiſſe, & non egreſſus.

Cubiculum non egreſſus.) Subaudi, eſt.

Dum pro ſimplici uictu, & agreſtibus pomis, ac ſi ſitis admoneret, profl. aqua uitam tolerat.) In libro regio non eſt præpoſitio pro, ſed pro tolerat eſt tolerabat. Itacꝫ legendum, Dum ſimplici uictu & agreſtibus pomis, ac ſi ſitis admoneret, profluente

profluente aqua uitam tolerat ſiue tolerabat.

Neq; ſenatui quod inane eſſet, ſed prouiſum quónam modo pœnas eucrſæ Reip.daret.) Aduerſatiuam particulã exemimus,quæ ex poſteriori ſyllaba proxime præcedentis dictionis nata eſt.Emendauimus itaq;,Neq; ſenatui quod inane eſſet,prouiſum quo nam modo pœnas uerſæ Reip.daret.

Et multũ acerrimos duceret in partes.) Caſtigaui,Et militũ acer.d.in partes.

Qui à coniuratione integri eſſent.) Codex Budenſis, qui coniuratiõ integri.Lego coniuratione,aut potius, coniurationis integri. Coniuratio/nis integri

Et genibus principis accedens.) Emendauimus,Et genibus principis accidẽs. Eſt ab accido, quod eſt ab ad & cado.

Animi ualidus,& corpore uigens.) Codex Budenſis, & corpore ingens. Sic libro 17.Cæcina,decora iuuenta,corpore ingens,animi immodicus.

Et cęterorum ut quiq; audacię plus habuiſſet.) In Budenſi, Et cæterorum ut quiſq; audiuiſſet,accurrerent.

Diuites,pauperes.) Pro diuites ſcripſimus, dites. quã uocem uſurpat crebro. Vt libr.18. Dites dominos in prędã,aut ſi repugnatũ foret,ad excidiũ deſtinabãt.

Quibusq; ſiſtitur ſanguis parare eundem Milichum iubet.) Liber Matthiæ Coruini.Quibusq; ſiſtitur ſanguis ſartiebat eũdem Milichum iubet.Lego, ſartienda eundũ M.iubet.Dicimus enim,iubeo te aliquid.Mox eſt illic in hortos Seruianos.

Adiungere crimen uiſum,ſe pariter indicẽ & teſtẽ facere.) Exemplar ſcriptum habet uixiſſe. Forte legendum, Adiungere crimen nixum,ſe pariter indicem & teſtem facere.

Ergo accitur Natalis.) Scripſimus,Ergo accitus Natalis.Subaudi,eſt.

Chariſſima ſuorum quiſq; pignorũ proderent.) Caſtigaui,Chariſſima quoq; ſuorum pignorum proderent.

Latatum erga coniuratos.) Repoſui,Lętatum erga coniuratos.

Animum aduerſum ſuprema firmabat.) Nos, firmat.

Nam uetus miles timebatur,quanquam fauore imbutus.) Mutaui meum ſecutus iudicium,quanquam in tanquam.

Et ſola corporis forma cõmendatã.) Volumẽ regiũ, Et ſola corporis fama co.

Domitius filius.) Scripſimus,Domitius Silius.

Quando uenenũ non proceſſerat.) Codex manuſcriptus,Quoniã uenenum non proceſſerat.Nec magnopere refert.

Quod à uiſendo eo prohiberetur.) Emendauimus, quod uiſendo eo prohiberetur.Solet enim tales prępoſitiones omittere Tacitus.

Se ratione ualitudinis & amore quietis,excuſauiſſe reſpondit.) Illic legitur,rationes ualitudinis & amore quietis. Poſſet legi, ſe rationem ualitudinis & amorem quietis excuſauiſſe.

Quod unum iam & tamen pulcherrimum.) Mutaui,quod unum iam tamen & pulcherrimum habebat.

Complectitur uxorem paululum aduerſus pręſentem formidinem mollitus.) Hic inſeruimus particulam &.Complectitur uxorem,& paululum aduerſus præſentem formidinem mollitus orat rogatq;.

Illa contra, ſibi quoque deſtinatam mortem adſeuerat.) Coniunctio quoque non eſt in uolumine Budenſi.

Suadet in aliud cubiculum abſcedere.) Scripſimus, abſcederet.

Inuertere ſuperſedeo.) Quod factum fuiſſet,ſi hic alijs uerbis retuliſſet.Alioqui poſſet etiam legi,innectere ſuperſedeo. Quæ lectio mihi ſummopere probatur. nam ſuperior ſenſus planè frigidus eſt. Innectere ſuperſedeo

Inhiberi mortem imperat.) Verbum imperat non eſt in libro manudeſcripto.

Quare Tacitum ſcripſiſſe ſuſpicor, At Nero nullo in Paulinam proprio odio, ac ne gliſceret inuidia crudelitatis, inhibere mortem. Inhibere id eſt inhibebat.

Quo damnati publico Athenienſiũ iudicio extinguerentur.) Apparet ex regio uolumine legi poſſe, Quo damnatus pub. Ath. iud. extingueretur.

Frigidis iam artubus & clauſo corpore aduerſus uim ueneni.) Illic legitur, Frigidus iam artus & cluſo corpore aduerſus uim ueneni. Græca conſtructio eſt, ſed Hiſtoricis permiſſa.

Ita codicillis perſcripſerat.) Suppoſui præſcripſerat. Quanquam me non latet elegans eſſe uerbum perſcribere, & hic locum habere poſſe.

Auriga, & hiſtrio, & incendiarius extitiſti.) Priorem particulã & ſubmouimus, Auriga, hiſtrio, & incendiarius fuiſti.

Incomptos & ualidos.) Hæ duæ uoces, & ualidos, non ſunt in libro Matthiæ Coruini. Legendũ arbitror, Nec minus noſci decebat militaris uiri ſenſus ſed incomptos. Facile eſt uidere quid induxerit caſtigatorem ut adderet clauſulam, & ualidos. Nempe, &, coniunctio, pro qua ſed ſcribendum erat.

Quamuis Flauius ut humilem & anguſtam increpans.) Non aliter illic legitur, niſi quod anguſtum, exemplar habet. Verum attentius inſpecta ſcriptura deprehendiſſe mihi uideor pro q̃uis ſcribẽdum ſimpliciter quem, Mox eſt illic, Ne hoc quidem, inquit, ex diſciplina. Sentit autem diſciplinam militarẽ caſtrenſemq́ꝫ Quare ſic emendauimus locum. Is proximo in agro ſcrobem effodi iuſſit, quem Flauius ut humilem & anguſtum increpans, circumſtantibus militibus, Ne hoc quidem, inquit, ex diſciplina. Porrò ſcrobem in maſculino quoque genere uſurpari non eſt ignotum ex autoribus.

Non aliter tot flagitijs eius ſubueniri potuiſſe.) Scripſi, poſſe.

Denegauere pro degenerauere

Nec cæteri centuriones in perpetiẽdis ſupplicijs denegauere.) Craſſum erratum eſt. Emẽdaui, degenerauere. Sanè quiſquis fuit qui ſuppoſuit uerbum denegauere, reſpexit ad id quod dictum ſupra de Subrio Flauio, Cõfeſſionis gloriam amplexus. Verũ quod hic præcedit, in perpetiendis ſupplicijs, & quod ſequitur, At non Fenio par animus, indicant legendum, degenerauere. Neque enim denegare abſolute uſurpatur.

Haud neſcius inter adulteros eius ad Cæſarem eſſe.) Caſtigaui, inter adulteros eius & Cæſarem eſſe.

Quia ſpeciem iudicis induere non poterat.) Repoſui, Quia ſpeciem indicij induere non poterat.

Conuiuium celebrarat.) Feci, celebrat.

Nihil metuẽs aut diſſimulãdo metu.) Nos, Nihil metuẽs an diſſimulãdo me.

Menſæ exitiũ pro imminẽs exitium

Et menſæ exitium opperientium.) Enorme mendum hic eſt. Correximus, Et imminens exitium op. Poſtquam pauorem eorum & imminens exitium opperientium & imaginatus & irridens Nero. Budenſe exemplar habet inmenſe exitium, hinc anſa conijciendi data eſt.

Exin Mannio & Lucani cædem imperat.) Id uidetur ſic dictum, quaſi Mannio centurioni cuipiam etiam Lucani necem imperarit. Sed ſi quis attentius conſyderet, apparebit ſcribendũ, Exin M. Annei Lucani cędẽ imperat. Et ſic noſtrum ſecuti iudiciũ mutauimus. Nam à codice regio, nihil erat hic pręſidij. Sic ſupra, Et Lucanus Anneus Plautiusq́ꝫ Lateranus cõſul deſignatus, uiuida odia intulere.

Sed tamen extimarentur.) Scripſimus, exiſtimarentur. Paulopoſt in regio codice eſt, Britio Catullino. Item Acilia mater.

Apud palatium quoq́ꝫ effigies eorum ſiſteret.) Nos, Apud palatium effigies eorum quoque ſiſteret.

Neu compoſitam, & obliteratam manſuetudinẽ principis nouam ad ſæuitiam retraheret

retraheret.) Illic non habetur particula connectens, &. Quare ſuſpicor hanc fuiſſe germanam Taciti lectionem, Neu compoſitũ, obliterata manſuetudine principis nouam ad ſæuitiam retraheret. Neu compoſitum, hoc eſt ſedatũ & qui iam placidus factus eſſet, Subaudi Neronem. Porrò compoſitum etiam alibi uſurpat pro ſedato, ut libro 17. Compoſitiq; ad præſens, qui coerceri non poterant. Sed & Obliterandi uerbo rurſum utitur libro ſequenti. Quæ obliterari non ſinebat Capito Coſſutianus. Et libro 17. Ac ne reuerentiam imperij exuere uideretur, in S.P.Q.R. obliterata iã nomina, ſacramẽta aduocabãt. Item in priorib. libris ſępe.

Et uenerationem item hominum merito.) Aduerbium item ſubmouimus, quod non ſit in libro manuſcripto.

Quod ad omnia olim ſui exitus uerteretur.) Budenſe uolumẽ: Quorundam ad omnia dolum ſui exitus uerteretur. Legerim, Quod clàm ad omen ac dolum ſui exitus uerteret. Vbi ſui pro eius uſurpat, more Ciceronis & ueterũ autorum.

FINIS

P. CORNELII TACITI AB EXCESSV DIVI AVGVSTI ANNALIVM

LIBER XV

INTEREA rex Parthorum Vologeſes, cognitis Corbulonis rebus, regemq; alienigenã Tygranem Armeniæ impoſitum: ſimul fratre Tyridate pulſo, ſpretum Arſacidarũ faſtigium ire ultum uolẽs, magnitudine rurſum Romana & cõtinui fœderis reuerẽtia, diuerſas ad curas trahebatur, cunctator ingenio, & diſſenſione Hyrcanorum gentis ualidæ, multisq; ex eo bellis illigatus. Atq; illũ ambiguũ nouus inſuper nuncius contumelię extimulat. Quippe egreſſus Armenia Tygranes Adiabenos conterminam nationem latius ac diutius quàm per latrocinia uaſtauerat. Idq; primores gentium ęgrè tolerabant, eò contemptionis deſcenſum, ut ne duce quidem Romano incurſarentur, ſed temeritate obſidis, tot per annos inter mancipia habiti. Accendebat dolorem eorum Monobazus quem penes Adiabenum regimen, quod præſidium, aut unde peteret rogitans. Iam de Armenia conceſſum, proxima trahi: & niſi defendant Parthi, leuius ſeruitium apud Romanos deditis, quàm captis eſſe. Tyridates quoq; regni profugus, per ſilẽtium haud modicè querendo, grauior erat. Non enim ignauia, magna imperia contineri, uirorum armorumq; faciendum certamẽ. Id in ſumma fortuna æquius, quod ualidius. Et ſua retinere, priuatæ domus: de alienis certare, regiam laudem eſſe. Igitur cõmotus his Vologeſes concilium uocat, & proximum ſibi Tyridatem conſtituit, atq; ita orditur. Hunc ego eodem mecum patre genitum, cum mihi per ætatem ſummo nomine conceſſiſſet, in poſſeſſionem Armeniæ deduxi. qui *Vologeſis oratio in cõcilio ſuorum*

« tertius potentiæ gradus habetur. Nam Medos Pacorus anteceperat, uide-
« barq́ꝫ cōtra uetera fratrum odia & certamina, familiæ noſtræ penates ritè
« compoſuiſſe. prohibēt Romani, & pacem ipſis nunquam proſpere laceſſi-
« tam, nunc quoq́ꝫ in exitium ſuum abrumpunt. Non ibo inficias, æquitate
« quàm ſanguine, cauſa quàm armis retinere parta maioribus malueram. ſi
« cunctatione deliqui, uirtute corrigam. Veſtra quidem uis & gloria in inte-
« gro eſt, addita modeſtiæ fama. quæ neq́ꝫ ſummis mortaliū ſpernenda eſt, & à dijs æſtimatur. Simul diademate caput Tyridatis euinxit, promptam equitum manum quæ regem ex more ſectabatur Moneſi nobili uiro tradidit, adiectis Adiabenorum auxilijs: mandauitq́ꝫ Tygranem Armenia exturbari, dum ipſe compoſitis aduerſus Hyrcanos diſcordijs, uires intimas, molemq́ꝫ belli ciet, prouincijs Romanis minitans. Quæ ubi Corbuloni certis nuncijs audita ſunt, legiones duas cum Verulano Seuero, & Vectio Bolano, ſubſidium Tygrani mittit, occulto præcepto, compoſitius cuncta, quàm feſtinantius agerent. quippe bellū habere quàm gerere malebat. Scripſeratq́ꝫ Cæſari proprio duce opus eſſe, qui Armeniam defenderet: Syriam ingruente Vologeſe acriore in diſcrimine eſſe. Atq́ꝫ interim reliquas legiones pro ripa Euphratis locat. Tumultuariam prouincialium manum armat. hoſtiles ingreſſus præſidijs intercipit. Et quia egena aquarum regio eſt, caſtella fontibus impoſita, quoſdam riuos congeſtu arenæ abdidit. Ea dum à Corbulone tuendæ Syriæ parantur, acto raptim agmine Moneſes ut famam ſui præiret, non ideo neſcium aut incautum Tygranem offendit qui occupauerat Tygranocerta, urbem copia defenſorum & magnitudine mœnium ualidam. Ad hæc Nicephorius amnis haud ſpernenda latitudine partem murorum ambit. & ducta ingens foſſa qua fluuio diffidebatur. Inerantq́ꝫ milites, & prouiſi ante commeatus, quorū ſubuectu pauci auidius progreſſi, & repentinis hoſtibus circumuenti, ira magis quàm metu cæteros accenderant. Sed Partho ad exequendas obſidiones nulla comminus audacia: raris ſagittis, neq́ꝫ clauſos exterret, & ſemet fruſtratur. Adiabeni cum promouere ſcalas & machinamenta inciperent, facile detruſi, mox erumpentibus noſtris cædūtur. Corbulo tamen quamuis ſecundis rebus ſuis, moderandum fortunæ ratus, miſit ad Vologeſem qui expoſtularent uim prouinciæ illatam. ſocium amicumq́ꝫ regem cohortes Romanas circumſedere. omitteret potius obſidionem, aut ſe quoq́ꝫ in agro hoſtili caſtra poſiturum. Caſperius centurio in eam legationem delectus, apud oppidum Niſibin ſeptem & triginta millibus paſſuum à Ty-
Niſibis granocerta diſtantem adit regē, & mandata ferociter edidit. Vologeſi uetus & penitus infixum erat, arma Romana uitandi: nec præſentia proſperè fluebant, irritum obſidium, tutus manu & copijs Tygranes, fugati qui expugnationem ſumpſerāt, miſſæ in Armeniam legiones, & aliæ pro Syria paratæ ultro irrumpere: ſibi imbecillum equitem pabuli inopia. nam

exorta

exorta uis locuſtarum abederat quicquid herbidũ aut frondoſum. Igitur metu abſtruſo mitiora obtendens, miſſurum ad imperatorem Romanum legatos ſuper petenda Armenia & firmanda pace reſpondet. Moneſen omittere Tygranocerta iubet, ipſe retro concedit. Hæc plures ut formidine regis, & Corbulonis minis patrata ac magnifica extollebant. Alij occultè pepigiſſe interpretabantur, ut omiſſo utrinq; bello, & abeunte Vologeſe, Tygranes quoq; Armenia abſcederet. Cur enim exercitum Romanum à Tygranocertis deductum? cur deſerta per otium, quæ bello defenderant? An melius hybernauiſſe in extrema Cappadocia, raptim erectis tugurijs, quàm in ſede regni modo retenti? Dilata prorſus arma, ut Vologeſes cum alio quàm cum Corbulone certaret: Corbulo meritę tot per annos gloriæ, non ultra periculum faceret. Nam ut rettuli, proprium ducem tuendæ Armeniæ popoſcerat, & aduentare Ceſennius Pætus audiebatur: iamq; aderat, copijs ita diuiſis, ut quarta & duodecima legiones addita quinta quæ recens è Mœſis excita erat, ſimul Pontica & Galatarum Cappadocumq; auxilia Pæto obedirent: tertia & ſexta & decima legiones, priorq; Syriæ miles apud Corbulonem manerent. Cętera ex rerum uſu ſociarent, partirentúrue. Sed neq; Corbulo æmuli patiens, & Pætus cui ſatis ad gloriam erat ſi proximus haberetur, deſpiciebat geſta, nihil cædis aut prædæ, uſurpatas nominetenus urbium expugnationes dictitans. Se tributa ac leges, & pro umbra regis, Romanũ ius uictis impoſiturum. Sub idem tempus legati Vologeſis, quos ad principẽ miſſos memoraui, reuertere irriti: bellumq; propalam ſumptum à Parthis. nec Pætus detrectauit, ſed duabus legionibus, quarum quartam Famiſulanus Vectonianus eo in tempore, duodecimam Calauius Sabinus regebant, Armeniam intrat, triſti omine. Nam in tranſgreſſu Euphratis, quẽ ponte tranſmittebat, nulla palàm cauſa, turbatus equus qui conſularia inſignia geſtabat, retro euaſit. Hoſtiaq;, quæ muniebantur hybernaculis aſſiſtens, ſemifacta opera fuga perrupit, ſeq; uallo extulit. & pila militum arſere, magis inſigni prodigio, quia Parthus hoſtis miſſilibus telis decertat. Cæterum Pætus ſpretis ominibus, necdum ſatis firmatis hybernaculis, nullo rei frumentariæ prouiſu, rapit exercitum trans montem Taurum, recipiendis, ut ferebat Tygranocertis, uaſtandiſq; regionibus, quas Corbulo integras omiſiſſet. Et capta quædam caſtella, gloriæq; & prædæ non nihil partum, ſi aut gloriam cum modo, aut prædam cum cura habuiſſet. Longinquis itineribus percurſando quæ obtineri nequibant, corrupto qui captus erat commeatu, ut inſtante iam hyeme, reduxit exercitum. compoſuitq; ad Cæſarem literas, quaſi confecto bello, uerbis magnificis, rerum uacuas. Interim Corbulo nunquam neglectam Euphratis ripam crebrioribus præſidijs inſedit: & ne ponti inijciendo impedimentum hoſtiles turmæ afferrent (iam enim ſubiectis campis magna ſpecie uolitabant) naues magnitudine præſtantes, & connexas

trabibus

trabibus,ac turribus auctas, agit per amnem, catapultisq; & baliſtis proturbat Barbaros,in quos ſaxa & haſtæ longius permeabant,quàm ut contrario ſagittarum iactu adæquarentur.Dein pons cōtinuatus, collesq; aduerſi per ſocias cohortes, poſt legionum caſtris occupantur,tanta celeritate & oſtentatione uiriū, ut Parthi omiſſo paratu inuadendæ Syriæ, ſpem omnem in Armeniam uerterent.Ibi Pætus imminētium neſcius, quintam legionem procul in Ponto habebat.Reliquas promiſcuis militū commeatibus infirmauerat,donec aduentare Vologeſem magno & infenſo agmine auditum.Accitur legio duodecima,& unde famam aucti exercitus ſperauerat,prodita infrequentia, qua tamen retineri caſtra, & eludi Parthus tractu belli poterat,ſi Pæto aut in ſuis,aut in alienis conſilijs conſtantia fuiſſet. Verum ubi à uiris militaribus aduerſus urgentes caſus firmatus erat, rurſus ne alienæ ſententiæ indigens uideretur,in diuerſa ac deteriora tranſibat.Et tunc relictis hybernis,non foſſam neq; uallum ſibi,ſed corpora & arma in hoſtē data clamitans,duxit legiones quaſi prælio certaturus. Deinde amiſſo centurione & paucis militibus, quos uiſendis hoſtium copijs præmiſerat,trepidus remeauit.Et quia minus acriter Vologeſes inſtiterat, uana rurſus fiducia,tria millia delectorum proximo Tauri iugo impoſuit, quo tranſitum regis arcerent.Alares quoq; Pannonios robur equitatus in parte campi locat. Coniunx ac filius caſtello cui Arſamoſata nomen eſt, abditi,data in præſidium cohorte,ac diſperſo milite,qui in unum habitus, uagum hoſtem promptius ſuſtentauiſſet.Ægre compulſum ferunt, ut inſtantem, Corbuloni fateretur.Nec à Corbulone properatum,quo gliſcentibus periculis etiam ſubſidij laus augeretur.Expediri tamen itineri ſingula millia ex tribus legionibus,& alarios octingentos, parem numerū è cohortibus iuſſit.At Vologeſes quamuis obſeſſa à Pæto itinera hinc peditatu,inde equite accepiſſet,nihil mutato conſilio,ſed ui ac minis alares exterruit,legionarios obtriuit,uno tantum centurione Tarquitio Creſcente turrim in qua præſidium agitabat,defendere auſo:facta ſæpius eruptione, & cæſis qui Barbarorum propius ſuggrediebantur, donec ignium iactu circumueniretur.peditum ſi quis integer,longinqua & auia, uulnerati caſtra repetiuere:uirtutem regis,ſæuitiam & copias gentium, cuncta metu extollentes, facili credulitate eorum qui eadē pauebant.Ne dux quidem obniti aduerſis,ſed cuncta militiæ munia deſeruerat, miſſis iterum ad Corbulonem precibus,ueniret properè,ſigna & Aquilas,& nomen reliquum infelicis exercitus tueretur:ſe fidē interim donec uita ſuppeditet,retenturos. Ille interritus & parte copiarum apud Syriam relicta, ut munimēta Euphrati impoſita retinerentur,quâ proximum & commeatibus non egenum,regionem Comagenam,exin Cappadociam,inde Armenios petiuit.Comitabantur exercitum præter alia aſſueta bello, magna uis camelorum onuſta frumēti,ut ſimul hoſtem famemq; depelleret. Primū è perculſis Pactium primipili

primipili centurionem obuium habuit,dein pleroſq; militum: quos diuerſas fugæ cauſas obtendentes, redire ad ſigna, & clementiam Pæti experiri monebat.Se niſi uictoribus immitem eſſe.Simul ſuas legiones adire,hortari,priorum admonere, nouam gloriam oſtendere.Non uicos aut oppida Armeniorum,ſed caſtra Romana,duasq; in ijs legiones pretium laboris peti.Si ſingulis manipularibus præcipua ſeruati ciuis corona imperatoria manu tribueretur,quod illud & quantum decus, ubi par eorum numerus adipiſceretur,qui attuliſſent ſalutē,& qui accepiſſent? His atq; talibus in commune alacres,& erant quos pericula fratrum,aut propinquorū proprijs ſtimulis incenderent,continuū die noctuq; iter properabāt. Eoq; intentius Vologeſes premere obſeſſos, modo uallum legionū,modo caſtellum quo imbellis ætas defendebatur,oppugnare,propius incedens quàm mos Parthis,ſi ea temeritate hoſtem in prælium eliceret.At illi uix contubernijs extracti,nec aliud quàm munimenta propugnabant,pars iuſſu ducis, & alij propria ignauia, ut Corbulonem opperiētes, ac ſi uis ingrueret, prouiſis exemplis Caudinæ ac Numantinę cladis.Neq; eandē uim Samnitibus Italico populo,aut Pœnis Romani imperij æmulis. Validā quoq; & laudatam antiquitatem,quoties fortuna contra daret,ſaluti conſuluiſſe. Qua deſperatione exercitus,dux ſubactus,primas tamen literas ad Vologeſen,non ſupplices,ſed in modum querentis compoſuit,quod pro Armenijs ſemper Romanæ ditionis,aut ſubiectis regi quē imperator delegiſſet, hoſtilia faceret. Pacem ex æquo utilem. Nec præſentia tantum ſpectaret. Ipſum aduerſus duas legiones totis regni uiribus adueniſſe: At Romanis orbem terrarum reliquum, quo bellum iuuarent. Ad ea Vologeſes, nihil pro cauſa, ſed opperiendos ſibi fratres Pacorum ac Tyridatem reſcripſit. Illum locum tempusq; conſilio deſtinatum quid de Armenia cernerent. Adieciſſe deos dignum Arſacidarum,ſimul & de legionibus Romanis ſtatuerent. Miſſi poſt à Pæto nuncij,& regis colloquium petitum, qui Vaſacem præfectum equitatus ire iuſſit.Tum Pætus,Lucullos, Pompeios,& ſi qui duces obtinendæ donandæue Armeniæ egerant:Vaſaces imaginē retinendi donandiue penes nos, uim penes Parthos memorat.Et multū inuicem diſceptato, Monobazus Adiabenus in diem poſterū teſtis ijs quæ pepigiſſent,adhibetur.Placuitq; liberari obſidio legiones,& decedere omnem militem finibus Armeniorū, caſtellaq; & commeatus Parthis tradi. Quibus perpetratis copia Vologeſi fieret mittendi ad Neronem legatos. Interim fluuio Arſameti(is caſtra præfluebat)pontem impoſuit, ſpecie ſibi illud iter experientis. Sed Parthi quaſi documentum uictoriæ iuſſerāt. namq; ijs uſui fuit. Noſtri per diuerſum iere. Addidit rumor, ſub iugum miſſas legiones, & alia ex rebus infauſtis:quorum ſimulachrum ab Armenijs uſurpatum eſt.Nam & munimenta ingreſſi ſunt,antequā agmen Romanum decederet,& circūſtetere uias,captiua olim mancipia,aut iumenta

agnoſcentes

agnoſcẽtes,abſtrahentesq;.Raptæ etiam ueſtes,retenta arma, pauido mi/lite & concedente,ne qua prælij cauſa exiſteret. Vologeſes armis & corporibus cæſorum aggregatis,quo cladem noſtram teſtaretur,uiſu fugiẽtium legionum abſtinuit.Fama moderationis quærebatur, poſtquam ſuperbi/am expleuerat.Flumen Arſametem elephanto inſidẽs, & proximus quiſ/que regi ui equorum perrupere, quia rumor inceſſerat, pontem ceſſurum oneri,dolo fabricantium. Sed qui ingredi auſi ſunt,ualidum & fidum in/tellexere. Cæterum obſeſſis adeo ſuppeditauiſſe rem frumentariam con/ſtitit,ut horreis ignẽ inijcerent:contraq; prodiderit Corbulo Parthos ino/pes copiarum,& pabulo attrito,relicturos oppugnationẽ, neq; ſe plus tri/dui itinere abfuiſſe.Adiecit,iureiurando Pæti cautum apud ſigna, adſtan/tibus ijs quos teſtificando rex miſiſſet, neminem Romanum Armeniam ingreſſurum,donec referrentur literæ Neronis,an paci annueret. Quæ ut augendæ infamiæ compoſita, ſic reliqua non in obſcuro habẽtur:una die quadraginta millium ſpatium emenſum eſſe Pætum, deſertis paſſim ſau/cijs:neq; minus deformem illam fugientium trepidationem, quàm ſi ter/ga in acie uertiſſent. Corbulo cum ſuis copijs apud ripam Euphratis ob/uius,non eam ſpeciem inſignium & armorum prætulit, ut diuerſitatẽ ex/probraret.Mœſti manipuli, ac uicem commilitonũ miſerantes, ne lachry/mis quidem temperauere.Vix præ fletu uſurpata conſalutatio.Deceſſerat certamen uirtutis,& ambitio gloriæ,felicium hominum affectus.ſola miſe ricordia ualebat,& apud minores magis. Ducum inter ſe breuis ſermo ſe/cutus eſt,hæc conquerentium: irritum laborem,potuiſſe bellum fuga Par/thorum finiri. Ille integra utriq; cuncta reſpondit,conuerterent aquilas,& iuncti inuaderent Armeniam,abſceſſu Vologeſis infirmatam.Non ea im peratoris habere mandata Corbulo:periculo legionum commotũ, è pro/uincia egreſſum.Quando in incerto habeantur Parthorum conatus,Syri/am repetiturum.Sic quoq; optimam fortunam orandam,ut pedes confe/ctus ſpacijs itinerum,alacrem & facilitate camporum præuenientem equi/tem aſſequeretur.Exin Pætus per Cappadociam hybernauit.At Vologe/ſis ad Corbulonem miſſi nuncij,detraheret caſtella trans Euphratem,am nemq; ut omnium medium faceret.Ille Armeniam quoq; diuerſis præſi/dijs uacuam fieri expoſtulabat.Et poſtremo conceſſit rex.Diruptaq; quæ ultra Euphratem communierat Corbulo, & Armenij ſuo arbitrio relicti ſunt. At Romæ trophæa de Parthis, arcusq; medio capitolini montis ſiſtebantur,decreta ab ſenatu, integro adhuc bello,neq; tum omiſſa, dum aſpectui conſulitur,ſpreta conſcientia.Quin & diſſimulandis rerum exter/narum curis Nero frumentum plebis uetuſtate corruptũ, in Tyberim ie/cit,quo ſecuritatẽ annonæ ſuſtentaret.cuius precio nihil additũ eſt, quam/uis ducentas fermè naues portu in ipſo,uiolentia tempeſtatis, & centũ ali/as Tyberi ſubuectas, fortuitus ignis, abſumpſiſſet. Tris dein conſulares,

L.Piſonem,Ducennium Geminium, Pompeium Paulinum uectigalibus publicis prępoſuit,cum inſectatione priorum principũ,qui grauitate ſum/ptuum iuſtos reditus anteiſſent, ſe annuum ſexcenties ſeſtertium Reip. largiri. Percrebuerat ea tempeſtate prauiſſimus mos, cum propinquis co/mitijs,aut ſorte prouinciarum, pleriq; orbi fictis adoptionibus adſciſcerẽt filios,præturasq; & prouincias inter patres ſortiti,ſtatim emitterent manu quos adoptauerant.Qui magna cum inuidia ſenatum adeunt,ius naturæ, labores educandi, aduerſus fraudem & artes & breuitatẽ adoptionis enu/merant.Satis precij eſſe orbis quod multa ſecuritate,nullis oneribus,grati/am,honores,cuncta prompta & obuia haberẽt. Sibi promiſſa legum diu expectata, in ludibrium uerti, quando quis ſine ſollicitudine parens,ſine luctu orbus,longa patrum uota repente adæquaret. Factũ ex eo ſenatuſ/conſultum,ne ſimulata adoptio in ulla parte muneris publici iuuaret,ac ne uſurpandis quidẽ hæreditatibus prodeſſet. Exin Claudius Timarchus Cretenſis reus agitur, cæteris criminibus, ut ſolent præualidi prouinciali/um,& opibus nimijs ad iniurias minorum elati:una uox eius uſq; ad con/tumeliam ſenatus penetrauerat,quod dictitaſſet,in ſua poteſtate ſitum,an proconſulibus qui Cretam obtinuiſſent,grates agerentur.Quam occaſio/nem Pætus Thraſea ad bonum publicum uertens, poſtquam de reo cen/ſuerat,prouincia Creta depellendum, hæc addidit. Vſu probatũ eſt P.C. leges egregias,exempla honeſta, apud bonos ex delictis aliorũ gigni. Sic oratorum licentia,Cinciam rogationem:candidatorum ambitus, Iulias le/ges:magiſtratuum auaritia,Calphurnia ſcita,pepererũt.Nam culpa quàm pœna tempore prior,emendari quàm peccare poſterius eſt. Ergo aduer/ſus nouam prouinciarum ſuperbiam dignum fide conſtantiaq; Romana capiamus conſilium,quo tutelæ ſociorũ nihil derogetur, nobis opinio de/cedat,qualis quiſq; habeatur alibi quàm in ciuium iudicio eſſe. Olim qui/dem non modo prætor aut conſul,ſed priuati etiam mittebantur,qui pro/uincias uiſerent, & quid de cuiuſq; obſequio uideretur, referrent.trepida/bantq; gentes de æſtimatione ſingulorum. At nunc colimus externos, & adulamur,& quomodo ad nutum alicuius grates,ita promptius accuſatio decernitur. Decernaturq;, & maneat prouincialibus, potentiam ſuam tali modo oſtentandi. Sed laus falſa & precibus expreſſa,perinde cohibean/tur,quàm malitia,quàm crudelitas.Plura ſæpe peccãtur,dum demeremur, quàm dum offendimus.Quædam imò uirtutes odio ſunt, ſeueritas obſti/nata,inuictus aduerſus gratiam animus.Inde initia magiſtratuum noſtro rum meliora ferme,& finis inclinat,dum in modum candidatorum ſuffra/gia conquirimus.quæ ſi arceantur,æqualius atq; conſtantius prouinciæ re gentur.nam ut metu repetundarum infracta auaritia eſt, ita uetita gratia/rum actione ambitio cohibetur. Magno aſſenſu celebrata ſentẽtia.Non tamen ſenatuſconſultũ perfici potuit,abnuentibus conſulibus ea de re rela/

tum. Mox auctore principe ſanxere, ne quis ad concilium ſociorum referret, agendas apud ſenatũ proprætoribus próueconſulibus grates, neu quis ea legatione fungeretur. Iiſdem cõſulibus gymnaſiũ ictu fulminis conflagrauit, effigiesq́ in eo Neronis ad informe æs liquefacta. Et motu terræ celebre Campaniæ oppidum Pompei magna ex parte proruit. Defunctaq́ uirgo Veſtalis Lęlia, in cuius locum Cornelia ex familia Coſſorum capta eſt. Memmio Regulo & Virginio Rufo Coss. natã ſibi ex Poppea filiam Nero ultra mortale gaudium accepit, appellauitq́ Auguſtam, dato & Poppeæ eodem cognomento. Locus puerperio colonia Antium, ubi ipſe generatus erat. Iam ſenatus uterum Poppeæ commẽdauerat dijs, uotaq́ publice ſuſceperat. quæ multiplicata, exolutaq́. Et additæ ſupplicationes, templumq́ Fœcunditati, & certamen ad exemplar Atticæ religionis decretum. Vtq́ fortunarũ effigies aureæ in ſolio Capitolini Iouis collocarentur: ludicrum Circenſe ut Iuliæ genti apud Bouillas, ita Claudiæ Domitiæq́ apud Antium ederetur. quæ fluxa fuere, quartum intra menſem defuncta infante. Rurſusq́ exortæ adulationes, cenſentiũ honorem diuæ, & puluinar, ædemq́ & ſacerdotem. Atq́ ipſe ut lætitiæ, ita mœroris immodicus egit. Adnotatum eſt, omni ſenatu Antium ſub recentem partum effuſo, Thraſeam prohibitũ, immoto animo prænunciam imminentis cædis contumeliam excepiſſe. Secutam dehinc uocem Cæſaris ferunt, qua reconciliatum ſe Thraſeæ apud Senecam iactauerit, ac Senecam Cæſari gratulatũ. Vnde gloria egregijs uiris, & pericula gliſcebant. Interim ueris principio legati Parthorũ mandata regis Vologeſis, literasq́ in eandem formam attulere. Se priora & toties iactata ſuper obtinenda Armenia, nunc omittere, quoniam dij quamuis potentium populorum arbitri, poſſeſſionẽ Parthis nõ ſine ignominia Romana tradidiſſent. Nuper clauſum Tygranẽ, poſt Pætum legionesq́ cum opprimere poſſet, incolumes dimiſiſſe. Satis approbatam uim, datum & lenitatis experimentum. Nec recuſaturum Tyridatem accipiendo diademati in urbem uenire, niſi ſacerdotij religione attineretur. Iturum ad ſigna & effigies principis, ubi legionibus coràm, regnum auſpicaretur. Talibus Vologeſis literis, quia Pætus diuerſa tanquam rebus integris ſcribebat, interrogatus centurio qui cum legatis aduenerat, quo in ſtatu Armenia eſſet, omnes inde Romanos exceſſiſſe reſpondit. Tum intellecto Barbarorum irriſu, qui peterent quod eripuerant, conſuluit inter primores ciuitatis Nero, bellum anceps, an pax in hoſte placeret. Nec dubitatum de bello. Et Corbulo tot per annos militum atq́ hoſtium gnarus, gerendæ rei præficitur, ne cuius alterius inſcitia rurſum peccaretur, quia Pæti piguerat. Igitur irriti remittuntur, cum donis tamen, unde ſpes fieret, non fruſtra eadem oraturum Tyridatem, ſi preces ipſe attuliſſet. Syriæq́ executio Cintio, copiæ militares Corbuloni permiſſæ, & quintadecima legio ducente Mario Celſo, è Pannonia adiecta

eſt

eſt. Scribitur tetrarchis ac regibus præfectiſq; & procuratoribus, & qui prætorum finitimas prouincias regebãt, iuſſis Corbulonis obſequi, in tantum fermè modum aucta poteſtate, quem populus Romanus Gn. Pompeio bellum Piraticum geſturo dederat. Regreſſum Pætum cum grauiora metueret, facetijs inſectari ſatis habuit Cæſar his fermè uerbis: Ignoſcere ſe ſtatim, ne tam promptus in pauorem longiore ſollicitudine ægreſceret. At Corbulo quarta & duodecima legionibus, quæ fortiſſimo quoq; amiſſo, & cæteris exterritis, parum habiles prælio uidebantur, in Syriam translatis, ſextam inde ac tertiam legiones, integrum militem & crebris ac proſperis laboribus exercitum in Armeniam ducit. Addiditq; legionẽ quintam, quæ per Pontum agens, expers cladis fuerat. Simul quintadecimanos recens adductos, & uexilla delectorum ex Illyrico & Ægypto, quodq; alarum cohortiumq;, & auxilia regum in unum conducta apud Melitenen, quà tranſmittere Euphratem parabat. Tum luſtratum rite exercitũ ad concionem uocat, orditurq; magnifica de auſpicijs imperatorijs, rebuſq; à ſe geſtis, aduerſam inſcitiam Pæti declinans, multa auctoritate, quæ uiro militari pro facundia erat. Mox iter L. Lucullo quondam penetratum, apertis quæ uetuſtas obſepſerat, pergit. Et ueniẽtes Tyridatis Vologeſiſq; de pace legatos haud aſpernatus, adiungit ijs centuriones cum mandatis non immitibus. Non enim adhuc eò uentũ, ut certamine extremo opus eſſet. Multa Romanis ſecunda, quædam Parthis eueniſſe, documento aduerſus ſuperbiam: proinde & Tyridati conducere intactũ uaſtationibus regnum dono accipere, & Vologeſen melius ſocietate Romana quàm damnis mutuis genti Parthorum conſulturũ. Scire quantũ intus diſcordiarũ, quamq; indomitas & præferoces nationes regeret. Contra imperatori ſuo immotam ubiq; pacem, & unum id bellum eſſe. Simul conſilio terrorem adijcere, & Megiſtanas Armenios qui primi à nobis defecerant, pellit ſedibus, caſtella eorum excindit, plana, edita, ualidos, inualidoſq; pari metu complet. Non infenſum, nec dum hoſtili odio Corbulonis nomen etiam Barbaris habebatur, eoq; conſilium eius fidum credebant. Ergo Vologeſes neq; atrox in ſummam, & quibuſdam præfecturis inducias petit. Tyridates locum diemq; colloquio poſcit. Tempus propinquũ, locus in quo nuper obſeſſæ cum Pæto legiones erant, cũ à Barbaris delectus eſſet, ob memoriam lætioris ſibi rei, non eſt à Corbulone uitatus, ut diſſimilitudo fortunæ gloriã augeret. Neq; infamia Pæti angebatur, quod eo maxime patuit, quia filio eius tribuno ducere manipulos, atq; operire reliquias malæ pugnæ imperauit. Die pacta Tyberius Alexander illuſtris eques Romanus miniſter bello datus, & Viuianus Annius gener Corbulonis, nõdum ſenatoria ætate, ſed pro legato quintæ legioni impoſitus, in caſtra Tyridatis uenere honore eius, ac ne metueret inſidias tali pignore. Viceni dehinc equites aſſumpti. Et uiſo Corbulone, rex prior equo deſiluit: nec cũctatus

Corbulo. Sed pedes uterq; dextras miſcuere. Exin Romanus laudat iuuenem, omiſſis præcipitibus tuta & ſalutaria capeſſentem. Ille de nobilitate generis multum præfatus, cætera temperãter adiungit. Iturum quippe Romam, laturumq; nouum Cæſari decus, non aduerſis Parthorũ rebus ſupplicem Arſaciden. Tum placuit Tyridatem ponere apud effigiem Cæſaris inſigne regium, nec niſi manu Neronis reſumere. & colloquium oſculo finitum. Dein paucis diebus interiectis, magna utrinq; ſpecie, inde eques compoſitus per turmas, & inſignibus patrijs, hinc agmina legionum ſtetere fulgentibus aquilis, ſigniſq; & ſimulachris deûm in modũ templi. Medio tribunal ſedẽ curulem, & ſedes effigiem Neronis, ſuſtinebat. Ad quam progreſſus Tyridates, cæſis ex more uictimis, ſublatũ capite diadema imagini ſubiecit, magnis apud cunctos animorum motibus, quos augebat inſita adhuc oculis exercituum Romanorũ cædes, aut obſidio. At nunc uerſos caſus: iturum Tyridatem oſtentui gentibus, quanto minus quàm captiuum? Addidit glorię Corbulo comitatẽ, epulaſq;. & rogitante rege cauſas, quoties nouum aliquid aduerterat: ut, initia uigiliarum per centurionem nunciari, cõuiuium buccina dimitti, & ſtructa ante Auguralem aram ſubdita face accendi: cuncta in maius attollens, admiratione priſci moris affecit. poſtremo die ſpacium orauit, quo tantum itineris aditurus, fratres ante, matremq; uiſeret: obſidẽ interea filiam tradit, literaſq; ſupplices ad Neronem. Et digreſſus Pacorum apud Medos, Vologeſen Ecbatanis repperit, non incurioſum fratris: quippe & proprijs nuncijs à Corbulone petierat, ne quam imaginem ſeruitij Tyridates perferret, neu ferrũ traderet, aut complexu prouincias obtinentium arceretur, foribúsue eorum aſſiſteret, tantuſq; Romæ quantus conſulibus honor eſſet. Scilicet externæ ſuperbiæ ſueto, non erat notitia noſtri, apud quos ius imperij ualet, inania tranſmittuntur. Eodem anno Cæſar nationes alpium maritimarum in ius Latij tranſtulit. Equitum Romanorũ locos ſedilibus plebis antepoſuit apud circum. Namq; ad eam diem indiſcreti inibant, quia lex Roſcia nihil niſi de quatuordecim ordinibus ſanxit. Spectacula gladiatorum idem annus habuit, pari magnificentia ac priora. Sed fœminarum illuſtrium ſenatorumq; filiorum plures per arenam fœdati ſunt. C. Lexanio, M. Licinio Coss. acriore in dies cupidine adigebatur Nero promiſcuas ſcenas frequentandi. Nam adhuc per domum aut hortos cecinerat Iuuenalibus ludis, quos ut parum celebres & tantæ uoci anguſtos ſpernebat. Non tamen Romæ incipere ſcenas auſus, Neapolim quaſi Græcam urbem delegit. Inde initium fore, ut tranſgreſſus ſcenis in Achaiam, inſigneſq; & antiquitus ſacras coronas adeptus, maiore fama, ſtudia ciuium eliceret. Ergo contractum oppidanorum uulgus, & quos è proximis colonijs & municipijs eius rei fama acciuerat, quiq; Cæſarem per honorem, aut uarios uſus ſectantur, etiam militum manipuli theatrum Neapolitanorum complent.

Illic

Illic pleriq; ut arbitrabātur, triſte, ut ipſe, prouidū potius & ſecundis numinibus euenit. Nam egreſſo qui affuerat populo, uacuum & ſine ullius noxa theatrum collapſum eſt. Ergo per compoſitos cantus grates dijs, atque ipſam recentis caſus fortunam celebrans, petiturusq; maris Hadriæ traiectus, apud Beneuentum interim conſedit: ubi gladiatorum munus à Vatinio celebre edebatur. Vatinius inter fœdiſſima eius aulæ oſtenta fuit, ſutrinæ tabernæ alumnus, corpore detorto, facetijs ſcurrilibus: primo in contumelias aſſumptus, deinde optimi cuiuſq; criminatione eò uſq; ualuit, ut gratia, pecunia, ui nocendi etiam malis præmineret. Eius munus frequentanti Neroni, ne inter uoluptates quidem à ſceleribus ceſſabatur. Iiſdem quippe illis diebus Torquatus Sillanus mori adigitur, quia ſuper Iuniæ familiæ claritudinem diuum Auguſtum atauum ferebat. Iuſſi id accuſatores obicere, prodigum largitionibus, neq; aliam ſpem quàm in nouis rebus eſſe. quin eum nobiles habere, quos ab epiſtolis & libellis & rationibus appellet, nomina ſummæ curæ & meditamenta. Tum intimus quiſq; libertorum uincti abreptiq;. Et cum damnatio inſtaret, brachiorum uenas Torquatus interſcidit, ſecutaq; Neronis oratio ex more: Quāuis ſontem & defenſioni merito diffiſum, uicturum tamen fuiſſe ſi clementiam iudicis expectaſſet. Nec multo poſt omiſſa in præſens Achaia (cauſæ in incerto fuere) urbem reuiſit, prouincias Orientis, maxime Ægyptum, ſecretis imaginationibus agitans. Dein edicto teſtificatus non longam ſui abſentiam, & cuncta in Rep. exinde immota ac proſpera fore, ſuper ea profectione adijt Capitolium, illic ueneraturus deos. Cum Veſtæ quoq; templum iniſſet, repente cunctos per artus tremens, ſeu numine exterrētę, ſeu facinorum recordatione nunquam timore uacuus, deſeruit inceptum, cunctas ſibi curas amore patriæ leuiores dictitans. Vidiſſe ciuiū mœſtos uultus, audire ſecretas querimonias, quod tantum aditurus eſſet iter, cuius ne modicos quidem egreſſus tolerarēt, ſueti aduerſum fortuita aſpectu principis refoueri. Ergo ut in priuatis neceſſitudinibus proxima pignora præualerent, ita populum Romanum uim plurimam habere: parendumq; retinenti. Hæc atq; talia plebi uolenti fuere, uoluptatum cupidine, & quæ præcipua cura eſt, rei frumentariæ anguſtias ſi abeſſet metuenti. Senatus & primores in incerto erant, procul an coràm atrocior haberetur, dehinc (quæ natura magnis timoribus) deterius credebant quod euenerat. Ipſe quo fidem acquireret, nihil uſquam perinde lætum ſibi publicis locis, ſtruere cōuiuia, totaq; urbe quaſi domo uti. Et celeberrimæ luxu famaq; epulæ fuere, quas Tigillino paratas, ut exemplum referam, ne ſæpius eadem prodigentia narranda ſit. Igitur in ſtagno Agrippæ fabricatus eſt ratem, cui ſuperpoſitū conuiuiū aliarum tractu moueretur. Naues auro & ebore diſtinctæ. Remigesq; exoleti, per ætates & ſcientiam libidinum componebantur. Volucres & feras diuerſis è terris, & animalia maris Oceano ab-

Vatinius

Vide Annotationes

Vide Annotationes

uſq; petiuerat. Crepidinibus ſtagni lupanaria aſtabant, illuſtribus fœmi-
nis completa. Et contra ſcorta uiſebātur nudis corporibus. Iam geſtus mo-
tusq; obſcœni, & poſtquam tenebrę incedebant, quantum iuxta nemoris,
& circumiecta tecta conſonare cantu & luminibus clareſcere. Ipſe per licita
atq; illicita fœdatus, nihil flagitij reliquerat, quo corruptior ageret, niſi pau
cos poſt dies uni ex illo contaminatorū grege, cui nomen Pythagoræ fuit,
in modum ſolennium coniugiorum denupſiſſet. Inditū imperatori flam-
meum. Miſit auſpices duos, & genialis thorus, & faces nuptiales, cūcta de-
niq; ſpectata, quæ etiam in fœmina nox operit. Sequitur clades, forte,
an dolo principis incertū: nam utrunq; auctores prodidere: ſed omnibus
quæ huic urbi per uiolentiam ignium acciderūt, grauior atq; atrocior. Ini-
tium in ea parte Circi ortū, quæ Palatino Cælioq; mōtibus contigua eſt.
Vbi per tabernas, quibus id mercimoniū inerat quo flamma alitur, ſimul
cœptus ignis, & ſtatim ualidus, ac uento citus longitudinē Circi corripuit.
Neq; enim domus munimentis ſeptæ, uel templa muris cincta, aut quid
aliud moræ interiacebat. Impetu peruagatum incendium, plana primum,
deinde in edita aſſurgens, rurſus inferiora populando anteijt remedia ue-
locitate mali, & obnoxia urbe arctis itineribus, hucq; & illuc flexis, atquę
enormibus uicis, qualis uetus Roma fuit. Adhoc lamenta pauentium fœ-
minarum feſſa ætate, aut rudis pueritiæ ætas, quiq; ſibi, quiq; alijs conſu-
lebant, dum trahūt inualidos aut opperiūtur, pars morans, pars feſtinans,
cuncta impediebant: & ſæpe dum in tergum reſpectant, lateribus aut fron
te circūueniebantur: uel ſi in proxima euaſerant, illis quoq; igni correptis,
etiam quæ longinqua crediderant, in eodem caſu reperiebātur. Poſtremo
quid uitarent, quid peterent ambigui, complere uias, ſterni per agros: qui-
dam amiſſis omnibus fortunis diurni quoq; uictus, alij charitate ſuorum
quos eripere nequiuerant, quāuis patente effugio interiere. Nec quiſquam
defendere audebat, crebris multorum minis reſtinguere prohibentium, &
quia alij palàm faces iaciebant, atq; eſſe ſibi auctorem uociferabātur: ſiue
ut raptus licentius exercerent, ſeu iuſſu. Eo in tempore Nero Antij agens,
non ante in urbem regreſſus eſt quàm domui eius, qua palatium & Me-
cœnatis hortos cōtinuauerat, ignis propinquaret. Neq; tamen ſiſti potuit,
quin & palatium & domus & cuncta circum haurirētur. Sed ſolatium po-
pulo exturbato & profugo, campū Martis ac monumenta Agrippæ, hor-
tos quin etiam ſuos patefecit. Et ſubitaria ædificia extruxit, quæ multitu-
dinem inopem acciperent. Subuectaq; utenſilia ab Hoſtia, & propinquis
municipijs. pretiumq; frumenti minutum, uſq; ad ternos nummos. Quæ
quanquam popularia, in irritū cadebant, quia peruaſerat rumor: ipſo tem-
pore flagrātis urbis, iniſſe eum domeſticam ſcenam, & cecinisſe troianum
excidium, præſentia mala uetuſtis cladibus aſſimulantem. Sexto demum
die apud imas Eſquilias finis incendio factus, proruptis per immenſum
ædificijs

ædificijs, ut continuæ uiolentiæ campus & uelut uacuum cœlum occurre/ret. Necdum poſito metu redibat. Leuis rurſum graſſatus ignis, patulis magis urbis locis, eoq; ſtrages hominum minor. delubra deûm, & porticus amœnitati dicatæ latius procidere. Pluſq; infamiæ id incendium habuit, quia prædijs Tigillini Æmylianis proruperat. Videbaturq; Nero condendæ urbis nouæ, & cognomēto ſuo appellandæ gloriam quærere. Quippe in regiones quatuordecim Roma diuiditur: quarum quatuor integræ manebant, tres ſolo tenus deiectæ: ſeptem reliquis pauca tectorum ueſtigia ſupererant, lacera & ſemiuſta. Domuum, & inſularum, & templorum, quæ amiſſa ſunt, numerum inire haud promptum fuerit: ſed uetuſtiſſima religione, quod Seruius Tullius Lunæ, & Magna ara fanumq; quæ præſenti Herculi Arcas Euander ſacrauerat, ædeſq; Statoris Iouis uota Romulo, Numæq; regia, & delubrum Veſtæ cum penatibus populi Romani, exuſta. iam opes tot uictorijs quæſitæ, & Græcarum artium decora, exin monimenta ingeniorum antiqua & incorrupta. quamuis in tanta reſurgentis urbis pulchritudine, multa ſeniores meminerant, quæ reparari nequibant. Fuere qui annotarent, XIIII kalen. Sextiles principium incendij huius ortum, quo & Senones captam urbem inflammauerant. Alij eò uſq; cura progreſſi ſunt, ut totidem annos menſeſq; & dies inter utraq; incendia numerent. Cæterū Nero uſus eſt patriæ ruinis, extruxitq; domum, in qua haud perinde gemmæ & aurum miraculo eſſent, ſolita pridem, & luxu uulgata, quàm arua & ſtagna, & in modum ſolitudinum hinc ſyluæ, inde aperta ſpacia, & proſpectus: magiſtris & machinatoribus Seuero & Celere, quibus ingenium, & audacia erat, etiam quæ natura denegauiſſet, per artem tentare, & uiribus principis illudere. Nanq; ab lacu Auerno nauigabilem foſſam uſq; ad hoſtia Tyberina depreſſuros promiſerāt, ſqualenti littore, aut per montes aduerſos. Neq; enim aliud humidum gignendis aquis occurrit, quàm Pomptinæ paludes: cætera abrupta, aut arentia, ac ſi perrumpi poſſent, intolerandus labor, nec ſatis cauſæ. Nero tamen ut erat incredibilium cupitor, effodere proxima Auerno iuga connixus eſt: manentq; ueſtigia irritæ ſpei. Cæterum urbis quæ domus ſupererāt, non ut poſt Gallica incendia, nulla diſtinctione, nec paſſim erectæ: ſed dimenſis uicorum ordinibus, & latis uiarum ſpacijs, cohibita ædificiorum altitudine, ac patefactis areis, additiſq; porticibus, quæ frontem inſularum protegerent. Eas porticus Nero ſua pecunia extructurum, purgataſq; areas dominis traditurum, pollicitus eſt. Addidit præmia pro cuiuſq; ordine, & rei familiaris copijs: finiuitq; tempus, intra quod effectis domibus aut inſulis, adipiſcerētur. Ruderi accipiendo Hoſtienſes paludes deſtinabat, utq; naues quæ frumentum Tyberi ſubuectaſſent, onuſtæ rudere decurrerent. Ædificiaq; ipſa certa ſui parte, ſine trabibus, ſaxo Gabino Albanoq; ſolidarentur: quod is lapis igni imperuius eſt. Iam aqua priuatorum licentia

Seuerus Celer

Pomptinæ paludes

Gallicā incendia.

intercepta,quo largior & pluribus locis in publicũ flueret,cuſtodes:& ſubſidia reprimendis ignibus,in propatulo quiſq; haberet: nec communione parietum,ſed proprijs quæq; muris ambirentur.Ea ex utilitate accepta decorem quoq; nouæ urbi attulere. Erant tamen qui crederẽt ueterem illam formam ſalubritati magis conduxiſſe,quoniam anguſtiæ itinerum,& altitudo tectorum non perinde ſolis uapore perrumperentur. At nunc patulam latitudinem,& nulla umbra defenſam,grauiore æſtu ardeſcere.Et hęc quidem humanis conſilijs prouidebantur.Mox petita à dijs piacula, aditiq; Sibyllæ libri, ex quibus ſupplicatũ Vulcano & Cereri Proſerpinæq;, ac propiciata Iuno per matronas, primum in capitolio,deinde apud proximum mare. Vnde hauſta aqua,templum & ſimulachrum deæ proſperſum eſt, & lectiſternia ac peruigilia celebrauere fœminæ quibus mariti erant. Sed non ope humana,non largitionibus principis aut deûm placamentis,decedebat infamia,quin iuſſum incẽdium crederetur. Ergo abolendo rumori Nero ſubdidit reos, & exquiſitiſſimis pœnis affecit, quos per flagitia inuiſos,uulgus Chriſtianos appellabat. Auctor nominis eius CHRISTVS,qui Tyberio imperitante, per procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus erat. Repreſſaq; in præſens exitiabilis ſuperſtitio rurſus erumpebat,non modo per Iudæam originem eius mali,ſed per urbem etiam: quò cuncta undiq; atrocia aut pudenda confluunt, celebranturq;.Igitur primo correpti qui fatebantur,deinde indicio eorum, multitudo ingens, haud perinde in crimine incendij,quàm odio humani generis conuicti ſunt. Ea pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent,aut crucibus affixi,aut flammandi,atq; ubi defeciſſet dies,in uſum nocturni luminis urerentur. Hortos ſuos ei ſpectaculo Nero obtulerat,& Circenſe ludicrũ edebat,habitu aurigæ permixtus plebi,uel circulo inſiſtens.Vnde quanquam aduerſus ſontes & nouiſſima exempla meritos,miſeratio oriebatur, tanquam non utilitate publica, ſed in ſæuitiam unius abſumerentur. Interea conferendis pecunijs peruaſtata Italia,prouinciæ euerſæ,ſocijq; populi,& quæ ciuitatum liberæ uocantur. Inq; eam prædam etiam dij ceſſere,ſpoliatis in urbe templis,egeſtoq; auro,quod triumphis,quod uotis,omnis populi Romani ætas proſpere aut in metu ſacrauerat. Enimuero per Aſiam atq; Achaiã non dona tantum, ſed ſimulachra numinum abripiebantur,miſſis in eas prouincias Acrato, ac Secundo Carinate.Ille libertus cuicunq; flagitio promptus:Hic Græca doctrina ore tenus exercitus,animum bonis artibus non induerat.Ferebatur Seneca, quo inuidiam ſacrilegij à ſemet auerteret, longinqui ruris ſeceſſum orauiſſe: & poſtq; non concedebatur, ficta ualitudine quaſi æger neruis, cubiculum non egreſſus.Tradidere quidam,uenenum ei per libertum ipſius,cui nomen Cleonicus,paratum,iuſſu Neronis: uitatumq; à Seneca proditione liberti,ſeu propria formidine,dum ſimplici uictu,& agreſtibus

Chriſtiani inſontes pro reis ſubditi Chriſtus

Innocentium Chriſtianorũ ſupplicia

Sæuitia Neronis in Chriſtianos

ſtibus pomis,ac,ſi ſitis admoneret,profluēte aqua uitā tolerat. Per idem tempus gladiatores apud oppidum Præneſte, tentata eruptione, præſidio militis,qui cuſtos adeſſet,coërciti ſunt:iam Spartacum & uetera mala rumoribus ferēte populo,ut eſt nouarum rerum cupiens pauiduſq;. Nec multo poſt clades rei naualis accipitur,non bello (quippe haud aliâs tam immota pax)ſed certum ad diem in Campaniā redire claſſem Nero iuſſerat,non exceptis maris caſibus. Ergo gubernatores quamuis ſæuiente pelago à Formijs mouere,& graui Africo,dum promontorium Miſeni ſuperare contendunt,Cumanis littoribus impacti,triremium pleraſq;,& minora nauigia paſſim amiſerunt. Fine anni uulgantur prodigia imminentium malorum nuncia. Vis fulgurum non aliâs crebrior, & ſydus cometes, ſanguine illuſtri ſemper Neroni expiatū. Bicipites hominum aliorúmue animalium partus abiecti in publicū,aut in ſacrificijs quibus grauidas hoſtias immolare mos eſt,reperti.Et in agro Placentino uiam propter natus uitulus,cui caput in crure eſſet. Secutaq; haruſpicum interpretatio: parari rerum humanarum aliud caput, ſed nō fore ualidum,neq; occultum: quia in utero repreſſum,aut iter iuxta editum ſit. Ineunt deinde conſulatum Silius Nerua, & Atticus Veſtinus, cœpta ſimul & aucta coniuratione, in quam certatim nomina dederant, ſenatores, eques, miles,fœminæ etiam, cum odio Neronis, tum fauore in C.Piſonē. Is Calphurnio genere ortus, ac multas inſigneſq; familias paterna nobilitate cōplexus,claro apud uulgum rumore erat,per uirtutem aut ſpecies uirtutibus ſimiles.Nanq; facundiam tuendis ciuibus exercebat, largitionem aduerſus amicos, & ignotis quoq; comi ſermone & congreſſu. Aderant etiam fortuita, corpus procerum,decora facies.Sed procul grauitas morum,aut uoluptatum parſimonia.Lenitati ac magnificentiæ & aliquando luxui indulgebat. Idq; pluribus probabatur, qui in tāta uitiorum dulcedine ſummum imperium non reſtrictum,nec perſeuērum uolunt. Initium coniurationi non à cupiditate ipſius fuit,nec tamē facile memorauerim,quis primus auctor,cuius inſtinctu concitum ſit, quod tam multi ſumpſerunt. Promptiſſimos Subrium Flauium tribunum prætoriæ cohortis,& Sulpicium Aſprum centurionem extitiſſe conſtantia exitus docuit.Et Lucanus Anneus,Plautiuſq; Lateranus cōſul deſignatus,uiuida odia intulere.Lucanum propriæ cauſæ accendebant,quod famam carminū eius premebat Nero,prohibueratq; oſtentare,uanus aſſimulatione.Lateranum conſulem deſignatum,nulla iniuria, ſed amor Reip. ſociauit. At Flauius Sceuinus & Afranius Quintilianus, uterq; ſenatorij ordinis, contra famam ſui, principium tanti facinoris capeſſiuere. Nam Sceuino diſſoluta luxu mens,& proinde uita ſomno languida. Quintilianus molli corpore infamis,& à Nerone probroſo carmine diffamatus,cōtumelias ultum ibat. Ergo dum ſcelera principis,& finem adeſſe imperij,deligendumq; qui feſſis rebus ſuccurreret inter ſe aut inter

Coniuratio in Neronem

C. Piſo

Lucanus

amicos iaciunt, aggregauere Tullium Senecionem, Ceruarium Proculum,
Vulcatium Traricum, Iulium Aurinum, Munatium Gratum, Antonium
Natalem, Martium Feſtum, equites Romanos: ex quibus Senecio è præ-
cipua familiaritate Neronis ſpeciem amicitiæ etiam tum retinens, eo pro-
prijs periculis conflictabatur. Natalis particeps ad omne ſecretum Piſoni
erat. Cæteris ſpes ex nouis rebus petebatur. Aſcitæ ſunt ſuper Subrium &
Sulpitium, de quibus rettuli, militares manus, Granius Syluanus & Stati-
us Proximus, tribuni cohortium prætoriarum, Maximus Scaurus & Ve-
netus Paulus centuriones. Sed ſummum robur in Fenio Rufo præfecto
uidebatur, quem uita famaq; laudatum, per ſæuitiam impudicitiamq; Ti-
gillinus in animo principis anteibat, fatigabatq; criminationibus, ac ſæpe
in metum adduxerat, quaſi adulterum Agrippinæ & deſiderio eius ultio-
ni intentum. Igitur ubi coniuratis præfectum quoq; prætorij in partes
deſcendiſſe, crebro ipſius ſermone facta fides, promptius iam de tempo-
re ac loco cædis agitabãt. Et cepiſſe impetum Subrius Flauius ferebatur,
in ſcena canentem Neronem aggrediendi, aut cum ardente domo per no-
ctem huc illuc curſaret incuſtoditus. Hic occaſio ſolitudinis, ibi ipſa fre-
quentia tanti decoris teſtis, pulcherrimum animũ extimulauerant: niſi im-
punitatis cupido retinuiſſet, magnis ſemper conatibus aduerſa. Interim
Epicharis cunctantibus prolatantibusq; ſpem ac metum, Epicharis quædam, incer-
tum quo nam modo ſciſcitata, neq; illi ante ulla rerum honeſtarum cura
fuerat, accendere, & arguere coniuratos: ac poſtremo lentitudinis eorũ per-
teſa, & in Campania agens, primores claſſiariorum Miſenenſium labefa-
cere, & cõſcientia illigare connixa eſt tali initio. Erat nauarchus in ea claſſe
Voluſius Proculus, occidendæ matris Neronis inter miniſtros non ex ma
gnitudine ſceleris prouectus, ut rebatur. Is mulieri olim cognitus, ſeu recẽs
orta amicitia, dum merita erga Neronem ſua & quàm in irritũ cecidiſſent,
aperit, adijcitq; queſtus & deſtinationẽ uindictæ, ſi facultas oriretur, ſpem
dedit poſſe impelli & plures conciliare: nec leue auxilium in claſſe, crebras
occaſiones, quia Nero multo apud Puteolos & Miſenum maris uſu læta-
batur. Ergo Epicharis plura, & omnia ſcelera principis orditur. Neq; ſena-
tui, quod inane eſſet, prouiſum quo nam modo pœnas uerſæ Reip. daret:
accingeretur modo, nauaret operam, & militum acerrimos duceret in par-
tes, ac digna pretia expectaret. Nomina tamen coniuratorum reticuit. Vn-
de Proculi indicium irritum fuit, quamuis ea quæ audierat ad Neronẽ de-
tuliſſet. Accita quippe Epicharis, & cum indice compoſita, nullis teſtibus
innixum facile cõfutauit. Sed ipſa in cuſtodia retenta eſt, ſuſpectãte Nero
ne, haud falſa eſſe etiam quæ uera non probabãtur. Coniuratis tamen me
tu proditionis permotis, placitum maturare cędem apud Baias in uilla Pi-
ſonis: cuius amœnitate captus Cæſar crebro uentitabat, balneasq; & epu-
las inibat omiſſis excubijs, & fortunæ ſuę mole. Sed abnuit Piſo, inuidiam

præten-

prætendens,ſi ſacra menſæ dijq; hoſpitales cæde qualiſcũq; principis cruentarêtur. Melius apud urbem,in illa inuiſa & ſpolijs ciuium extructa domo,uel in publico patraturos,quod pro Rep.ſuſcepiſſent. Hæc in commune: cæterum timore occulto,ne L.Syllanus eximia nobilitate diſciplinaq; C.Caſſij apud quem educatus erat, ad omnem claritudinem ſublatus,imperium inuaderet, promptè daturis operam qui à coniuratione integri eſſent,quiq; miſerarentur Neronem tanquã per ſcelus interfectum. Pleriq; Veſtini quoq; conſulis acre ingenium uitauiſſe Piſonem crediderunt,ne à libertate moueretur, uel delecto imperatore alio,ſui muneris Remp. faceret. Et enim expers coniurationis erat,quamuis ſuper eo crimine Nero uetus aduerſus inſontem odium expleuerit. Tandẽ ſtatuere Circenſium ludorum die,qui Cereri celebratur,exequi deſtinata:quia Cęſar rarus egreſſu,domo aut hortis clauſus,ad ludicra Circi uẽtitabat,promptioresq; aditus erant lætitia ſpectaculi. Ordinem inſidijs compoſuerant,ut Lateranus quaſi ſubſidium rei familiari oraret deprecabundus & genibus principis accidens proſterneret incautum premeretq; , animi ualidus,& corpore ingens. Tum iacentem & impeditum,tribuni & centuriones, & cæterorũ ut quiſq; audiuiſſet,accurrerẽt,trucidarẽtq;:primas ſibi partes expoſtulante Sceuino, qui pugionem templo Salutis in Hetruria, ſiue ut alij tradidere, Fortunæ Ferentano in oppido detraxerat,geſtabatq;, uelut magni operis ſacrum. Interim Piſo apud ædẽ Cereris opperiretur, unde eum præfectus Fenius & cæteri accitum ferrent in caſtra comitante Antonia Claudij Cæſaris filia,ad eliciendum uulgi fauorem. quod C.Plinius memorat. Nobis quoquo modo traditum non occultare in animo fuit,quamuis abſurdum uideretur & inane,aut ipſi Antoniam nomẽ & periculum commodauiſſe, aut Piſonẽ notum amore uxoris,alij matrimonio ſe obſtrinxiſſe, niſi ſi cupido dominandi cunctis affectibus flagrantior eſt. *Cupido dominandi cunctis affectibus flagrantior.* Sed mirum quàm inter diuerſi generis,ordinis,ætatis,ſexus,dites,pauperes, taciturnitate omnia cohibita ſint:donec proditio cœpit è domo Sceuini. Qui pridie inſidiarum, multo ſermone cum Antonio Natale,dein regreſſus domum, teſtamentum obſignauit: *Sceuinus Anto.Natalis* promptum uagina pugionem, de quo ſupra rettuli, uetuſtate obtuſum increpans,aſperari ſaxo, & mucronem ardeſcere iuſſit. Eamq; curam liberto Milicho mandauit. Simul affluentius ſolito conuiuium initum. ſeruorũ chariſſimi libertate, & alij pecunia donati. Atq; ipſe mœſtus, & magnæ cogitationis manifeſtus erat, quamuis lætitiam uagis ſermonibus ſimularet. Poſtremo uulneribus ligamenta, quibusq; ſiſtitur ſanguis parare eundem Milichum monet, ſiue gnarum coniurationis, & hucuſq; fidum,ſeu neſcium,& tunc primum arreptis ſuſpicionibus, ut pleriq; tradidere,de cõſequentibus. Nam cum ſecum ſeruilis animus præmia perfidiæ reputauit, ſimulq; immenſa pecunia & potentia obuerſabantur, ceſſit fas, & ſalus patroni, & acceptæ libertatis memoria. Et enim uxoris

quoq;

quoq; conſiliũ aſſumpſerat,muliebre ac deterius. quippe ultro metum intentabat,multosq; aſtitiſſe libertos ac ſeruos, qui eadẽ uiderint:nihil profuturum unius ſilentium.at præmia penes unum fore, qui indicio præueniſſet.Igitur cœpta luce Milichus in hortos Seruilianos pergit: & cum foribus arceretur,magna & atrocia afferre dictitans,deductusq; ab ianitoribus ad libertum Neronis Epaphroditum,mox ab eo ad Neronẽ, urgens periculum,graues coniurationes,& cætera quæ audierat, coniectaueratq;, docet. Telum quoq; in necem eius paratum oſtendit,accirięq; reum iuſſit. Is raptus per milites,& defenſionem orſus,Ferrum cuius argueretur, olim religione patria cultum, & in cubiculo habitũ, ac fraude liberti ſubreptum reſpondit:Tabulas teſtamenti ſæpius à ſe, & incuſtodita dierum obſeruatione, ſignatas: Pecunias & libertates ſeruis & ante dono datas: ſed ideo tunc largius, quia tenui iam re familiari,& inſtantibus creditoribus, teſtamento diffideret.Enim uero liberales ſemper epulas ſtruxiſſe,& uitã amœnam,& duris iudicibus parum probatam.Fomenta uulneribus nulla iuſſu ſuo,ſed quia cætera palàm uana obieciſſet,adiungere crimen uiſum, ſe pariter indicem & teſtem facere. Adijcit dictis conſtantiam.Incuſat ultro inteſtabilem,& conſceleratum, tanta uocis ac uultus ſecuritate,ut labaret indicium,niſi Milichum uxor admonuiſſet,Antonium Natalem multa cum Sceuino,ac ſecreto collocutum,& eſſe utroſq; C.Piſonis intimos. Ergo accitus Natalis:& diuerſi interrogantur,quis nam is ſermo,qua de re fuiſſet. Tum exorta ſuſpicio, quia non congruentia reſponderant. Inditaq; uincla. Et tormentorum aſpectum ac minas non tulere. Prior tamen Natalis totius coniurationis magis gnarus, ſimul arguendi peritior,de Piſone primum fatetur. Deinde adijcit Anneum Senecam, ſiue internuncius inter eum Piſonemq; fuit,ſiue ut Neronis gratiã pararet, qui infenſus Senecæ, omnes ad eum opprimendum artes conquirebat. Tum cognito Natalis indicio Sceuinus quoq; pari imbecillitate, ante cuncta iam patefacta credens,nec ullum ſilentij emolumentum,edidit cæteros.Ex quibus Lucanus Quintilianusq;,& Senecio diu abnuere. Poſt promiſſa impunitate corrupti,quo tarditatem excuſarent,Lucanus Aciliam matrem ſuam, Quintilianus Glicium Gallum, Senecio Annium Pollionem amicorum præcipuos nominauere. Atq; interim Nero recordatus Voluſij Proculi indicio Epicharim attineri, ratusq; muliebre corpus impar dolori, tormentis dilacerari iubet.At illam non uerbera,non ignes,non ira eo acrius torquentium ne à fœmina ſpernerentur, peruicere quin obiecta denegaret. Sic primus quæſtionis dies contemptus.Poſtero cum ad eoſdem cruciatus retraheretur geſtamine ſellæ (nam diſſolutis membris inſiſtere nequibat)uinclo faſciæ quam pectori detraxerat in modum laquei ad arcum ſellæ reſtricto, indidit ceruicẽ,& corporis pondere conniſa,tenuem iam ſpiritũ expreſſit: clariore exemplo libertina mulier in tanta neceſſitate alienos ac propè ignotos

ignotos protegendo , cum ingenui & uiri & equites Romani ſenatoresq́;
in tantis tormentis chariſſima quoq; ſuorum pignorum proderent . Non
enim omittebant Lucanus quoq; & Senecio & Quintilianus paſſim con/
ſcios edere , magis magiſq́; pauido Nerone,quanquam multiplicatis ex/
cubijs ſemet ſepſiſſet. Quin & urbem per manipulos occupatis mœnibus,
inſeſſo etiam mari & amne,uelut in cuſtodiam dedit . Volitabātq́; per fo/
ra,per domos,rura quoq; & proxima municipiorū pedites equitesq; per/
mixti Germanis , quibus fidebat princeps quaſi externis . Continua hinc *Germani*
& iuncta agmina trahi,ac foribus hortorum adiacere. Atq; ubi dicendam
ad cauſam introiſſent , lætatum erga coniuratos. Si fortuitus ſermo,& ſu/
biti occurſus , ſi conuiuium,ſi ſpectaculum ſimul iniſſent pro crimine acci/
pi:cum ſuper Neronis ac Tigillini ſæuas percunctationes, Fenius quoque
Rufus uiolenter urgeret,nondum ab indicibus nominatus,ſed quo fidem
inſcitiæ pararet,atrox aduerſus ſocios.Idem Subrio Flauo aſſiſtenti annu/
entiq́; an inter ipſam cognitionem diſtringeret gladium, cædemq́; patra/
ret,retinuit,infregitq́; impetum iam manum ad capulum referentis.Fuere
qui prodita coniuratione , dum auditur Milichus,dum dubitat Sceuinus,
hortarentur Piſonē pergere in caſtra,aut roſtra conſcendere, ſtudiaq́; mi/
litum & populi tentare : ſi conatibus eius conſcij aggregarentur, ſecuturos
etiam integros,magnamq́; motæ rei famam,quæ plurimum in nouis con *In nouis cōſi/*
ſilijs ualeret.Nihil aduerſum hoc Neroni prouiſum:etiam fortes uiros ſu/ *lijs fāma pluri/*
bitis terreri , ne dum ille ſcenicus , Tigillino ſcilicet cum pellicibus ſuis co/ *mum ualet*
mitante,arma contra cieret . Multa experiendo fieri, quæ ſegnibus ardua
uideantur,Fruſtra ſilentium & fidem in tot conſciorum animis & corpori/
bus ſperari.Cruciatu aut præmio cuncta peruia eſſe. Venturos qui ipſum
quoq; uincirēt,poſtremo indigna nece afficerent.Quanto laudabilius pe/
riturum, dū amplectitur Remp. dum auxilia libertati inuocat, dum miles
potius deeſſet,& plebes deſereret,dum ipſe maioribus,dum poſteris,ſi ui/
ta præriperetur mortem approbaret?Immotus ijs,& paululum in publico
uerſatus,poſt domi ſecretus,animū aduerſum ſuprema firmat, donec ma/
nus militum adueniret , quos Nero tirones aut ſtipendijs recentes delege/
rat.Nam uetus miles timebatur,tanquam fauore imbutus. Obijt abruptis
brachiorum uenis.Teſtamentū fœdis aduerſus Neronem adulationibus,
amori uxoris dedit,quam degenerem,& ſola corporis forma commenda/
tam,amici matrimonio abſtulerat.Nomē mulieris Arria Galla, priori ma
rito Domitius Silius:hic patientia,illa impudicitia,Piſonis infamiam pro/
pagauere. Proximam necem Plautij Laterani conſulis deſignati Nero *Plautius Late*
adiungit,adeo propere, ut non complecti liberos, non illud breue mortis *ranus necatur*
arbitrium permitteret . Raptus in locum ſeruilibus pœnis ſepoſitū , manu
Statij tribuni trucidatur,plenus cōſtantis ſilentij, nec tribuno obijciēs ean/
dem cōſcientiam. Sequitur cædes Annei Senecæ lætiſſima principi,non

Annei Senecæ cædes

quia coniurationis manifeſtum compererat,ſed ut ferro graſſaretur,quan do uenenũ non proceſſerat.Solus quippe Natalis,& hactenus prompſit: miſſum ſe ad ægrotum Senecam ut uiſeret conquereretur&qz;, cur Piſonem aditu arceret: melius fore ſi amicitiam familiari congreſſu exercuiſſent.Et reſpondiſſe Senecam,ſermones mutuos & crebra colloquia neutri condu/ cere:cæterum ſalutem ſuam incolumitate Piſonis inniti. Hæc ferre Grani/ us Siluanus tribunus prætoriæ cohortis,& an dicta Natalis,ſuaq́ꝫ reſpon ſa noſceret,percunctari Senecam iubetur.Is, forte an prudens,ad eum di/ em ex Campania remeauerat, quartumq́ꝫ apud lapidem ſuburbano rure ſubſtiterat. Illò propinqua ueſpera tribunus uenit, & uillam globus mili/ tum ſepſit. Tum ipſi cum Pompeia Paulina uxore,& amicis duobus epu/ lanti mandata imperatoris edidit.Seneca miſſum ad ſe Natalem,conque/ ſtumq́ꝫ nomine Piſonis quod uiſendo eo prohiberetur, ſe ratione ualitu/ dinis & amore quietis,excuſauiſſe reſpondit.Cur ſalutem priuati hominis incolumitati ſuæ anteferret,cauſam non habuiſſe,nec ſibi promptũ in adu lationes ingenium:Idq́ꝫ nulli magis gnarum quàm Neroni, qui ſæpius li/ bertatem Senecæ,quàm ſeruitium expertus eſſet. Vbi hæc à tribuno rela/ ta ſunt,Poppæa & Tigillino coram, quod erat ſæuienti principi intimum conſiliorum,interrogat,an Seneca uoluntariam mortem pararet.Tum tri/ bunus nulla pauoris ſigna, nihil triſte in uerbis eius, aut uultu deprehen/ ſum confirmauit.Ergo regredi & indicere mortem iubetur. Tradit Fabius Ruſticus,non eo quo uenerat itinere reditum, ſed flexiſſe ad Fenium præ/ fectum,& expoſitis Cæſaris iuſſis,an obtemperaret interrogauiſſe: moni/ tumq́ꝫ ab eo,ut exequeretur,fatali omnium ignauia. Nam & Siluanus in/ ter coniuratos erat,augebatq́ꝫ ſcelera in quorum ultionẽ conſenſerat.Voci tamen & aſpectui pepercit. Intromiſitq́ꝫ ad Senecam unum ex centurio/ nibus,qui neceſſitatem ultimã denunciaret.Ille interritus poſcit teſtamenti tabulas:ac denegante centurione,conuerſus ad amicos,quando meritis eo rum referre gratiam prohiberetur,quod unũ iam tamen & pulcherrimum habebat,imaginem uitæ ſuæ relinquere teſtatur, cuius ſi memores eſſent, bonarũ artium famam tam conſtantis amicitiæ laturos. Simul lachrymas eorum,modo ſermone,modo intentior in modum coërcentis, ad firmitu/ dinem reuocat,rogitans:ubi præcepta ſapientiæ? Vbi tot per annos medi/ tata ratio aduerſum imminentia? Cui enim ignaram fuiſſe ſæuitiam Ne/ ronis? Neqꝫ aliud ſupereſſe poſt matrem fratremq́ꝫ interfectos, quàm ut educatoris præceptoriſq́ꝫ necem adijceret. Vbi hæc atqꝫ talia uelut in commune diſſeruit,complectitur uxorem. & paululum aduerſus præſen/ tem formidinem mollitus,rogat oratq́ꝫ temperaret dolori,ne æternum ſu/ ſciperet,ſed in contemplatione uitæ per uirtutem actæ, deſiderium mariti ſolatijs honeſtis toleraret.Illa contra,ſibi quoqꝫ deſtinatam mortem adſe/ uerat,manũq́ꝫ percuſſoris expoſcit. Tum Seneca gloriæ eius nõ aduerſus,

Pompeia Paulina uxor Senecæ

simul

ſimul amore,ne ſibi unice dilectã ad iniurias relinqueret: uitæ, inquit, deli/
nimenta monſtraueram tibi,tu mortis decus mauis. non inuidebo exem/
plo. Sit huius tam fortis exitus conſtantia penes utroſq; par, claritudinis
plus in tuo fine. Poſt quæ,codẽ ictu brachia ferro exoluunt. Seneca,quo
niam ſenile corpus & paruo uictu tenuatum, lenta effugia ſanguini præ/
bebat,crurum quoq; & poplitũ uenas abrumpit. Sæuiſq; cruciatibus de/
feſſus,ne dolore ſuo animum uxoris infringeret,atq; ipſe uiſendo eius tor
menta,ad impatiẽtiam delaberetur, ſuadet in aliud cubiculum abſcederet.
Et nouiſſimo quoq; momento ſuppeditante eloquentia aduocatis ſcripto
ribus, pleraq; tradidit, quæ in uulgus edita eius uerbis, inuertere ſuperſe/
deo. At Nero nullo in Paulinam proprio odio, ac ne gliſceret inuidia cru/
delitatis, inhiberi mortem imperat. Hortantibus militibus, ſerui libertiq;
obligant brachia, premunt ſanguinem,incertũ an ignaræ. Nam ut eſt uul/
gus ad deteriora promptum,non defuere qui crederent,donec implacabi/ *Vulgus ad deteriora promptum*
lem Neronem timuerit,famam ſociatæ cum marito mortis petiuiſſe: dein/
de oblata mitiore ſpe,blandimentis uitæ euictam: cui addidit paucos po/
ſtea annos laudabili in maritum memoria, & ore ac membris in eum pal/
lorem albentibus,ut oſtentui eſſet,multum uitalis ſpiritus egeſtum. Sene/
ca interim durante tractu,& lenitudine mortis, Statium Anneum diu ſibi
amicitiæ fide & arte medicinæ probatũ,orat prouiſum pridem uenenum,
quo damnati publico Athenienſium iudicio extinguerentur,promeret: al/
latumq; hauſit fruſtra, frigidis iam artubus & clauſo corpore aduerſum
uim ueneni. poſtremo ſtagnũ calidæ aquæ introijt, reſpergens proximos
ſeruorum,addita uoce, Libare ſe liquorem illum Ioui liberatori. Exin bal/ *Ioui liberatori libare liquorem*
neo illatus,& uapore eius exanimatus, ſine ullo funeris ſolenni crematur.
Ita codicillis præſcripſerat, cum etiam tum prædiues & præpotens, ſupre/
mis ſuis cõſuleret. Fama fuit, Subrium Flauium cum centurionibus occul/
to conſilio, neq; tamen ignorãte Seneca,deſtinauiſſe, ut poſt occiſum ope
Piſonis Neronẽ, Piſo quoq; interficeretur, traderetur q; imperiũ Senecæ,
quaſi inſonti, claritudine uirtutũ ad ſummũ faſtigiũ delecto. Quin & uer/
ba Flauij uulgabantur,Non referre dedecori, ſi citharœdus dimoueretur,
& Tragœdus ſuccederet. quia ut Nero cithara,ita Piſo Tragico ornatu ca/
nebat. Cæterum militaris quoq; conſpiratio non ultra fefellit, accenſis
quoq; indicibus ad prodendum Fenium Rufum,quem eundem conſcium
& inquiſitorem non tolerabant. Ergo inſtanti minitantiq; renitens Sceui/
nus,neminem ait plura ſcire quàm ipſum. Hortaturq; ultro redderet tam
bono principi uicem. Non uox aduerſum ea Fenio,non ſilentium, ſed uer
ba ſua præpediens,& pauoris manifeſtus, cæteriſq; ac maxime Ceruario
Proculo equite ad conuincendum eum cõniſis, iuſſu imperatoris à Caſſio
milite qui ob inſigne corporis robur adſtabat,corripitur,uinciturq;. Mox
eorum indicio Subrius Flauius tribunus peruertitur, primo diſſimilitudi/ *Subri. Flauius*

 nem

nem morum ad defenſionem trahens, neque ſe armatum cum inermibus
effœminatis tantum facinus conſociaturum. Dein poſtquā urgebatur, con
feſſionis gloriā amplexus, interrogatusq́ʒ à Nerone, quibus cauſis ad ob-
liuionem ſacramenti proceſſiſſet: Oderam te, inquit. nec quisq́ʒ tibi fideli-
or militum fuit, dum amari meruiſti. odiſſe cœpi poſtquā parricida matris
& uxoris, auriga, hiſtrio, & incēdiarius extitiſti. Ipſa rettuli uerba, quia non
ut Senecæ, uulgata erant. Nec minus noſci decebat militaris uiri ſenſus &
incomptos & ualidos. Nihil in illa coniuratione grauius auribus Neronis
accidiſſe conſtitit, qui ut faciendis ſceleribus promptus, ita audiendi quæ
faceret, inſolens erat. Pœna Flauij Veianio Nigro tribuno mādatur. Is pro
ximo in agro ſcrobem effodi iuſſit, quem Flauius ut humilē & anguſtum
increpans, circumſtātibus militibus: ne hoc quidē, inquit, ex diſciplina. Ad-
monitus fortiter protendere ceruicem: Vtinam, ait, tu tam fortiter ferias.
Et ille multum tremens, cum uix duobus ictibus caput amputauiſſet, ſæui
Seſquiplagá tiam apud Neronem iactauit, ſeſquiplaga interfectū à ſe dicendo. Pro-
ximum conſtantiæ exemplum, Sulpitius Aſper centurio præbuit, percun-
ctanti Neroni, cur in cædem ſuā conſpirauiſſet, breuiter reſpondens: Non
aliter tot flagitijs eius ſubueniri poſſe. Tum iuſſam pœnam ſubijt. Nec cæ
teri centuriones in perpetiendis ſupplicijs degenerauere. At non Fenio Ru
fo par animus, ſed lamentationes ſuas etiam in teſtamentū contulit. Op-
periebatur Nero ut Veſtinus quoqʒ conſul in crimē traheretur, uiolentum
& infenſum ratus: ſed coniurati conſilia cum Veſtino non miſcuerant, qui-
dam uetuſtis in eum ſimultatibus, plures quia præcipitem & inſociabilem
credebāt. Cæterum Neronis odium aduerſus Veſtinum ex intima ſoda-
litate cœperat, dum hic ignauiam principis penitus cognitam deſpicit, ille
Facetiæ ferociam amici metuit, ſæpe aſperis facetijs illuſus, quæ ubi multum ex ue-
aſperæ ro traxere, acrem ſui memoriam relinquunt. Acceſſerat repens cauſa, quod
Veſtinus Statiliam Meſſalinam matrimonio ſibi iunxerat, haud neſcius
inter adulteros eius & Cæſarem eſſe. Igitur nō crimine, nō accuſatore exi-
ſtente, quia ſpeciē indicij induere non poterat, ad uim dominationis con-
uerſus, Gerelanum tribunum cum cohorte militum immittit, iubetq́ʒ præ-
uenire conatus conſulis, occupare uelut arcem eius, opprimere delectā iu-
uentutem, quia Veſtinus imminentes foro ædes, decoraq́ʒ ſeruitia, & pari
ætate habebat. Cuncta eo die munia conſulis impleuerat. Conuiuiū cele-
brat, nihil metuens an diſſimulādo metu, cum ingreſſi milites uocari eum
à tribuno dixere. Ille nihil demoratus exurgit. & omnia ſimul properātur,
clauditur cubiculo, præſto eſt medicus, abſcinduntur uenæ, uigens adhuc
balneo infertur, calida aqua merſatur, nulla edita uoce, qua ſemet miſerare
tur. Circumdati interim cuſtodia qui ſimul diſcubuerāt, nec niſi prouecta
nocte emiſſi ſunt, poſtq́ʒ pauorē eorū imminens exitium opperientium &
imaginatus & irridēs Nero, ſatis ſupplicij luiſſe ait pro epulis cōſularibus.

Exin

Exin M.Annei Lucani cædem imperat.Is profluente ſanguine, ubi fri/ *M. Anneus*
geſcere pedes manuſq;,& paulatim ab extremis cedere ſpiritum , feruido *Lucanus*
adhuc & compote mentis pectore intelligit, recordatus carmen à ſe com/
poſitum quo uulneratum militem per eiuſmodi mortis imaginem obijſſe
tradiderat:uerſus ipſos rettulit.eaq; illi ſuprema uox fuit.Senecio poſthac
& Quintilianus,& Sceuinus,non ex priore uitæ mollitia,mox reliqui con/ *Afran. Quin/*
iuratorum periere,nullo facto dictóue memorando. Sed compleri inte/ *tilianus*
rim urbs funeribus, Capitolium uictimis: alius filio,fratre alius, aut pro/
pinquo,aut amico interfectis,agere grates deis,ornare lauru domum , ge/
nua ipſius aduolui, & dextram oſculis fatigare. Atq; ille gaudium id cre/
dens, Antonij Natalis & Ceruarij Proculi feſtinata indicia impunitate re/
muneratur:Milichus præmijs ditatus, Conſeruatoris ſibi nomen Græco *Conſeruator*
eius rei uocabulo aſſumpſit. E tribunis Granius Siluanus quamuis abſo/ *Σωτὴρ*
lutus, ſua manu cecidit:Statius Proximus ueniã quã ab imperatore acce/
perat,uanitate exitus corrupit.Exuti dehinc tribunatu Pompeius, Corne/
lius Martialis, Flauius Nepos,Statius Domitius, quaſi principem nõ qui
dem odiſſent,ſed tamen exiſtimarentur. Nouio Priſco per amicitiam Se/
necæ,& Glitio Gallo atq; Annio Pollioni infamatis magis quàm conui/
ctis,data exilia.Priſcũ Antonia Flacilla coniunx comitata eſt:Gallũ Egna/
tia Maximilla,magnis primũ & integris opibus,poſt ademptis. quæ utra/
que gloriam eius auxere.Pellitur & Rufrius Criſpinus occaſione coniura/
tionis,ſed Neroni inuiſus,quod Poppæam quondam matrimonio tenue/
rat. Virginium Rufum claritudo nominis expulit. Nam Virginius ſtudia
iuuenum eloquentia,Muſonius præceptis ſapientiæ fouebat. Cluuidieno
Quieto,Iulio Agrippæ,Blitio Catullino,Petronio Priſco,Iulio Altino,ue/
lut in agmen & numerum,Ægæi maris inſulæ permittuntur. At Cadicia
uxor Sceuini,& Ceſenius Maximus Italia prohibentur,reos fuiſſe ſe,tan/
tum pœna experti. Acilia mater Annei Lucani ſine abſolutione in ſuppli/
cio diſſimulata. Quibus perpetratis Nero,& concione militum habita,
bina nummûm millia uiritim manipularibus diuiſit, addiditq; ſine pretio
frumentum,quo ante ex modo annonæ utebantur. Tum quaſi geſta bel/
lo expoſiturus uocat ſenatũ,& triumphale decus Petronio Turpiano con
ſulari:Cocceio Neruæ prætori deſignato,Tigillino præfecto prætorij tri/
buit,Tigillinum & Neruã ita extollens,ut ſuper triumphales in foro ima/
gines,apud palatium effigies eorum quoq; ſiſteret. Dedit etiam conſula/
ria inſignia Nymphidio,de quo quia nunc primum oblatus eſt, pauca re/ *Nymphidius*
petam.Nam & ipſe pars Romanarum cladium erit. Igitur matre libertina
ortus, quę corpus decorum inter ſeruos libertoſq; principum uulgauerat,
ex C.Cæſare ſe genitum ferebat, quoniam forte quadã habitu procerus
& toruo uultu erat: ſiue C. Cæſar ſcortorum quoq; cupiens, etiam matri
eius illuſit.Sed Nero uocato ſenatu,oratione inter patres habita,edictum

apud populum,& collata in libros indicia,confeſſionesq; damnatorũ adiunxit. Etenim crebro uulgi rumore lacerabatur, tanquam uiros & inſontes ob inuidiam aut metum extinxiſſet. Cæterum cœptam,adultamq; & reuictam coniurationem neq; tunc dubitauere,quibus uerum noſcendi cura erat,& fatẽtur qui poſt interitum Neronis in urbẽ regreſſi ſunt. At in ſenatu cunctis ut cuiq; plurimum mœroris,in adulationem demiſſis,Iunium Gallionem Senecæ fratris morte pauidũ, & pro ſua incolumitate ſupplicem increpuit Salienus Clemens,hoſtem & parricidam uocans: donec conſenſu patrum deterritus eſt,ne publicis malis abuti ad occaſionem priuati odij uideretur,neu compoſitam,& obliteratam manſuetudinem principis nouam ad ſæuitiam retraheret. Tum decreta dona & grates deis decernũtur, propriusq; honos Soli,cui eſt uetus ædes apud Circũ,in quo facinus parabatur,qui occulta coniurationis,numine retexiſſet: Vtq; Circenſium cerealium ludicrum pluribus equorũ curſibus celebraretur: menſisq; Aprilis Neronis cognomentum acciperet:templum Saluti extrueretur,eo loci ex quo Sceuinus ferrum prompſerat. Ipſe eum pugionẽ apud Capitolium ſacrauit, inſcripſitq; IOVI VINDICI. In præſens haud animaduerſum,poſt arma Iulij Vindicis ad auſpicium & præſagium futuræ ultionis trahebatur. Reperio in commentarijs ſenatus,Cerialem Anicium conſulem deſignatum,pro ſententia dixiſſe,ut templum diuo Neroni quàm maturrime publica pecunia poneretur. Quod quidem ille decernebat,tanquam mortale faſtigium egreſſo, & uenerationem hominum merito: quod ad omina olim ſui exitus uerteretur. Nam deûm honor principi non ante habetur, quàm agere inter homines deſierit.

FINIS XV LIBRI

BEATI RHENANI IN LIBRVM DECIMVM SEXTVM CASTIGATIONES.

QVAE per tantum æui occulta, augendis præſentibus bonis latuerint.) Verbum latuerint nõ eſt in uolumine Budenſi. Atq; poteſt abeſſe,ſi quis uerbũ fuerint ſubintelligat,aut ſimile quippiam. De quo monui ideo lectorẽ, ut uideat ꝙ multa ſint in autoribus paſſim interpolata.

Viſores pro inſpectoribus

Nec miſſis uiſoribus.) Niſi legiſſem libro primo,Simul Segeſtes ipſe ingens uiſu. Deinde libro tertio,Et tot adſtantium uiſu. Rurſum libro quarto,Numeroq; & robore,& uiſu inter ſe,fiducia ipſis,in cęteros metus crederetur: potuiſſem hic ſcribere, iuſſoribus, pro ſponſoribus atq; expromiſſoribus, quos non miſerit Ceſellius ille Baſſus.

Per quos noſceret,an uera afferrentur.) Scripſimus,aſſererentur.

Nec aliud ꝑ illos dies populus plus credulitate.) Cõparatiuũ plus deleuimus.

Vt nulla oris aut nariũ excrementa uiſerentur.) Exemplar Budenſe,uiſerent. Subaudi,ipſi ſpectatores.

Et plebs quidem uerbis hiſtrionũ quoq; geſtus iuuare ſolita.) Emendauimus, Et plebs quidem urbis.

Quod inter imagines maiorum,etiam C.Caſſij effigiem coluiſſet.) In ſcripto libro non eſt,etiam.Sed mox eſt: Dux partium.

Inania ſimul & falſa.) Caſtigauimus, Et inania ſimul & falſa.

Tunc ſenatus conſulto.) Volumen regium,Tunc cōſulto ſenatu. Paulopoſt apparet illinc etiam legi poſſe, Haud minus promptam.

Donec princeps immobilem ſe precibus & inuidię iuxta oſtendit.) Non habet hic particulam,&,exemplar Budenſe. Sicut nec mox aduerbiū,ſimul: Simul affertur parari cognitionem ſenatus.

Ac ſenior prius,tum cui prima ætas extinguuntur.) Illic habes,extinguitur.

Pertulitq; uiolentiam ad mœnia urbis.) Liber manuſcriptus,ad mœnia uicina urbi.Suſpicor ſcribendum tantum,ad uicina urbi. Sic libro 20.Cæteriq; per urbem & urbi uicina conquiſiti. Nam quantum ad ſcripturam attinet,uocabulum mœnia non differt à dictione uicina. Itaq; conijcio bis ſcriptū idem uocabulum.

Ad uicina urbi

Simulq; annuam pecuniam.) Scripſimus, ſimul annuam pecuniam.

Finis Ligurū

Apud finem Ligurum id temporis erat.) Sic Liuius libro tertio quartę deca. Redeuntes inde Ligurū extremo fine,cum agreſti præda in agmen incidunt Romanum Idem libro decimo decad.eiuſdem.Ligurū duo millia ferè ad extremum finem prouincię Galliæ ubi caſtra Marcellus habebat,uenerunt, uti reciperentur orantes.Pluratiue idem uſurpauit libro quinto decad.eiuſdē.Conſul alter L.Cornelius Merula per extremos Ligurum fines exercitum in agrum Boiorum induxit.Dirigere finem,quod arbitris conuenit inter diſceptanteis de iure finiū, apud eundem legitur libro nono decad.eiuſdem.Q.Fabium Labeonem, quum in regione ea fuiſſet, direxiſſe finem Philippo ueterem,regiamq; Thraciæ Paroreiam.

Iuſſa imperatoris Oſtorio aperit.) Codex Budēſis habet,impoſt. ut etiam legi queat, Iuſſa mox uel poſt Oſtorio aperit. Mox, Is fortitudinem aduerſum hoſtes ſępe ſpectatam.

Quàm ne oderim tam ſegniter pereuntes.) Hunc locum meum ſecutus iudicium,oderim in oderint mutato,ſic lege, Quàm ne oderint tam ſegniter pereuntes. Senſus eſt, A lectore nō exigimus ut iſtorum pluſquam ſeruilem patientiam defendat aut excuſet,ſed hoc tantum,ne iſtos odio proſequatur aut odiſſe incipiat,nam res fuit plane fatalis.

Neq; aliā defenſionē ab ijs quib. iſta noſcentur exegerim, q̄ ne ederint tā ſegniter pereuntes

Vt quomodo exequijs, ac promiſcua ſepulchra ſeparantur.) Emendauimus, Vt quomodo exequijs à promiſcua ſepultura ſeparātur,Mox ſcripſimus,Anneus Mella.Eſt deinde in libro manuſcripto,Conſularibus inſignijs.

Ita ſcripſiſſe,ſe quidem mori nullis ſupplicij cauſis.) Repoſui,ita ſcripſiſſet, ſe quidem mori nullis ſupplicij cauſis.

De C.Petronio pauca ſupra repetēda ſunt.) Nos,De C.Petronio ſupra.Pauca repetenda ſunt.

Ingentem ſe ac parem negotijs oſtendit.) Malim,uigentem ſe ac parem negotijs oſtendit. Sicut ſuperiori libro,animi ualidus & corpore uigens.

Seu uitiorum imitationem.) Emendaui diſtinxiq;, Seu uitiorum imitatione inter paucos familiarium Neroni aſſumptus eſt.

Vt quaſi coacta mors,fortuitę ſimilis eſſet.) Volumen regium,quam coacta. Scripſi,quanquam coacta.Quod uero paulo poſt ſequitur,Tigillini ſimultatibus dedidit,& illic eſt deditum, Malim,dedit.

Parum expectabilem operam præbuerat.) Caſtigaui,parum expetibilem operam præbuerat.

Parū expetibilem operā præbuerat: ubi ante, expectabilem

Et cum diuini honores.) Exemplar Budenſe, Et cum deûm honores Poppeæ decernuntur. Sic in fine libri 15. Nam deûm honor principi non ante habetur, q̄ agere inter homines deſierit. Itaq; & nos hoc loco ſcripſimus, deûm honores.

Qui tibi laſciuiam exprobrent.) Illic legitur,quod. Opinor ſcribendum, quo tibi laſciuiam exprobrent.

Per exercitus accuratius leguntur.) Repoſui,per exercitus curantium leguntur.Infra eſt in libro manuſcripto,cæde inſigniū uirorū, pro illuſtrium. quā lectionem & nos ſecuti ſumus. Tametſi uocabulū hoc paſſim obuiū eſt apud Tacitū.

Audiret ſenatus uoces quaſi ex quodā numine.) Emēdaui,quaſi ex aliquo n.

Sin crudelitati inſiſteret.) Fecimus,perſiſteret.Forte ſcribendum,crudelitate.

Contra qui opperiendum domi cenſebant.) Regius codex habet, Contra qui opperiendum eum domi cenſebant.Forte legendū,opperiendū ei domi cenſebāt.

Cum per hæc atq; talia Marcellus inueheretur.) Illic legitur,uerteret.Forte debet eſſe,peruerteret, quod uerbum pro accuſare,ſiue per accuſationē ſubuertere ſæpe Tacito ſolenne eſt,ceu in initio operis oſtendimus.

Non illa nota & celebritate periculorū ſueta iam ſenatus mœſtitia.) Opinor ſcribendum, crebritate periculorum.

Igitur flentes queritantesq;.) Forte,quiritantesq;.

Specta iuuenis,& omen quod dij prohibeant.) Scripſimus,& omen quidem dij prohibeant.

FINIS

P. CORNELII TACITI AB EXCESSV DIVI AVGVSTI ANNALIVM LIBER XVI

ILLVSIT dehinc Neroni fortuna per uanitatem ipſius,ex promiſſo Ceſellij Baſſi,qui origine Pœnus,mēte turbida,nocturnæ quietis imaginem ad ſpem haud dubiā retraxit. Vectusq; Romam,principis aditū emercatus, expromit, repertū in agro ſuo ſpecum altitudine immenſa,quo magna uis auri contineretur,non in formam pecuniæ,ſed rudi & antiquo pondere. Lateres quippe prægraues iacere, aſtantibus parte alia columnis. quæ per tantū æui occulta,augendis præſentibus bonis latuerint. Cæterum ut coniectura demonſtrat,Didonē Phœniſſam Tyro profugam,condita Carthagine,illas opes abdidiſſe, ne nouus populus nimia pecunia laſciuiret: aut reges Numidarum & aliâs infenſi, cupidine auri ad bellum accenderentur. Igitur Nero nō auctoris,non ipſius negotij fide ſatis ſpectata,nec miſſis uiſoribus per quos noſceret,an uera aſſererentur,auget ultro rumorem,mittitq; qui uelut partam prædam adueherent. Dantur triremes & delectum nauigium, iuuandæ feſtinationi. nec aliud per illos dies populus credulitate prodentis diuerſa fama tulerat. Ac forte quinquennale ludicrum ſecundo luſtro celebrabatur: oratoribusq; præcipua materia in laudem principis aſſumpta eſt. Non enim tātum ſolitas fruges, nec metallis confuſum aurum gigni,ſed noua ubertate prouenire terra, & obuias

obuias opes deferre deos. Quæq; alia ſumma facundia,nec minore adula/tione ſeruilia fingebant, ſecuri de facilitate credentis. Gliſcebat interim lu/xuria ſpe inani,conſumebanturq; ueteres opes,quaſi oblatis quas multos per annos prodigeret. Quin & inde iam largiebatur. Et diuitiarum expe/ctatio inter cauſas paupertatis publicę erat. Nam Baſſus effoſſo agro ſuo, latisq; circum aruis,dum hunc uel illum locum promiſſi ſpecus adſeuerat, ſequunturq; non modo milites, ſed populus agreſtium efficiendo operi aſſumptus,tandem poſita uæcordia, non falſa ante ſomnia ſua, ſeq; tunc primum cluſum admirans, pudorem & metum morte uoluntaria effugit. Quidam uinctum ac mox dimiſſum tradidere, ademptis bonis in locum regiæ gazæ. Interea ſenatus propinquo iam Luſtrali certamine,ut dede/cus auerteret,offert imperatori uictoriã cantus,adijcit facundiæ coronam, qua ludicra deformitas uelaretur. Sed Nero nihil ambitu nec poteſtate ſe/natus opus eſſe dictitans,ſe æquũ aduerſus æmulos, & religione iudicum meritam laudem aſſecuturũ,primo carmen in ſcena recitat:mox flagitante uulgo,ut omnia ſtudia ſua publicaret (hæc enim uerba dixere) ingreditur theatrum, cunctis citharæ legibus obtemperans:ne feſſus reſideret, ne ſu/dorem,niſi ea quam indutui gerebat ueſte detergeret:ut nulla oris aut na/rium excrementa uiſerentur. Poſtremo flexus genu,& cœtum illum manu ueneratus,ſentẽtias iudicum opperiebatur ficto pauore. Et plebs quidem urbis, hiſtrionũ quoq; geſtus iuuare ſolita, perſonabat certis modis,plau/ſuq; compoſito. Crederes lætari, ac fortaſſe lætabantur per iniuriam pu/blici flagitij. Sed qui remotis è municipijs,ſeueraq; adhuc, & antiqui mo/ris retinentes Italiam, quiq; per longas prouincias laſciuiæ inexperti offi/cio legationum aut priuata utilitate aduenerant,neq; aſpectum illum tole/rare neq; labori inhoneſto ſufficere: cum manibus neſcijs fatiſcerent, tur/barent gnaros,ac ſæpe à militibus uerberarentur, qui per cuneos ſtabant, ne quod temporis momentum impari clamore,aut ſilentio ſegni præteri/ret. Conſtitit pleroſq; equitum, dum per anguſtias aditus & ingruentem multitudinem enituntur,obtritos: & alios dum diem noctemq; ſedilibus continuant,morbo exitiabili correptos.quippe grauior inerat metus,ſi ſpe/ctaculo defuiſſent,multis palàm & pluribus occultis, ut nomina ac uultus, alacritatem,triſtitiamq; coëuntium ſcrutarentur. Vnde tenuioribus ſtatim irrogata ſupplicia,aduerſus illuſtres diſſimulatum ad pręſens,& mox red/ditum odium. Ferebantq; Veſpaſianum tanq; ſomno conniueret,à Phœ/bo liberto increpitum, ægreq; meliorum precibus obtectum:mox immi/nentem perniciẽ maiore fato effugiſſe. Poſt finem ludicri Poppæa mor/tem obijt, fortuita mariti iracundia, à quo grauida ictu calcis afflicta eſt. Neq; enim uenenum crediderim,quamuis quidã ſcriptores tradant, odio magis quàm ex fide. Quippe liberorum cupiens & amori uxoris obnoxi/us erat. Corpus non igni abolitũ,ut Romanus mos: ſed regũ externorum conſuetudine

Luſtrale cer/tamen

Fl. Veſpa/ſianus

conſuetudine, differtum odoribus conditur, tumuloq́ Iuliorum infertur. Ductæ tamen publicè exequiæ, laudauitq́ ipſe apud roſtra formam eius, & quod diuinæ infantis parens fuiſſet, aliaq́ fortunæ munera pro uirtutibus. Mortem Poppeæ ut palàm triſtem, ita recordãtibus lætam ob impudicitiam eius ſæuitiamq́, noua inſuper inuidia Nero compleuit, prohibendo C. Caſſium officio exequiarum. quod primũ indicium mali. neque in longum dilatũ eſt. Sed Syllanus additur, nullo crimine, niſi quod Caſſius opibus uetuſtis, & grauitate morũ, Syllanus claritudine generis, & modeſta iuuenta præcellebãt. Igitur miſſa ad ſenatum oratione, remouendos à Rep. utroſq́ differuit. Obiectauitq́ Caſſio quod inter imagines maiorum, etiam C. Caſſij effigiem coluiſſet, ita inſcriptã: DVCI PARTIVM. Quippe ſemina belli ciuilis, & defectionem à domo Cæſarum quæſitam. Ac ut memoria tantũ infenſi nominis ad diſcordias uteretur, aſſumpſiſſe L. Syllanum iuuenem genere nobilem, animo promptum, quem nouis rebus oſtentaret. Ipſum dehinc Syllanum increpuit iiſdem quibus patruum eius Torquatum, tanquam diſponeret iam imperij curas, præficeretq́ rationibus & libellis & epiſtolis libertos: & inania ſimul & falſa. Nam Syllanus intentior metu, & exitio patrui ad præcauendum exterritus erat. Inducit poſt hac uocabulo indicum, qui in Lepidam Caſſij uxorẽ, Syllani amitam, inceſtum cum fratris filio & diros ſacrorum ritus confingerent. Trahebantur ut cõſcij Vulcatius Tullinus, ac Marcellus Cornelius ſenatores, & Calphurnius Fabatus eques Romanus: qui appellato principe inſtantem damnationem fruſtrati, mox Neronẽ circa ſumma ſcelera diſtentum, quaſi minores euaſere. Tunc ſenatuſcõſulto Caſſio & Syllano exilia decernuntur, de Lepida Cæſar ſtatueret. Deportatusq́ in inſulam Sardiniam Caſſius, & ſenatus ius expectabatur. Syllanus tanquã Naxum deueheretur Hoſtia amotus, poſt municipio Apuliæ, cui nomen eſt Barium, clauditur. Illic indigniſſimum caſum ſapienter tolerans, à centurione ad cædem miſſo corripitur. Suadentiq́ uenas abrumpere, animũ quidem morti deſtinatum ait, ſed nõ permittere percuſſori gloriam miniſterij. At centurio quamuis inermem præualidum tamen & iræ quàm timori propiorem cernens, premi à militibus iubet. Nec omiſit Syllanus obniti, & intendere ictus quantum manibus nudis ualebat, donec à centurione uulneribus aduerſis tanquam in pugna caderet. Haud minus promptè L. Vetus, ſocrusq́ eius Sextia & Pollutia filia necem ſubiere: inuiſi principi tanquam uiuendo exprobrarent interfectum eſſe Rubellium Plautum generum Lucij Veteris. Sed initium detegendæ ſæuitiæ præbuit interuerſis patroni rebus ad accuſandum tranſgrediens Fortunatus libertus, aſcito Claudio Demiano, quem ob flagitia uinctum à Vetere Aſiæ proconſule, exoluit Nero in præmium accuſationis. Quod ubi cognitum reo, ſeq́ & libertum pari ſorte componi, Formianos in agros digreditur. Illic cum milites

occulta

occulta cuſtodia circumdant. Aderat filia ſuper ingruens periculum longo dolore atrox, ex quo percuſſores Plauti mariti ſui uiderat. Cruentamq; ceruicem eius amplexa ſeruabat ſanguinem, & ueſtes reſperſas, uidua implexa luctu continuo, nec ullis alimentis, niſi quæ mortem arcerent. Tum hortante patre Neapolim pergit. Et quia aditu Neronis prohibebatur, egreſſus obſidens, audiret inſontem, neue conſulatus ſui quondam collegã dederet liberto, modo muliebri eiulatu, aliquando ſexum egreſſa, uoce infenſa clamitabat, donec princeps immobilẽ ſe precibus & inuidiæ iuxta oſtendit. Ergo nunciat patri abijcere ſpem, & uti neceſſitate. Simul affertur parari cognitionem ſenatus, & trucem ſententiam. Nec defuere qui monerent magna ex parte hæredem Cæſarem nuncupare, atq; ita nepotibus de reliquo conſulere. quod aſpernatus, ne uitam proxime libertatẽ actam nouiſſimo ſeruitio fœdaret, largitur in ſeruos quantum aderat pecuniæ: & ſi qua aſportari poſſent, ſibi quemq; deducere, tris modo lectulos ad ſuprema retineri iubet. Tunc eodem in cubiculo, eodem ferro abſcindũt uenas, properéq; & ſingulis ueſtibus ad uerecundiam uelati, balneis inferuntur, pater filiam, auia neptem, illa utroſq; intuens, & certatim precantes labenti animæ celerem exitum, ut relinquerent ſuos ſuperſtites & morituros. Seruauitq; ordinem fortuna: ac ſenior prius, tum cui prima ætas, extinguuntur. Accuſati poſt ſepulturam, decretumq; ut more maiorum punirentur. Et Nero interceſſit, mortem ſine arbitrio permittens. ea cædibus peractis ludibria adijciebantur. P. Gallus eques Romanus, quod Fenio Rufo intimus, & Veteri non alienus fuerat, aqua atq; igni prohibitus eſt. Liberto & accuſatori præmium operæ, locus in theatro inter uiatores tribunitios datur. Et menſis qui Aprilem eundemq; Neronem ſequebatur, Maius Claudij, Iunius Germanici, uocabulis mutãtur: teſtificante Cornelio Orfito qui id cenſuerat, ideo Iunium menſem tranſmiſſum, quia duo iam Torquati ob ſcelera interfecti, infauſtum nomen Iunij tum feciſſent. Tot facinoribus fœdum annũ etiam dij tempeſtatibus & morbis inſigniuere. Vaſtata Campania turbine uentorum, qui uillas, arbuſta, fruges paſſim diiecit. pertulitq; uiolentiam ad mœnia urbis. In qua omne mortalium genus uis peſtilentiæ depopulabatur, nulla cœli intemperie quæ occurreret oculis. Sed domus corporibus exanimis, itinera funeribus complebantur. Non ſexus, non ætas periculo uacua. Seruitia perinde ac ingenua plebes raptim extingui, inter coniugum & liberorum lamẽta, qui dum aſſident, dum deflent, ſæpe eodem rogo cremabantur. Equitũ ſenatorumq; interitus quis promiſcui, minus flebiles erant, tanquam communi mortalitate ſæuitiam principis præuenirent. Eodem anno delectus per Galliam Narbonenſem Africamq; & Aſiam habiti ſunt, ſupplendis Illyrici legionibus, ex quibus ætate aut ualitudine feſſi, ſacramento ſoluebãtur. Cladem Lugdunenſem quadragies ſeſtertio ſolatus eſt princeps, ut amiſſa urbi reponerent.

quam

quam pecuniã Lugdunenſes ante obtulerant, turbidis caſibus. C. Suetonio, L. Teleſino Coſs. Antiſtius Soſianus factitatis in Neronem carminibus probroſis, exilio, ut dixi, mulctatus, poſtquam id honoris indicibus tamq́ promptum ad cædes principem accepit, inquietus animo, & occaſionum haud ſegnis, Parmenem eiuſdem loci exulem, & Chaldæorum arte famoſum, coq́ multorũ amicitijs innixum, ſimilitudine fortunæ ſibi conciliat. Ventitare ad eum nuncios & conſolationes non fruſtra ratus, ſimul annuam pecuniam à P. Anteio miniſtrari cognoſcit. Neq́ neſcium habebat, Anteium charitate Agrippinæ inuiſum Neroni, opesq́ eius præcipuas ad eliciendam cupidinem, eamq́ cauſam multis exitio eſſe. Igitur interceptis Antei literis, furatus etiã libellos quibus dies genitalis eius, & euentura, ſecretis Parmenis occultabantur, ſimul repertis quæ de ortu uitaq́ Oſtorij Scapulæ compoſita erant, ſcribit ad principem, magna ſe & quæ incolumitati eius conducerent allaturum, ſi breuem exilij ueniam impetrauiſſet. quippe Anteium & Oſtorium imminere rebus, & ſua Cæſarisq́ fata ſcrutari. Exin miſſæ Liburnicæ, aduehiturq́ propere Soſianus. Ac uulgato eius indicio, inter damnatos magis quàm inter reos Anteius Oſtoriusq́ habebantur: adeo ut teſtamentũ Antei nemo obſignaret, niſi Tigillinus auctor extitiſſet. Monitus prius Anteius ne ſupremas tabulas moraretur. Atq́ ille hauſto ueneno, tarditatem eius peroſus, interciſis uenis, mortem approperauit. *Oſtorius* Oſtorius longinquis in agris apud finem Ligurum id temporis erat. eò miſſus centurio, qui cædem eius maturaret. Cauſa feſtinandi ex eo oriebatur, quod Oſtorius multa militari fama, & ciuicam coronam apud Britanniam meritus, ingẽti corporis robore armorumq́ ſcientia, metum Neroni fecerat, ne inuaderet pauidum ſemper, & reperta nuper coniuratione magis exterritum. Igitur centurio ubi effugia uillæ clauſit, iuſſa imperatoris Oſtorio aperit. Is fortitudinem aduerſum hoſtes ſæpe ſpectatam in ſe uertit. Et quia uenæ quanquam interruptæ parum ſanguinis effundebant, hactenus manu ſerui uſus ut immotum pugionẽ extolleret, adpreſſit dextram eius juguloq́ occurrit. Etiam ſi bella externa, & obitas pro Rep. mortes tanta caſuum ſimilitudine memorarem, meq́ ipſum ſatietas cepiſſet, aliorumq́ tædium expectarem, quãuis honeſtos *Patientia ſeruilis* ciuium exitus, triſtes tamen & continuos aſpernantium. At nunc patientia ſeruilis, tantumq́ ſanguinis domi perditum, fatigant animum & mœſtitia reſtringunt. Neq́ aliam defenſionem ab ijs quibus iſta noſcentur exegerim, quàm ne oderim tam ſegniter pereuntes. Ira illa numinum in res Romanas fuit, quam non ut in cladibus exercituum, aut captiuitate urbium ſemel editam tranſire licet. Detur hoc illuſtrium uirorũ poſteritati, ut quo modo exequijs à promiſcua ſepultura ſeparantur, ita in traditione ſupremorum accipiant habeantq́ propriã memoriam. *Anne. Mella* Paucos quippe intra *Ru. Criſpinus* dies eodem agmine Anneus Mella, Cerialis Anicius, Rufus Criſpinus, ac Petronius

C.Petronius cccidere, Mella & Criſpinus equites Romani, dignitate ſenatoria. Nam hic quondã præfectus prætorij, & conſularibus inſignibus donatus, ac nuper crimine coniurationis in Sardiniam exactus, accepto iuſſę mortis nuncio ſemet interfecit. Mella quibus Gallio & Seneca parentibus natus, petitione honorum abſtinuerat, per ambitionem præpoſteram, ut eques Romanus conſularibus potentia æquaretur. Simul acquirendæ pecuniæ breuius iter credebat, per procurationes adminiſtrãdis principis negotijs. Idem Anneum Lucanum genuerat grande adiumentum claritudinis. quo interfecto, dum rem familiarem eius acriter requirit, accuſatorem cõciuit Fabium Romanum, ex intimis Lucani amicis. Mixta inter patrem filiumcꝗ coniurationis ſcientia fingitur aſſimulatis Lucani literis. quas inſpectas Nero, ferri ad eum iuſſit, opibus eius inhians. At Mella (quæ tum promptiſſima mortis uia) exoluit uenas, ſcriptis codicillis, quibus grãdem pecuniam in Tigillinum, generumcꝗ eius Coſſutianum Capitonem erogabat, quo cætera manerent. Additur codicillis, tanquam de iniquitate exitij querens ita ſcripſiſſet: ſe quidem mori nullis ſupplicij cauſis, Ruſum autem Criſpinũ & Anicium Cerialem uita frui, infenſos principi. quæ compoſita credebantur, de Criſpino quia interfectus erat, de Ceriale ut interficeretur. Necꝗ enim multo poſt uim ſibi attulit, minore quàm cæteri miſeratione, quia proditam C.Cæſari coniurationem ab eo meminerant. De C.Petronio ſupra. Pauca repetenda ſunt. Nam illi dies per ſomnum, nox officijs & oblectamentis uitæ tranſigebatur. Vtcꝗ alios induſtria, ita hunc ignauia ad famam protulerat, habebaturcꝗ non ganeo & profligator, ut pleriꝗ ſua haurientium, ſed erudito luxu. Ac dicta factacꝗ eius quanto ſolutiora, & quandam ſui negligentiam pręferentia, tanto gratius in ſpeciem ſimplicitatis accipiebantur. Proconſul tamen Bithyniæ & mox conſul uigentem ſe ac parem negotijs oſtẽdit: dein reuolutus ad uitia, ſeu uitiorum imitatione inter paucos familiarium Neroni aſſumptus eſt, elegantiæ arbiter, dum nihil amœnum, & molle affluentia putat, niſi quod ei Petronius approbauiſſet. Vnde inuidia Tigillini, quaſi aduerſus æmulum & ſcientia uoluptatum potiorem. Ergo crudelitatem principis cui cæterę libidines cedebant, aggreditur, amicitiam Sceuini Petronio obiectans, corrupto ad indicium ſeruo, ademptacꝗ defenſione, & maiore parte familiæ in uincla rapta. Forte illis diebus Campaniam petiuerat Cæſar, & Cumas uſcꝗ progreſſus Petronius illic attinebatur. Nec tulit ultra timoris aut ſpei moras. neꝗ tamen præceps uitam expulit, ſed inciſas uenas ut libitum obligatas, aperire rurſum, & alloqui amicos, non per ſeria, aut quibus cõſtantię gloriam peteret. Audiebatcꝗ referentes, nihil de immortalitate animæ, & ſapientium placitis, ſed leuia carmina & faciles uerſus. Seruorum alios largitione, quoſdã uerberibus affecit. Inijt & uias, ſomno indulſit, ut quanquam coacta mors, fortuitæ ſimilis eſſet. Ne codicillis quidem (quod pleriꝗ pe-

Exoluere uenas promptiſſima mortis uia

Ani. Cerialis

C. Petronius

Elegantiæ arbiter

reuntium) Neronem aut Tigillinum, aut quem alium potētium adulatus eſt: ſed flagitia principis ſub nominibus exoletorum fœminarumq́; & nouitate cuiuſq; ſtupri perſcripſit, atq; obſignata miſit Neroni. fregitq́; annulum, ne mox uſui eſſet ad facienda pericula. Ambigenti Neroni quonam modo noctium ſuarum ingenia noteſcerent, offertur Silia matrimonio ſenatoris haud ignota, & ipſi ad omnem libidinem adſcita, ac Petronio perquàm familiaris. agitur in exilium tanquam non ſiluiſſet quæ uiderat pertuleratq́;, proprio odio. At Numicium Thermū prætura functum Tigillini ſimultatibus dedidit, quia libertus Thermi quædā de Tigillino criminoſe detulerat, quæ cruciatibus tormentorum, ipſe patronus eius nece immerita lueret. Trucidatis tot inſignibus uiris ad poſtremū Nero uirtutem ipſam excindere concupiuit, interfecto Barea Sorano & Thraſea Pæto, olim utriſq; infenſus, & accedentibus cauſis in Thraſeam: quod ſenatu egreſſus eſt, cum de Agrippina referretur, ut memoraui: quodq́; Iuuenalium ludicro parum expetibilem operam præbuerat: eaq́; offenſio altius penetrabat, quia idem Thraſea Patauij unde ortus erat, ludis Ceſticis à Troiano Antenore inſtitutis, habitu tragico cecinerat. Die quoque quo prætor Antiſtius ob probra in Neronem compoſita ad mortem damnabatur, mitiora cenſuit, obtinuitq́;: & cū deûm honores Poppeæ decernuntur, ſponte abſens, funeri non interfuit. Quæ obliterari nō ſinebat Capito Coſſutianus, præter animum ad flagitia præcipitem, inimicus Thraſeæ, quod auctoritate eius cōcidiſſet iuuantis Cilicū legatos, dum Capitonem repetundarum interrogant. Quin & illa obiectabat: principio anni uitare Thraſeam ſolenne iuſiurandum: nuncupationibus uotorum non adeſſe, quamuis Quindecimuirali ſacerdotio præditum: nunquā pro ſalute principis, aut cœleſti uoce immolauiſſe: aſſiduum olim & indefeſſum, qui uulgaribus quoq; patrum conſultis ſemet fautorē aut aduerſarium oſtenderet, triennio non introijſſe curiam: nuperrimeq́; cum ad coërcendos Syllanum & Veterem certatim cōcurreretur, priuatis potius clientium negotijs uacauiſſe: ſeceſſionem iam id & partes, &, ſi multi idem audeant, bellū eſſe. Vt quondam C. Cæſarem inquit, & M. Catonē, ita nunc te Nero & Thraſeam auida diſcordiarū ciuitas loquitur. Et habet ſectatores uel potius ſatellites, qui nondum cōtumaciam ſententiarū, ſed habitum uultumq́; eius ſectantur, rigidi & triſtes, qui tibi laſciuiam exprobrent. Huic uni incolumitas tua ſine arte, ſine honore. Proſperas principis res ſpernit, etiam ne luctibus & doloribus nō ſatiatur? Eiuſdem animi eſt, Poppeam diuam non credere, cuius in acta diui Auguſti & diui Iulij non iurare. Spernit religiones, abrogat leges. Diurna populi Romani per prouincias, per exercitus, accuratius leguntur, ut nōſcatur quid Thraſea non fecerit. Aut transeamus ad illa inſtituta, ſi potiora ſunt: aut noua cupientibus auferatur dux & auctor. Iſta ſecta Tuberones & Fauonios ueteri quoq; Reip. ingrata nomina

Ludi Ceſtici apud Patauiū

Diurna Pop. Rom.

genuit

genuit. Vt imperium euertant, libertatem præferunt: ſi peruerterint, ipſam aggredientur. Fruſtra Caſſiũ amouiſti, ſi gliſcere & uigere Brutorũ æmu/los paſſurus es. Deniq; nihil ipſe de Thraſea ſcripſeris, diſceptatorem ſe/natum nobis relinque. Extollit ira promptum Coſſutiani animum Nero: adijcitq; Marcellum Eprium acri eloquentia. At Baream Soranum iam ſibi Torius Sabinus eques Romanus popoſcerat reum ex proconſulatu Aſiæ, in qua offenſiones principis auxit, iuſtitia atq; induſtria: & quia por tui Epheſiorum aperiendo curam inſumpſerat: uimq; ciuitatis Pergame/næ prohibentis Acratum Cæſaris libertũ ſtatuas & picturas auehere, in/ultam omiſerat. Sed crimini dabatur amicitia Plauti & ambitio concilian/dæ prouinciæ ad ſpes nouas. Tempus damnationi delectum quo Tyrida tes accipiendo Armeniæ regno aduentabat: ut ad externa rumoribus inte/ſtinum ſcelus obſcuraretur, an ut magnitudinem imperatoriam cæde inſi/gnium uirorũ quaſi regio facinore oſtentaret. Igitur omni ciuitate ad exci/piendum principem ſpectandumq; regem effuſa, Thraſea occurſu prohi/bitus non demiſit animum: ſed codicillos ad Neronem compoſuit, requi/rens obiecta, & expurgaturum aſſeuerans, ſi noticiam criminũ & copiam diluendi habuiſſet. Eos codicillos Nero properanter accepit, ſpe exterri/tum Thraſcam ſenſiſſe per quæ claritudinem principis extolleret, ſuamq; famam dehoneſtaret. Quod ubi non euenit, uultumq; & ſpiritus & liber/tatem inſontis ultro extimuit, uocari patres iuſſit. Tum Thraſea inter pro/ximos conſultauit, tentaret ne defenſionem, an ſperneret. Diuerſa conſilia afferebantur. Quibus intrari curiã placebat, ſecuros eſſe de conſtantia eius dixerunt, nihil dicturum, niſi quo gloriam augeret. Segnes & pauidos ſu/premis ſuis ſecretum otium dare. Aſpiceret populus uirum morti obuium, audiret ſenatus uoces quaſi ex aliquo numine ſupra humanas: poſſe ipſo miraculo etiam Neronem permoueri: ſin crudelitas perſiſteret, diſtingui certe apud poſteros memoriam honeſti exitus ab ignauia per ſilentiũ pe/reuntium. Contra qui opperiendum domi cenſebant, de ipſo Thraſea ea/dem. ſed ludibria & contumelias imminere. ſubtraheret aures conuitijs & probris. Non ſolum Coſſutianum aut Eprium ad ſcelus promptos, ſuper/eſſe qui forſitan manus ictuſq; per immanitatem Auguſti. etiam bonos metu ſequi. Detraheret potius ſenatui quem perornauiſſet infamiam tan/ti flagitij: & relinqueret incertum, quid uiſo Thraſea reo decreturi patres fuerint. ut Neronem flagitiorum pudor caperet, irrita ſpe agitari: multoq; magis timendum, ne in coniugem, in familiam, in cætera pignora eius ſæ/uiret. Proinde intemeratus, impollutus, quorum ueſtigijs & ſtudijs uitam duxerit, eorum gloria peteret finem. Aderat conſilio Ruſticus Arulenus flagrans iuuenis, & cupidine laudis offerebat ſe interceſſurum ſenatuſcon/ſulto. Nam plebis trib. erat. Cohibuit ſpiritus eius Thraſea, ne uana & reo non profutura, interceſſori exitioſa inciperet. Sibi actam ætatem, & tot

per annos continuum uitæ ordinem non deſerendum: illi initium magi-
ſtratuum,& integra quæ ſuperſint. Multum ante ſecum expenderet, quod
tali tempore capeſſendæ Reip. iter ingrederetur. Cæterum ipſe an uenire
in ſenatum deceret, meditationi ſuæ reliquit. At poſtera luce duæ præto-
riæ cohortes armatæ templum genitricis Veneris inſedere. Aditum ſena-
tus globus togatorum obſederat, non occultis gladijs. diſperſiq́ per fora
ac baſilicas cunei militares. inter quorũ aſpectus & minas ingreſſi curiam
ſenatores. Et oratio principis per Quæſtorem eius audita eſt. Nemine no-
minatim compellato patres arguebat, quod publica munia deſererent, eo-
rumq́ exemplo equites Ro. ad ſegnitiam uerterẽtur. Et enim quid mirum
è longinquis prouincijs aduenire, cum pleriq́ adepti conſulatum & ſacer-
dotia, hortorum potius amœnitati inſeruirent? quod uelut telum arripue-
re accuſatores. Et initium faciente Coſſutiano, maiore ui Marcellus ſum-
mam Reip. agi clamitabat: contumacia inferiorum, lenitatem imperitantis
diminui. Nimium mites ad eam diem patres, qui Thraſeam deſciſcentem,
qui generum eius Heluidium Priſcũ in ijſdem furoribus, ſimul Paconium
Agrippinum paterni in principes odij hæredem, & Curtium Montanum
deteſtanda carmina factitantem, eludere impune ſinerent. Requirere ſe in
ſenatu conſularem, in uotis ſacerdotem, in iureiurando ciuem: niſi contra
inſtituta & cerimonias maiorum, proditorem palàm & hoſtem Thraſea
induiſſet. Deniq́ agere ſenatorem, & principis obtrectatores protegere ſo-
litus, ueniret, cenſeret quid corrigi aut mutari uellet: facilius perlaturos ſin-
gula increpantem, quàm nunc ſilentium perferrent omnia damnantis. Pa-
cem illi per orbem terræ, an uictorias ſine damno exercituum diſpliceret?
Ne hominem bonis publicis mœſtum, & qui fora, theatra, templa pro ſo-
litudine haberet, qui minitaretur exilium ſuum, ambitionis prauæ compo-
tem facerent. Non illi conſulta hæc, non magiſtratus, aut Romanã urbem
uideri. Abrumperet uitam ab ea ciuitate, cuius charitatẽ olim, nunc & aſpe-
ctum exuiſſet. Cũ per hæc atq́ talia Marcellus inueheretur toruus & mi-
nax uoce, uultu oculis ardeſceret, non illa nota & celebritate periculorum
ſueta iam ſenatus mœſtitia, ſed nouus & altior pauor, manus & tela mili-
tum cernentibus, ſimul ipſius Thraſeæ uenerabilis ſpecies obuerſabatur:
& erant qui Heluidium quoq́ miſerarẽtur, innoxiæ affinitatis pœnas da-
turum. Quid Agrippino obiectum, niſi triſtem patris fortunam? quando
& ille perinde innocens Tiberij ſæuitia concidiſſet. Enim uero Montanum
probè uiuẽtem, neq́ famoſi carminis, quia protulerit ingenium, extorrem
agi. Atq́ interim Torius Sabinus Sorani accuſator ingreditur, orditurq́
de amicitia Rubellij Plauti, quodq́ proconſul Aſiæ Soranus pro claritate
ſibi potius accommodatum, quàm ex utilitate communi egiſſet, alendo ſe-
ditiones ciuitatum. Vètera hæc. ſed recens, diſcrimini patris filiam conne-
ctebat, quod pecuniam Magis dilargita eſſet. Acciderat ſanè pietate Ser-

uiliæ(id enim nomen puellæ fuit)quæ charitate erga parentem, ſimul imprudentia ætatis,nõ tamen aliud conſultauerat,quàm de incolumitate domus, & an placabilis Nero,an cognitio ſenatus nihil atrox afferret. Igitur accita eſt in ſenatum, ſteteruntq́ꝫ diuerſi ante tribunal conſulum, grandis æuo parens,contra filia intra uiceſimum ætatis annum,nuper marito Annio Pollione in exilium pulſo, uiduata deſolataq́ꝫ,ac ne patrem quidẽ intuens,cuius oneraſſe pericula uidebatur. Tum interrogante accuſatore, an cultus dotales,an detractum ceruici monile uenundediſſet,quo pecuniam faciendis magicis ſacris contraheret:primum ſtrata humi,longoq́ꝫ fletu & ſilentio,poſt,altaria & aram cõplexa: Nullos,inquit, impios deos,nullas deuotiones,nec aliud infelicibus precibus inuocaui,q̃ꝫ ut hunc optimũ patrem tu Cæſar & uos patres ſeruaretis incolumem. Sic gemmas & ueſtes & dignitatis inſignia dedi,quomodo ſi ſanguinem & uitam popoſciſſent. Viderint iſti antehac mihi ignoti quo nomine ſint, quas artes exerceant: nulla mihi principis mentio, niſi inter numina fuit. Neſcit tamen miſerrimus pater.& ſi crimen eſt,ſola deliqui. Loquentis adhuc uerba excipit Soranus,proclamatq́ꝫ,non illam in prouinciã ſecum profectam, nõ Plauto per ætatem noſci potuiſſe,non criminibus mariti connexam,nimiæ tantum pietatis ream,ſepararent à ſe quamcunq́ꝫ ſortem ſubiret,Simul in amplexus occurrentis filiæ ruebat, niſi interiecti lictores utriſq́ꝫ obſtitiſſent. Mox datus teſtibus locus,& quantum nunc ſæuitia accuſationis permouerat,tantũ iræ P.Egnatius teſtis conciuit.Cliens hic Sorani, & tunc emptus ad opprimendum amicum,auctoritatem Stoicæ ſectę præferebat,habitu & ore ad exprimendam imaginem honeſti & exerciti, cæterũ animo perfidioſus,& ſubdolus,auaritiam ac libidinem occultans. Quæ poſtquã pecunia recluſa ſunt, dedit exemplum præcauendi, quomodo fraudibus inuolutos,aut flagitijs commaculatos,ſic ſpecie bonarum artiũ falſos & amicitiæ fallaces.Idem tamen dies & honeſtum exemplum tulit Caſſij Aſclepiodoti,qui magnitudine opum præcipuus inter Bithynos,quo obſequio florentem Soranum celebrauerat,labentem nõ deſeruit. Exutusq́ꝫ omnibus fortunis,& in exilium actus, æquitate deũm erga bona malaq́ꝫ documenta.Thraſeæ Soranoq́ꝫ & Seruiliæ datur mortis arbitrium. Heluidius & Paconius Italia depelluntur.Montanus patri conceſſus eſt,prædicto ne in Rep.haberetur.Accuſatoribus Eprio & Coſſutiano quinquagies ſeſtertium ſingulis,Oſtorio duodecies & quæſtoria inſignia tribuũtur. Tum ad Thraſeam in hortis agentẽ quæſtor conſulis miſſus,ueſperaſcente iam die.illuſtrium uirorũ fœminarumq́ꝫ cœtus frequentes egerat, maxime intentus Demetrio Cynicæ inſtitutionis doctori:cum quo, ut cõiectare erat intentione uultus, & auditu ſi qua clarius proloquebantur, de natura animæ,& diſſociatione ſpiritus corporiſq́ꝫ inquirebat: donec aduenit Domitius Cęcilianus ex intimis amicis,& ei quid ſenatus cẽſuiſſet,expoſuit. Igi-

Seruilia Sorani filia

Thraſea

tur flentes queritanteſq; qui aderant,faceſſere propere Thraſea, neu pericula ſua miſcere cum ſorte damnati hortatur. Arriamq; tentantem mariti ſuprema, & exemplum Arriæ matris ſequi, monet retinere uitam,filiæq; communi ſubſidium unicum non adimere. Tum progreſſus in porticum, illic à quæſtore reperitur,lætitiæ propior, quia Heluidium generum ſuum Italia tantum arceri cognouerat. Accepto dehinc ſenatuſconſulto,Heluidium & Demetrium in cubiculum inducit: porrectis utriuſq; brachij uenis, poſtquam cruorem effudit, humum ſuper ſpargens,propius uocato quæſtore, Libemus,inquit, Ioui Liberatori. Specta iuuenis, & omen quidem dij prohibeant,cæterum in ea tempora natus es, quibus firmare animum expediat conſtantibus exemplis. Poſt lentitudine exitus graues cruciatus afferente,obuerſis in Demetrium *

Hic multa deſunt.

BEATI RHENANI IN LIBRVM DECIMVM SEPTIMVM CASTIGATIONES.

Atq; omnium poteſtatẽ ad unum cõferri pacis interfuit

ATQVE omnem poteſtatem ad unum conferri pacis interfuit.) Exemplar Matthiæ regis,Atq; omniũ poteſtatem. Quæ lectio mihi magis probatur. Nam hæc clauſula,ad unum,reſpõdet illi omnium poteſtatem,Subauditur ciuium, hoc eſt totius populi Romani.Omnium poteſtatem, hoc eſt quam omnes habebãt.

Aduerſari cũ accuſatiuo

Sed ambitioni ſcriptoris facile aduerſeris.) Repoſui,Sed ambitionem ſcriptoris facile aduerſeris. Nam Tacitus ſolet hoc uerbum cum accuſatiuo coniungere. Sic infra. Vidiſtis commilitones notabili tempeſtate etiam deos infauſtam adoptionem aduerſantes.Libro primo,Sua facinora aduerſari deos lamentantur.Rurſum libro 19. Voce flebili precabatur placatos patris manes,neue ſe ut parricidam aduerſarentur. Libro 20. Vulgus aduerſari regem, inuidere Aegypto,ſibi metuere, templumq; circumſidere.

Vberiorem ſecurioremq; materiã ſenectuti ſepoſui.) Comparatiuũ alterum ſecurioremq;,non eſt in libro manuſcripto.

In ipſa etiã pace ſæuũ.)Præpoſitionẽ in expunximus. Subauditᵉ enim Tacito.

Tria bella ciuilia.) Trina bella ciuilia legitur illic.

Et ſtatim miſſa cohorte in Roxolanos Sarmatarũ ac Sueuorũ gentes.) Accuſatiuus Roxolanos uidetur poſtea additus,nam nõ eſt in uolumine Budenſi. Nos quoque ſuſtulimus.

Et laudatis antiquorum mortibus pares exitus.) Regium exemplar habet, ne & laudatis,Poſſet etiã legi, Nec laudatis antiquorũ mortibus impares exitus.

Aut populum.aut urbanũ militem.) Caſtigauimus,apud pop.apud urb.mil.

Et quamuis capite defectionis ablato.) Ab omnibus exemplaribus diſſentiẽs hic pro & ſcripſi,Sed quamuis capite defectionis ablato. Nam extrema proxime præcedentis dictionis litera eſt ſ.

Neq; deerant.) Nos, Nec deerant.

Legi à ſe principem non emi.) Caſtigauimus,Legi à ſe militem non emi. Qui ſuppoſuit principem, putauit Tacitum loqui de Piſone quem is Cæſarem fecit. Sed præcedit ueterem diſciplinã,Id accipiendũ de militari caſtrenſiq; diſciplina.

Multi

Multi adhæc innumeri è Germania ac Britannia.) Emendauimus, Multi adhoc & innumeri è Germania ac Britannia. *Adhoc*

Et pacis artibus bellis inexpertus.) Correximus, Et pacis artibus, belli inexpertus. Expone. Et pacis artibus, Subaudi expertus, belli artibus inexpertus.

Proximæ tamen Romanis exercitibus Galliarũ ciuitates.) Scripſimus, Germanis exercitibus.

Germani exercitus.) Nos, Germanici exercitus.

Nimiæ uoluptates.) Cogitandum an legi poſſit, Nimiæ uoluptatis. Item, magnæ uirtutis.

Palàm laudares, ſecreta male audiebant.) Quandoquidem codex regius habet, Palàm laures ſecreta male audiebat, Videtur hic eſſe Græca cõſtructio, ſecreta male audiebat, id eſt, in ſecretis, ſiue propter ſecreta. Alioqui huiuſmodi lectio queat erui, Palàm laudari. Infinitiuũ pro præterito imperf. Secretò male audiebat.

Duæ Mauritaniæ, Rhetia, Noricum.) Illic legitur, Rhetiæ, ſed mutatũ in Rhetia, neſcio an caſu. Sunt autẽ duæ, prima & ſecunda, ſiue ſuperior & inferior. Verum quando ea diſtinctio nata, incertum.

Ita in fauorem aut odium conctatu ualentiorum agebantur.) Scripſimus, contactu ualentiorum.

Superioris Germaniæ legiones rupta ſacramenti reuerentia.) Liber Coruini regis habet, licentia. Vt rear ſcripſiſſe Tacitum, rupti ſacramenti licentia. *Rupti ſacramenti licentia*

Dein feſſa iam ætate Galbæ.) Budenſe uolumen aliter hic habet nẽpe ſic, defeſſa an ætate Galbæ. Lego, defeſſa ann. (hoc eſt annis) ætate Galbæ. Mouit eum qui locum caſtigauit quiſquis fuit, ut ſcriberet, dein, quod præcedit aduerbiũ primum. Enimuero non eſt neceſſe, ut ſequatur deinde aut ſimile quippiã. nam poſſumus intelligere primum è licentia ac libidine uulgi, ſermones iactatos fuiſſe defeſſa annis ætate Galbæ: quum poſtea adoptio ipſa præſtaret eidem ſermoni agitando occaſionem.

Multi occulta ſpe.) Vocabulum multi non eſt in uolumine Budenſi. Sed pro occulta, eſt illic ſtulta ſpe. Et ſtat optime ſenſus. Paucis iudicium aut Reip. amor, Stulta ſpe, prout quis amicus uel cliens, hunc uel illum ambitionis rumoribus deſtinabant.

Etiam in T. Iunij odium diuerterant.) Particulam etiam diuiſimus in Et iam. Placet uero uerbum quod illic ſcriptum eſt, deuerterant, quod & aliàs in regio codice plerunq; occurrit, ubi nos diuertere legimus. *Deuertere*

Neq; erat Galbæ ignota Oth. ac T. Iunij amicitia ex rumoribus nihil ſilentio tranſmittentium.) Illic legitur, amicitia, & ex rumoribus, & id eſt etiam.

Donec Octauiam uxorem amoliretur.) Budenſe uolumen maniſeſte habet, Donec Octauia uxor amoueretur. Quid erat opus hoc mutare? Scio quomodo acciderit. Libro 14. leguntur hæc uerba, Octauiamq; coniugem amoliri, quę rurſum hoc loco caſtigator quiſpiam ſupponere uoluit, germana lectione eraſa.

Piſo M. Craſſo ex Scribonia genitus.) Emendauimus, & Scribonia genitus. Paulopoſt ſcripſimus, Et tibi inſigne, Sulpitiæ ac Luctatiæ decora nobilitati tuæ adieciſſe.

Et iudicij mei documentum ſit.) Caſtigaui, Vt iudicij mei documentum ſit. Vbi malim, ſint. nam ſequitur, neceſſitudines non meæ ſed tuæ.

Sed alij per obſequium imminuent. Irrumpet adulatio.) Hic locus fœde corruptus eſt. Reſtituimus ex uolumine Matthiæ Coruini in hunc modum. Sed alij licet per obſequium annuant. Irrumpet adulatio. Expone, licet hoc eſt datur, conceditur, permittitur, ut alij per obſequium annuant.

Nec tamen territus fueris.) Scripſimus. Ne tamen territus fueris.

Vtiliſſimus quidem ac breuiſſimus bonarum malarumq; rerum delectus, cogitare, quid aut uolueris. Codex Budenſis; Vtiliſſimus idem ac breuiſſimus bona-

rumq; rerũ delectus, cogitare. Legerim ego, Vtiliſſimus idem ac breuiſſimus bonarum quoq; rerũ delectus. Cogitato quid aut nolueris ſub alio principe, aut uolueris.

Seu quæ fato manent, quãuis ſignificata nõ uitentur.) Emendauimus & diſtinximus, Seu quę fato manent, quamuis ſignificata, non uitantur.

Gratabundi, ubi ante, grata auditu

Et proximi militum grata auditu reſpondent.) Mendoſus locus eſt. Caſtigauimus, Et proximi militum gratabundi reſpondẽt. Nam gratandi uerbum etiam alibi Tacitus uſurpat. Vt libro quinto. Et incolumem fore gratañ. Libr. 14. de matre Neronis Agrippina, Atq; ubi incolumem eſſe pernotuit, ut ad gratãdum ſeſe expedire. Lib. 18. Laudãtes gratãtesq; circũdatũ aquilis ſignisq;, in tribunal ferũt.

Quantulacunq; parci ſenis liberalitate.) Liber Coruini, Quantulacunq; parua liberalitate. Nocuit. Opinor fuiſſe ſcriptum, Quantumcunq; parua liberalitate, Aut tantum, quantacunq; liberalitate. Vt dictio parua fuerit gloſſa.

Non longior q̃ apud milites ſermo.) Militem illic legitur. Mox pro illi autoritatem ſenatus, ſcripſimus, ille aut. ſ. hic d. Cæſaris laturus.

Is conſilio interceſſit.) Exemplar Budenſe, ni conſilio interceſſit. Forte legendum, ni conſilio interceſſum. Aut potius, cui conſilio interceſſum.

At illis uix decumæ ſuper portiones erat.) Caſtigauimus, At illis uix decumę ſupra portiones erant.

Et inquieta urbs actionibus.) Malim auctionibus. Nam mox pręcedit, Vbiq; haſta & ſector.

Pręgrauem ſe Neroni fuiſſe.) Budenſe uolumen. Se Neroni grauẽ fuiſſe.

Nec Luſitaniã rurſus & alterius exilij hon.) Repoſuimus, aut alterius exilij h.

Adulteria, matrimonia.) Codex manuſcriptus, Adultera matrimonia.

Aegre ſub armis emitteretur.) Scripſimus, eniterẽtur. Quo uerbo alibi quoq; utitur. Vt libro ſecundo. Pars obiectum aggerem eniteretur.

Flagrantibus iam militum animis.) Datiuus animis non eſt in regio libro, nec eo opus hic eſt. Nam Tacitus dixit flagrantibus militum pro flagrantibus militibus, quo loquendi modo nihil apud hunc crebrius. Flagrantibus iam militum, uelut faces addiderat.

Proculo ſpiculatori.) Vbicunq; uulgatę ęditiones habent ſpiculatoris uocabulum, ſpeculatoris codex Matthię Coruini continet. Notum aũt eſt quodnam officium fuerit militum ſpeculatorum. Paulopoſt illic eſt, Veturium Optionem.

In communi omnes metu mutandę militię tenebantur.) Malim, in cõmune. Vt paulopoſt, accẽdendos in commune ratus.

Quædam apud Galbæ aures præfectus Laco eluſit.) Liber manuſcriptus. Quædã apud Galbam audiens præfectus Laco eluſit. Aperta ſententia eſt. Nec cauſæ quicquam erat quur mutaretur.

Sub ædem Saturni pergit.) Illic legitur, in ædem Saturni pergit. Forte inde in Saturni pergit. Subaud. ędem.

Igitur conſultantibus placuit pertentari animum cohortis.) Scripſimus, tentari animum cohortis.

Cummaxime

Tum maxime, dicam ne ſec.) Repoſui, cum maxime, diſtinxiq;. Vt qui aduerſas expertus cummaxime, dicam ne ſecundas quidem minus diſcriminis habere. hoc aduerbio etiam alibi utitur. Vt infra, Non hercle illi quibus cummaxime Vitellius in nos ciet, Germani audiant. libro tertio, Littora & lacus Campanię cummaxime peragrantem. Libro quarto. Is diſpoſita claſſiariorum copia, cœptantem cummaxime coniurationem diſiecit. Quanquã utrobiq; tum maxime ſcriptum, ſed mendoſe. Libro 20. Capi cummaxime urbem. Sic enim illic legendum, non, tum maxime. Paulopoſt eodem libro. Tolerant cummaxime inopiã obſidiumq; apud Vetera legiones. Eodem libro in reſponſiõe Agrippinenſium. Muros ciui-

tatis

tatis,cõgregãtibus ſe cummaxime Romanorũ exercitibus,augere nobis ꝗ dirue-re tutius eſt. Quanquam in uulgatis æditionibus & eo loco perperam ſcriptum eſt,tum maxime pro cummaxime. Hanc uocem reperi etiam apud Liuium ſæpe corruptam. Nam libro nono tertię decad. legitur quàmmaxime pro cummaxime in uulgatis æditionibus. Hoc aduerbium Tertulliano frequentiſſimum.

Falluntur quibus luxuria ſpecie liberalitatis imponit.) Tametſi deſtituat nos hic uolumen manuſcriptum, non dubitamus tamen eſſe legendum,ſpecie liberalitatis pro ſpeciem. Nam imponit non eſt hic indit,ſed decipit. *Falluntur quibus luxuria ſpecie liberalitatis impõit.*

Si Reſp. & ſenatus & populus uana nomina ſunt.) Codex regius habet, uacua nomina. Vacuum pro otioſo Tacitus etiã uſurpat alibi. Vt infra. Is quo magis uacuus,quietis caſtris iuſſa exequeretur. *Vacua nomina*

Sed proinde à nobis donatiuo plus ob fidẽ ꝗ ab alijs pro facinore accipietis.) Comparatiuum plus eraſimus è ſuperiori uerſu repetitum hic per errorem. Plerunqꝫ ueteres librarij proinde ſcripſerunt pro perinde. Itaqꝫ clarus ſenſus erit ſi legas,Sed perinde à nobis donatiuo ob fidem ꝗ ab alijs pro facinore accipietis. Dictum donatiuo accipietis,ut dicimus dono muneriue accipere.

Vt turbidis rebus euenit,timore magis & nõnullo adhuc cõſilio, parat ſigna.) Budenſe exemplar, Vt turbidis rebus euectior ire magis & nullo adhuc conſilio. Legerim, Vt turbidis reb. euectior,ira magis & nullo adhuc conſilio, parat ſigna. Eſt autem euectior ab euectus. Itaqꝫ caſtiganda æditio uulgata quæ contrarium ſenſum deprauatis uerbis præfert.

Si incipiens adhuc & nondum adulta ſeditio melioribus conſilijs flecteretur.) Repoſuimus, Et necdum adulta ſeditio.

Infeſtis pilis proturbant.) Volumen Matthiæ Coruini, Ingeſtis pilis proturbant. Ab ingeror. ereris. paſſiuo uerbo. *Ingeſtis pilis*

Obſidionem nimirum toleraturus.) Illic legitur toleraturum. Tum ſtigme ponenda ante obſidionem.

Qui ad euocandum Galbã,læta falſo uulgauerant.) Scripſimus,uulgauerint.

Sumpto thorace Galba irruenti turbæ neqꝫ ętate neqꝫ corpore ſiſtens, ſella leuaretur.) Hæ duæ uoces,neqꝫ ætate,non ſunt in libro manuſcripto. Quare ſuſpicor ſcribendum: Donec inopia ueri,& conſenſu errantium uictus,ſumpto thorace Galba, irruente turba,neqꝫ corpore ſiſtens,ſella leuaretur. Senſus eſt, propter irruentẽ turbã & quod corpore nõ poſſet ſiſtere,id eſt inſiſtere,ſella fuiſſe leuatũ.

Ad coercendum militarem licentiam.) Scripſimus,ad coercendam mil. lic.

Poſtquam uniuerſa claſſiariorũ legio.) Hoc melius placet quàm quod illic legitur,Claſſiorum.

Quia nec priuatũ me uocare ſuſtineo.) Repoſui,Quia n. p. m. uocari ſuſtineo.

Beruichilonis in Gallia.) Codex Buden. Betuichilonis. Forte Vetij Chilonis.

Cum uos aſpexerit, cum ſignum m. acceperit.) Illic, Cum uos aſpexerit,hoc ſolum cum ſignum meum acceperit,erit certamen.

Miſcentur auxiliaribus galeis ſcutiſqꝫ.) Deeſt illic dictio galeis.

Ad poſterum uel odio hæſ.at.) Malim,ad poſtremum.

Ire præcipites,& occupare pericula iubet.) Scripſimus, occupari pericula iubet,id eſt ut occupentur.

Comitatus Galbæ cohortis.) Caſtigauimus,comitantis Galbam cohortis. Et mox dereptam. Quanquam ubicũqꝫ nos legimus diripere ſiue diripiendum, illic plerunqꝫ habetur, deripere & deripiendum. *Deripere*

Et ſenẽ trucidare pergunt diſiecta plebe.) Hæc uerba ex ſuperioribus hic perperam repetita deleuimus.

Denſum,quẽ.) Et has duas dictiones expunximus. Vt nunc legatur ſentẽtia:

Inſignem

Inſignem illa dic uirum Sempronıũ ætas noſtra uidit. Arbitror concinnatori formularum apud typographum, aliquid ſuperfuiſſe ſpacij, quod iteratis & inculcatis uerbis iſtis expleuerit.

Stricto pugione occurrens armatus.) Scripſimus, armatis.

Sed latebra imminens exitium differebat. Tum aduenere.) Emendauimus, differebat, cum aduenere.

Miſſu Othonis.) Nos, iuſſu Othonis.

Ad prohibendum ſcelus, iubere iam poterat.) Fieri poteſt ut oſcitantia librarij hęc uerba fuerint in codice regio omiſſa.

Omiſiſſet offenſus an diſtuliſſet.) Inſeruimus hic uocem tot, & quia Budenſe exemplar habet omiſiſſe, nos fecimus etiam diſtuliſſe. quæ lectio ſtare poteſt, ſi quis ſubaudiat eum. Non diſplicet tamen quod eſt in contextu.

Adhoc Adhæc tantum maiori fratri prælatus eſt.) Nos, Adhoc.

Eadem laſciuia temptaſſet.) Liber manuſcriptus, temperaſſet. Forte legendũ temeraſſet. Mox abeſt illic ablatiuus iuſſu, fortaſſis omiſſus per incuriam librarij.

Sed claritas nataliũ & metus temporũ obtinuit.) Pro uerbo obtinuit, nos poſuimus datiuũ obtentui. Subauditur aũt, fuit. Habet hoc uocabulũ & alijs in locis in uſu. Libro 12. Cupido auri immenſa obtentum habebat, quaſi ſubſidium regno pararetur. Libro 18. Deletæq; omnes copiæ forent, ni uictorem exercitum attinuiſſet obſcurum noctis obtentui fugientibus.

Obtentui *Obtentus*

Velut ad perdendũ imperiũ fataliter electos.) Emẽdauimus, ad partiendũ im.

Captam totiens ſuis exercitibus urbem.) Codex regis Coruini habet, captam quotiens. Nos indidem pro exercitibus, ſcripſimus, ciuibus.

Equi ad uſum, & ad decus ſupererant.) Illic legitur, ad dedecus. Itaq; ſuſpicor ſcribendum, ad abuſum, niſi quis malit, abuſui. Id expoſcit ſenſus. Paratis utrinque corruptoribus, & perfidia impunita, uiri, arma, equi, ad abuſum, & ad dedecus ſupererant.

Sed ante bellum centurias tantũ ſuas turmasq; nouerant.) Budenſe uolumen non habet turmas, ſed tantum, ſuasq;. Forte legẽdum, Sed ante bellum centurias tantum ſuas quiſq; nouerant. Aut diſtingue, centurias tantum, ſuaſq; nouerant, Et expone centurias tantum nouerant, ſed ſuas.

Adimendis ordinandiſue ſuæ militiæ ordinibus integre mutauerat.) Pronomen ſuæ per repetitionem ultimæ ſyllabæ eius dictionis quæ proxime præcedit, hic natum, eraſimus.

Et Vitellius apud ſeueros humilis.) Forte, Et ut Vitellius apud ſeueros humilis, ita comitatem bonitatemq; fauentes uocabant.

Sed profuſa cupidine, & inſigni tem.) Caſtigauimus, Et profuſa cupidine, inſigni temeritate legati legionum.

Tanquam detectam à ſe Virginij conctationem.) Scripſimus, Tanquam detecta à ſe Virginij conctatione.

Vt concupiſceret magis ꝗ̃ ut ſperaret.) Expunxi particulam ut.

Studia militum illexerat.) Caſtigaui, Studia militũ allexerat. Sic alibi hoc in libro. Spe uulgum alliciendi. Item, Fabius Valens allicere, uel ſi abnuerent, uaſtare Gallias, iuſſus.

Et in Verginium fauor cuicũq; alij profuturus.) Codex Budenſis, Et in Verginium fauor cuiuſq;, alij profuturus.

Ac niſi ipſi conſulerent.) Scripſimus, Ac ni ſibi conſulerent.

Per tenebras & inſcitiam cęterorum occiderentur.) Illic legitur, & inſcientia. Legerim, per tenebras & inſcitia cęterorum occiderentur.

Inferioris inde Germaniæ legiones.) Nos, Inferioris tamen Germaniæ leg.

Impetu

Impetu militum abrepti.) Codex ſcriptus habet, obtecti.

Parum ſimulatione uinculorum fruſtratur.) Emendaui.Pari ſimulatione uinculorum fruſtratur.

Stratis iam militum odijs.) Suſpicor ſcribendum,Fruſtratis iam mil.animis.

Donatum,Romulium.) Illic,Donatium,Romilium.

Vt auxiliariũ quoq; militũ conuitijs proturbatus.) Emendaui, proturbantib.

Digredi iuſſus.) Codex manuſcriptus pro digredi plerunq; habet degredi. Id locum habet ubi deſcenſus ex alto ſignificatur. Degredi

Nomẽ Germanici Vitellio ſtatim additũ.) Correxi,Nomine Germanici Vitellio ſtatim addito.

Dinodurium(Mediomatricorum id oppidũ eſt.) Caſtigaui, Diuoduri (Medio.id op.eſt.)Paulopoſt illic legitur, formidine permotus.

Heluetij Gallica gẽs,ſoli in armis,uiriſq; mox memoria nominis clara.) Emendaui diſtinxiq;,contra uulgatarum æditionum Budenſiſq; uoluminis lectionem, Irritauerant turbidum ingenium Heluetij Gallica gens, olim armis, uiriſq;, mox memoria nominis clara.Expone,clara gens memoria nominis,hoc eſt ob memoriam nominis.Meminimus huius etiam loci libro rerum Germanarum primo.

(Vt eſt mos uulgo) mutabilem ſubitis & tam pronũ in miſericordiam quam immodicum ſęuitia fuerat.) Quia regium exemplar habet mutabile, ſum auſus hunc locum ſic mutare,Vt eſt mos uulgo,mutabili ſubitis,& tam prono in miſericordiam quàm immodicum ſęuitia fuerat.

Et ob bellum Vindicis reuocati.) Caſtigauimus, remorati.

In alpe Graia.) Nusquã magis uariant exemplaria quàm in nominibus proprijs uel locorum uel hominum.Liber manuſcriptus hic habet,in alpe trianna.

Simul ac reputans.) Particulam ac deleuimus.

Noricos in cætera uictoriæ præmia ceſſuros.) Scripſimus, acceſſuros. Mox ordinauimus uerba. Pœnino ſubſignanum militem itinere, & graue leg.agmen hyb.adhuc niuibus traduxit.

Exemplum ultro imputauit.) Non uidetur eſſe mala lectio, quanquam nos impetrauit ſcripſimus,ſecuti fidem libri uetuſtioris. Et ſequitur.Nec Otho quaſi ignoſceret.

Metum reconciliationis adhiberet.) Volumen Budenſe habet,metu reconciliationis adhibens.Lego,Nec Otho quaſi ignoſceret ſeu hoſtis metu reconciliationi adniuens,ſtatim intra intimos amicos habuit.

Læta pro moribus ciuitatis.) Emendaui meum ſecutus iudicium, Læta primoribus ciuitatis.Nam ſequitur,celebrata in uulgus Celſi laus. *Læta primoribus ciuitatis*

Aduerſus publicum odium,priuatam gratiam præparat. Vnde nulla innocentiæ cura.) Malim,præparat alicunde,nulla innocentiæ cura.

Sed uices impunitatis.) Enorme mendũ eſt.Caſtigaui, Sed uitę impunitatis.

Galuia Criſpilina.) Budenſe exemplar.Galuia Criſpinilla.

Mox potens pecunia,& orbitate:quæ bonis maliſq; temporibus iuxta ualẽt.) Ablatiuus temporibus non eſt in libro regio.Expone,quæ bonis maliſq;,Subaudi hominibus,iuxta ualent, in dandi caſu.

Et muliebribus blanditijs.) Nos,blandimentis.

Offerebantur,pecuniam & gratiam.) Scripſimus eraſa hypoſtigme, offerebant pecuniam & gratiam.

Paria Vitellius oſtendebat,primo mollius.) Codex regis Matthiæ,Paria Vitellius oſtendebat. Vocontiorũ primo mollius.Neſcio quid ſibi hic uelit Vocontiorum uocabulum.Forte leg. Vacationem primo mollius,ſtulta utrinq; & indecora ſimulatione,Subaudi,accepere.Nam ex uerbis iſtis apparet, utrunque non abhorruiſſe

abhorruiſſe à uacatione ſi cum dignitate contigiſſet. Sed ſimulatio ea erat.

Increpabant ultro.) Poſſet etiam legi, Increpabat ultro. Subaudi, Fab. Valens.

Ad Othonem uertiſſent

Ad Othonem uertiſſent.) Et hic uertiſſent uſurpat abſolute.

Ad Tucianũ fratrẽ Othonis.) Scripſimus, Titianum. Saluius Titia. uocabat.

Pleraq; contra decus & præſenti uſu properando.) Correximus, ex præſenti uſu properando.

Conſul cum Titiano fratre in kalend. Martias ipſe, proximos menſes Verginio deſtinat, ut aliquod exercitui Germanico delinimentum. Iungitur Verginio Pompeius Vopiſcus, prætextu ueteris amicitiæ, pleriq; Viennenſium honori datum interpretabantur.) Vel hic locus argumẽto nobis ſit ꝙ multa in monumentis ueterum autorum paſſim inſulſerint eruditi uiri de ſuo, dum non tantum temporis ſibi ſumere poſſunt, quod attentius excutiẽdo loco ſufficiat. Nam uolumen Coruini regis ſic habet. Conſul cum Titiano fratre in kal. Martij ipſe, proximos menſes Verginio. Põpeius Vopiſcus pretextu ueteris amicitię, pleriq; Viennenſium honori datum interpretabantur. Sic enim nos diſtinguimus. Expone, Conſul cum Titiano fratre in kalendas Martij ipſe Otho, in proximos menſes cũ Verginio conſul fuit. Põpeius Vopiſcus, nomẽ autoris eſt, Subaudi, ſcribit, id prætextu ueteris amicitiæ factum, pleriq; Viennenſium honori datum interpretabantur. Cæterum hæc lectio ualde conuenit breuitati Cornelianæ.

Archio Antonio.) Liber manuſcriptus, Ario Antonio.

Eademq; largitione ciuitatum quoq; & pe.an.ag.) Nos, Eadem largitione.

Oſtentui

Noua Africæ oſtenta.) Caſtigauimus. Noua iura Cappadociæ, noua Africæ, oſtentui magis, quàm manſura. Hoc uocabulum etiam alibi uſurpat. Vt libro primo, Corpora extra uallũ abiecta, oſtentui. Libro 12. Auribus deciſis uiuere iubet, oſtentui clementiæ ſuæ & in nos dehoneſtamento. Libro 15. Iturum Tyridatem oſtentui gentibus, quanto minus quàm captiuum. Item. In Galliam Iulium Calenum tribunum, in Germaniam Alpinum Montanum præfectum cohortis, quod hic Treuir, Calenus Heduus, uterq; Vitelliani fuerant, oſtentui miſit.

Interq; neceſſitate præſentiũ rerum & inſtãtibus curis excuſata.) Codex Budenſis habet excuſatus. Scripſi, Inter quæ neceſſitate præſentium rerum & inſtantibus curis excuſatis.

Et fuere qui imagines Neronis præponerẽt.) Emendauimus, Et fuere qui imagines Neronis reponerent.

Ipſe in ſuſpenſo tenuit uetandi metum uel cognoſcendi pudorem.) Liber manuſcriptus habet, metu. Scripſi, Ipſe in ſuſpenſo tenuit, uetandi metu, uel cognoſcendi pudore.

Nouem millia equitũ, & ferocia, & ſucceſſu prędæ.) Caſtigaui diſtinxiq;, Nouem millia equitũ, ex ferocia & ſucceſſu, prædæ magis quàm pugnæ intenta.

Miſeria uulnerum abſumpti

Hic miſericordia uulnerum abſumpti.) Budenſe uolumen habet, mĩa. Repoſui, miſeria uulnerum.

Septimamdecimam cohortẽ è colonia Hoſtienſi in urbẽ acciri iuſſerat.) Præpoſitionem è ſubmouimus. Subauditur enim.

Pars ignaui & uino graues.) Nos, Pars ignari, & uino graues.

Vulgus, ut mos eſt, cuiuſcunq; motus noui cupidum.) Scripſi, cuiuſq; motus noui cupidum.

Et ſeueriſſimos centurionum obtruncant.) Nos, ſeueriſſimum centurionum obtruncant. Nam ſequitur infra. Centurionis ac tribuni ſanguine manus imbuit.

Neq; ut animum ad uirtutem cohortarer.) Inſerui præpoſitionem ad. Neque ut ad animũ, ad uirtutẽ cohortarer. Nã omittere ſolet cõiunctiones. Sic alibi hoc ipſo libro. Et apud Galbã, Othonẽ, Vitelliũ illęſa. Ad animũ, ideſt ad fortitudinẽ.

Imus

Imus ad bellum, non omnes nuncios palàm audiri.) Diſtinximus atq; emendauimus, Imus ad bellũ. Num omnes nuncios palàm audiri, omnia conſilia cunctis præſentibus tractari ratio rerum, aut occaſionum uelocitas patitur?

Vt multa etiam per centuriones tribunosq;.) Duas iſtas dictiunculas, etiam per, expunximus.

Eligendi facultas detur.) Forte, colligendi, id eſt ut exercitus colligantur. Aut, confligendi facultas detur. Nam regiũ uolumen habet, elligendi.

Quem nobis animum.) Malim, uobis.

Ne illas aduerſum ſenatum uoces.) Scripſi, Nec illas aduerſum ſenatũ uoces.

Quos nũc maxime Vitellius in nos ciet, Germani audeãt.) Nos, quibus cummaxime in nos ciet, Germani audeant. Vbi dictũ, in nos ciet, ſicut, in nos mouet. De aduerbio cummaxime admonuimus alibi. *In nos ciet* *Cummaxime*

Ad ſanguinem & cædem repoſcerent ordinem.) Exemplar Matthiæ Coruini habet depoſcerent. Malim, depoſcent. Sane depoſcendi uerbum inprimis hic locum habet, quod exemplis aſtruere facillimũ eſt. Libro 19. Nec minus uiolẽter Aponium q̃ Flauium ad ſupplicium depoſcerent. Eodem libro, Pergere Cremonam, & uictos in deditionem accipere, aut expugnare depoſcunt. *Depoſcere ad cædem* *Depoſcere ad ſupplicium*

Muta iſta & inania intercidere ac reparari promiſcue poſſunt) Sincerior eſt manuſcripti codicis lectio, Muta iſta & inania intercidere ac reparari promiſcua ſunt. Expone, promiſcua ſunt ut intercidant ac reparentur. Quæ locutio Græcam conſtructionem redolet. *Intercidere ac reparari promiſcua ſunt*

Aeternitas rerum & pars gentium.) Emendauimus, & pax gentium.

Ea oratio ad perſtringendos mulcendosq; militum animos, & ſeueritatis modus.) Nos, Et oratio ad perſtringendos mulcendosq; militum animos, & ſeueritatis modus n.e.i.p.q.i.d.a.i. grate accepta.

Non tamen quies urbis redierat. Strepitus telorum & facies belli erat militibus.) Hic locus eſt miſere corruptus. Nec quicquam auxilij fuit à libro manuſcripto, unde mendoſa uerba transfuſa ſunt in uulgatas æditiones. Nos magno labore eruimus tandem germanam ſinceramq; lectionem. Sic autem emendauimus diſtinximusq;, Non tamen quies urbi. Sed erat ſtrepitus telorũ, & facies belli.

Erat militibus.) Pro erat nos ſuppoſuimus particulam & è codice Budenſi, ſicq; diſtinximus ſententiam, Et militibus ut nihil in commune turbantibus, ita ſparſis per domos, occulto habitu: & maligna cura in omnes q.n.a.o.a.a.i.c.r. obiecerat. Dictum autem eſt auferendi caſu, Et maligna cura, ſicut, Et militib.

Animo uultuq; conuerſis.) Scripſimus, Animũ, uultumq; conuerſi. Græca figura ſed latinis quoq; familiaris, poetis uidelicet atq; hiſtoricis.

Sereno & immoto die.) Codex Budenſis non habet die. Malim ego, cœlo.

Plures in tabernis ex cubilibus intercepti.) Caſtigaui, Plures in tabernis & cubilibus intercepti. Hoc eſt in lectis.

Idipſum quod paranti expeditionem Othoni.) In libro manuſcripto non eſt datiuus Othoni, qui ſubauditur elegantius. nec eſt illic dictio quod, ſed tantũ idipſum. Vt queat etiam legi, id, quoniam paranti expeditionem campus Martius & uia Flaminia, iter belli eſſet obſtructum.

Et ſæuitia Galbæ in cuſtodiam habitos.) Malim, in cuſtodia.

Secum expedire iubet.) Expedire pro in bellum accingi abſolute. *Expedire*

Igitur mota urbis cura.) Scripſi, Igitur motæ urbis cura.

Sapientibus quietis à Reip. cura.) Caſtigaui, Sapiẽtibus quietis & reip. cura.

Multi afflicta fide in pace.) Repoſuimus, Multis afflicta fides in pace. Afflictam fidem hic dicit quã libro 19. uocat affectam, hoc eſt collabefactã deminutãq;. *Afflicta fides*

Secura tum urbe à prouinciali bello.) Minutiſſimum hic erratũ, nempe quod

z ſit in

ſit in à, perdit totum ſenſum. Nos, Secura tum urbe, & prouinciali bello: Subauditur exiſtente. Porrò prouincialia bella propter longinquitatem, minus urbanæ plebi diſpendioſa erant.

Sub ducibus alijs ſi bellatũ foret.) Quid ſi legas, Si ducibus alijs bellatũ foret.

Sed feſtinata iampridem exactione uſu ſterili.) Aduerbiũ iampridem neſcio quis hic infulſit, nos ſubmouimus. Feſtinata exactione, id eſt propter feſtinatam exactionem.

FINIS

P. CORNELII TACITI AB EXCESSV DIVI AVGVSTI ANNALIVM

LIBER XVII

INITIVM mihi operis Ser. Galba iterum, T. Iunius conſules erunt. Nam poſt conditam urbem DCC & XX prioris æui annos multi auctores rettulerunt, dum res populi Ro. memorabantur, pari eloquentia ac libertate. Poſtquã bellatum apud Actium atq; omnem poteſtatem ad unum cõferri pacis interfuit, magna illa ingenia ceſſere. Simul ueritas pluribus modis infracta, primum inſcitia Reip. ut alienæ, mox libidine aſſentandi, aut rurſus odio aduerſus dominantes. Ita neutris cura poſteritatis inter infenſos uel obnoxios. Sed ambitionem ſcriptoris facile aduerſeris. Obtrectatio & liuor pronis auribus accipiuntur. quippe adulationi fœdum crimen ſeruitutis, malignitati falſa ſpecies libertatis ineſt. Mihi Galba, Otho, Vitellius nec beneficio nec iniuria cogniti. Dignitatem noſtram à Veſpaſiano inchoatam, à Tito auctam, à Domitiano longius prouectam non abnuerim. ſed incorruptã fidẽ profeſſis, nec amore quiſquam, & ſine odio dicendus eſt. Quod ſi uita ſuppeditet, principatũ diui Neruæ & imperiũ Traiani, uberiorem ſecurioremq; materiã ſenectuti ſepoſui, rara tẽporũ felicitate, ubi ſentire quæ uelis, & quę ſentias dicere licet.

Opus aggredior plenum uarijs caſibus, atrox prælijs, diſcors ſeditionibus, ipſa etiam pace ſæuum. Quatuor principes ferro interempti. Tria bella ciuilia, plura externa, ac plerunq; permixta. Proſperæ in Oriente, aduerſæ in Occidente res. Turbatum Illyricum, Gallię nutantes, perdomita Britannia, & ſtatim miſſa cohorte in Sarmatarum ac Sueuorum gentes, nobilitatus cladibus mutuis Dacus. Mota etiam propè Parthorum arma falſi Neronis ludibrio. Iam uero Italia nouis cladibus, uel poſt longam ſeculorum ſeriem repetitis, afflicta. Hauſtæ aut obrutæ urbes. Fœcundiſſima Campaniæ ora, & urbs incendijs uaſtata, conſumptis antiquiſſimis delubris, ipſo Capitolio ciuium manibus incenſo. Pollutæ cerimoniæ. Magna

adulteria

adulteria. Plenũ exilijs mare. Infecti cædibus ſcopuli. Atrocius in urbe ſæuitum. Nobilitas, opes, omiſſi geſtiq́ honores pro crimine, & ob uirtutes certiſſimum exitium. Nec minus præmia delatorum inuiſa quàm ſcelera, cum alij ſacerdotia & cõſulatus ut ſpolia adepti, procurationes alij & interiorem potentiã, agerent ferrent cuncta. Odio & terrore corrupti in dominos ſerui, in patronos liberti: & quibus deerat inimicus, per amicos oppreſſi. Non tamen adeo uirtutum ſterile ſeculum, ut nõ & bona exempla prodiderit. Comitatæ profugos liberos matres, ſecutæ maritos in exilia coniuges, propinqui audientes, conſtantes generi. contumax etiam aduerſus tormenta ſeruorum fides. Supremæ clarorum uirorũ neceſſitates. Ipſa neceſſitas fortiter tolerata, & laudatis antiquorum mortibus pares exitus. Præter multiplices rerum humanarum caſus, cœlo terraq́ prodigia, & fulminum monitus, & futurorum præſagia, læta, triſtia, ambigua, manifeſta. Nec enim unquã atrocioribus populi Ro. cladibus, magis ue iuſtis iudicijs approbatum eſt, non eſſe curæ deis ſecuritatem noſtram, eſſe ultionem. *Præmia delatorum*

Cæterum antequam deſtinata componam, repetendum uidetur, qualis ſtatus urbis, quæ mens exercituum, quis habitus prouinciarum, quid in toto terrarum orbe ualidum, quid ægrum fuerit: ut non modo caſus euentusq́ rerum, qui plerunq́ fortuiti ſunt, ſed ratio etiam cauſæq́ noſcantur.

Finis Neronis ut lætus primo gaudentiũ impetu fuerat, ita uarios motus animorum, nõ modo in urbe apud patres, apud populum, apud urbanum militem, ſed omnes legiones ducesq́ conciuerat, euulgato imperij arcano, poſſe principem alibi quàm Romę fieri. Sed patres læti uſurpata ſtatim libertate, licentius ut erga principem nouum & abſentẽ: primores equitum proximi gaudio patrum: pars populi integra, & magnis domibus annexa, clientès libertiq́ damnatorum & exulum, in ſpem erecti. Plebs ſordida & circo ac theatris ſueta, ſimul deterrimi ſeruorum, aut qui adeſis bonis, per dedecus Neronis alebantur, mœſti & rumorum auidi. Miles urbanus longo Cæſarum ſacramento imbutus, & ad deſtituendum Neronem arte magis & impulſu, quàm ſuo ingenio traductus, poſtquam neq́ dari donatiuum ſub nomine Galbæ promiſſum, neq́ magnis meritis ac præmijs eundem in pace qui in bello locum, præuentamq́ gratiam, intelligit, apud principem à legionibus factum, pronus ad nouas res, ſcelere inſuper Nymphidij Sabini præfecti imperium ſibi molientis agitatur. Et Nymphidius quidem in ipſo conatu oppreſſus. Sed quãuis capite defectionis ablato, manebat pleriſq́ militum conſcientia: nec deerãt ſermones, ſenium atq́ auaritiam Galbæ increpantium. Laudata olim & militari fama celebrata ſeueritas eius, angebat coaſpernantes ueterem diſciplinam, atq́ ita XIIII. annis à Nerone aſſuefactos, ut haud minus uitia principũ amarent, quàm olim uirtutes uerebantur. Acceſſit Galbę uox pro Rep. honeſta, ipſi anceps, legi à ſe militem non emi. Nec enim ad hanc formã cætera erant.

Inualidum ſenẽ T. Iunius & Cornelius Laco, alter deterrimus mortalium alter ignauiſſimus,odio flagitiorum oneratum contemptu inertiæ deſtruebant. Tardum Galbæ iter & cruentum,interfectis Ciconio Varrone conſule deſignato,& Petronio Turpiliano conſulari:ille ut Nymphidij ſocius, hic ut dux Neronis, inauditi atq; indefenſi tanquam innocẽtes perierant. Introitus in urbem trucidatis tot millibus inermium militũ,infauſtus omine,atq; ipſis etiam qui occiderãt formidoloſus.Inducta legione Hiſpana, remanente ea quam è claſſe Nero conſcripſerat, plena urbs exercitu inſolito: multi adhoc & innumeri è Germania ac Britannia & Illyrico, quos idem Nero electos præmiſſosq; ad clauſtra Caſpiarum, & bellum quod in Albanos parabat,opprimẽdis Vindicis cœptis reuocauerat,ingens nouis rebus materia,ut non in unum aliquem prono fauore,ita audenti parata. Forte congruerat ut Clodij Macri & Fontei Capitonis cædes nunciarentur.Macrum in Africa res haud dubie turbãtem, Trebonius Garucianus procurator,iuſſu Galbæ: Capitonem in Germania, cum ſimilia cœptaret,Cornelius Aquinus & Fabius Valens legati legionum interfecerant antequam iuberentur. Fuere qui crederent Capitonem ut auaritia & libidine fœdum ac maculoſum, ita cogitatione rerum nouarũ abſtinuiſſe: ſed à legatis bellum ſuadentibus, poſtquam impellere nequiuerint,crimen ac dolum compoſitum ultro:& Galbam mobilitate ingenij,an ne altius ſcrutaretur,quoquo modo acta,quia mutari non poterant,comprobaſſe.Cæterum utraq; cædes ſiniſtrè accepta. & inuiſo ſemel principe, ſeu bene ſeu male facta premunt. Iam afferebant uenalia cuncta, præpotentes liberti. Seruorum manus ſubitis auidæ,& tanquam apud ſenem feſtinantes. Eademq; nouæ aulæ mala,æque grauia non æque excuſata.Ipſa ętas Galbę & irriſui & faſtidio erat, aſſuetis iuuentæ Neronis, & imperatores forma ac decore corporis(ut eſt mos uulgi)comparãtibus. Et hic quidem Romæ tanquam in tanta multitudine habitus animorũ fuit.E prouincijs, Hiſpaniæ præerat Cluuius Rufus,uir facundus,& pacis artibus belli inexpertus. Galliæ ſuper memoriam Vindicis obligatæ recenti dono Romanæ ciuitatis,& in poſterum tributi leuamento.Proximæ tamen Germanis exercitibus Galliarum ciuitates,non eodem honore habitæ, quædam etiam finibus ademptis, pari dolore commoda aliena ac ſuas iniurias metiebantur. Germanici exercitus quod periculoſiſſimũ in tantis uiribus, ſolliciti & irati ſuperbia recentis uictoriæ,& metu,tanquam alias partes fouiſſent. Tarde à Nerone deſciuerãt:nec ſtatim pro Galba Verginius.an imperare uoluiſſet dubium:delatum ei à milite imperium conueniebat. Fonteium Capitonem occiſum,etiam qui queri non poterãt,tamen indignabãtur.Dux deerat abducto Verginio per ſimulationem amicitiæ, quem non remitti, atq; etiam reum eſſe,tanquam ſuum crimen accipiebant. Superior exercitus legatum Hordeonium Flaccũ ſpernebat, ſenecta ac debilitate pedum

inualidum. Sine conſtantia, ſine auctoritate, ne quieto quidem milite, regimen: adeo furentes infirmitate retinentis ultro etiam accendebantur. Inferioris Germaniæ legiones diutius ſine conſulari fuere, donec miſſu Galbæ Vitellius aderat, cenſoris Vitellij ac ter cõſulis filius. Id ſatis uidebatur. In Britannico exercitu nihil irarum. Non ſanè aliæ legiones per omnes ciuilium bellorum motus innocentius egerunt: ſeu quia procul, & Oceano diuiſæ, ſeu crebris expeditionibus doctæ hoſtem potius odiſſe. Quies & Illyrico, quanquam excitæ à Nerone legiones, dum in Italia cunctantur, Verginium legationibus adiſſent. Sed longis ſpacijs diſcreti exercitus, quod ſaluberrimum eſt ad continendam militarẽ fidem, nec uitijs nec uiribus miſcebantur. Oriens adhuc immotus. Syriam & quatuor legiones obtinebat Licinius Mutianus, uir ſecũdis aduerſisq́ iuxta famoſus. Inſignes amicitias iuuenis ambitioſe coluerat. mox attritis opibus, lubrico ſtatu, ſuſpecta etiam Claudij iracundia, in ſecretũ Aſiæ repoſitus, tam prope ab exule fuit, quàm poſtea à principe. Luxuria, induſtria, comitate, arrogãtia, malis bonisq́ artibus mixtus. nimiæ uoluptates, cum uacaret: quoties expedierat, magnæ uirtutes. Palàm laudares, ſecreta male audiebant. Sed apud ſubiectos, apud proximos, apud collegas, uarijs illecebris potens, & cui expeditius fuerat tradere imperium quàm obtinere. Bellum Iudaicum Flauius Veſpaſianus (ducẽ eum Nero delegerat) tribus legionibus adminiſtrabat. Nec Veſpaſiano aduerſus Galbam uotũ aut animus. Quippe T. filium ad uenerationẽ cultumq́ eius miſerat, ut ſuo loco memorauimus. Occulta lege fati, & oſtentis ac reſponſis deſtinatũ Veſpaſiano liberisq́ eius imperium poſt fortunam credidimus. Ægyptum copiasq́ quibus coërceretur, iam inde à diuo Auguſto, equites Romani obtinent loco regum. Ita uiſum expedire, prouinciam aditu difficilem, annonę fœcundam, ſuperſtitione ac laſciuia diſcordem & mobilem, inſciam legum, ignaram magiſtratuum domi retinere. Regebat tum Tiberius Alexander eiuſdem nationis. Africa ac legiones in ea interfecto Clodio Macro, contentæ qualicunque principe, poſt experimentum domini minoris. Duæ Mauritaniæ, Rhetia, Noricum, Thracia, & quæ aliæ procuratoribus cohibentur, ut cuiq; exercitui uicinæ, ita in fauorem aut odium contactu ualentiorum agebantur. Inermes prouinciæ atq; ipſa in primis Italia cuicunq; ſeruitio expoſita, in pretium belli ceſſuræ erant. Hic fuit rerum Romanarum ſtatus, cum Ser. Galba iterum, Titus Iunius conſules inchoauere annum ſibi ultimũ Reip. propè ſupremum. Paucis poſt kalen. Ian. diebus Pompeij Propinqui procuratoris è Belgica literæ afferuntur, ſuperioris Germaniæ legiones rupta ſacramenti reuerentia, imperatorem alium flagitare, & ſenatui ac Po. Ro. arbitrium eligendi permittere, quo ſeditio mollius acciperetur. Maturauit ea res conſilium Galbę iam pridem de adoptione ſecum & cum proximis agitãtis. Non ſanè crebrior tota ciuitate ſermo per illos menſes fuerat. pri-

mum licentia ac libidine talia loquendi, dein feſſa iam ætate Galbæ. Paucis iudicium aut Reip. amor: multi occulta ſpe, prout quis amicus uel cliens, hunc uel illum ambitionis rumoribus deſtinabant. Et iam in T. Iunij odium diuerterant, qui in dies quanto potentior, eodem actu inuiſior erat. Quippe hiantes in magna fortuna amicorum cupiditates ipſa Galbæ facilitas intendebat, cum apud infirmum & credulum, minore metu & maiore præmio peccaretur. Potentia principatus diuiſa in T. Iunium conſulem, & Cornelium Laconem prætorij præfectum. Nec minor gratia Hycello Galbæ liberto, quem annulis donatum equeſtri nomine Martianum uocitabant. Hi diſcordes & rebus minoribus ſibi quiſq; tendentes, circa conſilium eligendi ſucceſſoris in duas factiones ſcindebantur. Iunius pro M. Othone, Laco atq; Hycellus conſenſu non tam unum aliquem fouebant, quàm alium. Neq; erat Galbæ ignota Othonis ac T. Iunij amicitia ex rumoribus nihil ſilentio tranſmittentiũ: quia Iunio uidua filia, cælebs Otho, gener ac ſocer deſtinabantur. Credo & Reip. curam ſubiſſe, fruſtra à Nerone tranſlatæ, ſi apud Othonem relinqueretur. nanq; Otho puericiam incurioſe, adoleſcentiam petulanter egerat, gratus Neroni æmulatione luxus. Eoq; iam Poppæam Sabinam principale ſcortũ, ut apud conſcium libidinum depoſuerat, donec Octauia uxor amoueretur. Mox ſuſpectum in eadem Poppęa, in prouinciã Luſitaniã ſpecie legationis ſepoſuit. Otho comiter adminiſtrata prouincia primus in partes tranſgreſſus, nec ſegnis, & donec bellũ fuit, inter præſentes ſplendidiſſimus, ſpem adoptionis ſtatim conceptam acrius in dies rapiebat, fauentibus pleriſq; militũ, prona in eum aula Neronis ut ſimilem. Sed Galba poſt nuncios Germanicæ ſeditionis, quanq; nihil adhuc de Vitellio certũ, anxius quónam exercituũ uis erumperet, ne urbano quidem militi confiſus, quod remediũ unicum rebatur, comitia imperij tranſigit. Adhibitoq; ſuper Iuniũ ac Laconem Mario Celſo conſule deſignato, ac Ducenio Gemino præfecto urbis, pauca præfatus de ſua ſenectute, Piſonẽ Licinianũ accerſiri iubet, ſeu propria electione, ſiue ut quidã tradiderunt, Lacone inſtante: cui apud Rubelliũ Plautum exercita cum Piſone amicitia, ſed callide ut ignotũ fouebat, & proſpera de Piſone fama cõſilio eius fidem addiderat. Piſo M. Craſſo & Scribonia genitus, nobilis utrinq;, uultu habituq; moris antiqui, & æſtimatione recta ſeuerus, deterius interpretantibus triſtior habebatur. Ea pars morum eius quo ſuſpectior ſollicitis, adoptanti placebat. Igitur Galba apprehenſa Piſonis manu, in hunc modum locutus fertur. Si te priuatus lege Curiata apud Pontifices, ut moris eſt, adoptarem, & mihi egregiũ erat tunc Pompeij & M. Craſſi ſobolẽ in penates meos aſciſcere, & tibi inſigne Sulpitiæ ac Luctatiæ decora, nobilitati tuæ adieciſſe. Nunc me deorũ hominumq; conſenſu ad imperiũ uocatum præclara indoles tua, & amor patriæ impulit, ut principatum de quo maiores noſtri armis certabant, bello adeptus, quieſcenti

Orõ Galbæ Cæſaris ad Piſonem digna quam principes legant

quieſcenti

quieſcenti offeram, exemplo diui Auguſti, qui ſororis filium Marcellum, dein generum Agrippam, mox nepotes ſuos, poſtremo Tiberium Neronem priuignum, in proximo ſibi faſtigio collocauit. Sed Auguſtus in domo ſucceſſorē quæſiuit, ego in Rep. Non quia propinquos aut ſocios belli non habeam, ſed neq; ipſe imperiū ambitione accepi, ut iudicij mei documentum ſit, nō meæ tantū neceſſitudines, quas tibi poſtpoſui, ſed tuæ. Eſt tibi frater pari nobilitate, natu maior, dignus hac fortuna, niſi tu potior eſſes. Ea ætas tua, quæ cupiditates adoleſcentiæ iam effugerit: ea uita, in qua nihil præteritum excuſandū habeas. Fortunā adhuc tantum aduerſam tuliſti. Secundæ res acrioribus ſtimulis animum explorant: quia miſeriæ tolerantur, felicitate corrumpimur. Fidem, libertatem, amicitiā, præcipua humani animi bona, tu quidem eadem conſtantia retinebis. Sed alij licet per obſequium annuant. Irrumpet adulatio, blandiciç peſſimum ueri affectus uenenum, ſua cuiq; utilitas. Etiam ego ac tu ſimpliciſſime inter nos hodie loquimur, cæteri libentius cum fortuna noſtra q̃ nobiſcum. Nam ſuadere principi quod oporteat, multi laboris. Aſſentatio erga principē quēcunq;, ſine affectu peragitur. Si immēſum imperij corpus ſtare ac librari ſine rectore poſſet, dignus eram à quo Reſp. inciperet. Nunc eò neceſſitatis iampridem uentum eſt, ut nec mea ſenectus conferre plus Populo Ro. poſſit quàm bonum ſucceſſorem, nec tua plus iuuenta quàm bonum principem. Sub Tiberio, & Caio, & Claudio unius familiæ quaſi hæreditas fuimus. loco libertatis erit, quod eligi cœpimus. Et finita Iuliorum Claudiorumq; domo, optimum quemq; adoptio inueniet. Nam generari & naſci à principibus, fortuitum, nec ultra æſtimatur. Adoptandi iudicium integrum, & ſi uelis eligere, conſenſu monſtratur. Sit ante oculos Nero, quē longa Cæſarum ſerie tumentē non Vindex cum inermi prouincia, aut ego cum una legione, ſed ſua immanitas, ſua luxuria ceruicibus publicis depulere. Neq; erat adhuc damnati principis exemplum. Nos bello & ab æſtimantibus aſciti, cum inuidia quamuis egregij erimus. Ne tamen territus fueris, ſi duç legiones in hoc concuſſi orbis motu nondum quieſcunt. Ne ipſe quidem ad ſecuras res acceſſi: & audita adoptione, deſinā uideri ſenex, quod nunc mihi unum obijcitur. Nero à peſſimo quoque ſemper deſiderabitur: mihi ac tibi prouidendum eſt, ne etiam à bonis deſideretur. Monere diutius neque temporis huius, & impletum eſt omne conſilium, ſi te bene elegi. Vtiliſſimus quidem ac breuiſſimus bonarum malarumq; rerum delectus, cogitare quid aut nolueris ſub alio principe, aut uolueris. Neque enim hic ut in cæteris gentibus quæ regnantur, certa dominorum domus, & cæteri ſerui: ſed imperaturus es hominibus, qui nec totam ſeruitutē pati poſſunt, nec totam libertatem. Et Galba quidem hæc ac talia tanquam principem faceret, cæteri tanquam cum facto loquebantur. Piſonem ferunt ſtatim intuentibus, & mox coniectis in eum omnium oculis, nullū turbati,

aut exultãtis animi motum prodidiſſe. Sermo erga patrē imperatoremq́ꝫ reuerens, de ſe moderatus, nihil in uultu habituq́ꝫ mutatum, quaſi imperare poſſet magis quàm uellet. Conſultatū inde, pro roſtris, an in ſenatu, an in caſtris adoptio nuncuparetur. Iri in caſtra placuit. honorificum id militibus fore, quorum fauorem ut largitione & ambitu male acquiri, ita per bonas artes haud ſpernēdum. Circumſteterat interim palatiū publica expectatio magni ſecreti impatiens, & male coërcitam famam ſupprimentes augebant. Quartum idus Ianu. fœdum imbribus diem, tonitrua & fulgura & cœleſtes minæ ultra ſolitum turbauerant. Obſeruatum id antiquitus comitijs dirimendis, non terruit Galbā quo minus in caſtra pergeret, contemptorem talium ut fortuitorum: ſeu quæ fato manent, quamuis ſignificata, nō uitantur. Apud frequentem militum concionem imperatoria breuitate, adoptari à ſe Piſonem more diui Auguſti, & exemplo militari, quo uir uirum legeret, pronūciat: ac ne diſſimulata ſeditio in maius crederetur, ultro aſſeuerat, quartam & duodeuiceſimā legiones paucis ſeditionis auctoribus nō ultra uerba ac uoces erraſſe, & breui in officio fore. Nec ullum orationi aut lenocinium additum, aut pretium. Tribuni tamen centurionesq́ꝫ & proximi militum gratabundi reſpondent. per cæteros mœſtitia ac ſilentium, tanquam uſurpatā etiam in pace donatiui neceſſitatem, bello perdidiſſent. Conſtat potuiſſe conciliari animos quantulacūqꝫ parci ſenis liberalitate. Nocuit antiquus rigor & nimia ſeueritas, cui iam pares non ſumus. Inde apud ſenatum non comptior Galbæ, non longior quàm apud milites ſermo: Piſonis comis oratio. Et patrum fauor aderat, multi uoluntate effuſius, qui noluerant mediè, ac plurimi obuio obſequio priuatas ſpes agitantes, ſine publica cura. Nec aliud ſequenti quatriduo (quod medium inter adoptionem & cædem fuit) dictum à Piſone in publicum, factumúe.

Imperatoria breuitas

Crebrioribus in dies Germanicæ defectionis nuncijs, & facili ciuitate ad accipienda credendaq́ꝫ omnia noua, cum triſtia ſunt, cenſuerant patres mittendos ad Germanicum exercitum legatos. agitatum ſecreto, num & Piſo proficiſceretur maiore prætextu: illi auctoritatem ſenatus, hic dignationem Cæſaris laturus. Placebat & Laconem prætorij præfectum ſimul mitti. Is conſilio interceſſit. Legati quoqꝫ (nam ſenatus electionem Galbæ permiſerat) fœda inconſtantia nominati, excuſati, ſubſtituti, ambitu remanendi aut eundi, ut quemqꝫ metus uel ſpes impulerat. Proxima pecuniæ cura, Et cuncta ſcrutantibus iuſtiſſimum uiſum eſt, inde repeti, ubi inopiæ cauſa erat. Bis & uicies mille ſeſtertium donationibus Nero effuderat. Appellari ſingulos iuſſit, decuma parte liberalitatis apud quemqꝫ eorum relicta. At illis uix decumæ ſuper portiones erant. Iiſdem erga aliena ſumptibus quibus ſua prodegerant, cum rapaciſſimo cuiqꝫ ac perditiſſimo, non agri, aut fœnus, ſed ſola inſtrumenta uitiorum manerēt. Exactioni XXX equites Romani præpoſiti, nouum officij genus & ambitu ac numero onerosum

roſum: ubiq; haſta,& ſector,& inquieta urbs actionibus. Attamē grande gaudium,quod tam pauperes forēt quibus donaſſet Nero, quàm quibus abſtuliſſet. Exautorati per eos dies tribuni, è prætorio Antonius Taurus,& Antonius Naſo:ex urbanis cohortibus Æmylius Pacenſis:è uigilijs Iulius Fronto.Nec remedium in cæteros fuit,ſed metus initium: tanquam per artem & formidinem ſinguli pellerētur, omnibus ſuſpectis. Interea Othonem, cui compoſitis rebus nulla ſpes,omne in turbido conſiliū,multa ſimul extimulabant:luxuria etiam principi oneroſa, inopia uix priuato toleranda,in Galbam ira,in Piſonem inuidia.Fingebat & metum,quo magis concupiſceret.Prægrauem ſe Neroni fuiſſe.Nec Luſitaniam rurſus aut alterius exilij honorem expectandum.Suſpectum ſemper inuiſumq; dominantibus,qui proximus deſtinaretur.Nocuiſſe id ſibi apud ſenem principem : magis nociturum apud iuuenem ingenio trucem , & longo exilio efferatum. Occidi Othonē poſſe , proin agendū audendumq; dum Galbæ auctoritas fluxa,Piſonis nondum coaluiſſet. Opportunos magnis conatibus tranſitus rerum : nec conctatione opus, ubi pernicioſior ſit quies, quàm temeritas . Mortem omnibus ex natura æqualem , obliuione apud poſteros,uel gloria diſtingui . Ac ſi nocentem innocentemq; idem exitus maneat , acrioris uiri eſſe , merito perire. Non erat Othonis mollis & corpori ſimilis animus.Et intimi libertorum ſeruorumq; corruptius quàm in priuata domo habiti,aulam Neronis,& luxus, adulteria, matrimonia cæteraſq; regnorū libidines auido talium ſi auderet,ut ſua oſtentantes , quieſcenti,ut aliena exprobrabant:urgentibus etiam mathematicis, dum nouos motus, & clarum Othoni annum obſeruatione ſyderū affirmant: genus hominum potentibus infidum,ſperātibus fallax, quod in ciuitate noſtra & uetabitur ſemper & retinebitur.Multos ſecreta Poppeæ mathematicos,peſſimum principalis matrimonij inſtrumentum,habuerāt:è quibus Ptolemæus Othoni in Hiſpania comes , cum ſuperfuturum eum Neroni promiſiſſet,poſtquam ex euentu fides,coniectura iam & rumore, ſenium Galbæ,& iuuentam Othonis computantium,perſuaſerat fore, ut in imperium aſciſceretur.Sed Otho tanquā peritia , & monitu fatorum prædicta accipiebat , cupidine ingenij humani libentius obſcura credi . Nec deerat Ptolemæus, iam & ſceleris inſtinctor,ad quod facillime ab eiuſmodi uoto tranſitur.Sed ſceleris cogitatio incertum an repens , ſtudia militū iam pridem ſpe ſucceſſionis, aut paratu facinoris affectauerat. In itinere, in agmine,in ſtationibus uetuſtiſſimum quemq; militum nomine uocans , ac memoria Neroniani comitatus , contubernales appellando, alios agnoſcere, quoſdam requirere,& pecunia aut gratia iuuare : inſerendo ſæpius querelas,& ambiguos de Galba ſermones,quæq; alia turbamenta uulgi. Labores itinerum,inopia commeatuum,duricia imperij,atrocius accipiebantur, cum Campaniæ lacus & Achaiæ urbes claſſibus adire ſoliti, Pyreneum & Alpes

Mathematici

Obſcura Mathematicorū

Alpes,& immenſa uiarum ſpacia,ægre ſub armis eniterētur. Flagrantibus iam militum animis,uelut faces addiderat Meuius Pudens è proximis Tigillini.is mobiliſſimum quemq; ingenio aut pecuniæ indigum,& in nouas cupiditates præcipitem alliciendo,eò paulatim progreſſus eſt,ut per ſpeciem conuiuij quoties Galba apud Othonem epularetur, cohorti excubias agenti,uiritim centenos nummos diuideret.quam uelut publicam largitionem Otho ſecretioribus apud ſingulos præmijs intendebat,adeo animoſus corruptor,ut Cocceio Proculo ſpiculatori de parte finium cum uicino ambigenti,uniuerſum uicini agrū ſua pecunia emptum dono dederit, per ſocordiam præfecti quem nota pariter & occulta fallebant. Sed tum è libertis Onomaſtum futuro ſceleri præfecit,à quo Barbiū Proculum Teſſeranum ſpiculatorem & Veturium Othonem eōdem perductos, poſtquā uario ſermone callidos,audacesq; cognouit,precio & promiſſis onerat,data pecunia ad pertentandos plurium animos.Suſcepere duo manipulares imperium Pop.Ro.transferendum,& tranſtulerunt. In conſcientiam facinoris pauci aſciti,ſuſpenſos cæterorum animos,diuerſis artibus ſtimulant: primores militum per beneficia Nymphidij ut ſuſpectos : uulgus & cæteros ira & deſperatione dilati toties donatiui . erant quos memoria Neronis ac deſiderium prioris licentiæ accenderet. in cōmuni omnes metu mutandæ militiæ terrebantur.Infecit ea tabes legionum quoq; & auxiliorum motas iam mentes , poſtquam uulgatum erat labare Germanici exercitus fidem.Adeoq; parata apud malos ſeditio,etiam apud integros diſſimulatio fuit , ut poſtero Iduum die,redeuntem à cœna Othonem rapturi fuerint,niſi incerta noctis,& tota urbe ſparſa militum caſtra,nec facilem inter temulentos conſenſum timuiſſent:non Reip. cura,quam fœdare principis ſui ſanguine ſobrij parabant , ſed ne per tenebras,ut quiſq; Pannonici uel Germanici exercitus militibus oblatus eſſet , ignorantibus pleriſque pro Othone deſtinaretur.Multa erumpētis ſeditionis indicia per conſcios oppreſſa,quædam apud Galbæ aures præfectus Laco cluſit , ignarus militarium animorum,conſilijq; quamuis egregij,quod non ipſe afferret,inimicus,& aduerſus peritos peruicax.XVIII. kalen.Febr. ſacrificanti pro æde Apollinis Galbæ haruſpex Vmbricius triſtia exta & inſtantes inſidias,ac domeſticum hoſtem prædicit,audiente Othone , nam proximus adſtiterat , idq; ut lætum è contrario & ſuis cogitationibus proſperum interpretante. Nec multo poſt libertus Onomaſtus nunciat expectari eum ab architecto & redemptoribus.quæ ſignificatio coëuntium iam militum & paratæ coniurationis cōuenerat. Otho cauſam digreſſus requirentibus, cum emi ſibi prædia uetuſtate ſuſpecta , eoq; prius exploranda finxiſſet, innixus liberto,per Tiberianam domum in Velabrum,inde ad Miliarium aureum ſub ædē Saturni pergit.Ibi tres & uiginti ſpiculatores conſalutatum imperatorem,ac paucitate ſalutantium trepidum,& ſellæ feſtinātèr impoſitum

Animoſus corruptor Otho

Architectus Redemptores

Miliariū aureum

ſitum ſtrictis mucronibus rapiũt. Totidem fermè milites in itinere aggre/gantur, alij conſcientia, pleriq; miraculo: pars clamore & gladijs, pars ſilen/tio, animos ex euentu ſumpturi. Stationẽ in caſtris agebat Iulius Martia/lis tribunus. Is magnitudine ſubiti ſceleris, an corrupta latius caſtra, ac ſi contra tenderet, exitium metuens, præbuit pleriſq; ſuſpicionẽ conſcientiæ. Antepoſuere cæteri quoq; tribuni centurionesq; pręſentia dubijs & hone ſtis. Iſq; habitus animorum fuit, ut peſſimum facinus auderent pauci, plu/res uellent, omnes paterentur. Ignarus interim Galba & ſacris intentus fa/tigabat alieni iam imperij deos, cũ affertur rumor rapi in caſtra incertum quem ſenatorem, mox Othonem eſſe qui raperetur. Simul ex tota urbe ut quiſq; obuius fuerat, alij formidinem augentes, quidam minora uero, ne tum quidem obliti adulationis. Igitur cõſultantibus placuit tentari ani/mum cohortis, quæ in palatio ſtationem agebat, nec per ipſum Galbam, cuius integra auctoritas maioribus remedijs ſeruabatur. Piſo pro gradi/bus domus uocatos, in hunc modum allocutus eſt. Sextus dies agitur commilitones ex quo ignarus futuri, & ſiue optandum hoc nomen ſiue ti/mendum erat, Cæſar aſcitus ſum: quo domus noſtræ aut Reip. fato, in ueſtra manu poſitum eſt: non quia meo nomine triſtiorẽ caſum paueam, ut qui aduerſa expertus cummaximè, ducam ne ſecunda quidem minus diſcriminis habere. Patris & ſenatus & ipſius imperij uicem doleo, ſi nobis aut perire hodie neceſſe eſt, aut, quod æque apud bonos miſerum eſt, occi dere. Solatium proximi motus habebamus, incruentam urbem & res ſine diſcordia translatas. Prouiſum adoptione uidebatur, ut ne poſt Galbam quidem bello locus eſſet. Nihil arrogabo mihi nobilitatis aut modeſtiæ. neq; enim relatu uirtutum in comparatione Othonis opus eſt. Vitia qui/bus ſolis gloriatur euertère imperium, etiã cum amicum imperatoris age/ret. Habitũ ne & inceſſu an illo muliebri ornatu mereretur imperium? Fal/luntur quibus luxuria ſpeciem liberalitatis imponit. Perdere iſte ſciet, do/nare neſciet. Stupra nunc & comeſſationes & fœminarũ cœtus uoluit ani/mo. hæc principatus præmia putat, quorũ libido ac uoluptas penes ipſum ſit, rubor ac dedecus penes omnes. Nemo enim unquam imperium flagi/tio quæſitum bonis artibus exercuit. Galbam conſenſus generis humani, me Galba conſentientibus uobis Cæſarẽ dixit. Si Reſp. & ſenatus & po/pulus uana nomina ſunt, ueſtra commilitones intereſt, ne imperatorẽ peſſi mi faciant. Legionum ſeditio aduerſum duces ſuos audita eſt aliquando. Veſtra fides famaq; illæſa ad hunc diem manſit, & Nero quoq; uos deſti tuit, non uos Neronem. Minus xxx transfugę & deſertores, quos centu/rionem aut tribunum ſibi eligentes nemo ferret, imperiũ aſſignabunt? Ad/mittitis exemplum? & quieſcendo commune crimen facitis? Tranſcendet hæc licentia in prouincias. & ad nos ſcelerum exitus, bellorum ad uos per/tinebunt. Nec eſt plus quod pro cæde principis quàm quod innocentibus

Orõ Piſonis ad cohortem Palatinam

datur

« datur.ſed proinde à nobis donatiuo ob fidem quàm ab aliꝭ pro facinore accipietis. Dilapſis ſpiculatoribus, cætera cohors non aſpernata concionantem,ut turbidis rebus euenit, timore magis,& nonnullo adhuc conſilio, parat ſigna, quod poſtea creditum eſt, inſidijs & ſimulatione. Miſſus & Celſus Marius ad electos Illyrici exercitus, Vipſani in porticu tendentes. Præceptũ Amulio Sereno & Domitio Sabino primipilaribus,ut Germanicos milites è Libertatis atrio accerſerent. Legioni claſſicæ diffidebat, infeſtæ ob cædem commilitonum,quos primo ſtatim introitu trucidauerat Galba. Pergunt etiam in caſtra prætorianorum tribuni Cerius Seuerus,Subrius Dexter,Pompeius Longinus, ſi incipiens adhuc & nondum adulta ſeditio melioribus conſilijs flecteretur. Tribunorũ Subrium & Cerium milites adorti minis,Longinum manibus coërcẽt,exarmantq́;, quia non ordine militiæ,ſed è Galbę amicis fidus principi ſuo,& deſciſcentibus ſuſpectior erat. Legio Claſſica nihil cunctata prætorianis adiungitur. Illyrici exercitus electi Celſum infeſtis pilis proturbãt. Germanica uexilla diu nutauere inualidis adhuc corporibus,& placatis animis, quod eos à Nerone Alexandriam præmiſſos,atq; inde rurſus longa nauigatione ægros,impenſiore cura Galba refouebat. Vniuerſa iam plebs palatiũ implebat, mixtis ſeruitijs,& diſſono clamore cædem Othonis, & coniuratorũ exilium poſcentium, ut ſi in circo ac theatro ludicrum aliquod poſtularent. Neq; illis iudicium aut ueritas:quippe eodem die diuerſa pari certamine poſtulaturis:ſed tradito more quemcunq; principem adulandi,licentia acclamationum,& ſtudijs inanibus. Interim Galbam duæ ſententiæ diſtinebant. Titus Iunius manendum intra domum, opponenda ſeruitia, firmandos aditus,non eundum ad iratos cenſebat:Daret malorum pœnitentię,daret bonorum conſenſui ſpacium:Scelera impetu,bona conſilia mora ualeſcere:Deniq; eundi ultro ſi ratio ſit,eandem mox facultatem: regreſſus,ſi pœniteat,in aliena poteſtate. Feſtinandum cæteris uidebatur antequam creſceret inualida adhuc coniuratio paucorum: Trepidaturum etiam Othonem,qui furtim digreſſus,ad ignaros illatus, conctatione nunc & ſegnitia terentium tempus,imitari principem diſcat. Non expectandũ ut compoſitis caſtris forum inuadat,& proſpectãte Galba Capitolium adeat, dum egregius imperator cum fortibus amicis ianua,ac limine tenus domũ claudit, obſidionem nimirum toleraturus. Et præclarum in ſeruis auxilium,ſi conſenſus tantæ multitudinis, & quæ plurimum ualet, prima indignatio langueſcat. Proinde intuta quæ indecora: Vel ſi cadere neceſſe ſit,occurrendum diſcrimini:Id Othoni inuidioſius,& ipſis honeſtum. Repugnantem huic ſententiæ Iunium,Laco minaciter inuaſit, ſtimulante Hycelo priuati odij pertinacia in publicum exitium. Nec diutius Galba cunctatus, ſpecioſiora ſuadentibus acceſſit. Præmiſſus tamen in caſtra Piſo, ut iuuenis magno nomine,recenti fauore,& infenſus T. Iunio,ſeu quia erat,ſeu quia irati

ita uolebant. Et facilius de odio creditur. Vixdum egreſſo Piſone, occiſum in caſtris Othonem, uagus primum & incertus rumor, mox ut in magnis mendacijs, interfuiſſe ſe quidam, & uidiſſe affirmabāt, credula fama inter gaudentes & incurioſos. Multi arbitrabantur compoſitum auctumq́ꝫ rumorem, mixtis iam Othonianis, qui ad euocandū Galbam, lęta falſo uulgauerint. Tum uero non populus tantum & imperita plebs in plauſus & immodica ſtudia, ſed equitum pleriq; ac ſenatorum poſito metu incauti, refractis palatij foribus, ruere intus, ac ſe Galbæ oſtentare, præreptam ſibi ultionem querentes. Ignauiſſimus quiſq;, & (ut res docuit) in periculo non auſurus, nimij uerbis, linguæ ferocis: nemo ſcire, & omnes affirmare: donec inopia ueri, & conſenſu errantium uictus, ſumpto thorace Galba irruenti turbæ neq; ætate neq; corpore ſiſtens, ſella leuaretur. Obuius in palatio Iulius Atticus ſpiculator, cruentum gladium oſtentans, occiſum à ſe Othonem clamauit. Et Galba. Commilito, inquit, quis iuſſit? inſigni animo ad coërcendam militarem licentiam, minantibus intrepidus, aduerſus blandientes incorruptus. Haud dubiæ iam in caſtris omnium mentes, tantusq́ꝫ ardor, ut non contenti agmine & corporibus, in ſuggeſtu in quo pauloante aurea Galbæ ſtatua fuerat, medium inter ſigna Othonem uexillis circundarent. Nec tribunis aut centurionibus adeundi locus. gregarius miles caueri inſuper præpoſitos iubebat. Strepere cuncta clamoribus, & tumultu, & exhortatione mutua, non tanquam in populo ac plebe uarijs ſegni adulatione uocibus, ſed ut quemq; affluentium militum aſpexerant, prehenſare manibus, complecti armis, collocare iuxta, præire ſacramentū, modo imperatorem militibus, modo imperatori milites cōmendare. Nec deerat Otho protendens manus, adorare uulgum, iacere oſcula, & omnia ſeruiliter pro dominatione. Poſtquam uniuerſa claſſiariorum legio ſacramentum eius accepit, fidens uiribus, & quos adhuc ſingulos extimulauerat, accendendos in cōmune ratus, pro uallo caſtrorū ita cœpit. Quis ad uos *Othonis ad milites orō*
proceſſerim commilitones dicere non poſſum, quia nec priuatum me uocari ſuſtineo, princeps à uobis nominatus, nec principem, alio imperante. « Veſtrum quoq; nomen in incerto erit, donec dubitabitur imperatorē populi Ro. in caſtris, an hoſtem habeatis. Auditis ne ut pœna mea & ſupplicium ueſtrum ſimul poſtulentur? adeo manifeſtū eſt, neq; perire nos, neq; ſaluos eſſe, niſi unà, poſſe. Et cuius leuitatis eſt Galba, iam fortaſſe promiſit, ut qui nullo expoſcente, tot millia innocentiſſimorum ciuium trucidauerit. Horror animum ſubit, quoties recordor feralem introitum, & hanc ſolam Galbæ uictoriā, cum in oculis urbis decumari deditos iuberet, quos deprecantes in fidem acceperat. His auſpicijs urbem ingreſſus, quam gloriam ad principatū attulit, niſi occiſi Obultronij Albini & Marcelli in Hiſpania, Beruichilonis in Gallia. Fontei Capitonis in Germania, Clodij Macri in Africa. Ciconij in uia. Turpiliani in urbe. Nymphidij in caſtris. Quæ

A uſquam

« uſquam prouincia,quę caſtra ſunt niſi crueta & maculata? aut(ut ipſe præ/
« dicat)emẽdata & correcta? Nam quæ alij ſcelera,hic remedia uocat, dum
« falſis nominibus ſeueritatem pro ſæuitia,parſimoniam pro auaricia, ſup/
« plicia & contumelias ueſtras diſciplinam appellat. Septem à Neronis fine
« menſes ſunt,& iam plus rapuit Hycelus, quàm quod Polycleti & Vatinij
« & Egij & alij parauerũt. Minore auaritia aut licẽtia graſſatus eſſet T.Iuni/
« us,ſi ipſe imperaſſet. nunc & ſubiectos nos habuit, tanquam ſuos,& uiles
« ut alienos. Vna illa domus ſufficit donatiuo,quod uobis nunquam datur,
« & quotidie exprobratur. Ac ne qua ſaltem in ſucceſſore Galbæ ſpes eſſet,
« accerſit ab exilio,quem triſtitia & auaritia ſui ſimillimum iudicabat. Vidi/
« ſtis commilitones notabili tempeſtate etiam deos infauſtam adoptionem
« aduerſantes. Idem ſenatus,idem populi Ro.animus eſt. Veſtra uirtus ex/
« pectatur,apud quos omne honeſtis conſilijs robur, & ſine quibus quãuis
« egregia inualida ſunt. Non ad bellum uos,nec ad periculũ uoco: omnium
« militum arma nobiſcum ſunt. Nec una cohors togata defendit nunc Gal/
« bam,ſed detinet. Cum uos aſpexerit,cum ſignum meum acceperit,hoc ſo/
« lum erit certamen,quis mihi plurimum imputet. Nullus cunctationi locus
« eſt in eo conſilio,quod non poteſt laudari niſi peractum. Aperire dein/
de armamentarium iuſſit. rapta ſtatim arma, ſine more & ordine militiæ,
ut prætorianus, aut legionarius inſignibus ſuis diſtingueretur. Miſcentur
auxiliaribus,galeis ſcutiſq;. Nullo tribunorum centurionúmue adhortan/
te,ſibi quiſq; dux & inſtigator.& præcipuum peſſimorum incitamentum,
quod boni mœrebant. Iam exterritus Piſo fremitu crebreſcẽtis ſeditionis,
& uocibus in urbem uſq; reſonantibus,egreſſum interim Galbam & foro
appropinquantem aſſecutus erat: iam Marius Celſus haud læta rettule/
rat,cum alij in palatium redire,alij Capitolium petere,pleriq; roſtra occu/
panda cenſerent,plures tantum ſententijs aliorum cõtradicerent, utq; eue/
nit in conſilijs infelicibus, optima uiderentur quorum tempus effugerat.
Agitaſſe Laco,ignaro Galba,de occidendo T. Iunio dicitur, ſiue ut pœna
eius animos militum mulceret, ſeu conſcium Othonis credebat,ad poſte/
rum uel odio. Hæſitationem attulit tempus ac locus,quia initio cædis orto
difficilis modus.& turbauere conſilium trepidi nuncij, ac proximorũ diffu
gia,languentibus omnium ſtudijs, qui primo alacres fidem atq; animum
oſtentauerant. Agebatur huc illuc Galba, uario turbæ fluctuantis impul/
ſu,completis undiq; baſilicis ac templis lugubri proſpectu.neq; populi aut
plebis ulla uox,ſed attoniti uultus,& cõuerſæ ad omnia aures. non tumul/
tus,non quies,quale magni metus & magnæ iræ ſilentium eſt. Othoni ta/
men armari plebẽ nunciabatur. Ire præcipites, & occupari pericula iubet.

Igitur milites Romani quaſi Vologeſen, aut Pacorum auito Arſacida/
rum ſolio depulſuri,ac non imperatorẽ ſuum inermem & ſenem trucidare
pergerent,diſiecta plebe, proculcato ſenatu,truces armis, rapidis equis fo/
rum

rum irrumpunt. Nec illos Capitolij aſpectus, & imminentiũ templorum religio,& priores & futuri principes terruere,quo minus facerent ſcelus,cuius ultor eſt quiſquis ſucceſſit. Viſo cominus armatorum agmine uexillarius comitantis Galbam cohortis (Atilium Vergilionẽ fuiſſe tradunt) dereptam Galbæ imaginem ſolo afflixit. Eo ſigno manifeſta in Othonem omnium militum ſtudia,deſertum fuga populi forum, diſtricta aduerſus dubitãtes tela. Iuxta Curtium lacum, trepidatione ferentium Galba proiectus è ſella,ac prouolutus eſt.Extremam eius uocem,ut cuiqꝫ odium aut admiratio fuit,uariè prodidere.Alij ſuppliciter interrogaſſe,quid mali meruiſſet: paucos dies exoluendo donatiuo deprecatum. Plures obtuliſſe ultro percuſſoribus iugulum,agerent ac ferirent, ſi ita è Rep. uideretur.non interfuit occidentiũ quid diceret.De percuſſore non ſatis conſtat. quidam Terentium Euocatum, alij Lecanium,crebrior fama tradidit Camurium xv.legionis militem impreſſo gladio iugulum eius hauſiſſe. Cæteri crura brachiaqꝫ(nam pectus tegebatur)fœdè laniauere.pleraqꝫ uulnera feritate & ſæuitia trunco iam corpori adiecta. Titum inde Iuniũ inuaſere. de quo & ipſo ambigitur, conſumpſerit'ne uocem eius inſtans metus, an proclamauerit,non eſſe ab Othone mandatum ut occideretur. Quod ſeu finxit formidine,ſeu conſcientia coniurationis confeſſus eſt, huc potius eius uita famaqꝫ inclinat,ut conſcius ſceleris fuerit,cuius cauſa erat.Ante ædem diui Iulij iacuit primo ictu in poplitẽ, mox ab Iulio Caro legionario milite in utrũqꝫ latus tranſuerberatus. Inſignẽ illa die uirum Semproniũ Denſum ætas noſtra uidit.Cẽturio is prætoriæ cohortis ad Galbæ cuſtodiã à Piſone additus,ſtricto pugione occurrẽs armatis,& ſcelus exprobrãs,ac modo manu,modo uoce uertendo in ſe percuſſores, quanquam uulnerato Piſoni effugium dedit.Piſo in ædem Veſtæ peruaſit, exceptusqꝫ miſericordia publici ſerui,& contubernio eius abditus,nõ religione,nec cerimonijs, ſed latebra imminens exitium differebat,cum aduenere iuſſu Othonis nominatim in cædem eius ardentes,Sulpicius Florus è Britannicis cohortibus, nuper à Galba ciuitate donatus, & Statius Murcus ſpiculator. à quibus protractus Piſo,in foribus templi trucidatur.Nullam cædem Otho maiore lætitia excepiſſe, nullum caput tam inſatiabilibus oculis perluſtraſſe dicitur:ſeu tum primum leuata omni ſolicitudine mens,uacare gaudio cœperat, ſeu recordatio maieſtatis in Galba, amicitiæ in T.Iunio,quãuis immitem animum imagine triſti confuderat. Piſonis ut inimici & æmuli cæde lætari,ius faſqꝫ credebat.Præfixa contis capita geſtabantur inter ſigna cohortium iuxta Aquilam legionis, certatim oſtentantibus cruentas manus qui occiderant,qui interfuerant,qúiue uere,qúiue falſo,ut pulchrum & memorabile facinus iactabãt.Plures quàm c x x.libellos præmia expoſcentium ob aliquam notabilem illa die operam,Vitellius poſtea inuenit.omneſqꝫ conquiri & interfici iuſſit, non honore Galbæ,ſed tradito principi-

Vltio bus more,munimentum ad præſens,in poſterum,ultionem.Alium crederes ſenatum,alium populũ.Ruere cuncta in caſtra,anteire proximos, certare cum præcurrentibus,increpare Galbam,laudare militũ iudicium, exoſculari Othonis manum:quantoq; magis falſa erant quæ fiebant, tanto plura facere.Nec aſpernabatur ſingulos Otho, auidum & minacem militum animum uoce uultuq; temperans.Marium Celſum conſulẽ deſignatum,& Galbæ uſq; in extremas res amicum fidumq; ad ſupplicium expoſtulabant,induſtriæ eius innocentiæq; quaſi malis artibus infenſi. Cædis & prædarũ initium,& optimo cuiq; perniciẽ quæri apparebat. Sed Othoni nondum auctoritas inerat ad prohibendum ſcelus,iubere iam poterat. Ita ſimulatione iræ,uinciri iuſſum,& maiores pœnas daturum affirmans, præſenti exitio ſubtraxit. Omnia deinde arbitrio militum acta. Prætorij præfectos ſibi ipſi legere: Plotium Firmum è manipularibus quondam, tum uigilibus præpoſitum, & incolumi adhuc Galba partes Othonis ſecutum.Adiungitur Licinius Proculus, intima familiaritate Othonis ſuſpectus conſilia eius fouiſſe:urbi Flauium Sabinum præfecere,iudicium Neronis ſecuti,ſub quo eandem curam obtinuerat,pleriſq; Veſpaſianum fratrem in eo reſpicientibus.Flagitatum ut uacationes pręſtari centurionibus ſolitæ remitterentur. Nanq; gregarius miles ut tributum annuum pendebat.Pars manipulis,pars per cõmeatus,aut in ipſis caſtris uaga, dum mercedem centurioni exolueret,neq; modũ oneris quiſquã, neq; genus quæſtus penſi habebat.Per latrocinia & raptus, aut ſeruilibus miniſterijs militare otium redimebant. Tum locupletiſſimus quiſq; miles labore ac ſæuitia fatigari,donec uacationem emeret.Vbi ſumptibus exhauſtus,ſocordia miſer elanguerat,inops pro locuplete, & iners pro ſtrenuo in manipulum redibat.ac rurſus alius atq; alius eadem ægeſtate ac licentia corrupti, ad ſeditionem & diſcordias,& ad extremum bella ciuilia ruebãt. Sed Otho ne uulgi largitione centurionum animos auerteret,ex fiſco ſuo uacationes annuas exoluturum promiſit:rem haud dubie utilem,& à bonis poſtea principibus perpetuitate diſciplinæ firmatam.Laco præfectus, tanquam in inſulam ſeponeretur, ab Euocato quẽ ad cædem eius Otho pręmiſerat,confoſſus:In Martianum Icellũ,ut in libertũ palàm animaduerſum. Exacto per ſcelera die nouiſſimum malorũ fuit lætitia. Vocat ſenatum prætor urbanus,certant adulationibus cæteri magiſtratus.Accurrũt patres. decernitur Othoni tribunitia poteſtas,& nomen Auguſti, & omnes principũ honores,annitentibus cunctis abolere conuitia ac probra, quæ promiſcuè iacta hæſiſſe animo eius nemo ſenſit. Omiſiſſet tot offenſas an diſtuliſſet, breuitate imperij in incerto fuit. Otho cruento adhuc foro, per ſtrages iacentium in Capitolium atq; inde in palatium uectus, concedi corpora ſepulturæ,cremariq; permiſit.Piſonẽ Verania uxor ac frater Scribonianus, T.Iunium Criſpina filia compoſuere,quæſitis redemptiſq; capitibus,quę uenalia

Vacationes militares remiſſæ

uenalia interfectores ſeruauerant. Piſo unum & triceſimum ætatis annum explebat, fama meliore quàm fortuna. Fratres eius Magnum Claudius, Craſſum Nero interfecerat. Ipſe diu exul, quatriduo Cæſar properata adoptione, adhoc tantũ maiori fratri prælatus eſt, ut prior occideretur. T. Iunius XLVII annos uarijs moribus egit. Pater illi è prætoria familia, maternus auus è proſcriptis. Prima militia infamis. Legatum Caluiſium Sabinum habuerat: cuius uxor mala cupidine uiſendi ſitum caſtrorũ per noctem militari habitu ingreſſa, cum uigilias & cætera militiæ munia eadem laſciuia tentaſſet, in ipſis principijs ſtuprũ auſa, & criminis huius reus T. Iunius arguebatur. Igitur iuſſu C. Cæſaris oneratus cathenis. mox mutatione temporum dimiſſus, curſu honorum inoffenſo, legioni poſt præturam præpoſitus, probatusq́; ſeruili deinceps probro reſperſus eſt, tanquã ſcyphum aureum in conuiuio Claudij furatus. Et Claudius poſtera die ſoli omnium Iunio fictilibus miniſtrari iuſſit. Sed Iunius proconſulatu Galliam Narbonenſem ſeuerè integreq́; rexit. Mox Galbæ amicitia in abruptum tractus, audax, callidus, promptus, & prout animum intendiſſet, prauus aut induſtrius eadem ui. Teſtamentum T. Iunij magnitudine opum irritum. Piſonis ſupremam uoluntatem paupertas firmauit. Galbæ corpus diu neglectum, & licentia tenebrarum plurimis ludibrijs uexatum, diſpenſator Argius è prioribus ſeruis humili ſepultura in priuatis eius hortis contexit. Caput per lixas calonesq́; ſuffixũ, laceratumq́; ante Patrobij tumulum (libertus is Neronis punitus à Galba fuerat) poſtera demũ die repertum, & cremato iam corpori admixtũ eſt. Hunc exitum habuit Ser. Galba tribus & ſeptuaginta annis, quinq́; principes proſpera fortuna emenſus, & alieno imperio felicior quàm ſuo. Vetus in familia nobilitas, magnæ opes. ipſi medium ingenium, magis extra uitia quàm cum uirtutibus. Famæ nec incurioſus, nec uendicator. Pecuniæ alienæ non appetens, ſuæ parcus, publicæ auarus. Amicorum libertorumq́; ubi in bonos incidiſſet, ſine reprehenſione patiens: ſi mali forent, uſq́; ad culpam ignarus. Sed claritas natalium & metus temporum obtentui, ut quod ſegnitia erat, ſapientia uocaretur. Dum uigebat ætas, militari laude apud Germanias floruit. proconſul Africam moderatè, iam ſenior citeriorem Hiſpaniã pari iuſtitia continuit, maior priuato uiſus, dum priuatus fuit, & omnium conſenſu capax imperij, niſi imperaſſet. Trepidam urbem ac ſimul atrocitatem recentis ſceleris, ſimul ueteres Othonis mores pauentẽ, nouus inſuper de Vitellio nuncius exterruit, ante cædem Galbæ ſuppreſſus, ut tantum ſuperioris Germaniæ exercitum deſciuiſſe crederetur. Tum duos omnium mortalium impudicitia, ignauia, luxuria deterrimos, uelut ad partiendum imperium fataliter electos, non ſenatus modo & eques, quis aliqua pars & cura Reip. ſed uulgus quoq́; palam mœrere. Nec iam recentia ſæuæ pacis exempla, ſed repetita bellorum ciuilium memoria, captam toties ſuis ciuibus urbem, ua-

T. Iunius

Ser. Galba

ſtitatem Italiæ,direptiones prouinciarum,Pharſaliam,Philippos,& Peru/
ſiam ac Mutinam nota publicarum cladium nomina loquebantur.Propè
euerſum orbem etiam cum de principatu inter bonos certaretur. ſed man/
ſiſſe C.Iulio,manſiſſe Cæſare Auguſto uictore imperium: manſuram fu/
iſſe ſub Pompeio Brutoq; Remp. Nunc pro Othone an pro Vitellio in
templa ituros? Vtraſq; impias preces,utraq; deteſtanda uota, inter duos,
quorum bello ſolum id ſcires,deteriorē fore qui uiciſſet. Erant qui Veſpa/
Veſpaſianus ſianum & arma Orientis augurarentur. & ut potior utroq; Veſpaſianus,
ita bellum aliud atq; alias clades horrebāt. Et ambigua de Veſpaſiano fa/
ma:ſolusq; omnium ante ſe principū, in melius mutatus eſt. Nunc ini/
tia cauſasq; motus Vitelliani expediam.Cæſo cum omnibus copijs Iulio
Vindice,ferox præda gloriaq; exercitus, ut cui ſine labore ac periculo, di/
tiſſimi belli uictoria eueniſſet, expeditionem & aciem, præmia quàm ſti/
pendia malebat:diuq; infructuoſam & aſperam militiam tolerauerat, in/
genio loci cœliq; & ſeueritate diſciplinæ,quā in pace inexorabilem diſcor/
diæ ciuium reſoluunt:paratis utrinq; corruptoribus, & perfidia impunita,
uiri,arma,equi,ad uſum & ad decus ſupererant. Sed ante bellum, centuri/
as tantum ſuas turmasq; nouerant,exercitus finibus prouinciarum diſcer/
nebantur.Tum aduerſus Vindicem contractæ legiones ſeq; & Gallias ex/
pertæ,quærere rurſus arma,nouasq; diſcordias:nec ſocios ut olim,ſed ho/
ſtes & uictos uocabant.Nec deerat pars Galliarum quæ Rhenum accolit,
eaſdē partes ſecuta, ac tum acerrima inſtigatrix aduerſus Galbianos. hoc
enim nomen faſtidito Vindice indiderant. Igitur Sequanis Heduiſq;, ac
deinde prout opulentia ciuitatibus erat,infenſi,expugnationes urbiū, po/
pulationes agrorum,raptus penatium hauſerunt animo, ſecundum auari/
tiam & arrogantiam præcipua ualidiorum uitia, contumacia Gallorū irri/
tati,qui remiſſam ſibi à Galba quartam tributorum partem,& publice do
natos in ignominiam exercitus iactabāt.Acceſſit callide uulgatum,temere
creditum,decumari legiones,& promptiſſimum quemq; centurionum di/
mitti.undiq; atroces nuncij,ſiniſtra ex urbe fama.infenſa Lugdunenſis co/
lonia, & pertinaci pro Nerone fide fœcunda rumoribus. Sed plurima ad
fingendum credendumq; materies in ipſis caſtris,odio,metu,&, ubi uires
ſuas reſpexerant,ſecuritate. Sub ipſas ſuperioris anni kalen. Decemb.Au/
lus Vitellius inferiorem Germaniam ingreſſus, hyberna legionū cum cu/
ra adierat:redditi pleriſq; ordines,remiſſa ignominia,alleuatæ notæ:plura
ambitione,quædam iudicio: in quibus ſordem & auaritiam Fontei Capi/
tonis,adimendis aſſignandiſue militiæ ordinibus integre mutauerat.Nec
conſularis legati menſura, ſed in maius omnia accipiebantur. Et Vitellius
apud ſeueros humilis.Ita comitatē bonitatemq; fauentes uocabant,quod
ſine modo,ſine iudicio donaret ſua,largiretur aliena. Simul auiditate im/
perandi ipſa uitia pro uirtutibus interpretabātur.Multi in utroq; exercitu
ſicut

ſicut modeſti quietiq́ʒ,ita mali & ſtrenui.Et profuſa cupidine,inſigni teme ritate legati legionum,A.Cęcina & Fabius Valens: è quibus Valens infen ſus Galbæ,tanquam detecta à ſe Virginij cunctatione, oppreſſa Capito/ nis conſilia ingratè tuliſſet,inſtigare Vitellium,ardorem militū oſtentans. Ipſum celebri ubiq; fama:nullam in Flacco Ordeonio moram,aſtore Bri/ tanniam,ſecutura Germanorum auxilia,malè fidas prouincias,precarium ſeni imperium,& breui tranſiturum:panderet modo ſinum,& uenienti for tunæ occurreret.Merito dubitaſſe Virginium,equeſtri familia, ignoto pa/ tre: imparem ſi recepiſſet imperium,tutum ſi recuſaſſet.Vitellio tres patris conſulatus,cenſuram,collegium Cæſaris,imponere iampridem imperato/ ris dignationem,& auferre priuati ſecuritatem. Quatiebatur his ſegne in/ genium,ut concupiſceret magis quàm ſperaret. At in ſuperiore Germania Cæcina decora iuuenta, corpore ingens, animi immodicus, cito ſermone, erecto inceſſu,ſtudia militum allexerat.Hunc iuuenem Galba quęſtorem in Betica impigre in partes ſuas trāſgreſſum,legioni præpoſuit. Mox com pertum publicam pecuniam auertiſſe, ut peculatorem flagitari iuſſit.Cæ/ cina ægre paſſus,miſcere cūcta,& priuata uulnera Reip. malis operire ſta/ tuit.Nec deerāt in exercitu ſemina diſcordiæ,quod & bello aduerſus Vin/ dicem uniuerſus affuerat,nec niſi occiſo Nerone translatus in Galbā, atq; in eo ipſo ſacramēto uexillis inferioris Germaniæ præuentus erat.Et Tre/ uiri ac Lingones quasq́ʒ alias ciuitates atrocibus edictis, aut damno fini/ um Galba perculerat,hybernis legionum propius miſcentur.Vnde ſediti/ oſa colloquia,& inter paganos corruptior miles, & in Verginiū fauor cui/ cunq; alij profuturus. Miſerat ciuitas Lingonum uetere inſtituto dona le/ gionibus,dextras hoſpitij inſigne.Legati eorū in ſqualorem mœſtitiamq́ʒ compoſiti, per principia,per contubernia,modo ſuas iniurias,modo ciuita tum uicinarum premia, & ubi pronis militum animis accipiebantur,ipſius exercitus pericula & contumelias conquerentes,accendebant animos.Nec procul ſeditione aberant,cum Hordeonius Flaccus abire legatos, utq́ʒ oc/ cultior digreſſus eſſet,nocte caſtris excedere iubet.Inde atrox rumor,affir/ mantibus pleriſq; interfectos,ac ni ſibi cōſulerent,fore ut acerrimi militum & præſentia conqueſti, per tenebras & inſcitiam cæterorum occiderentur. Obſtringuntur inter ſe tacito fœdere legiones. Aſciſcitur auxiliorū miles, primo ſuſpectus,tanquam circumdatis cohortibus aliſq;,impetus in legi/ ones pararetur: mox eadem acrius uolens, faciliore inter malos cōnſenſu ad bellū, quàm in pace ad concordiam. Inferioris tamen Germaniæ le/ giones ſolemni kalen.Ianu.ſacramento pro Galba adactæ,multa concta/ tione,& raris primorum ordinum uocibus:cæteri ſilentio,proximi cuiuſq; audaciam expectantes,inſita mortalibus natura properè ſequi, quæ piget inchoare. Sed ipſis legionibus inerat diuerſitas animorum:primani quin/ taniq́ʒ turbidi,adeo ut quidā ſaxa in Galbæ imagines iecerint: quintade/

Dextræ, hoſpitij inſigne

cima ac ſextadecima legiones nihil ultra fremitum & minas auſæ, initium erumpendi circumſpectabant. At in ſuperiori exercitu, quarta ac duodeuiceſima legiones ĳsdem hybernis tendentes, ipſo kalend. Ianu. die dirrumpunt imagines Galbæ, quarta legio promptius, duodeuiceſima cunctanter. Mox conſenſu, ac ne reuerentiã imperĳ exuere uiderẽtur in S.P.Q.R. obliterata iam nomina, ſacramenta aduocabant, nullo legatorum tribunorumúe pro Galba nitente, quibuſdã, ut in tumultu, notabilius turbãtibus. Non tamen quiſquam in modum concionis, aut ſuggeſtu locutus. neque enim erat adhuc cui imputaretur. Spectator flagitĳ Hordeonius Flaccus conſularis legatus aderat, non compeſcere ruentes, nõ retinere dubios, non cohortari bonos auſus, ſed ſegnis, pauidus, & ſocordia innocens. Quatuor centuriones duodeuiceſimę legionis, Nonius Receptus, Donatius Valẽs, Romilius Marcellus, Calphurnius Repentinus, cum protegerent Galbæ imagines, impetu militũ abrepti, uinctiq́;. Nec cuiquã ultra fides, aut memoria prioris ſacramenti. ſed (quod in ſeditionibus accidit) unde plures erant, omnes fuere. Nocte quæ kalen. Ianu. ſecuta eſt, coloniam Agrippinenſem Aquilifer quartæ legionis epulanti Vitellio nunciat, quartam & duodeuiceſimam legiones, proiectis Galbæ imaginibus, in ſenatus & Po. Ro. uerba iuraſſe. Id ſacramentum inane uiſum. occupari nutantem fortunam, & offerri principem placuit. Miſſi à Vitellio ad legiones legatosq́;, qui deſciuiſſe à Galba ſuperiorem exercitum nunciarent: proinde aut bellandum aduerſus deſciſcentes, aut ſi concordia & pax placeat, faciendũ imperatorem: & minore diſcrimine ſumi principem quàm quæri. Proxima legionis primæ hyberna erant, & promptiſſimus è legatis Fabius Valens. Is die poſtero coloniam Agrippinenſem cum equitibus legionis, auxiliariorumq́; ingreſſus, Imperatorem Vitellium conſalutauit. Secutæ ingenti certamine eiuſdem prouinciæ legiones: & ſuperior exercitus, ſpecioſis ſenatus populiq́; Romani nominibus relictis III Non. Ianu. Vitellio acceſſit. ſcires illum priore biduo non penes Remp. fuiſſe. ardorẽ exercituũ Agrippinenſes, Treuiri, Lingones æquabant, auxilia, equos, arma, pecunias offerentes, ut quiſq; corpore, opibus, ingenio ualidus. Nec principes modo coloniarum aut caſtrorum, quibus præſentia ex affluenti, & parta uictoria magnæ ſpes: ſed manipuli quoq; & gregarius miles uiatica ſua, & balteos, phalerasq́; inſignia armorum argento decora, loco pecuniæ tradebant, inſtinctu, & impetu, & auaritia. Igitur laudata militum alacritate Vitellius, miniſteria principatus per libertos agi ſolita, in equites Romanos diſponit. Vacationes centurionibus ex fiſco numerat. Sæuitiam militum pleroſq; ad pœnam expoſcentium ſæpius approbat, pari ſimulatione uinculorum fruſtratur. Pompeius Propinquus procurator Belgicæ ſtatim interfectus. Iulium Burdonem Germanicæ claſſis præfectum aſtu ſubtraxit. Exarſerat in eũ iracundia exercitus, tanq́; crimen ac mox inſidias Fonteio Capitoni

Colonia Agrippinen.

Vacationes

Capitoni ſtruxiſſet: grata erat memoria Capitonis, & apud ſæuientes occidere palàm, ignoſcere non niſi fallendo licebat. Ita in cuſtodia habitus: & poſt uictoriam demum, ſtratis iam militum odijs, dimiſſus eſt. Interim ut piaculum obijcitur centurio Criſpinus, qui ſe ſanguine Capitonis cruentauerat: eoq; & poſtulantibus manifeſtior, & punienti uilior fuit. Iulius deinde Ciuilis periculo exemptus, præpotens inter Batauos, ne ſupplicio eius ferox gens alienaretur. Et erant in ciuitate Lingonum VIII Batauorum cohortes, quartædecimæ legionis auxilia, tum diſcordia temporum à legione digreſſæ, prout inclinaſſent, grande momentum ſociæ aut aduerſæ. Nonium, Donatium, Romilium, Calphurnium, centuriones, de quibus ſupra rettulimus, occidi iuſſit, damnatos fidei crimine, grauiſſimo inter deſciſcentes. Acceſſere partibus Valerius Aſiaticus Belgicæ prouinciæ legatus, quē mox Vitellius generum aſciuit: & Iunius Blæſus Lugdunenſis Galliæ rector, cū Italica legione, & ala Taurina, Lugduni tendentibus. Nec in Rheticis copijs mora quo minus ſtatim adiungerent. Ne in Britannia quidem dubitatum. Præerat Trebellius Maximus, per auaritiā ac ſordes contemptus exercitui inuiſusq;. Accendebat odium eius Roſcius Cælius legatus uiceſimæ legionis olim diſcors, ſed occaſione ciuilium armorum atrocius proruperant. Trebellius ſeditionem & confuſum ordinem diſciplinæ Cælio: ſpoliatas & inopes legiones Cælius Trebellio obiectabat, cum interim fœdis legatorum certaminibus modeſtia exercitus corrupta, eoq; diſcordiæ uentum, ut auxiliarium quoq; militū conuitijs proturbantibus, & aggregantibus ſe Cælio cohortibus aliſq;, deſertus Trebellius ad Vitellium perfugerit. quies prouinciæ, quanquam remoto conſulari, manſit. Rexere legati legionum, pares iure, Cælius audendo potentior. Adiuncto Britannico exercitu, ingens uiribus opibusq; Vitellius, duos duces, duo itinera bello deſtinauit. Fabius Valens allicere, uel ſi abnuerent, uaſtare Gallias, & Cotianis alpibus Italiam irrumpere: Cęcina propiore tranſitu, Pœninis iugis degredi iuſſus. Valenti inferioris exercitus electi cum Aquila quintæ legionis, & cohortibus aliſq; ad XL millia armatorum data. XXX millia Cæcina è ſuperiore Germania ducebat, quorū robur legio una prima & uiceſima fuit. addita utriq; Germanorum auxilia, è quibus Vitellius ſuas quoq; copias ſuppleuit, tota mole belli ſecuturus. Mira inter exercitum imperatoremq; diuerſitas. Inſtare miles, arma poſcere, dum Galliæ trepident, dum Hiſpaniæ cunctentur. non obſtare hyemem, neq; ignauæ pacis moras inuadendam Italiam, occupandam urbem. nihil in diſcordijs ciuilibus feſtinatione tutius, ubi facto magis quàm conſulto opus eſſet. Torpebat Vitellius, & fortunā principatus inerti luxu ac prodigis epulis præſumebat, medio diei temulentus, & ſagina grauis: cum tamen ardor & uis militū ultro ducis munia implebat, ut ſi adeſſet imperator, & ſtrenuis uel ignauis ſpem metumq; adderet. Inſtructi interritiq; ſignum profectionis expoſcūt

Pœnina iuga

expoſcunt, nomine Germanici Vitellio ſtatim addito. Cæſarem ſe appellari etiam uictor prohibuit. Lætum auguriũ Fabio Valenti exercituiq́, quem in bellũ cogebat, ipſo profectionis die, aquila leui meatu prout agmen incederet, uelut dux uiæ præuolauit. longumq́ per ſpacium, is gaudentium militum clamor, ea quies interritę alitis fuit, ut haud dubium magnæ & proſperæ rei omen acciperetur. Et Treuiros quidem ut ſocios ſecuri adiere. Diuoduri (Mediomatricorum id oppidum eſt) quanquam omni comitate exceptos, ſubitus pauor exterruit, raptis repẽte armis, ad cædem innoxiæ ciuitatis, non ob prædam, aut ſpoliandi cupidinem, ſed furore & rabie, & cauſis incertis, eoq́ difficilioribus remedijs, donec precibus ducis mitigati ab excidio ciuitatis temperauere. Cæſa tamen ad quatuor millia hominum. Isq́ terror Gallias inuaſit, ut uenienti mox agmini uniuerſæ ciuitates cum magiſtratibus & precibus occurrerent, ſtratis per uias pueris fœminisq́, quæq́ alia placamenta hoſtilis iræ, non quidem in bello, ſed pro pace tendebantur. Nuncium de cæde Galbæ & imperio Othonis Fabius Valens in ciuitate Leucorum accepit. Nec militum animus in gaudium, aut formidinem permotus, bellũ uoluebat. Gallis conctatio exempta, & in Othonem ac Vitellium odium par, ex Vitellio & metus. Proxima Lingonum ciuitas erat, fida partibus. benigne excepti, modeſtia certauere. Sed breuis lætitia fuit, cohortium intemperie, quas à legione quartadecima, ut ſupra memorauimus, digreſſas exercitui ſuo Fabius Valens adiunxerat. Iurgia primum, mox rixa inter Batauos & legionarios. Dum his aut illis ſtudia militum adgregãtur, propè in prælium exarſere, ni Valens animaduerſione paucorũ, oblitos iam Batauos imperij admonuiſſet. Fruſtra aduerſus Heduos quæſita belli cauſa. Iuſſi pecuniam atq́ arma deferre, gratuitos inſuper cõmeatus præbuere. quod Hedui formidine, Lugdunenſes gaudio fecere. Sed legio Italica & ala Taurina abductæ. Cohortes XVIII Lugduni ſolitis ibi hybernis relinqui placuit. Manlius Valens legatus Italicæ legionis, quanquã bene de partibus meritus, nullo apud Vitellium honore fuit. Secretis eum criminationibus infamauerat Fabius ignarum, & quo incautior deciperetur, palàm laudatum. Veterem inter Lugdunenſes Viennenſesq́ diſcordiam proximum bellum accenderat. multæ inuicem clades, crebrius infeſtiusq́, quàm ut tantũ propter Neronem Galbamq́ pugnaretur. Et Galba reditus Lugdunenſiũ occaſione irę in fiſcum uerterat. Multus contra in Viennenſes honor. Vnde æmulatio, & inuidia, & uno amne diſcretis cõnexum odium. Igitur Lugdunenſes extimulare ſingulos militum, & in euerſionem Viennenſium impellere, obſeſſam ab illis coloniam ſuam, adiutos Vindicis conatus, cõſcriptas nuper legiones in præſidium Galbæ referendo. Et ubi cauſas odiorum prætenderant, magnitudinem prædæ oſtendebant. Nec iam ſecreta exhortatio, ſed publicæ preces: Irent ultores, excinderent ſedẽ Gallici belli: cuncta illic externa

Diuodurum
Mediomatrici
Leuci
Lingones
Lugdunenſes
Viennenſes

terna & hoſtilia, ſe coloniam Romanam & partem exercitus, & proſperarum aduerſarumq́ꝫ rerum ſocios: ſi fortuna contra daret, iratis ne relinquerentur. His & pluribus in eundem modum perpulerant, ut nec legati quidem ac duces partium reſtingui poſſe iracundiam exercitus arbitrarentur: cum haud ignari diſcriminis ſui Viennenſes uelamenta & infulas præferentes, ubi agmen inceſſerat, arma, genua, ueſtigia prehenſando flexere militum animos. Addidit Valens tricenos ſingulis militibus ſeſtertios. Tum uetuſtas dignitasq́ꝫ coloniæ ualuit. Et uerba Fabij ſalutē incolumitatemq́ꝫ Viennenſium commendantis ęquis auribus accepta. Publicè tamen armis mulctati, priuatis & promiſcuis copijs iuuere militem. Sed fama conſtans fuit, ipſum Valentem magna pecunia emptum. Is diu ſordidus, repēte diues, mutationem fortunæ male tegebat, accenſis egeſtate longa cupidinibus, immoderatus, & inopi iuuenta, ſenex prodigus. Lento deinde agmine per fines Allobrogum & Vocontiorum ductus exercitus, ipſa itinerum ſpacia, & ſtatiuorum mutationes uenditāte duce fœdis pactionibus, aduerſus poſſeſſores agrorum, & magiſtratus ciuitatum, adeo minaciter, ut Luco (municipium id Vocontiorum eſt) faces admouerit, donec pecunia mitigaretur. quoties pecunię materia deeſſet, & ſtupris & adulterijs exorabatur. Sic ad alpes peruentum. Plus prædæ ac ſanguinis Cæcina hauſit. Irritauerant turbidum ingenium Heluetij Gallica gens, olim armis uirisq́ꝫ, mox memoria nominis, clara, de cæde Galbæ ignari, & Vitellij imperium abnuentes. Initium bello fuit auaritia ac feſtinatio undeuiceſimæ legionis. Rapuerant pecuniam miſſam in ſtipendiū caſtelli, quod olim Heluetij ſuis militibus ac ſtipendijs tuebantur. ægre id paſſi Heluetij, interceptis epiſtolis, quæ nomine Germanici exercitus ad Pannonicas legiones ferebantur, centurionem & quoſdam militum in cuſtodia retinebant. Cæcina belli auidus, proximam quanq; culpam antequam pœniteret ultum ibat. Mota propere caſtra. Vaſtati agri. Direptus longa pace in modum municipij extructus locus, amœno ſalubrium aquarū uſu frequens. Miſſi ad Rhetica auxilia nuncij, ut uerſos in legionem Heluetios à tergo aggrederentur. Illi ante diſcrimen feroces, in periculo pauidi, quanquam primo tumultu Claudium Seuerum ducem legerant, non arma noſcere, non ordines ſequi, non in unum conſulere. exitioſum aduerſus ueteranos prælium. intuta obſidio, dilapſis uetuſtate mœnibus. hinc Cæcina cum ualido exercitu, inde Rhæticę alæ cohorteſq́ꝫ, & ipſorum Rhætorū iuuentus ſueta armis, & more militiæ exercita. undiq; populatio & cędes. Ipſi in medio uagi abiectis armis, magna pars ſaucij aut palantes in mōtem Vocecium perfugere. Ac ſtatim immiſſa cohorte Thracum depulſi, & conſectantibus Germanis Rhætiſq́ꝫ, per ſyluas atq; in ipſis latebris trucidati. Multa hominum millia cæſa, multa ſub corona uenundata. Cumq́ꝫ diruptis omnibus Auenticum gentis caput iuſto agmine peteretur, miſſi qui dederent ciuitatem

Velamētū & infulas præferentes

Fab. Valens

Allobroges

Vocontij

Lucus

Heluetij

Caſtellū aquārum ſiue thermarum

Baden.

Vocecius mons

Auenticū caput Heluetio.

ciuitatem,& deditio accepta. In Iulium Alpinum è principibus ut concito-
rem belli Cæcina animaduertit. cæteros ueniæ uel ſæuitię Vitellij reliquit.
Haud facile dictu eſt, legati Heluetiorũ minus placabilem imperatorem
an militem inuenerint. Ciuitatis excidium poſcũt, tela ac manus in ora le-
gatorum intentant. Ne Vitellius quidem minis ac uerbis temperabat: cum
Claudius Coſſus unus ex legatis, notæ facundiæ, ſed dicendi artem apta
trepidatione occultans, atq; eo ualidior, militis animũ mitigauit: ut eſt mos
Vulgus uulgo mutabili ſubitis, & tam prono in miſericordiam, quàm immodicum
ſæuitia ſuerat. effuſis lachrymis, & meliora conſtantius poſtulando, impu
nitatem ſalutemq; ciuitati impetrauere. Cæcina paucos in Heluetijs mo-
ratus dies, dum ſẽtẽtiæ Vitellij certior fieret, ſimul tranſitum Alpium pa-
rans, lætum ex Italia nuncium accipit, alam Syllanam circa Padum agen-
tem ſacramento Vitellij acceſſiſſe. Proconſulẽ Vitellium Syllani in Africa
habuerant: mox à Nerone ut in Ægyptum præmitterentur exciti, & ob
bellum Vindicis remorati, ac tum in Italia manentes, inſtinctu decurio-
num, qui Othonis ignari, Vitellio obſtricti, robur aduentantiũ legionum
& famam Germanici exercitus attollebãt, tranſiere in partes, & ut donum
Mediolanum aliquod nouo principi, firmiſſima Tranſpadanæ regionis municipia Me-
Nouaria diolanum ac Nouariam, & Eporediam ac Vercellas adiunxere. Id Cæci-
Eporedia Vercellæ næ per ipſos compertum. Et quia præſidio alæ unius latiſſima pars Italiæ
defendi nequibat, præmiſſis Gallorum, Luſitanorum, Britannorumq; co-
Alpes Graia hortibus, & Germanorum uexillis, in alpe Graia ipſe paululũ conctatus,
Rhætia iuga num Rhæticis iugis in Noricum flecteret, aduerſus Petronium urbis pro-
Noricum curatorem, qui concitis auxilijs, & interruptis fluminum pontibus, fidus
Othoni putabatͬ. Sed metu ne amitteret præmiſſas iam cohortes alaſq;,
Norici ſimul reputans plus gloriæ retenta Italia, & ubicunq; certatum foret, No-
ricos in cætera uictoriæ pręmia acceſſuros, Pœnino ſubſignanum militem
itinere & graue legionũ agmen, hybernis adhuc niuibus traduxit. Otho
interim contra ſpem omnium non delicijs, neq; deſidia torpeſcere. dilatæ
uoluptates, diſſimulata luxuria, & cuncta ad decorem imperij compoſita.
Eoq; plus formidinis afferebant falſæ uirtutes & uitia reditura. Marium
Celſum conſulem deſignatum, per ſpeciem uinculorum ſæuitiæ militum
ſubtractum, acciri in Capitolium iubet. Clementiæ titulus è uiro claro &
partibus inuiſo petebatur. Celſus conſtanter ſeruatæ erga Galbam fidei
crimen cõfeſſus, exemplum ultro imputauit. Nec Otho quaſi ignoſceret,
ſed ne hoſtis metum reconciliationis adhiberet, ſtatim intra intimos ami-
cos habuit, & mox bello inter duces delegit. Manſitq; Celſo uelut fatali-
ter etiam pro Othone fides integra & infelix. Læta primoribus ciuitatis,
celebrata in uulgus Celſi laus, ne militibus quidem ingrata fuit eandẽ uir-
tutem admirantibus cui iraſcebantur. Par inde exultatio, diſparibus cauſis
conſecuta, impetrato Tigillini exitio. Ophonius Tigillinus obſcuris paren
tibus

tibus,fœda pueritia,impudica ſenecta, præfecturam uigilum & prætorij, & alia præmia uirtutũ,quia uelocius erat,uitijs adeptus, crudelitatẽ mox, deinde auaritiam,& uirilia ſcelera exercuit,corrupto ad omne facinus Nerone,quædã ignaro auſus,ac poſtremo eiuſdem deſertor ac proditor. Vnde nõ alium pertinacius ad pœnã flagitauere,diuerſo affectu, quibus odium Neronis inerat,& quibus deſiderium. Apud Galbam T.Iunij potentia defenſus prætexentis ſeruatam ab eo filiam: & haud dubie ſeruauerat, non clementia(quippe tot interfectis)ſed effugio in futurũ: quia peſſimus quiſq;,diffidentia præſentium mutationem pauens,aduerſus publicũ odium,priuatam gratiam præparat:unde nulla innocentiæ cura, ſed uitæ impunitatis. Eo infenſior populus, addita ad uetus Tigillini odium recenti T. Iunij inuidia,concurrere è tota urbe in palatium ac fora, & ubi plurima uulgi licentia,in circum ac theatra effuſi,ſeditioſis uocibus obſtrepere, donec Tigillinus accepto apud Sueſſanas aquas ſupremæ neceſſitatis nuncio,inter ſtupra concubinarum,& oſcula,& deformes moras, ſectis nouacula faucibus infamem uitã fœdauit etiam exitu ſero & inhoneſto. Per idem tempus expoſtulata ad ſupplicium Galuia Criſpinilla,uarijs fruſtrationibus,& aduerſa diſſimulantis principis fama,periculo exempta eſt,magiſtra libidinum Neronis,tranſgreſſa in Africam ad inſtigandum in arma Clodium Macrum,famem populi Ro.haud obſcurè molita.totius poſtea ciuitatis gratiam obtinuit conſulari matrimonio innixa, & apud Galbam, Othonem, Vitelliũ illæſa:mox potens pecunia,& orbitate,quæ bonis maliſq; temporibus iuxta ualent.Crebræ interim & muliebribus blandimentis infectæ ab Othone ad Vitellium epiſtolæ offerebant pecuniam & gratiam, & quemcunq; quietis locum prodigæ uitæ legiſſet. Paria Vitellius oſtendebat, primo mollius, ſtulta utrinq; & indecora ſimulatione: mox quaſi rixantes, ſtupra & flagitia inuicem obiectauere, neuter falſo. Otho reuocatis quos Galba miſerat legatis,rurſus ad utrunq; Germanicum exercitum,& ad legionem Italicam,eaſq; quæ Lugduni agebant copias, ſpecie ſenatus miſit.Legati apud Vitellium remanſere,promptius quàm ut retenti uiderentur. Prætoriani quos per ſimulationem officij legatis Otho adiunxerat,remiſſi antequam legionibus miſcerentur. Addit epiſtolas Fabius Valens nomine Germanici exercitus,ad prætorias & urbanas cohortes,de uiribus partium magnificas,& concordiam offerentes.Increpabant ultro, quod tãto ante traditum Vitellio imperium, ad Othonẽ uertiſſent. Ita promiſſis ſimul ac minis tentabantur, ut bello impares, in pace nihil amiſſuri. Neque ideo prætorianorum fides mutata. Sed inſidiatores ab Othone in Germaniam,à Vitellio in urbem miſſi. Vtriſq; fruſtra fuit: Vitellianis impune, per tantam hominum multitudinem mutua ignorantia fallentibus: Othoniani nouitate uultus, omnibus inuicem gnaris, prodebantur. Vitellius literas ad Titianum fratrem Othonis cõpoſuit, exitium

Tigillinus corruptiſsimus Neronis miniſter

Galuia Criſpinilla

Sal. Titianus frater Othõis

ipſi filioq́ eius minitans, ni incolumes ſibi mater ac liberi ſeruarentur. Et ſtetit domus utraq; ſub Othone, incertũ an metu. Vitellius uictor clementiæ gloriam tulit. Primus Othoni fiduciam addidit ex Illyrico nuncius, iuraſſe in eum Dalmatiæ ac Pannoniæ & Mœſiæ legiones. Idem ex Hiſpania allatum. laudatusq́ per edictũ Cluuius Rufus. & ſtatim cognitum eſt, cõuerſam ad Vitellium Hiſpaniã. Nec Aquitania quidem quanquam à Iulio Cordo in uerba Othonis obſtricta, diu manſit. Nuſquã fides aut amor, metu ac neceſſitate huc illuc mutabantur. Eadem formido prouinciam Narbonenſem ad Vitellium uertit, facili tranſitu ad proximos & ualidiores. Longinquæ prouinciæ, & quicquid armorũ mari dirimitur, penes Othonem manebant, non partium ſtudio, ſed erat grande momentum in nomine urbis ac prætextu ſenatus. Et occupauerat animos prior auditus. Iudaicum exercitum Veſpaſianus, Syriæ legiones Mutianus ſacramento Othonis adegere. Simul Ægyptus, omnesq́ uerſæ in Orientem prouinciæ nomine eius tenebantur. Idem Africæ obſequium, initio à Carthagine orto. Neq; expectata Vipſani Aproniani procõſulis auctoritate, Creſcens Neronis libertus (nam in malis temporibus partẽ ſe Reip. fecerat) epulum plebi ob lætitiam recentis imperij obtulerat, & populus pleraq; ſine modo feſtinauit. Carthaginem cæteræ ciuitates ſecutæ. Sic diſtractis exercitibus ac prouincijs, Vitellio quidem ad capeſſendã principatus fortunam bello opus erat. Otho ut in multa pace munia imperij obibat, quædã ex dignitate Reip. pleraq; contra decus ex præſenti uſu properando. Conſul cum Titiano fratre in kalen. Martias ipſe, proximos mẽſes Verginio deſtinat, ut aliquod exercitui Germanico delinimentum. Iungitur Verginio Pompeius Vopiſcus, prætextu ueteris amicitiæ. Pleriq; Viennenſiũ honori datum interpretabantur. Cæteri cõſulatus ex deſtinatione Neronis aut Galbæ manſere. Cælio ac Flauio Sabinis in Iulias, Ario Antonio & Mario Celſo in ſeptembres, quorum honori ne Vitellius quidẽ uictor interceſſit. Sed Otho pontificatus auguratusq́ honoratis iam ſenibus cumulum dignitatis addidit, & recens ab exilio reuerſos nobiles adoleſcentulos auitis ac paternis ſacerdotijs in ſolatium recoluit. Redditus Cadio Rufo, Pedio Blæſo, Seuino Pontio ſenatorius locus, qui repetundarum criminibus ſub Claudio ac Nerone ceciderant. Placuit ignoſcentibus uerſo nomine quod auaritia fuerat, uideri maieſtatem, cuius tum odio etiam bonæ leges peribant. Eadem largitione ciuitatũ quoq; ac prouinciarũ animos aggreſſus, Hiſpalienſibus & Emeritenſibus familiarũ adiectiones, Lingonibus uniuerſis ciuitatem Romanam, prouinciæ Beticæ Maurorum ciuitates dono dedit. Noua iura Cappadociæ, noua Africæ, oſtentui magis quàm manſura. Inter quæ neceſſitate præſentium rerum & inſtantibus curis excuſatis, ne tum quidem immemor amorum, ſtatuas Poppeæ per ſenatuſconſultum repoſuit. Creditus eſt etiam de celebranda Neronis memoria agitauiſſe

Lingones

Betica

tauiſſe,ſpe uulgum alliciendi.Et fuere qui imagines Neronis proponerēt: atq; etiam Othoni quibuſdam diebus populus & miles tanquam nobilitatem,ac decus aſtruerent, NERONI OTHONI acclamauit.Ipſe in ſuſpenſo tenuit,uetandi metu uel cognoſcēdi pudore. Conuerſis ad ciuile bellum animis,externa ſine cura habebātur.Eo audētius Rhoxolani Sarmatica gens priore hyeme cæſis duabus cohortibus,magna ſpe ad Mœſiam irruperant,nouem millia equitum ex ferocia & ſucceſſu, prædæ magis quàm pugnæ intenta.Igitur uagos & incurioſos tertia legio adiunctis auxilijs repente inuaſit. Apud Romanos omnia prælio apta. Sarmatæ diſperſi, aut cupidine prædæ graues onere ſarcinarum, & lubrico itinerum adempta equorum pernicitate,uelut uincti cædebantur. Namq; mirū dictu ut ſit omnis Sarmatarum uirtus,uelut extra ipſos: nihil ad pedeſtrem pugnam tam ignauum: ubi per turmas aduenere,uix ulla acies obſtiterit. Sed tum humido die & ſoluto gelu, neq; conti neq; gladij, quos prælongos utraq; manu regunt,uſui,lapſantibus equis, & cataphractarū pondere.Id principibus & nobiliſſimo cuiq; tegmen,ferreis laminis, aut præduro corio conſertum, ut aduerſus ictus impenetrabile, ita impetu hoſtium prouolutis inhabile ad reſurgendū.Simul altitudine & mollitia niuis hauriebantur.Romanus miles facili lorica, & miſſili pilo aut lanceis aſſultans, ubi res poſceret leui gladio inermem Sarmatam, neq; enim defendi ſcuto mos eſt,cominus fodiebat,donec pauci qui prælio ſuperfuerāt, paludibus abderentur.Ibi ſæuitia,hic miſeria uulnerum abſumpti.Poſtquam id Romæ compertum,M.Aponius Mœſiam obtinens, triumphali ſtatua, Fuluius Aurelius & Iulianus Titius ac Numiſius Lupus legati legionum conſularibus ornamentis donantur, læto Othone & gloriam in ſe trahente, tanq; & ipſe felix bello,& ſuis ducibus, ſuiſq; exercitibus Remp. auxiſſet.

Rhoxolani

Sarmatarum armatura

Paruo interim initio,unde nihil timebatur,orta ſeditio, propè urbi excidio fuit.Septimamdecimam cohortem colonia Hoſtienſi in urbem acciri Otho iuſſerat. Armandæ eius cura Vario Criſpino tribuno è prætorianis data.Is quo magis uacuus quietis caſtris iuſſa exequeretur, uehicula cohortis incipiente nocte onerari aperto armamentario iubet. Tempus in ſuſpitionem,cauſa in crimen, affectatio quietis in tumultum eualuit. Et uiſa inter temulentos arma,cupidinem ſui mouere.Fremit miles, & tribunos centurioneſq; proditionis arguit, tanquā familiæ ſenatorum ad perniciem Othonis armarentur.Pars ignari & uino graues.peſſimus quiſque in occaſionem prædarū. uulgus,ut mos eſt, cuiuſq; motus noui cupidum. & obſequia meliorum nox abſtulerat. Reſiſtentem ſeditioni tribunum,& ſeueriſſimum centurionum obtruncant.rapta arma,nudati gladij,inſidentes equis urbem ac palatium petunt. Erat Othoni celebre conuiuium primoribus fœminis uiriſq;.qui trepidi,fortuitus ne militum furor,an dolus imperatoris,manere ac deprehēdi,an fugere & diſpergi,periculoſius foret,

Seditio militaris Romæ

Vulgus

modo conſtantiam ſimulare, modo formidine detegi, ſimul Othonis uultum intueri. Vtq; euenit inclinatis ad ſuſpitionem mentibus, cum timeret Otho, timebatur. Sed haud ſecus diſcrimine ſenatus q̃ ſuo territus, & præfectos prætorij ad mitigandas militũ iras ſtatim miſerat, & abire properè omnes è conuiuio iuſſit. Tum uero paſſim magiſtratus proiectis inſignibus, uitata comitum & ſeruorũ frequentia, ſenes fœminæq; per tenebras, diuerſa urbis itinera, rari domos, plurimi amicorum tecta, & ut cuiq; humillimus cliens, incertas latebras petiuere. Militũ impetus ne foribus quidem palatij coërcitus, quo minus conuiuiũ irrumperẽt, oſtendi ſibi Othonem expoſtulantes, uulnerato Iulio Martiale tribuno, & Vitellio Saturnino præfecto legionis, dum ruentibus obſiſtũt. Vndiq; arma & minæ, modo in centuriones tribunosq;, modo in ſenatum uniuerſum, lymphatis cæco pauore animis, & quia neminẽ unum deſtinare iræ poterant, licentiam in omnes poſcentibus, donec Otho contra decus imperij thoro inſiſtens, precibus & lachrymis ægrè cohibuit. Redieruntq; in caſtra inuiti, neq; innocentes. Poſtera die uelut capta urbe, clauſæ domus, rarus per uias populus, mœſta plebs, deiecti in terram militum uultus, ac plus triſtitiæ quàm pœnitentiæ. Manipulatim allocuti ſunt Licinius Proculus & Plotius Firmus præfecti, ex ſuo quiſq; ingenio, mitius aut horridius. Finis ſermonis in eo, ut quina millia nummûm ſingulis militibus numerarentur. Tum Otho ingredi caſtra auſus. Atq; illum tribuni centurionesq; circũſiſtunt, abiectis militiæ inſignibus, otium & ſalutem flagitantes. Senſit inuidiam miles, & compoſitus in obſequium, auctores ſeditionis ad ſupplicium ultro poſtulabat. Otho quanquam turbidis rebus, & diuerſis militũ animis, cum optimus quiſq; remedium præſentis licentiæ poſceret: uulgus & plures ſeditionibus & ambitioſo imperio læti, per turbas & raptus facilius ad ciuile bellum impellerentur: ſimul reputans non poſſe principatum ſcelere quæſitum, ſubita modeſtia & priſca grauitate retineri, ſed diſcrimine urbis & periculo ſenatus anxius, poſtremo ita diſſeruit. Neque ut affectus ueſtros in amorem mei accenderem commilitones, neq; ut ad animũ ad uirtutem cohortarer (utraq; enim egregie ſuperſunt) ſed ueni poſtulaturus à uobis temperamentum ueſtræ fortitudinis, & erga me modum charitatis. Tumultus proximi initium non cupidine uel odio, quæ multos exercitus in diſcordiam egere, ac ne detrectatione quidem, aut formidine periculorum, nimia pietas ueſtra acrius quàm conſideratius excitauit. Nam ſæpe honeſtas rerum cauſas, ni iudicium adhibeas, pernicioſi exitus conſequuntur. Imus ad bellũ. num omnes nuncios palàm audiri, omnia conſilia cunctis præſentibus tractari, ratio rerum, aut occaſionum uelocitas patitur? Tam neſcire quędam milites quàm ſcire oportet. Ita ſe ducum auctoritas, ſic rigor diſciplinæ habet, ut multa per cẽturiones tribunosq; tantũ iuberi expediat. Si ubi iubeãtur, quærere ſingulis liceat, pereunte obſequio etiam

Orõ ad milites, mire blanda

imperium

imperium intercidit. An & illic nocte intempeſta rapientur arma? Vnus alterúe perditus ac temulentus(neq; enim plures conſternatione proxima inſaniſſe crediderim) centurionis ac tribuni ſanguine manus imbuet? Imperatoris ſui tentorium irrumpet? Vos quidẽ iſtud pro me. Sed in diſcurſu ac tenebris,& rerum omnium confuſione patefieri occaſio etiam aduerſus me poteſt. Si Vitellio & ſatellitibus eius eligendi facultas detur, quem nobis animum, quas mentes imprecentur, quid aliud quàm ſeditionem & diſcordiam optabunt? ne miles centurioni, ne centurio tribuno obſequatur: hinc confuſi pedites equitesq́; in exitiũ ruamus. Parendo potius, commilitones, quàm imperia ducum ſciſcitando res militares continentur. Et fortiſſimus in ipſo diſcrimine exercitus eſt, qui ante diſcrimẽ quietiſſimus. Vobis arma & animus ſit, mihi conſilium & uirtutis ueſtræ regimen relinquite. Paucorum culpa fuit, duorum pœna erit. Cæteri abolete memoriam fœdiſſimæ noctis. Nec illas aduerſus ſenatum uoces ullus unquã exercitus audiat. Caput imperij & decora omniũ prouinciarum ad pœnam uocare, non hercle illi, quibus cummaximè Vitellius in nos ciet, Germani audiant. Vlli ne Italiæ alumni,& Romana uerè iuuentus, ad ſanguinem & cædem depoſcerent ordinem, cuius ſplendore & gloria ſordes & obſcuritatem Vitellianarum partium perſtringimus? Nationes aliquas occupauit Vitellius: imaginem quandam exercitus habet. Senatus nobiſcum eſt. Sic fit, ut hinc Reſp. inde hoſtes Reip. conſtiterint. Quid uos pulcherrimam hanc urbem domibus & tectis, & congeſtu lapidum ſtare creditis? Muta iſta & inania intercidere ac reparari promiſcuè poſſunt. Æternitas rerum, & pax gentiũ,& mea cũ ueſtra ſalus, incolumitate ſenatus firmatur. Hunc auſpicato à parente & cõditore urbis noſtræ inſtitutum, & à regibus uſq; ad principes continuum & immortalẽ, ſicut à maioribus accepimus, ſic poſteris tradamus. Nam ut ex uobis ſenatores, ita ex ſenatoribus principes naſcuntur. Et oratio ad perſtringendos mulcendosq́; militum animos, & ſeueritatis modus(neq; enim in plures quàm in duos animaduerti iuſſerat) gratè accepta. Compoſitiq́; ad pręſens, qui coërceri non poterãt. Non tamen quies urbi. ſed erat ſtrepitus telorũ,& facies belli: & militibus, ut nihil in commune turbantibus, ita ſparſis per domos, occulto habitu: & maligna cura in omnes, quos nobilitas aut opes, aut aliqua inſignis claritudo rumoribus obiecerat. Vitellianos quoq; milites ueniſſe in urbẽ ad ſtudia partium noſcenda, pleriq; credebant. Vnde plena omnia ſuſpicionum,& uix ſecreta domuũ ſine formidine. Sed plurimum trepidationis in publico: ut quemq; nuncium fama attuliſſet, animũ uultumq́; conuerſi, ne diffidere dubijs, ac parum gaudere proſperis uiderentur. Coacto uero in curiam ſenatu, arduus rerum omnium modus, ne contumax ſilentium, ne ſuſpecta libertas & priuato Othoni nuper, atq; eadem dicendi adulatio. Igitur uerſare ſententias,& huc atq; illuc torquere, hoſtem & parricidam Vi-

tellium uocantes. Prouidentiſſimus quiſq; uulgaribus conuitijs, quidã ue-
ra probra iacere, in clamore tamen, & ubi plurimæ uoces, aut tumultu uer-
borum ſibi ipſi obſtrepentes. Prodigia inſuper terrebãt diuerſis aucto-
ribus uulgata. In ueſtibulo Capitolij omiſſas habenas bigæ, cui Victoria
inſtiterat. Erupiſſe cella Iunonis maiorem humana ſpeciem. Statuam diui
Iulij, in inſula Tiberini amnis ſereno & immoto die ab Occidente in Ori-
entem conuerſam. Prolocutum in Ethruria bouem. Inſolitos animalium
partus, & plura alia rudibus ſeculis etiam in pace obſeruata, quæ nunc tan-
tum in metu audiuntur. Sed præcipuus & cum præſenti exitio etiam futu-
Tiberis fluuij inundatio ri pauor, ſubita inundatione Tiberis: qui immenſo auctu, prorupto ponte
ſublicio, ac ſtrage obſtantis molis refuſus, non modo iacentia & plana ur-
bis loca, ſed ſecura huiuſmodi caſuũ impleuit. Rapti è publico pleriq;, plu-
res in tabernis & cubilibus intercepti. Fames in uulgus, inopia quæſtus, &
penuria alimentorum, corrupta ſtagnantibus aquis inſularum fundamen-
ta, dein remeante flumine dilapſa. Vtq; primum uacuus à periculo ani-
mus fuit, id ipſum quod paranti expeditionem Othoni campus Martius
& uia Flaminia iter belli eſſet obſtructũ à fortuitis uel naturalibus cauſis,
in prodigium & omen imminentium cladium uertebatur. Otho luſtrata
Pœninæ Cottiæq; alpes urbe, & expenſis belli conſilijs, quando Pœninæ Cottiæq; alpes, & cæteri
Galliarũ aditus Vitellianis exercitibus claudebantur, Narbonenſem Gal-
liam aggredi ſtatuit, claſſe ualida & partibus fida: quod reliquos cæſorum
ad pontem Miluium, & ſæuitia Galbæ in cuſtodiam habitos, in numero
legionis compoſuerat: facta & reliquis ſpes honoratioris in poſterum mi-
litiæ. Addidit claſſi urbanas cohortes, & pleroſq; è prætorianis uiris, ut ro-
bur exercitus, atq; ipſis ducibus conſilium & cuſtodes. Summa expeditio-
nis Antonio Nouellio, Suedio Clementi primipilaribus, Æmylio Pacen-
ſi, cui ademptum à Galba tribunatum reddiderat, permiſſa. Curam naui-
um Oſcus libertus retinebat, ad obſeruandam honeſtiorum fidem inuita-
tus. Peditum equitumq; copijs Suetonius Paulinus, Marius Celſus, Anni-
us Gallus rectores deſtinati. Sed plurima fides Licinio Proculo prætorij
præfecto. Is urbanæ militiæ impiger, bellorum inſolens, auctoritatem Pau
Criminari facillimum eſt lini, uigorem Celſi, maturitatem Galli, ut cuiq; erat, criminando (quod fa-
cillimum factu eſt) prauus & callidus, bonos & modeſtos anteibat. Sepo-
ſitus per eos dies Cornelius Dolabella in coloniã Aquinatem, neq; arcta
cuſtodia, neq; obſcura, nullum ob crimen, ſed uetuſto nomine & propin-
quitate Galbæ monſtratus. Multos è magiſtratibus, magnã conſularium
partem Otho non participes aut miniſtros bello, ſed comitũ ſpecie, ſecum
expedire iubet. In quis & L. Vitellium eodem quo cęteros cultu, nec ut im-
peratoris fratrem, nec ut hoſtis. Igitur motæ urbis cura, nullus ordo metu
aut periculo uacuus. Primores ſenatus ætate inualidi, & lõga pace deſides,
ſegnis & oblita bellorum nobilitas, ignarus militiæ eques, quanto magis
occultare

occultare & abdere pauorem nitebantur,manifeſtius pauidi. Nec deerant
è contrario qui ambitione ſtolida,cōſpicua arma,inſignes equos, quidam
luxurioſos apparatus conuiuiorum & irritamēta libidinum,ut inſtrumen/
ta belli mercarentur.Sapientibus quietis & Reip.cura.leuiſſimus quiſq;,&
futuri improuidus ſpe uana tumens. Multis afflicta fides in pace,ac turba Afflicta fides
tis rebus alacres,& per incerta tutiſſimi. Sed uulgus & magnitudine nimia
communium curarum expers populus,ſentire paulatim belli mala,conuer
ſa in militum uſum omni pecunia,intentis alimentorum precijs,quæ motu
Vindicis haud perinde plebem attriuerant,ſecura tum urbe & prouinciali
bello,quod inter legiones Galliasq́; uelut externum fuit. Nam ex quo di/
uus Auguſtus res Cæſarum compoſuit, procul & in unius ſollicitudinem
aut decus populus Romanus bellauerat.Sub Tiberio & Caio tantum pa
cis aduerſa Reip.pertimuere.Scriboniani contra Claudium incepta, ſimul
audita & coërcita: Nero nuncijs magis & rumoribus, quàm armis depul/
ſus.Tum legiones claſſesq́;,& quod raro alias,prętorianus urbanusq́; mi/
les,in aciem deducti, Oriens Occidensq́; & quicquid utrinq; uirium eſt à
tergo,ſub ducibus alijs ſi bellatū foret,longo bello materia.Fuere qui pro/
ficiſcenti Othoni moras religionemq́; nōdum conditorū ancylium affer/
rent.Aſpernatus omnem cunctationē,ut Neroni quoq; exitioſam.Et Cæ
cina iam alpes tranſgreſſus extimulabat. Pridie Idus Mar. cōmendata pa/
tribus Rep. reliquias Neronianarum ſectionum nondum in fiſcum con/
uerſas,reuocatis ab exilio conceſſit:iuſtiſſimum donum, & in ſpeciem ma/
gnificum,ſed feſtinata exactione uſu ſterili. Mox uocata concione, maie/
ſtatem urbis,& cōſenſum populi ac ſenatus pro ſe attollens,aduerſum Vi/
tellianas partes modeſtè diſſeruit: inſcitiam potius legionum quàm auda/
ciam increpans, nulla Vitellij mentione:ſiue ipſius ea moderatio, ſeu ſcri/
ptor orationis ſibi metuens, cōtumelijs in Vitellium abſtinuit: quando ut
in conſilijs militiæ Suetonio Paulino & Mario Celſo,ita in rebus urbanis
Galerij Trachali ingenio Othonē uti credebatur. & erāt qui genus ipſum
orandi noſcerent,crebro fori uſu celebre,& ad implendas populi aures, la/
tum & ſonans. Clamor uocesq́; uulgi ex more adulandi nimiæ & falſæ,
quaſi dictatorem Cęſarem,aut imperatorem Auguſtum proſeque/
rentur: ita ſtudijs uotisq́; certabant. nec metu aut amore,
ſed ex libidine ſeruitij, ut in familijs,priuata cuiq;
ſtimulatio, & uile iam decus publicum.
Profectus Otho quietem urbis
curasq́; imperij Saluio
Titiano fratri
permiſit.

LAETVM Reip. aut atrox.) Exemplar Coruini regis ha/bet,ſemen reip.aut atrox. Suſpicor Tacito fuiſſe ſcriptum, Quod uarie ortum,ſemel reip.atrox, ipſis principibus pro/ſperum aut exitio fuit.Elegans eſt ſententia de imperio Ro. Similia Cicero diuinat in Philippicis.

Decoris cum quadā maieſtate.) Scripſerim, decor oris cum quadam maieſtate.Magis id placet, q̄ decor corporis.

Proſperæ Veſpaſiani res.) Hæc duo uocabula Veſpa/ſiani res,non ſunt in codice Budenſi.Proinde cogitandum num potius ſic legen/dum ſit,Proſpere præſaga reſponſa, Vt ſit aduerbium proſpere.Expone, proſpe/re præſaga,hoc eſt, proſperitatem præſagientia reſponſa.

Et incerta adhuc uictoria.) Caſtigaui, Sed incerta adhuc uictoria.

Obliuiſcendū infenſarū de bello agitātibus.) Opinor ſcribendū, offenſarum.

Conditorem templi regem Venerianum.) Liber manuſcriptus habet, Veria/num.Reponēdum,Aeriam.Id docet Tacitus noſter Annalium libro tertio, Exin Cyprij,inquit,tribus delubris,quorū uetuſtiſſimū Paphiæ Veneri autor Aerias. Huic regi filius fuit Amathus nomine. Nam ſequitur illic mox. Poſt filius eius Amathus Veneri Amathuſiæ.

Aerias rex cōditor tē/pli Paphiæ Veneris in Cypro

Accitum è Cilicia Myram intuliſſe.) Illic legitur, accitā & cilicentam miram intuliſſe.Scripſi,Deamq; ipſam conceptam mari,huc appulſam.ſed ſcientiam ar/temq; aruſpicum accitam,& Cilicem Thamyram intuliſſe.

Sanguinem aræ obfundere uetitum.) Nos,offundere.

Cæſis pluribus hoſtijs.) Emendauimus.Cæſis compluribus hoſtijs.

Annuere deam uidit.) Nos, uidet.

Titus aucto animo ad patrē prouectus.) Caſtigaui.peruectus.Sic infra, Cor/pus inſigne oculis comaq; & toruitate uultus, in Aſiā atq; inde Romā peruectū (eſt.

Profligauerat bellū Iudaicum Veſpaſianus oppugnatione Hieroſoly/marum.Reliqua duro magis.) Scripſi diſtinxiq;.Profligauerat bel.Iud. Veſpaſi/anus oppugnatione Hieroſolymorum reliqua, duro m. &c.

Et inexperti belli labor.) Malim ardor.Nā omnino labor hic locū nō habet.

Noctu diuq; conſilio,ac ſi res poſceret.) Particulam ac eraſimus. Nam Taci/tus breuitatem amat.

Sed bellantibus alijs placuit expectari bellum, cum in uictores uictosq; nunq̄ ſolida fides coaleſceret.) Volumen manuſcriptum habet, ſolida fide coaleſcere. Nos ſic legendum tandem deprehendimus & diſtinguenda uerba. Sed bellanti/bus alijs placuit expectari bellicum. Victores uictosq; nunquam ſolida fide coa/leſcere.Ergo qui uolet ſequatur meum iudicium,aut mendoſa ſe lectione diutius (oblectet.

Cæterum olim mixtis conſilijs.) Scripſimus,Cæteri olim m.c.

Dextra concordiæ ſigna.) Nos, Dextra concordiæ inſignia.

Ad proſequendū eum,quibus.) Codex Budenſis,Ad proſequendū,cum qui/bus Scyth.inſ.tenuit,Quō nos quoq; caſtigauimus.Nec diſplicet altera lectio.

Magnis motibus.) Demiror hāc clauſulā omiſſam in libro manuſcripto,ſicut pauloante,mare. Vbi legimus,mare ingreditur.Sed dormitāt nimiū ſępe librarij.

Adhæc terrore & propria ui Criſpus incubuerat.) Volumē Budenſe. Adhūc terroris & propria ui Criſp. incubuerat.Legerim,Ad hoc terroris, hoc eſt ad hūc terrorem.Intelligit ſenatuſconſultum modo relatum.

Traxeratq; magnā ſenatus partē.) Exēplar regiū, Traxeratq; magiſtratus p.

Quamuis

Quamuis infirmũ & nocentẽ.) Scripſimus, Quamuis inuiſum ac nocentem, more tamen audiendum cenſebant.

Et præcipua fama quartadecumana.) Caſtigauimus, Et pręcipui fama Quartadecimani.

Eo agmen legionum alæ cohorteſq; præueniebant.) Suſtulimus dictionẽ eo.

Sed lorica ferrea uſus eſt.) Deleuimus uerbum, eſt.

Et maiore parte Italiæ.) Particula connectens, &, uidetur hic mihi ſupereſſe.

Non Italia adiri, nec loca ſedeſq; patriæ uidebantur. Tanquam externa litora & urbes hoſtium urere, uaſtare, rapere.) Hæ ſententiæ multis mendis ſunt inſignes. Manuſcriptum uolumen habet. Ita præliorum auidus uidebatur. Non Italia adiri nec loca ſedeſq; patriæ iubebantur tanquam & urbes hoſtium urere, uaſtare, rapere. Vides hic abeſſe duas illas dictiones, externa litora, quas caſtigatores addiderunt. Ego uero pro tanquam & urbes deprehendi poſt laborioſam loci conſiderationem ſcribendum, tanquam metu res. Itaq; ſic diſtinxi ſententiã. Suedius Clemens ambitioſo imp. reg. ut aduerſus modeſtiam diſciplinæ corruptus, ita præliorum auidus. Videbatur non Italia adiri, nec loca ſedeſq; patriæ. Iubebantur tanquam metu res hoſtium urere, uaſtare, rapere. Cæterum uerba, tanquã metu res, non inſerui in contextum, quum mea ſit inuentio. Mutet, qui uelit.

Tanquã metu res. ubi uulgo legitur, Tanquã & urbes

Nec capi poterant pernix genus.) Exemplar regium, nec pernix. Forte ſcribendum, Nec capi poterant, & pernix genus, & gnari locorum.

Nec ullis deinde tortoribus.) Illic legitur, temporibus. Lego, Nec ullis deinde terroribus, aut morte, conſtantiam uicis egregiæ mutauit.

Nec ullis deinde tortorib.

Duas Turingorum cohortes.) Video Turingos librario melius fuiſſe notos quàm Tungros. Sed quia ſupra dixit, non defuiſſe partem Galliarum quæ Rhenum accolit, Vitellij partes ſecutam, & acerrimam inſtigatricem aduerſus Galbianos, inducor ut credam hic & in ſequentibus Tungrorum ſcribendum, non Turingorum. Quod uero de Batauis paulo poſt deq; Tranſrhenanis meminit, fateor equidem accipiendum de Germanis qui trans Rhenum colunt, ſed proximis amni, puta Tencteris, Vſipijs, Tubãtibus, Chamauis, Bructeris, & ſimilibus. Longius uero diſſiti Turingi erant, Tacito non cõmemorati, quos ueteres è quorum numero Sidonius eſt Apollinaris & Vegetius, non Turingos ſed Toringos appellant.

Tungri

Turingi

Toringi

Simul à latere ſaxis urgeret.) Hæc uerba, à latere ſaxis urgeret, non ſunt in uolumine manuſcripto. Nam illic legitur, Simul altitudo apta ad iacendum pro iaciendum. Subaudi exciperet, paganorũ manus. Subauditur & paganorum manus exciperet.

Ni uictorem exercitum attinuiſſet obſcurum noctis obiectum obtentui fugientibus.) Participium obiectum eraſimus. De obtentu monuimus alibi.

Obſcurũ noctis obtentui fugientibus

Et Turingarum cohortium præfecti.) Scripſimus, Et Tungrarum cohor. prę.

Suſtentata quidem diu acie.) Coniunctionem quidem ſubmouimus.

Tanta mole belli nihil in ſumma profutura.) Malim, nihil in ſummam profutura. Quodam ſupra loco rurſum in ſumma ſcriptum fuit pro in ſummã, de quo lectorem admonere fui oblitus.

In ſummam profutura

Quantũ inter Padum alpeſq; camporũ & urbium eſt.) Induximus uerbũ eſt.

Quem repente cõtra Placentiam tranſgreſſi.) Repente aduerbiũ deleuimus. nam illic non extat.

Qui pro Othone & accitum Cæcinam clamitabant.) Forte legendum, Quin pro Othone etiam accitum Cæcinam clamitabant. Mox eſt in uolumine regio, contundet animos.

Tum mœſtiſſimus quiſq; caſtigare credulitatem ſuam.) Emendaui: Tum uetuſtiſſimus quiſq; caſtigare credulitatẽ ſuã. Intelligit diu meritos. Sic libr. quinto

dixit

dixit, uetuſtiſſimos familiarum. Et infra, uetuſtiſsimum conſularium. Item uetuſtatem ſtipendiorum.

Quàm ratione oſtendens.) Nos, Quàm ratione attendens. Itē infra, ac miſſilem ignem in obſeſſos iaculantur.

Dum reperta transſgerūt. Dum regerunt.) Exemplar Matthiæ Coruini. Dum reportans gerunt. Suſpicor ſcribendum, dum reperta transſgerunt.

Et quibuſdam uicinis colonijs inuidiæ æmulatione A quibuſdam è uicinis colonijs, inuidiæ æmulatione.) Illic legitur, & quibuſdam uicinis colonijs inuidiæ æmulatione. Subauditur exiſtente. Nam dandi caſu dictum eſt, quibuſdam uicinis colonijs. Hoc eſt quum quędam uicinæ coloniæ haberent inuidiæ æmulationem. Senſus eſt. Non ſolum ob fraudem, uerum etiam propter inuidiæ æmulationem. Itaq; ſic emendauimus.

Quocunq; caſu accidit.) Codex regius, accidat. Scripſimus, acciderat.

Perfringendis operibus.) Datiuus operibus non eſt illic. Nam ſubauditur, uel ſimilis alius, puta munimentis.

Librata magis & certo ictu.) Magna legitur illic.

Et exangues ac laceri.) Manuſcriptum exemplar habet ait. Repoſuimus, Et exangues aut laceri. Item, Et Iulius Briganticus.

Ferociſſimos auxiliarium imminentibus uiæ lucis imponit.) Nos, Ferociſſimos auxiliarium eminentibus uiæ lucis componit.

Equites procedere longius iuſſit, & irritato prælio ſponte refugere.) Corruptum locum ſic reſtituimus, Equites procedere longius iuſſi, & irritato prælio ſponte refugi, feſtinationem ſequentium elicere. Subauditur, iuſſi ſunt. Mox illic legitur, altis ordinibus obtinuere.

Apud fugientes, occurſantesq;.) Coniunctionem que eraſimus, Apud fugientes, occurſantes, in acie, pro uallo.

Et perculſis nullum retro ſubſidium foret.) Particulā, &, ſubmouimus. Nam elegantior ſententia, ſi abſit.

Haud perinde id damnum.) Scripſimus, Haud perinde damnum, Vitellianos in metum compulit.

Et recuperandi decoris cupidine.) Codex Budenſis habet dedecoris. Forte legendum, recurandi dedecoris cupidine.

Ad poſtremum Valens petulantia.) E præpoſitionem addidimus, Ad poſtremum Valens è petulantia etiam perfidiam ſuſpectabat.

Igitur n. allato p. T. aulam Turingosq;.) Caſtigaui, Treuirorum alam Tungrosq;. Nam hoc eſt quod dixit ſupra, Duas Tungrorum cohortes, quatuor equitum turmas, uniuerſam Treuirorum alam cum Iulio Claſſico præfecto miſit.

Sin uictoria, ſanitas.) Nos, uictoriæ ſanitas. Item infra, Poſtremo precibus (ac lachrymis.

Rapido agmine Cæcinæ iungitur.) Scripſimus, iunguntur.

Et quanquā plus uirium ac prope duplicatus L. a. numerus erat.) Particulam ac deleuimus. nam ſenſum perdit.

Vitellius uentre & gula ſibi ipſi hoſtis.) Codex Matthiæ regis habet ſibim. Forte legendum, ſibimet hoſtis.

Quoniam Galliæ tumeant.) Illic legitur q̃. Lego, Quanquam.

Summæ rerum & imperij ſeipſum reſeruaret.) Exemplar manuſcriptum habet, ſummam, uelut ſit appoſitiue dictum. Sed placet ut ſummæ legatur. Mox eſt illic prætorianarum. Nec id placet.

Quando ſuſpecti duces, & Otho cui uni apud militē fides.) Rurſum illic, Et ut Otho. Malim, Et Otho ut cui uni apud militem fides. Item, iactis inſuper ancoris, quod illic ſit ſuper. Forte legendū, iactis ſuperne ancoris. Paulopoſt deeſt illic uocabulū hoſtes, Vnde tormētis & machinis propulſarētur. Item, in codē codice legitur, Mixti remiges propugnat. Quum

Quum incurſu tribunorum.) Scripſimus,intercurſu.

Niſi pollutum obſtructumq; moribus ſuis principem paſſuros.) Repoſui,Niſi pollutum obſtrictumq; meritis ſuis principem paſſuros.

Alienæ culpæ prætendebatur.) Emẽdauimus,Alienæq; culpæ prætẽdebant.

Non amiſſuro,quo minus expeditus.) Caſtig. Nõ admiſſuro,quo minus ex. & u.q.m.p.p.a.i.i.a.a.d.& u.m. aggrederetur.

Quæ aſtrictis mucronibus.) Suſtulimus pronomen quæ, & participiũ aſtrictis prima litera multauimus,uocem Ea ſubſtituentes, Ea ſtrictis mucronibus redire pulſos,& pugnam reſumere coegit.

Incertus undiq; clamor accurrentium,clamantiumq;.) Submoto parelco que ſcripſimus,accurrentium, clamantium, & ut c.

In primam poſtremamue aciem.) Nos, in primam poſtremamq; aciem.

An in ipſa Othonis parte.) In præpoſitionem deleui.

Cominus eminus.) Scripſi,Comi. eminusq; cateruis & cuneis cõcurrebant.

Galeas loricaſq; perrupere.) Nos,Gal.lori. perrumpere, hoc eſt,perrũpebãt.

Cæteris conſpicui.) Si quis cæteri uolet legere, quẽadmodũ eſt in codice manuſcripto,ſic diſtinguet.Noſcentes inter ſe cæteri, cõſpicui in euentũ totius belli certabãt.

Primani ſtratis Vneetuiceſimanorum principibus.) Caſtigaui, Primani ſtratis Vnaetuiceſimanorum principijs.

Aperte alia propulſa.) Nos,A parte alia,propulſa Q.imp. xiij. legio.

Nequaq̃ trepidus,& cõſilij certus.) Malim,Nequaq̃ trepidus,ſed cõſ.certus.

Is prætorij præfectus erat.) Verbum erat ſuſtulimus.

Sed præmiſſi è Mœſia.) Nos, Sed præmiſſi Mœſia. Subauditur aũt è præp.

Ipſe auerſus à conſilijs belli.) Scripſi,Ipſe uerſus à conſilijs belli.

Tanto pulchrior mors erit.) Tanto non eſt in uolumine Budenſi,nec eſt opus ea uoce.Subauditur enim.Quãto plus ſpei oſtenditis,ſi uiuere placeret, pulchrior mors erit.Nec hic ſolũ omittit,ſed & alijs in locis. Libro 19. Et propinqua Cremonenſium mœnia,quanto plus ſpei ad effugium,minorem ad reſiſtendum animum dabant.Eodem libro de Vitellio.Nam amicorum eius quanto quis clarior, minus fidus.Proinde nos hoc quoq; loco ſuppoſititiam uocẽ tãto ſubmouimus.

Nec tempus computaueritis.) Scripſi, Ne tempus computaueritis.

Difficilius eſt temperare felicitati.)Datiuus felicitati non eſt in libro regio, nec eo opus eſt.Nam ſubauditur fortunę,quod uocabulum precedit. Aut ſimilis datiuus quiſpiam.puta,rei,uel ablatiuus re, pro ab re.

Initium illic fuit.) Malim,illinc fuit.

Nemo tam fortiter reliquerit.) Verbum reliquerit delendum eſt. Nam optime habet ſententia. Alij diutius imperium tenuerunt,nemo tam fortiter,Subaudi tenuit.Loquitur autem de fortitudine animi,qua mortem etiam non timebat.

Irent propere,neu remanendo iram uictoris aſperaret.) Caſtigaui,neu remorando iram uictoris aſperarent.

Aut in Vitellium.) Præpoſitionem in ſuſtulimus.Studio erga ſe,aut Vitellium,Subauditur erga repetitum, contumelijs inſignes abolet.

Aut nimium meminiſſet.) Aduerbium nimium nõ eſt in codice Budenſi. Videtur adiectũ ab eo qui putabat alioqui ſententiam eſſe imperfectam.Quum horum uerborum, Neu patruum ſibi Othonem fuiſſe,aut obliuiſceretur unquam, aut meminiſſet,ſenſus ſit,Nec ſe fuiſſe talem cuius pudere merito queat ut ipſius obliuiſcendum ſit,nec rurſum adeo profuiſſe,ut longam apud ſuos memoriã meruerit,aut expectet pro beneficijs celebrari. Mirã Othonis modeſtiã arguãt hæc uerba.

Atq; illum ſupremas iam curas animo uolutantẽ.) In uolumine regio legitur,Atq; illũ iam ſupr.c.agentes.Scripſimus,atq; illũ iam ſupremas curas agentem.

Namq;

Namq; abeuntibus exitum minitabantur.) Caſtig. exitium minitabantur.

Tum allatis pugionibus duobus, cum utrunq; pertentaſſet.) Liber manuſcriptus. Tum allatis pugionibus, cum utrinq; temptaſſet, Hoc eſt ab utraq; acie, alterum capiti ſubdit, non ſubdidit. Apparet autem fuiſſe duos, quia dicit, alterum capiti ſubdit. Ergo ſubintelligitur ablatiuus duobus. Quam lectionē nos in contextum retulimus.

Ac poſtea promiſcue Bebriaci, Placentię, aliſq; in caſtris celebratum id genus mortis.) Eraſimus particulam que. Nam gaudet aſyndeto Tacitus.

Celebri uico.) Scripſimus, celebri luco.

Aut circum uolitantium alituum.) Coniunctionē aut deleuimus, & pro circum uolitantium alituum ſcripſimus, circumuolitantem alitem.

Tum ablatam ex oculis.) Codex Budēſis, Tum ablata ex oculis. Subauditur eſt. Sed tum oportebit in clauſula quæ ſequitur, Et tempora reputātibus initium finemq; miraculi cum Othonis exitu competiſſe, rurſum ſubaudire uerbum memorant, aut aiunt.

Illuc aduerſo de prælio allatum.) Nos, Illuc de aduerſo prelio allatum.

Conuitijs poſtremū.) Scripſi, Conuitijs poſtremo. Nec refert utro mō legas.

Appellabatq; patres conſultos intēpeſtiuo honore.) Caſtigaui, Appellabatq; patres conſcriptos intempeſtiuo honore.

Et rediere omnes Bononiam, rurſus conſiliaturi.) Quid ſi legas, conſilituri, à uerbo conſilire. Nam ante diſperſi fuerant, Hoc uerbo Tacitus utitur libro quinto. Patrem Abdagaſen, aliosq; occultos cōſilit. Niſi mendoſa eſt æditio. Conſtruit alibi cum datiuo libro tertio. Heduos, inquit, euincite, & fugientibus conſilite.

Et Cenus quidem rapidus in urbem uectus.) Exemplar Coruini regis. Et Cenus quidem rapidum urbem. Forte, rapide in urbem uectus.

In ſacramento Vitellij adactum.) Legendum, Quod erat militum, ſacramēto Vitellij adactum. Sic enim infra loquitur. Feſtinante Tiberio Alexandro, qui kal. Iul. ſacramento eius legiones adegit.

Inhoneſtam adulationem compeſcit.) Repoſui, compeſcuit.

Cæſo Galba in Othone pronus.) Malim, in Othonem pronus.

Appulſus littori trucidatur.) Scripſi, Appulſus litori, trucidatus, Subaud. eſt.

Nullo principali paratu Nullo principali apparatu.) Caſtigaui, nullo principali paratu. De qua dictione ſupra monuimus lectorem.

Circundaret principis miniſteria.) Correxi, Circund. principi miniſteria.

Vernilibus blanditijs Quamuis odium Vitellius humilibus blanditijs uelaret.) Liber Matthię Coruini habet, iuuenilibus blanditijs. Lego, uernilibus blanditijs, hoc eſt ſeruilibus, adulatorijs. Hoc uocabulū uſurpat libro ſequenti de Antonio Primo. Vernile dictum omnem inuidiam in eum uertit, tanquam ſignum incendendæ Cremonæ *Vernile dictū* dediſſet, quæ iam flagrabat. Vernile dictum, hoc eſt, ſcurrile, procax.

Nomen id ſibi indiderat.) Illic legitur, nam id ſibi indiderat.

In pœnitentiā uerſus ſeram ueniam poſt ſcelus quęrebat.) Codex manuſcriptus manifeſte habet pro ſeram ſecundam. Itaq; & nos ſic ſcripſimus.

Terruit è periculo principis famā clementiæ affectare.) Nos, affectaret, Subauditur, ut.

Longū interfectori uiſum, in itinere ac taberna proiectum humi iugulauit.) Repoſuimus, Longum interfectori, Subauditur erat. In itinere uiſum, ac taberna proiectum humi iugulauit.

Non minax triſtibus.) Scripſimus, non minis triſtibus.

Aut ambitu ciuitatis in gaudium euecta.) Caſtigauimus, euicta.

Interpretabatur quædam exhortationibus eius contumelioſa in Vitellium.) Emendauimus, ex orationibus eius.

Cluuius comitatu principis adiectus.) Nos, comitatui.
Maioribus aliarũ urbiũ cladibus obliteratum eſt.) Verbũ eſt expunximus.
Separatæ primum.) Scripſi, Separati primum.
Tertiamdecimam ſtruere amphitheatrũ iuſſit.) Codex regius habet, Tertiadecima. Cuius occaſione uocabuli ſic repoſuimus, Tertiadecimani ſtruere amphitheatrum iuſſi.
Apud uictores orta ſeditio ludicrorũ initio.) Nos ludicro initio.
Numerus cæſorum inuidiam bello auxit.) Budenſe uolumen habet, nũs nũs cæſorum inuidiam bello auxiſſet. Correxi locum, niſi numerus cæſorum inuidiam bello auxiſſet.
Perinde miles intentus aut licentioſus.) Scripſimus, aut licentior. Nam illic legitur, licenter.
Quam diſciplinę & caſtris propiora.) Codex manuſcriptus, promptiora. Nec eſt abſurda lectio. Nec illic habentur mox duæ uoces, altero è. Sed tantum, altero legionis quintæ, Gallis auxiliaribus. Infra. Nos, Poſtero die.
Cæterum ut largitionibus affectę tamen imperij opes ſufficerent.) Vocat eleganter affectas opes imperij, quas imminutas intelligit exhauſtasq́. *Affectæ opes imperij*
Nec minus inhumana pars uiæ.) Forte, inamœna. Item, Lauro.
Hinc erupiſſe legionum agmen.) Liber Coruini regis, irrupiſſe.
Hinc equites cohortos.) Nos, coortos.
Falſo uera aut maiora uero miſcebant.) Manuſcriptum uolumen, Falſa uera aut maiora uero miſcebãt. Senſus eſt, Falſa & uera aut maiora uero miſcebãt.
Spacia certaminum recognoſcere.) Illic, Spacia certamina recognoſcere. Expone. Spacia & certamina recognoſcere.
Cohortati aliorum conſulatus.) Emendaui, Coartati aliorum conſulatus.
Interrogatus quis nam mortalium eſſet.) Nos, interrogatusq́; quis mor. eſſet.
Poſtquã ſpeculatores è Syria Iudæaq́; ad in.u.e.O. nunciauere.) Deleuimus præpoſitionem è, quæ ſubintelligitur.
Et procul uel iuxta ſitas uires circumſpectabat.) Particulam & ſubmouimus.
Namq́; omnes exercitus flammauerat arrogantia uenientium à Vitellio militum.) Exemplar manuſcriptum. Namq́; omnis exercitus flammauerat ad arrogantiam uenientium à Vitellio militum. Vbi flammauerat accipit abſolute. *Flammare abſolute pro incenſum eſſe*
Sed inerat à mole belli plerunq́; conctatio.) Legitur illic, Sed inerat amor belli. Scripſerim. Sed inerat timor belli plerunq́; cunctatio. Appoſitiue.
Nihil mediũ inter ſumma aut præcipitia. Nos, inter ſumma ac præcipitia. Paulopoſt eſt illic, præſenti facinore.
Iuxta deos.) Iuxta deos uidetur dictum pro per fauorem deorum, ſicut dicimus, ſecundum deos pro poſt deos. At codex Budenſis habet, Vixit deos. Ex qua ſcriptura nihil erui queat, niſi quis legendum ſuſpicetur, Vixit nepos, hoc eſt, ganeo, ſcilicet Vitellius. Vixiſſe dicimus quos periſſe ſignificamus. Tum diſtingue Vixit nepos. In tua manu poſitum eſt. Sed hæc coniectura eſto.
Abijt iam & tranſuectum eſt tempus, quo poſſes uideri concupiſſe.) Regius liber habet manifeſte, quo poſſes uideri concepiſſe. Eſt concipere ex deſtinato ſuſcipere. Libro primo. Fraude aut ui raptum Agrippam ferre ad exercitus Germanicos non ſeruili animo concepit. Liuius libro quarto primæ dec. In ea Sp. Melius ſpem regni conceperit. Sic etiam dicitur ſcelus concipi quod ſuſcipitur. *Concipere imperium*
Ne Othonem quidem ducis arte, aut exercitus ſui, ſed præpoſtera ipſius deſperatione uictum.) Caſtigauimus, Aut exercitus ui.
Impleſſe fidem ominis uidebantur,) Illic legitur, uidebatur. Imperſonaliter.
Aram tantũ & reuerentiam.) Malim, ara tantũ & reuerentia.

Eo ardore ut ne Titus quidem filius expectaretur.) Nos duas iſtas uoces, eo ardore, ſubmouimus, & diſtinximus, ut hic nouæ ſententiæ ſit initium, Vt ne Titus quidem filius expectaretur.

Militariter lautus Militariter locutus.) Caſtigauimus, Militariter lautus. Significat Veſpaſianum non fuiſſe exquiſite ſeu urbana elegantia excultum.

Læta omina & aſſidue excepit.) Nec ſit prorſus mala lectio, ſi quis omina legat.

Contra Syriacis legionibus Germanica hyberno cœlo ac laboribus dura mutarentur.) Repoſui, Germanica hyberna cœlo ac laboribus dura mutarentur. Hyberna uocat hybernacula.

Et militibus uetuſtate ſtipendiorum nota & familiaria caſtra, in modum penatium diligebantur.) Fœdum erratum eſt hoc loco. Caſtigauimus, in modum penatium dirigebantur. Nam loquitur de conſtruendo. Dirigũtur autem caſtra aut domus, quoties ordines debiti ſeruantur.

Ignaro adhoc Vitellio.) Scripſimus, Ignaro adhuc Vitellio.

Donatiua militi.) Codex Budenſis, Donatiuo. Forte, Donatiuum. Mox ſcripſimus. Ne Veſpaſianus quidem.

Gnarus modicas uires eſſe ſibi.) Infinitum uerbum eſſe deleuimus. Mox ſcripſimus, Sed legio ſexta & tredecim uexillariorum millia.

Si ſibi Brunduſium.) Sic & illic legitur. Ego uero ſcripſerim, Si ſimul Brunduſium T. & Lucaniæ Calabriæq; littora infeſtis claſſibus peterẽtur. Docti mecum ſentient.

Chariſſimus quiſq; eandem in recuperando licentiã habuerunt.) Caſtigauimus, Rariſsimus quiſq;.

Tranſgreſſi in partes.) Participium tranſgreſſi ſubmouimus. Illyrici exercitus ſtudio in partes.

Ita tres Mœſicę legiones per epiſtolas alliciebant Pannonicum exercitum, aut abnuenti uim parabant.) Hęc uerba, Pannonicum exercitum, aut abnuenti uim parabant, adulterina ſunt & ſuppoſititia, proinde eraſimus. Supra neſcio ubi ſic loquitur Tacitus, aut abnuenti uim parat. Diſtinximus uero ſic ſententiã, Ita tres Mœſicæ, legiones per epiſtolas alliciebant. Nunc uides nihil deeſſe.

Sed procurator aderat Cornelius Fuſcus.) Malim legere, Et procurator aderat Cornelius Fuſcus. Nam extrema proxime pręcedentis uocabuli litera eſt, S. Hinc errori prębita anſa.

Idemq; pro Galba dux coloniæ ſuæ.) Scripſimus, Idem pro Galba d.c.ſ.

Noua, ambigua, & ancipitia malebat.) Induximus particulam, &, ut legas, noua, ambigua, ancipitia malebat. nam diſſolutũ quod uocant rhetores Tacito familiare.

Nec minus ſæuũ ſpectaculum erant ipſi tergis ferar. & ing. telis horrentes.) Pronomen ipſi non eſt in Budenſi codice.

Decora facies, & non Vitellio principe dignus exercitus.) Hæc tota clauſula nõ eſt manuſcripto libro. Suſpicor è margine in contextum relatum.

Atq; ibi matrẽ complexus, Auguſtæ nomine decorauit.) Repoſ. honorauit.

Nec unq̃ ſatis fida potentia, ubi ui nimia ẽ Nec unquam ſatis fida potentia, ubi nimia eſt.) Volumẽ regis Coruini, Vbi minima eſt. Legerim, Vbi ui nimia eſt.

Et adiacentia Tiberi Germanorũ Gallorumq; obnoxia morbis corpora.) Illic legitur Germanorum Gadauorumq;. Lego. Batauorumq;. Vt per Germanos etiam tranſrhenanos intelligamus, Tencteros, Bructeros, Vſipetes, & Chamauos qui in exercitu Vitellij erant. At hodie Galli inediæ, æſtus, frigoris, ſitis, & alieni cœli longe ſunt tolerantiores. Secus tamen prodũt autores de uetuſtiſsimis Gallis, quos Germanis faciunt perſimileis.

Liberti principum conferre.) Verbum cõferre non eſt in libro Budenſi. Mox nos, Cæcina ac Valens. Paulopoſt, non eſt illic Neroni, nec iecillent, ſed iecillet.

Et

Et amici adulantes, nullius interpretabantur unius legionis eam ſeditionem.) Volumen regiũ quoq; continet, nullius interpretabantur. Sed nos caſtigauimus, mollius interpretabantur. *Mollius interpretabantur:*

Proinde ſocij de imperio utriuſq; coniectabant.) Scripſi, perinde ſocij de imperio utriuſq; coniectabant.

Mare quoque Eteſiæ flabant, harum flatus in Orientē nauigantibus ſecundus, inde aduerſus erat.) Codex Matthiæ regis habet. Mare quoq; & eſi flabra aquilonis ʌ erum flat in Orientē nauigantibus ſecundum inde aduerſum erat. Lego. Mare quoq; Eteſiarum flatu in Orientem nauigantibus ſecundum, inde aduerſum erat. Duę porrò dictiões, flabra aquilonis, è margine codicis archetypi, quem doctus aliquis annotarat, in contextum à deſcribente ſunt relata. De ſinceritate lectionis iſtius nihil ambigo. Sic libro quinto. Quia flatibus Eteſiarum implentur uada, hybernus Auſter reuoluit fluctus, pulſoq; introrſus freto, breuia littorũ nudantur.

Seu perfidiam meditatio.) Scripſi, ſeu perfidiam meditanti.

Cum uexillarijs Hyſtris Britannicarum legionum.) Exemplar Budenſe: Cum uexillario hyſtrium britannicarum legionum. Legendũ, cum uexillarijs III Britannicarum legionum. Mox illic legitur. Ipſe Rauennam deuertit. Nam librarius ille perpetuo propemodum deuertere ſcripſit pro diuertere.

Prætextu claſſem alloquendi.) Manuſcriptus liber, Prætexto. Dicitur autem non minus latine prætexto q̃ prætextu. Quid ergo opus erat mutare?

Mox Patauij ſecretum componendæ proditionis quæſitum.) Illic legitur, ad ſecretum. Lego, id ſecretum componendæ proditioni quæſitum.

Corrupti in adulationem cauſas tradidere.) Codex Budenſis, Corruptos habet. Repoſui, corruptas in adulationem cauſas tradidere.

Et prodito Galba, uilem mox fidem.) Nos, Et prod. Galba, mox uilem fidem.

FINIS

P. CORNELII TACITI AB EXCESSV DIVI AVGVSTI ANNALIVM

LIBER XVIII

STRVEBAT iam fortuna in diuerſa parte terrarum initia cauſasq; imperio, quod uariè ortum, lætum Reip. aut atrox, ipſis principibus proſperum aut exitio fuit. Titus Veſpaſianus è Iudæa incolumi adhuc Galba miſſus à patre, cauſam profectionis officiũ erga principem, & maturam petendis honoribus iuuentam ferebat. Sed uulgus fingendi auidum diſperſerat, accitum in adoptionem. materia ſermonibus, ſenium & orbitas principis, & intemperantia ciuitatis, donec unus eligatur, multos deſtinandi. Augebat famam, ipſius Titi ingenium quantæcunq; fortunæ capax, decor oris cum quadã maieſtate, proſperæ Veſpaſiani res, præſaga reſponſa, & inclinatis ad credendum animis loco omnium etiam fortuna. Vbi Corinthi Achaiæ urbe certos nũcios accepit de interitu Galbæ (& aderãt qui arma Vitellij bellumq; affirmarẽt) anxius animo, paucis amicorum adhibitis, cuncta utrinq; per

 luſtrat

luſtrat. Si pergeret in urbem, nullam officij gratiam, in alterius honorẽ ſuſcepti: ac ſe Vitellio, ſiue Othoni, obſidem fore. Sin rediret, offenſam haud dubiam uictoris. ſed incerta adhuc uictoria, & concedente in partes patre, filium excuſatum. Sin Veſpaſianus Remp. ſuſciperet, obliuiſcendũ infenſarum de bello agitantibus. His ac talibus inter ſpem metumq́ iactatum, ſpes uicit. Fuere qui accenſum deſiderio Beronices reginæ, uertiſſe iter crederent. Neq; abhorrebat à Beronice iuuenilis animus. ſed gerendis rebus nullum ex eo impedimentum. lætam uoluptatibus adoleſcentiam egit, ſuo quàm patris imperio modeſtior. Igitur oram Achaiæ & Aſiæ ac læua maris præteruectus, Rhodum & Cyprum inſulas, inde Syriam audentioribus ſpacijs petebat. Atq; illum cupido inceſſit, adeũdi uiſendiq́ templum Paphiæ Veneris inclytum per indigenas aduenasq́. Haud fuerit longum initia religionis, templi ſitum, formam deæ (neq; enim alibi ſic habetur) paucis diſſerere. Conditorem templi regem Aeriam uetus memoria, quidam ipſius deæ nomen id perhibent. Fama recentior tradit, à Cinara ſacratum templum, deamq́ ipſam cõceptam mari, huc appulſam. Sed ſcientiam artemq́ aruſpicum accitam, & Cilicem Thamyram intuliſſe. Atq; ita pactum, ut familiæ utriuſq; poſteri cerimonijs præſiderẽt. Mox ne honore nullo regium genus peregrinam ſtirpem antecelleret, ipſa quam intulerant ſcientia hoſpites ceſſere. Tantum Cinarades ſacerdos conſulitur. Hoſtiæ ut quiſq; uouiſſet, mares deliguntur. Certiſſima fides hedorum fibris. Sanguinem aræ offundere uetitum. precibus & igne puro altaria adolentur, nec ullis hymbribus quanquam in aperto madeſcũt. Simulachrum deæ non effigie humana. Continuus orbis latiore initio tenuem in ambitum metæ modo exurgens. Et ratio in obſcuro. Titus ſpectata opulentia doniſq́ regum, quæq́ alia lætum antiquitatibus Græcorum genus incertæ uetuſtati affingit, de nauigatione primum conſuluit. Poſtquam pandi uiam, & mare proſperum accepit, de ſe per ambages interrogat, cæſis compluribus hoſtijs. Soſtratus (ſacerdotis id nomen erat) ubi læta & congruentia exta, magniſq́ conſultis annuere deam uidet, pauca in præſens & ſolita reſpondens, petito ſecreto futura aperit. Titus aucto animo ad patrem peruectus, ſuſpenſis prouinciarum & exercituum mẽtibus, ingens rerum fiducia acceſſit. Profligauerat bellum Iudaicum Veſpaſianus, oppugnatione Hieroſolymorum reliqua, duro magis & arduo opere ob ingenium gentis & peruicaciã ſuperſtitionis, quàm quod ſatis uirium obſeſſis ad tolerandas neceſſitates functions ſupereſſet. Tres, ut ſupra memorauimus, ipſi Veſpaſiano legiones erant, exercitæ bello: quatuor Mutianus obtinebat in pace. Sed æmulatio & proximi exercitus gloria repulerat ſegnitiã. Quantumq́ illis roboris diſcrimina & labor, tantum his uigoris addiderat integra quies, & inexpertus belli labor. auxilia utriq; cohortiũ alarumq́, & claſſes regeſq́, ac nomen diſpari fama celebre. Veſpaſianus acer militię, anteire ag-

men

men,locũ caſtris capere,noctu diuq; conſilio,ac ſi res poſceret,manu hoſti- *Veſpaſianus* bus obniti,cibo fortuito, ueſte habituq; uix à gregario milite diſcrepans, prorſus,ſi auaritia abeſſet,antiquis ducibus par. Mutianũ è contrario ma- *Mutianus* gnificentia & opes, & cuncta priuatum modum ſupergreſſa extollebant. aptior ſermone,diſpoſitu,prouiſuq; ciuilium rerum peritus. egregiũ principatus temperamentum,ſi demptis utriuſq; uitijs, ſolæ uirtutes miſcerentur. Cæterum hic Syriæ, ille Iudææ præpoſitus,uicinis prouinciarum adminiſtrationibus inuidia diſcordes,exitu demum Neronis,poſitis odijs in medium conſuluere,primum per amicos: dein præcipua concordiæ fides Titus praua certamina cõmuni utilitate aboleuerat, natura atq; arte compoſitus alliciendis etiam Mutiani moribus. Tribuni centurionesq; & uulgus militum,induſtria,licentia,per uirtutes,per uoluptates,ut cuiq; ingenium adſciſcebantur. Antequam Titus aduentaret, ſacramentum Othonis acceperat uterq; exercitus præcipitibus,ut aſſolet,nuncijs,& tarda mole ciuilis belli,quod longa cõcordia quietus oriens,tunc primũ parabat.Namque olim ualidiſſima inter ſe ciuium arma in Italia,Galliáue, uiribus occidentis cœpta.Et Pompeio,Caſſio,Bruto,Antonio,quos omnes trans mare ſecutum eſt ciuile bellum,haud proſperi exitus fuerant.Auditiq; ſæpius in Syria Iudææq; Cęſares quàm inſpecti.Nulla ſeditio legionum,tantum aduerſus Parthos minæ uario euentu.Et proximo ciuili bello turbatis alijs inconcuſſa ibi pax.dein fides erga Galbam.Mox ut Othonem ac Vitellium ſceleſtis armis res Romanas raptum ire,uulgatum eſt, ne penes cæteros imperij præmia,penes ipſos tantum ſeruitij neceſſitas eſſet,fremere miles,& uires ſuas circumſpicere.Septem legiones ſtatim, & cum ingentibus auxilijs Syria Iudææq;: inde continua Aegyptus duæq; legiones, hinc Cappadocia Pontusq;,& quicquid caſtrorũ Armenijs prætenditur. Aſia & cæteræ prouinciæ,nec uirorum inopes,& pecuniæ opulentæ. quantum inſularum mari cingitur,& parãdo interim bello ſecluſum tutumq; ipſum mare. Non fallebat duces impetus militum. Sed bellantibus alijs placuit expectari bellum,cum in uictores uictosq; nunquam ſolida fides coaleſceret.Nec referre Vitellium an Othonẽ ſuperſtitem fortuna faceret. Rebus ſecundis etiam egregios duces inſoleſcere. diſcordiam his ignauiam luxuriem.& ſuiſmet uitijs alterum bello,alterum uictoria periturum. Igitur arma in occaſionem diſtulere, Veſpaſianus Mutianusq; nuper, cæteri olim mixtis conſilijs, optimus quiſq; amore Reip. Multos dulcedo prædarum ſtimulabat,alios ambiguæ domi res.Ita boni maliq; cauſis diuerſis,ſtudio pari,bellum omnes cupiebant. Sub idem tempus Achaia atq; Aſia falſo exterritæ uelut Nero aduentaret, uario ſuper exitu eius rumore, eoq; *Falſus Nero* pluribus uiuere eum fingentibus,credentibusq;. Cæterorum caſus conatusq; in cõtextu operis dicemus.Tunc ſeruus è Ponto, ſiue ut alij tradidere,libertinus ex Italia, citharæ & cantus peritus (unde illi ſuper ſimilitudi-

nem oris propior ad fallendum fides)adiunctis deſertoribus,quos inopia uagos ingẽtibus promiſſis corruperat,mare ingreditur:ac ui tempeſtatum Scythinum inſulam detruſus,& militum quoſdam ex Oriente commeantium aſciuit,& abnuentes interfici iuſſit,& ſpoliatis negotiatoribus,mancipiorum ualentiſſimũ quemq; armauit. Centurionemq; Siſennã dextras, concordiæ inſignia,Syriaci exercitus nomine ad prætorianos ferentẽ, uarijs artibus aggreſſus eſt, donec Siſenna clàm relicta inſula, trepidus & uim metuens aufugeret.inde late terror,multis ad celebritatẽ nominis erectis,rerum nouarũ cupidine & odio præſentium.Gliſcentẽ in dies famam fors diſcuſſit. Galatiam ac Pamphyliã prouincias Calphurnio Aſprenati regẽdas Galba permiſerat. Datæ è claſſe Miſenenſi duæ triremes ad proſequẽdum,cum quibus Scythinũ inſulam tenuit. Nec defuere qui trierarchos nomine Neronis accirent.Is in mœſtitiam compoſitus,& fidem ſuorum quondam militũ inuocans,ut eum in Syria,aut Ægypto ſiſterẽt orabat.Trierarchi nutantes,ſeu dolo,alloquendos ſibi milites, & paratis omnium animis reuerſuros firmauerunt.Sed Aſprenati cuncta ex fide nunciata. cuius cohortatione expugnata nauis, & interfectus quiſquis ille erat. Corpus inſigne oculis comaq; & toruitate uultus,in Aſiam, atq; inde Romam peruectum eſt. In ciuitate diſcordi & ob crebras principum mutationes inter libertatem ac licentiam incerta,paruæ quoq; res magnis motibus agebantur. Vibius Criſpus,pecunia,potentia,ingenio inter claros magis quàm inter bonos,Anniũ Fauſtum equeſtris ordinis, qui temporibus Neronis delationes factitauerat,ad cognitionẽ ſenatus uocabat. Nam recens Galbæ principatu cenſuerant patres,ut accuſatorum cauſæ noſcerentur.Id ſenatuſconſultum uarie iactatũ, & prout potens uel inops reus inciderat,infirmũ aut ualidum retinebatur. Ad hæc terrore & propria ui Criſpus incubuerat delatorẽ fratris ſui peruertere, traxeratq; magnã ſenatus partem,ut indefenſum,& inauditũ dedi ad exitiũ poſtularet.Contra apud alios nihil æque reo proderat quàm nimia potentia accuſatoris: dari tempus,edi crimina,quãuis inuiſum ac nocentem, more tamen audiendũ cenſebant.Et ualuere primo:dilataq; in paucos dies cognitio.mox damnatus eſt Fauſtus,nequaquam eo aſſenſu ciuitatis, quem peſſimis moribus meruerat. quippe ipſum Criſpum eaſdem accuſationes cum præmio exercuiſſe meminerant.Nec pœna criminis,ſed ultor diſplicebat. Læta interim Othoni principia belli, motis ad imperium eius è Dalmatia Pannoniaq; exercitibus.Fuere quatuor legiones,è quibus bina millia pręmiſſa.Ipſę modicis interuallis ſequebãtur:ſeptima à Galba conſcripta: ueteranæ,undecima ac tertiadecima,& præcipui fama Quartadecumani rebellione Britanniæ cõpreſſa.Addiderat gloriã Nero,eligendo ut potiſſimos. Vnde longa illis erga Neronem fides,& erecta in Othonem ſtudia. Sed quo plus uirium ac roboris,è fiducia tarditas inerat. agmen legionum, alæ cohorteſq;

Sic poſterioribus ſeculis Pſeudofridericũ Rodolphus Cæſar cremari iuſſit

Vib.Criſpus

præueniebant

præueniebant.Et ex ipſa urbe haud ſpernēda manus,quinq; prętoriæ cohortes,& equitum uexilla cum legione prima: ac deforme inſuper auxilium,duo millia gladiatorū,ſed per ciuilia arma etiam ſeueris ducibus uſurpatum.His copijs rector additus Annius Gallus, cum Veſtricio Spurina ad occupandas Padi ripas præmiſſus: quoniam prima cōſiliorum fruſtra ceciderant,tranſgreſſo iam alpes Cæcina,quem ſiſti inter Gallias poſſe ſperauerat. Ipſum Othonem comitabantur ſpiculatorum lecta corpora, cum cæteris prætorijs cohortibus, ueterani è prætorio, claſſicorum ingens numerus. Nec illi ſegne aut corruptum luxu iter.ſed lorica ferrea uſus,& ante ſigna pedeſter,horridus,incomptus, famæq; diſſimilis.Blandiebatur cœptis fortuna, poſſeſſa per mare & naues maiore Italiæ parte, penitus uſq; ad initium maritimarū alpium:quibus tentandis aggrediendisq;, prouinciæ Narbonenſi Suedium Clementem,Antonium Nouellum,Æmylium Pacenſem duces dederat. Sed Pacenſis per licentiam militum uictus,Antonio Nouello nulla auctoritas. Suedius Clemens ambitioſo imperio regebat,ut aduerſus modeſtiam diſciplinæ corruptus,ita præliorum auidus. Videbatur non Italia adiri,nec loca ſedesq; patriæ:iubebātur tanq; externa littora & urbes hoſtiū urere, uaſtare, rapere, eo atrocius quod nihil uſquam prouiſum aduerſum metus.pleni agri, apertæ domus. occurſantes domini iuxta coniuges & liberos,ſecuritate pacis,& belli malo circumueniebātur. Maritimas tum alpes tenebat procurator Marius Maturus.Is concita gente,nec deeſt iuuentus,arcere prouinciæ finibus Othonianos intendit. Sed primo impetu cęſi diſiectiq; montani,ut quibus temere collectis, non caſtra non ducem noſcitantibus, neq; in uictoria decus eſſet, neq; in fuga flagitium.Irritatus eo prælio Othonis miles, uertit iras in municipium Albintimilium:quippe in acie nihil prædæ,inopes agreſtes,& uilia arma:nec capi poterant,pernix genus, & gnari locorū. ſed calamitatibus inſontium expleta auaritia. Auxit inuidiam præclaro exemplo fœmina Ligus, quæ filio abdito, cum ſimul pecuniam occultari milites credidiſſent, eoq; per cruciatus interrogarent ubi filium occuleret, uterum oſtendens, latere reſpondit.Nec ullis deinde tortoribus,aut morte,conſtantiam uocis egregiæ mutauit. Imminere prouinciæ Narbonenſi,in uerba Vitellij adactæ,claſſem Othonis,Fabio Valenti trepidi nuncij attulere.Aderant legati coloniarum,auxilium orantes.Duas Tungrorū cohortes, quatuor equitum turmas,uniuerſam Treuirorū alam, cum Iulio Claſſico præfecto miſit.è quibus pars in colonia Foroiulienſi retenta: ne omnibus copijs in terreſtre iter uerſis,uacuo mari claſſis accelararet.Duodecim equitum turmæ & lecti è cohortibus aduerſus hoſtem iere: quibus adiuncta Ligurum cohors,uetus loci auxilium,& quingenti Pannonij nondum ſub ſignis. Nec mora prælio: ſed acie ita inſtructa, ut pars claſſicorum mixtis paganis in colles mari propinquos exurgeret,quantum inter colles ac littus æqui loci

Alpes maritimæ

Tungrorum cohortes

prætorianus miles expleret, in ipſo mari ut annexa claſſis & pugnæ para-
ta,conuerſa,& minaci fronte prætenderetur. Vitelliani quibus minor pedi-
tum uis,in equite robur,alpinos proximis iugis,cohortes denſis ordinibus
poſt equitem locãt. Treuirorum turmæ obtulere ſe hoſti incautè, cum ex-
ciperet contra ueteranus miles, ſimul à latere ſaxis urgeret apta ad iacien-
dum paganorum manus,qui ſparſi inter milites ſtrenui ignauiq; in uicto-
ria idem audebant. Additus perculſis terror,inuecta in terga pugnantium
claſſe. Ita undiq; clauſi. Deletæq; omnes copiæ forent, ni uictorem exerci-
tum attinuiſſet obſcurũ noctis,obtentui fugientibus. Nec Vitelliani quan-
quam uicti quieuere. accitis auxilijs,ſecurum hoſtem, ac ſucceſſu rerum ſo-
cordius agentem inuadunt. cæſi uigiles,perrupta caſtra, trepidatum apud
naues, donec ſidente paulatim metu,occupato iuxta colle defenſi,mox ir-
Tungræ cohortes rupere. Atrox ibi cædes,& Tungrarum cohortium pręfecti, ſuſtentata diu
acie,telis obruuntur. Ne Othonianis quidem incruenta uictoria fuit, quo-
rum improuide ſecutos conuerſi equites circumuenerunt. Ac uelut pactis
inducijs,ne hinc claſſis,inde equites ſubitam formidinem inferrent, Vitel-
Antipolis liani retro Antipolim Narbonenſis Galliæ municipiũ, Othoniani Albin-
Albingaunũ gaunum interioris Liguriæ reuertere. Corſicam ac Sardiniam cæteraſq;
proximi maris inſulas, fama uictricis claſſis in partibus Othonis tenuit.
Sed Corſicam propè afflixit Decumi Pacarij procuratoris temeritas,tan-
Corſi ta mole belli nihil in ſumma profutura,ipſi exitioſa. Nanq; Othonis odio
iuuare Vitellium Corſorum uiribus ſtatuit, inani auxilio etiam ſi proue-
niſſet. Vocatis principibus inſulæ, conſilium aperit. Et contradicere auſos
Claudium Phirrhicum trierarchum liburnicarum ibi nauium, Quintium
Certum equitem Romanum interfici iubet. quorum morte exterriti qui
aderant,ſimul ignara & alieni metus ſocia imperitorũ turba, in uerba Vi-
tellij iurauere. Sed ubi delectum agere Pacarius,& inconditos homines fa
tigare militiæ muneribus occepit, laborem inſolitum peroſi, infirmitatem
ſuam reputabant: Inſulam eſſe quam incolerent, & longe Germaniam ui-
reſq; legionum: Direptos uaſtatoſq; claſſe etiam quos cohortes alæq;
protegerent. Et auerſi repente animi, nec tamen aperta ui: aptum tempus
inſidijs legere. Digreſſis qui Pacarium frequentabant, nudus & auxilij in-
ops balneis interficitur. Trucidati & comites, Capita,ut hoſtiũ,ipſi interfe-
ctores ad Othonem tulere. Neq; eos aut Otho præmio affecit, aut puni-
uit Vitellius,in multa colluuie rerum maioribus flagitijs permixtos. Ape-
ruerat iam Italiã,bellumq; tranſmiſerat,ut ſupra memorauimus,ala Sylla
na, nullo apud quenquam Othonis fauore,nec quia Vitelliũ mallent,ſed
longa pax ad omne ſeruitium fregerat,faciles occupantibus,& melioribus
incurioſos. Florentiſſimum Italiæ latus,quantũ inter Padum alpeſq; cam-
porum & urbium, armis Vitellij (nanq; & præmiſſæ à Cæcina cohortes
aduenerant)tenebatur. Capta Pannoniorum cohors apud Cremonam.

Intercepti

Intercepti centũ equites, ac mille claſſici inter Placentiam Ticinumq́ꝫ: quo ſucceſſu Vitellianus miles non iam flumine aut ripis arcebatur. Irritabat quin etiam Batauos Tranſrhenanosq́ꝫ Padus ipſe, quem contra Placentiam tranſgreſſi, raptis quibuſdã exploratoribus ita cæteros terruere, ut adeſſe omnem Cæcinæ exercitum trepidi ac falſi nunciarent. Certũ erat Spurinæ (is enim Placentiam obtinebat) necdum ueniſſe Cæcinã: & ſi propinquaret, coërcere intra munimenta militem, nec tris prætorias cohortes, & mille uexillarios cum paucis equitibus, ueterano exercitui obijcere. Sed indomitus miles, & belli ignarus, correptis ſignis uexilliſq́ꝫ ruere, & retinenti duci tela intentare, ſpretis centurionibus tribuniſq́ꝫ prouidentiã ducis laudantibus, qui pro Othone & accitum Cæcinam clamitabant. Fit temeritatis alienæ comes Spurina, primo coactus, mox uelle ſimulãs, quo plus auctoritatis ineſſet conſilijs, ſi ſeditio miteſceret. Poſtquam in conſpectu Padus, & nox appetebat, uallari caſtra placuit. Is labor urbano militi inſolitus contudit animos. Tum uetuſtiſsimus quiſq́ꝫ caſtigare credulitatem ſuam, metum ac diſcrimen oſtendere, ſi cum exercitu Cæcina patentibus campis tam paucas cohortes circunfudiſſet. Iamq́ꝫ totis caſtris modeſti ſermones, & inſerentibus ſe centurionibus tribuniſq́ꝫ, laudare prouidentiam ducis: quod coloniam uirium & opum ualidã, robur ac ſedem bello legiſſet. Ipſe poſtremo Spurina non tam culpã exprobrans, q̃ꝫ rationes oſtendẽs, relictis exploratoribus, cæteros Placentiam reduxit, minus turbidos, & imperia accipientes. Solidati muri, propugnacula addita, auctæ turres, prouiſa parataq́ꝫ non arma modo, ſed obſequium & parendi amor, quod ſolum illis partibus defuit cum uirtutis haud pœniteret. At Cæcina uelut relicta poſt alpes ſæuitia ac licentia, modeſto agmine per Italiam inceſſit. Ornatum ipſius municipia & coloniæ in ſuperbiam trahebant, quod uerſicolore ſagulo, brachas tegmen barbarũ indutus, togatos alloqueretur. Vxorem quoque eius Saloninam, quanquam in nullius iniuriam inſigni equo oſtroq́ꝫ ueheretur, tanquam læſi grauabantur. Inſita mortalibus natura, " recentem aliorum felicitatem ęgris oculis introſpicere, modumq́ꝫ fortunæ " à nullis magis exigere, quàm quos in æquo uidere. Cæcina Padum tranſ" greſſus, tentata Othonianorum fide per colloquium & promiſſa, iiſdem petitus, poſtquam pax & concordia ſpecioſis & irritis nominibus iactata ſunt, conſilia curasq́ꝫ in oppugnationem Placentiæ magno terrore uertit, gnarus ut initia belli proueniſſent famam in cætera fore. Sed primus dies impetu magis quàm ueterani exercitus artibus tranſactus. Aperti incautiq́ꝫ muros ſubiere, cibo uinoq́ꝫ prægraues. In eo certamine pulcherrimum amphitheatri opus ſitum extra muros conflagrauit, ſiue ab oppugnatoribus incenſum, dum faces & glandes ac miſſilem ignem in obſeſſos iaculantur: ſiue ab obſeſſis, dum regerunt. Municipale uulgus pronum ad ſuſpiciones, fraude illata ignis alimenta credidit, & quibuſdam uicinis colonijs

Batauí.

Vt initia belli prouenerint, ſic fama in cætera

Amphitheatrũ Placentinum

coloniis inuidiæ æmulatione, quod nulla in Italia moles tam capax foret. quocunq; caſu acciderat, dum atrociora metuebãtur, in leui habitum: reddita ſecuritate, tanquam nihil grauius pati potuiſſent, mœrebãt. Cæterum multo ſuorum cruore pulſus Cæcina. Et nox parãdis operibus aſſumpta. Vitelliani pluteos cratesq; & uineas ſuffodiẽdis muris protegendisq; oppugnatoribus, Othoniani ſudes & immenſas lapidum ac plumbi ærisq; moles, perfringendis operibus, obruendisq; hoſtibus expediunt. Vtrinq; pudor, utrinq; gloria, & diuerſæ exhortationes, hinc legionum & Germanici exercitus robur, inde urbanæ militiæ & prætoriarum cohortium decus attollentium. Illi ut ſegnem ac deſidem, & circo ac theatris corruptum militem, hi peregrinum & externum increpabant. ſimul Othonem ac Vitellium celebrantes culpantesq;, uberioribus inter ſe probris, quàm laudibus ſtimulabãtur. Vix dum orto die, plena propugnatoribus mœnia, fulgentes armis uirisq; campi, denſum legionum agmen, ſparſa auxiliorum manus, altiora murorum ſagittis aut ſaxis inceſſere, neglecta aut æuo fluxa cominus aggredi. Ingerũt deſuper Othoniani pila librato magis & certo ictu, aduerſus temere ſubeuntes cohortes Germanorum cantu truci, & more patrio nudis corporibus ſuper humeros ſcuta quatientiũ. Legionarius pluteis & cratibus tectus ſubruit muros, inſtruit aggerem, molitur portas. Contra prætoriani diſpoſitos ad id ipſum molares ingenti pondere ac fragore prouoluũt. pars ſubeuntium obruti: pars confixi, & exangues aut laceri, cum augeret ſtragem trepidatio, eoq; acrius è mœnibus uulnerarentur, rediere infracta partiũ fama. Et Cæcina fama & pudore cœptæ temere oppugnationis, ne irriſus ac uanus iiſdem caſtris aſſideret, traiecto rurſus Pado Cremonam petere intendit. Tradidere ſe abeunti Turullius Cerialis, cum compluribus claſſicis, & Iulius Briganticus cum paucis equitum. hic pręfectus alæ in Batauis genitus. ille primipilaris & Cæcinę haud alienus, quod ordines in Germania duxerat. Spurina cõperto itinere hoſtium, defenſam Placentiã, quæq; acta, & quid Cæcina pararet, Annium Gallum per literas docet. Gallus legionem primã in auxilium Placentiæ ducebat, diffiſus paucitate cohortiũ, ne longius obſidium & uim Germanici exercitus parum tolerarent. Vbi pulſum Cæcinã pergere Cremonam accepit, ægre coërcitam legionem & pugnandi ardore uſq; ad ſeditionem progreſſam, Bebriaci ſiſtit. Inter Veronam Cremonamq; ſitus eſt uicus, duabus iam Romanis cladibus notus, infauſtusq;. Iiſdem diebus à Martio Macro haud procul Cremona proſpere pugnatũ. Namq; promptus animi Martius tranſuectos nauibus gladiatores in aduerſam Padi ripam repente effudit. Turbata ibi Vitellianorum auxilia, & cæteris Cremonam fugientibus, cæſi qui reſtiterant. Sed repreſſus uincentium impetus, ne nouis præſidiis firmati hoſtes fortunã prælii mutarẽt. Suſpectũ id Othonianis fuit, omnia, quæcunq; facta, prauè æſtimantibus. Certatim ut quiſq;

Bebriacum

animo

animo ignauus,procax ore, Annium Gallum & Suetonium Paulinum & Marium Celſum (nam eos Otho quoq; præfecerat) uarijs criminibus inceſſerant. Acerrima ſeditionũ ac diſcordiæ incitamenta interfectores Galbæ, ſcelere & metu uæcordes, miſcere cuncta,modo palàm turbidis uocibus,modo occultis ad Othonem literis. qui humillimo cuiq; credulus,bonos metuens, trepidabat,rebus proſperis incertus,& inter aduerſa melior. Igitur Titianum fratrem accitum bello præpoſuit. Interea Paulini & Celſi ductu res egregiæ geſtæ. Angebãt Cæcinam,nequicquam omnia cœpta, & ſeneſcens exercitus ſui fama. pulſus Placentia,cæſis nuper auxilijs,etiam per concurſum exploratorum,crebra magis quàm digna memoratu prælia,inferior,propinquante Fabio Valente,ne omne belli decus illuc concederet, recuperare gloriam auidius quàm conſultius properabat. Ad duodecimum à Cremona,locus caſtrorum uocatur, ferociſſimos auxiliarium imminentibus uiæ lucis occultos imponit. equites procedere longius iuſſi, & irritato prælio ſponte refugi,feſtinationem ſequentiũ elicere,donec inſidiæ coorirẽtur. Proditum id Othonianis ducibus. & curam peditum Paulinus, equitum Celſus, ſumpſere. Tertiædecimæ legionis uexillũ quatuor auxiliorũ cohortes & quingenti equites in ſiniſtro locantur. Aggerem uiæ tres prætoriæ cohortes arctis ordinibus obtinuere. Dextra fronte prima legio inceſſit,cum duabus uexillaribus cohortibus,& quingẽtis equitibus. Super hos è prætorio auxilijsq; mille equites,cumulus proſperis aut ſubſidium laborantibus,ducebantur. Antequam miſcerentur acies, terga uertentibus Vitellianis,Celſus doli prudens, repreſſit ſuos. Vitelliani temere exurgentes cedente ſenſim Celſo longius ſecuti, ultro in inſidias præcipitantur. nam à lateribus cohortes legionum,aduerſa fronte,& ſubito diſcurſu terga cinxerant equites. Signum pugnæ non ſtatim à Suetonio Paulino pediti datum. Conctator natura,& cui cauta potius conſilia cum ratione,quàm proſpera ex caſu placerent,compleri foſſas,aperiri campũ, pandi aciem iubebat,ſatis cito incipi uictoriam ratus,ubi prouiſum foret ne uincerentur. Ea conctatione ſpacium Vitellianis datum in uineas nexu tradu cum impeditas refugiendi. Et modica ſylua adhærebat, unde rurſus auſi, promptiſſimos prætorianorum equitum interfecere. uulneratur rex Epiphanes impigre pro Othone pugnã ciens. Tum Othonianus pedes erupit: protrita hoſtium acie,uerſi in fugã etiam qui ſubueniebant. Nam Cæcina non ſimul cohortes,ſed ſingulas acciuerat: quæ res in prælio trepidationem auxit, cum diſperſos nec uſquam ualidos pauor fugientium abriperet. Orta & in caſtris ſeditio,quod nõ uniuerſi ducerẽtur. Vinctus præfectus caſtrorum Iulius Gratus, tanquam fratri apud Othonem militanti proditionem ageret,cum fratrem eius Iulium Frontonẽ tribunum Othoniani ſub eodem crimine uinxiſſent. Cęterum ea ubiq; formido fuit,apud fugientes,occurſantes,in acie,pro uallo, ut deleri cũ uniuerſo exercitu Cæ

cinam

cinam potuiſſe, ni Suetonius Paulinus receptui ceciniſſet, utriſq; in partibus percrebruerit. Timuiſſe ſe Paulinus ferebat, tantũ inſuper laboris atq; itineris, ne Vitellianus miles recens caſtris feſſos aggrederetur, perculſis nullum retro ſubſidium foret. apud paucos ea ducis ratio probata, in uulgus aduerſo rumore fuit. Haud perinde damnum Vitellianos in metum compulit quàm ad modeſtiam compoſuit: nec ſolum apud Cæcinam, qui culpam in militem conferebat, ſeditioni magis quàm prælio paratum: ſed Fabij quoq; Valentis copiæ, iam enim Ticinum uenerat, poſito hoſtium contemptu, & recuperandi decoris cupidine, reuerentius & æqualius duci parebant. Grauis alioquin ſeditio exarſerat, quam altiori initio (neq; enim rerum à Cæcina geſtarum ordinem interrumpi oportuerat) repetam. Cohortes Batauorum, quas bello Neronis à quartadecima legione digreſſas, cum Britanniam peterent, audito Vitellij motu in ciuitate Lingonum Fabio Valenti adiunctas rettulimus, ſuperbe agebant, ut cuiuſq; legionis tentoria acceſſiſſent, coërcitos à ſe quartadecimanos, ablatã Neroni Italiam, atq; omnem belli fortunam in ipſorum manu ſitam iactantes. Contumelioſum id militibus, acerbum duci, corrupta iurgijs aut rixis diſciplina. Ad poſtremum Valens è petulantia etiam perfidiam ſuſpectabat. Igitur nuncio allato pulſam Treuirorum alam Tungroſq; à claſſe Othonis, & Narbonenſem Galliam circumiri, ſimul cura ſocios tuendi, & militari aſtu, cohortes turbidas, ac ſi unà forent præualidas, diſpergendi, partem Batauorum ire in ſubſidium iubet. Quod ubi auditum, uulgatumq;, mœrere ſocij, fremere legiones, orbari ſe fortiſſimorum uirorum auxilio. ueteres illos & tot bellorum uictores, poſtquã in conſpectu ſit hoſtis, uelut ex acie abduci. ſi prouincia urbe & ſalute imperij potior ſit, omnes illuc ſequerentur: ſin uictoriæ ſanitas, ſuſtentaculũ, columen in Italia uerteretur, non abrumpendos ut corpori ualidiſſimos artus. Hæc ferociter iactando, poſtquam immiſſis lictoribus Valens coërcere ſeditionem cœptabat, ipſum inuadũt, ſaxa iaciunt, fugientem ſequuntur. Spolia Galliarum & Viennenſium aurum & pretia laborum ſuorum occultare clamitantes, direptis ſarcinis, tabernacula ducis, ipſamq; humum pilis & lanceis rimabantur. nam Valens ſeruili ueſte apud decurionem equitum tegebatur. Tum Alphenus Varus præfectus caſtrorum, deflagrante paulatim ſeditione addit conſilium, uetitis obire uigilias centurionibus, omiſſo tubę ſono, quo miles ad belli munia cietur. Igitur torpere cũcti, circumſpectare inter ſe attoniti: & id ipſum quod nemo regeret pauentes, ſilentio, patientia, poſtremo precibus ac lachrymis ueniam quærebant. Vt uero deformis & flens, & præter ſpem incolumis Valens proceſſit, gaudiũ, miſeratio, fauor: uerſi in lætitiam (ut eſt uulgus utroq; immodicum) laudantes gratanteſq; circundatum aquilis ſignisq; in tribunal ferunt. Ille utili moderatione non ſuppliciũ cuiuſquam popoſcit: ac ne diſſimulans ſuſpectior foret, paucos incuſauit: gnarus ciuilibus

Batadui milites glorioſi

Batauorũ militũ præſtantia, Romanis ipſis fatentib.

Seditio militaris

Conſilium

Vulgus

bus bellis plus militibus quàm ducibus licere. Munientibus caſtra apud Tici/num de aduerſa Cæcinæ pugna allatũ,& propè renouata ſeditio, tanquã fraude & conctationibus Valentis prælio defuiſſent. Nolle requiem, non expectare ducem, anteire ſigna, urgere ſigniferos. rapido agmine Cæcinæ iungũtur. Improſpera Valentis fama apud exercitum Cæcinæ erat: expo/ſitos ſe tanto pauciores integris hoſtium uiribus querebantur, ſimul in ſu/am excuſationem & aduentantium robur per adulationem attollentes, ne ut uicti & ignaui deſpectarentur. Et quanquam plus uirium, propè dupli/catus legionũ auxiliorumq; numerus erat Valenti, ſtudia tamen militum in Cæcinam inclinabant, ſuper benignitatem animi qua promptior habe/batur, etiam uigore ætatis, proceritate corporis, & quodam inani fauore. Hinc æmulatio ducibus. Cæcina ut fœdum & maculoſum: ille ut uanũ ac tumidum, irridebant. Sed condito odio, eandem utilitatem fouere, crebris epiſtolis ſine reſpectu ueniæ probra Othoni obiectantes, cum duces par/tium Othonis quamuis uberrima conuitiorum in Vitellium materia ab/ſtinerent. Sanè ante utriuſq; exitum, quo egregiam Otho famam, Vitelli/us flagitioſiſſimã, meruere, minus Vitellij ignauę uoluptates quàm Otho/nis flagrantiſſimæ libidines timebantur. Addiderat huic terrorẽ atq; odi/um cædes Galbæ. Contra illi initium belli nemo imputabat. Vitellius uen tre & gula ſibi ipſi hoſtis. Otho luxu, ſæuitia, audacia, Reip. exitioſior du/cebatur. Coniunctis Cæcinę ac Valentis copijs, nulla ultra penes Vitellia/nos mora, quin totis uiribus certarent. Otho conſultauit, trahi bellũ, an for tunam experiri placeret. Tum Suetonius Paulinus dignũ fama ſua ratus, qua nemo illa tempeſtate militaris rei callidior habebatur, de toto genere belli cenſere, feſtinationem hoſtibus, moram ipſis utilem diſſeruit. Exerci/tum Vitellij uniuerſum adueniſſe: nec multũ uirium à tergo, quoniã Gal/liæ tumeant, deſerere Rheni ripam irrupturis tam infeſtis nationibus non conducat. Britannicũ militem hoſte & mari diſtineri: Hiſpanias armis non ita redundare: prouinciam Narbonenſem incurſu claſſis, & aduerſo prælio contremuiſſe: clauſam alpibus & nullo maris ſubſidio Tranſpadanam Ita liam, atq; ipſo tranſitu exercitus uaſtatam: non frumentum uſquam exer/citui, nec exercitum ſine copijs retineri poſſe. Iam Germanos, quod genus militum apud hoſtes atrociſſimum ſit, tracto in æſtatem bello, fluxis cor/poribus mutationem ſoli cœliq; haud toleraturos. Multa bella impetu ua lida, per tædia & moras euanuiſſe. Contra ipſis omnia opulenta & fida: Pannoniam, Mœſiam, Dalmatiã, Orientẽ cum integris exercitibus: Itali/am & caput rerum urbẽ, ſenatumq; & populum nunq; obſcura nomina & ſi aliquando obumbrentur: publicas priuatasq; opes, & immenſam pe/cuniam inter ciuiles diſcordias ferro ualidiorem: corpora militum aut Ita/liæ ſueta, aut æſtibus. Obiacere flumen Padum, tutas uiris muriſq; urbes, è quibus nullam hoſti ceſſuram, Placentiæ defenſione exploratũ: proinde

Ciuilibus bellis plus militibus q̃ ducibus licet

Germàni milites fluxis corporibus

duceret bellum paucis diebus. Quartamdecimam legionē magnam ipſam fama Mœſiacis copijs affore. Tum rurſus deliberaturum, & ſi prœliū placuiſſet, auctis uiribus certaturos. Accedebat ſentētiæ Paulini Marius Celſus. Idem placere Annio Gallo paucos ante dies lapſu equi afflicto, miſſi qui conſilium eius ſciſcitarentur, rettulerant. Otho pronus ad decertandū. Frater eius Titianus, & præfectus prætorij Proculus, imperitia properantes, fortunam & deos & numen Othonis adeſſe conſilijs, affore conatibus teſtabantur. neu quis obuiam ire ſententiæ auderet, in adulationem conceſſerant. Poſtquam pugnari placitum, intereſſe pugnæ imperatorem, an ſeponi melius foret, dubitauere. Paulino & Celſo iam non aduerſantibus ne principē obiectare periculis uiderentur, ijdem illi deterioris conſilij auctores perpulere, ut Brixellum concederet, ac dubijs prœliorū exemptus, ſummæ rerum & imperij ſe ipſum reſeruaret. Is primus dies Othonianas partes afflixit. Nanq; & cum ipſo prætoriarū cohortium & ſpeculatorū equitumq; ualida manus diſceſſit, & remanentium fractus animus, quādo ſuſpecti duces, & Otho cui uni apud militem fides, dum & ipſe non niſi militibus credit, imperia ducum in incerto reliquerat. Nihil eorum Vitellianos fallebat, crebris ut in ciuili bello transfugijs, & exploratores cura diuerſa ſciſcitandi, ſua nō occultabāt. Quieti intentiq; Cæcina ac Valens, quando hoſtis imprudentia rueret, quod loco ſapientiæ eſt, alienam ſtultitiam opperiebatur, inchoato ponte tranſitum Padi ſimulantes, aduerſus oppoſitam gladiatorum manum. ac ne ipſorū miles ſegne otium tereret, naues pari inter ſe ſpacio ualidis utrinq; trabibus connexæ aduerſum in flumen dirigebantur, iactis inſuper anchoris quæ firmitatem pontis continerent. Sed anchorarum funes non extenti fluitabant, ut augeſcente flumine, inoffenſus ordo nauium attolleretur. Claudebat pontem impoſita turris, & in extremam nauem educta: unde tormentis ac machinis hoſtes propulſarentur. Othoniani in ripa turrim ſtruxerant, ſaxaq; & faces iaculabātur. Et erat inſula amne medio, in quam gladiatores nauibus molientes, Germani nando prælabebantur. Ac forte plures tranſgreſſos, completis liburnicis per promptiſſimos gladiatorum Macer aggreditur. Sed neq; ea conſtantia gladiatoribus ad prælia quæ militibus, nec perinde nutantes è nauibus, quàm ſtabili gradu è ripa uulnera dirigebant. Et cū uarijs trepidantium inclinationibus immixti remiges propugnatoresq; turbarentur, deſilire in uada ultro Germani, retētare puppes, ſcandere foros, aut cominus mergere. quæ cuncta in oculis utriuſq; exercitus, quanto lætiora Vitellianis, tanto acrius Othoniani cauſam auctoremq; cladis deteſtabantur. Et prœlium quidem abruptis quæ ſuperfuerant nauibus, fuga diremptū. Macer ad exitium poſcebatur. Iamq; uulneratum eminus lancea, ſtrictis gladijs inuaſerant, cum intercurſu tribunorū centurionumq; protegitur. Nec multo poſt Veſtricius Spurina iuſſu Othonis, relicto Placentiæ modico

Germani

præſidio

præſidio,cum cohortibus ſubuenit. Dein Flauium Sabinum cōſulem deſignatum Otho rectorem copijs miſit,quibus Macer præfuerat, læto milite ad mutationē ducum, & ducibus ob crebras ſeditiones, tam infeſtam militiam aſpernātibus. Inuenio apud quoſdam auctores,pauore belli, ſeu faſtidio utriuſq; principis,quorum flagitia ac dedecus apertiore in dies fama noſcebātur,dubitaſſe exercitus,num poſito certamine,uel ipſi in medium conſultarent,uel ſenatui permitterent legere imperatorem. Atq; eò duces Othonianos ſpacium ac moras ſuaſiſſe,præcipue Paulinum: quod uetuſtiſſimus cōſularium,& militia clarus,gloriam nomenq; Britannicis expeditionibus meruiſſet. Ego ut conceſſerim apud paucos tacito uoto quietem pro diſcordia,bonum & innocentem principem pro peſſimis ac flagitioſiſſimis expetitum: ita neq; Paulinum, qua prudentia fuit, ſperaſſe corruptiſſimo ſeculo tantam uulgi moderationē reor,ut qui pacem belli amore turbauerant,bellum pacis charitate deponerent:neq; aut exercitus linguis moribusq; diſſonos,in hunc cōſenſum potuiſſe coaleſcere: aut legatos ac duces magna ex parte luxus,egeſtatis,ſcelerum ſibi conſcios,niſi pollutum obſtrictumq; meritis ſuis principem paſſuros. Vetus ac iam pridem « inſita mortalibus potētiæ cupido cum imperij magnitudine adoleuit,erupitq;. « Nam rebus modicis æqualitas facile habebatur. ſed ubi ſubacto orbe, « & æmulis urbibus regibusúe exciſis,ſecuras opes concupiſcere uacuum « fuit,prima inter patres plebemq; certamina exarſere. Modo turbulēti tribuni, « modo cōſules præualidi, & in urbe ac foro tentamenta ciuilium bellorum. « Mox è plebe infima, C. Marius, & nobilium ſæuiſſimus L. Sylla, « uictam armis libertatem in dominationem uerterūt. Poſt quos Gn. Pompeius « occultior non melior. Et nunquam poſtea niſi de principatu quæſitum. « Non diſceſſere ab armis in Pharſalia ac Philippis ciuiū legiones, nedum « Othonis ac Vitellij exercitus ſponte poſituri bellum fuerint. Eadem « illos deûm ira, eadem hominum rabies, eædem ſcelerum cauſæ in diſcordiam « egere. Quod ſingulis uelut ictibus tranſacta ſunt bella,ignauia principum « factum eſt. Sed me ueterum nouorumq; morum reputatio longius « tulit. Nunc ad rerum ordinem uenio. Profecto Brixellum Othone,honor imperij penes Titianum fratrem,ius ac poteſtas penes Proculum præfectum. Celſus & Paulinus,cum prudentia eorū nemo uteretur, inani nomine ducum,alienæq; culpæ prætendebantur. Tribuni centurionesq; ambigui,quod ſpretis melioribus,deterrimi ualebant. Miles alacer,qui tamen iuſſa ducum interpretari quàm exequi mallet. Promoueri ad quartū à Bebriaco caſtra placuit,adeo imperitè,ut quanquam uerno tempore anni,& tot circum amnibus,penuria aquæ fatigarentur. Ibi de prælio dubitatum, Othone per literas flagitante,ut maturarent: militibus, ut imperator pugnæ adeſſet poſcentibus: pleriq; copias trans Padum agentes acciri poſtulabant. Nec perinde dijudicari poteſt quid optimum factu fuerit, quam

Exercitus linguis moribúsque diſſoni

Confluentes Padi & Abduæ

peſſimum fuiſſe quod factum eſt. Non ut ad pugnam, ſed ad bellandum profecti, Confluentes Padi & Abduæ fluminũ XVI inde millium ſpacio diſtantes petebant. Celſo & Paulino abnuentibus, militem itinere feſſum, ſarcinis grauem, obijcere hoſti, nõ admiſſuro quo minus expeditus & uix quatuor millia paſſuum progreſſus, aut incompoſitos in agmine, aut diſperſos, & uallum molientes aggrederetur, Titianus & Proculus, ubi conſilijs uincerentur, ad ius imperij tranſibant. Aderat ſanè citus equo Numida cum atrocibus mandatis, quibus Otho increpita ducũ ſegnitia rem in diſcrimen mitti iubebat, æger mora & ſpei impatiens. Eodẽ die ad Cæcinam operi pontis intentum, duo prætoriarum cohortium tribuni colloquium eius poſtulantes uenerunt. Audire conditiones, ac reddere parabat, cũ præcipites exploratores adeſſe hoſtem nunciauere. Interruptus tribunorũ ſermo. eoq́ incertum fuit, inſidias, an proditionẽ, uel aliquod honeſtum conſilium cœptauerint. Cæcina dimiſſis tribunis, reuectus in caſtra, datũ iuſſu Fabij Valentis pugnæ ſignum, & militem in armis inuenit. Dum legiones de ordine agminis ſortiuntur, equites prorupere, & mirum dictu, à paucioribus Othonianis quo minus in uallũ impingerentur, Italicæ legionis uirtute deterriti ſunt. ea ſtrictis mucronibus redire pulſos, & pugnam reſumere coëgit. Diſpoſita Vitellianarum legionũ acie ſine trepidatione, & enim (quanquam uicino hoſte) aſpectus armorum denſis arbuſtis prohibebatur, apud Othonianos pauidi duces, miles ducibus infenſus, mixta uehicula & lixæ, & preruptis utrinq; foſſis uia quieto quoq; agmini anguſta. Circumſiſtere alij, ſigna ſua quęrere alij: incertus undiq; clamor accurrentium, clamãtium: & ut cuiq; audacia uel formido, in primã poſtremamúe aciem prorumpebant, uel reuehebantur. Attonitas ſubito terrore mentes, falſum gaudium in languorem uertit, repertis qui deſciuiſſe à Vitellio exercitum ementirentur. Is rumor ab exploratoribus Vitellij diſperſus, an ipſa Othonis parte, ſeu dolo, ſeu forte ſurrexerit, parum compertum. Omiſſo pugnæ ardore Othoniani ultro ſalutauere. & hoſtili murmure excepti, pleriſq; ſuorum ignaris quæ cauſa ſalutandi, metũ proditionis fecere. Tum incubuit hoſtium acies integris ordinibus, robore & numero præſtantior. Othoniani quanquam diſperſi, pauciores, feſſi, prælium tamẽ acriter ſumpſere. Et per locos arboribus ac uineis impeditos, non una pugnæ facies. cominus, eminusq́, cateruis & cuneis concurrebant: in aggere uiæ collato gradu, corporibus & umbonibus, omiſſo pilorum iactu, gladijs & ſecuribus galeas loricasq́ perrumpere, noſcentes inter ſe, cæteris conſpicui, in euentum totius belli certabãt. Forte inter Padum uiamq́, patenti campo duæ legiones congreſſæ ſunt: pro Vitellio Vnaetuiceſima, cui cognomen Rapaci, uetere gloria inſignis: è parte Othonis, prima Adiutrix, non ante in aciem deducta, ſed ferox & noui decoris auida. Primani ſtratis Vnaetuiceſimanorum principijs aquilam abſtulere. quo dolore accenſa legio, & impulit rurſus

Pugna, in qua uincentib. Vitellianis, Othoniani ſuccubuere

ſus

ſus primanos, interfecto Orphidio Benigno legato, & plurima ſigna ue/xillaq́ ex hoſtibus rapuit. A parte alia, propulſa Quintanorū impetu ter/tiadecima legio: circūuenti pluriū accurſu quartadecimani. Et ducib. Otho/nis iam pridem profugis, Cæcina ac Valens ſubſidijs ſuos firmabant. Ac/ceſſit recens auxilium Varus Alphenus cum Batauis, fuſa gladiatorū ma/nu, quam nauibus tranſuectam oppoſitæ cohortes in ipſo flumine truci/dauerāt. ita uictores latus hoſtium inuecti. Et media acie perrupta, fugere paſſim Othoniani Bebriacum petētes. Immenſum id ſpacium. obſtructæ ſtrage corporum uiæ. quo plus cædis fuit. neq; enim ciuilibus prælijs, capti in prædā uertuntur. Suetonius Paulinus & Licinius Proculus diuerſis iti/neribus caſtra uitauere. Vedium Aquilam tertiædecimę legionis legatum, iræ militum inconſultus pauor obtulit. Multo adhuc die uallum ingreſſus, clamore ſeditioſorum & fugacium circumſtrepitur. Non probris non ma/nibus abſtinent, deſertorem proditoremq́; increpant, nullo proprio crimi/ne eius, ſed more uulgi ſuum quiſq; flagitium alijs obiectantes. Titianum & Celſum nox iuuit, diſpoſitis iam excubijs, compreſſisq́; militibus, quos Annius Gallus precibus, conſilio, auctoritate flexerat, ne ſuper cladem ad/uerſæ pugnæ ſuiſmet ipſi cædibus ſæuirent. ſiue finis bello ueniſſet, ſeu re/ſumere arma mallent, unicum uictis in conſenſu leuamentum. Cæteris fra/ctus animus. Prætorianus miles, non uirtute ſe, ſed proditione uictum fre/mebat: Ne Vitellianis quidem incruentam fuiſſe uictoriam, pulſo equite, rapta legionis aquila: Supereſſe cum ipſo Othone militū quod trans Pa/dum fuerit: Venire Mœſicas legiones. magnam exercitus partem Bebriaci remanſiſſe. hos certe nondum uictos, & ſi ita ferret, honeſtius in acie peri/turos. His cogitationibus truces aut pauidi, extrema deſperatione ad iram ſæpius quàm in formidinem ſtimulabantur. At Vitellianus exercitus ad quintum à Bebriaco lapidem conſedit, non auſis ducibus eodem die op/pugnationem caſtrorum. Simul uoluntaria deditio ſperabatur. Sed expe/ditis & tantum ad prælium egreſſis, munimentum fuere arma & uictoria. Poſtera die haud ambigua Othoniani exercitus uoluntate, & qui ferocio/res fuerant ad pœnitentiam inclinantibus, miſſa legatione, apud duces Vi/tellianos dubitatum quo minus pacem cōcederent. Legati pauliſper reten/ti. ea res hæſitationem attulit, ignaris adhuc an impetraſſent. Mox remiſſa legatione patuit uallum. Tum uicti uictoresq́; in lachrymas effuſi, ſortem ciuilium armorum miſera lętitia deteſtantes. Iiſdem tentorijs alij fratrum, alij propinquorum uulnera fouebant. Spes & præmia in ambiguo: certa, funera & luctus. Nec quiſquam adeo mali expers, ut nō aliquam mortem mœreret. Requiſitum Orphidij legati corpus honore ſolito crematur. Pau/cos, neceſſarij ipſorum ſepeliuere. Cæterum uulgus ſuper humū relictum. Opperiebatur Otho nuncium pugnæ nequaquā trepidus, & conſilij cer/tus. Mœſta primum fama, dein profugi è prælio perditas res patefaciunt.

Varus Al/phenus

Non expectauit militum ardor uocem imperatoris. bonum habere animum iubebant. ſupereſſe adhuc nouas uires, & ipſos extrema paſſuros, auſuroſq́;. neq; erat adulatio. Ire in aciem, excitare partium fortunam furore quodam & inſtinctu flagrabant. qui procul aſtiterant, tendere manus, & proximi prehenſare genua: promptiſſimo Plotio Firmo. Is prætorij præfectus, identidem orabat, ne fidiſſimum exercitum, ne optime meritos milites deſereret: maiore animo tolerari aduerſa quàm relinqui: fortes & ſtrenuos etiam contra fortunam inſiſtere ſpei: timidos & ignauos ad deſperationem formidine properare. Quas inter uoces ut flexerat uultum, aut indurauerat Otho, clamor & gemitus. Nec prętoriani tantũ proprius Othonis miles, ſed præmiſſi Mœſia eandem obſtinationem aduentantis exercitus, legiones Aquileiam ingreſſas, nunciabãt: ut nemo dubitet potuiſſe renouari bellum atrox, lugubre, incertum uictis & uictoribus. Ipſe uerſus à conſilijs belli, Hunc, inquit, animum, hanc uirtutem ueſtram ultro periculis obijcere, nimis grande uitæ meæ precium puto. Quanto plus ſpei oſtenditis, ſi uiuere placeret, pulchrior mors erit. Experti inuicem ſumus ego ac fortuna. ne tempus computaueritis. difficilius eſt temperare, qua te non putes diu uſurum. Ciuile bellum à Vitellio cœpit, & ut de principatu certaremus armis, initium illic fuit. ne pluſquam ſemel certemus, penes me exemplum erit. Hinc Othonem poſteritas æſtimet. Fruetur Vitellius fratre, coniuge, liberis. mihi non ultione neq; ſolatijs opus eſt. Alij diutius imperium tenuerunt, nemo tam fortiter reliquerit. An ego tantum Romanæ pubis, tot egregios exercitus ſterni rurſus, & Reip. eripi patiar? Eat hic mecum animus, tanquam perituri pro me fueritis. Sed eſte ſuperſtites, nec diu moremur, ego incolumitatem ueſtram, uos conſtantiam meam. Plura de extremis loqui, pars ignauiæ eſt. præcipuum deſtinationis meæ documentum habete, quod de nemine queror. Nam incuſare deos uel homines, eius eſt, qui uiuere uelit. Talia locutus, ut cuiq; ætas aut dignitas, comiter appellatos, irent propere, neu remorando iram uictoris aſperarent, iuuenes auctoritate, ſenes precibus monebat, placidus ore, intrepidus uerbis intempeſtiuas ſuorum lachrymas cohercens. Dari naues ac uehicula abeuntibus iubet. libellos epiſtolaſq; ſtudio erga ſe, aut Vitellium contumelijs, inſignes abolet. Pecunias diſtribuit parce, nec ut periturus. Mox Saluium Cocceianũ fratris filium prima iuuenta trepidũ & mœrentem, ultro ſolatus eſt, laudando pietatem eius, caſtigando formidinem. An Vitellium tam immitis animi fore, ut pro incolumi tota domo, ne hanc quidem ſibi gratiam redderet? Mereri ſe feſtinato exitu clementiam uictoris: Non enim ultima deſperatione, ſed poſcente prælium exercitu, remiſiſſe Reip. nouiſſimum caſum. Satis ſibi nominis, ſatis poſteris ſuis nobilitatis quæſitum: Poſt Iulios, Claudios, Sergios, ſe primum in familiam nouam imperium intuliſſe: Proinde erecto animo capeſſeret uitam, neu patruum

Othonis ad profligatos milites ſuos orõ raram animi conſtantiam teſtans

ſibi

ſibi Othonem fuiſſe,aut obliuiſceretur unquam, aut nimium meminiſſet.

Poſt quæ dimotis omnibus, paulum requieuit: atque illum iam ſupremas curas agentem repens tumultus auertit, nunciata conſternatione ac licentia militum: namq; abeuntibus exitium minitabantur,atrociſſima in Verginium ui,quem clauſa domo obſidebant.increpitis ſeditionis auctoribus regreſſus,uacauit abeuntium alloquijs,donec omnes inuiolati digrederentur. Veſperaſcente die,ſitim hauſtu gelidæ aquæ ſedauit. Tum allatis pugionibus, cum utrinq; tentaſſet,alterum capiti ſubdit. Et explorato iam profectos amicos, noctem quietam,utq; affirmatur, non inſomnem egit. Luce prima in ferrum pectore incubuit. Ad gemitum morientis ingreſſi liberti, ſeruiq;, & Plotius Firmus prætorij præfectus, unum uulnus inuenere.Funus maturatum.ambitioſis id precibus petierat,ne amputaretur caput ludibrio futurum.Tulere corpus prætoriæ cohortes, cum laudibus & lachrymis,uulnus manusq; eius exoſculantes.Quidam militum iuxta rogum interfecere ſe, non noxa neq; ob metum,ſed æmulatione decoris,& charitate principis. Ac poſtea promiſcuè Bebriaci, Placentiæ,alijs in caſtris celebratum id genus mortis. Othoni ſepulchrũ extructum eſt modicum & manſurum. Hunc uitæ finem habuit ſeptimo & triceſimo ætatis anno.Origo illi è municipio Ferentino. Pater conſularis, auus prætorius, maternum genus impar, nec tamen indecorũ. pueritia ac iuuenta qualem monſtrauimus. duobus facinoribus altero flagitioſiſſimo,altero egregio, tantundem apud poſteros meruit bonæ famæ,quantum malæ. *Othonis genus* Vt conquirere fabuloſa & fictis oblectare legentiũ animos procul grauitate cœpti operis crediderim,ita uulgatis traditisq; demere fidem non auſim.Die quo Bebriaci certabatur,auem inuſitata ſpecie apud Regium Lepidum celebri luco conſediſſe,incolæ memorant,nec deinde cœtu hominum circum uolitantem alitem territam pulſamúe,donec Otho ſe ipſe interficeret:tum ablatam ex oculis: & tempora reputãtibus,initium finemq; miraculi cum Othonis exitu competiſſe. *Miraculũ Regiũ Lepidum* In funere eius nouata luctu ac dolore militum ſeditio.nec erat qui coërceret.Ad Verginium uerſi, modo ut reciperet imperium,nunc ut legatione apud Cæcinam ac Valentem fungeretur, minitantes orabant. Verginius per auerſam domus portam furtim digreſſus, irrumpentes fruſtratus eſt.Earũ quæ Brixelli egerant,cohortiũ preces Rubrius Gallus tulit.Et uenia ſtatim impetrata, concedentibus ad uictorem per Flauiũ Sabinũ ijs copijs quibus præfuerat.Poſito ubiq; bello, magna pars ſenatus extremũ diſcrimen adijt, profecta cũ Othone ab urbe, dein Mutinæ relicta.illuc de aduerſo prælio allatũ.Sed milites ut falſum rumorem aſpernãtes,quod infenſum Othoni ſenatũ arbitrabantur,cuſtodire ſermones,uultũ habitũq; trahere in deterius.cõuitijs poſtremo ac probris cauſam & initiũ cędis quęrebãt,cũ alius inſuper metus ſenatoribus inſtaret,ne præualidis iam Vitellij partibus cõctãter excepiſſe uictoriã crederentur.

Ita trepidi & utrinq; anxij coẽunt.nemo priuatim expedito conſilio, inter
multos ſocietate culpæ tutior.Onerabat pauentium curas ordo Mutinen-
ſis,arma & pecuniam offerendo,appellabatq́; Patres Conſcriptos intem-
peſtiuo honore. Notabile iurgium inde fuit,quo Licinius Cæcina Mar-
cellum Eprium ut ambigua diſſerentem inuaſit.Nec cæteri ſententias ape
riebant.Sed inuiſum memoria delationum expoſitumq́; ad inuidiã Mar-
celli nomen irritauerat Cęcinam,ut nouus adhuc,& in ſenatum nuper ad-
ſcitus magnis inimicitijs clareſceret. Moderatione meliorum dirempti. Et
rediere omnes Bononiam,rurſus conſiliaturi. Simul medio tempore plu-
res nuncij ſperabãtur.Bononiæ diuiſis per itinera qui recentiſſimũ quem-
que percõctarentur,interrogatus Othonis libertus cauſam digreſſus, ha
bere ſe ſuprema eius mandata reſpõdit. Ipſum uiuentẽ quidem relictum,
ſed ſola poſteritatis cura,& abruptis uitæ blandimentis. Hinc admiratio,
& plura interrogandi pudor,Atq; omnium animi in Vitellium inclinaue-
re. Intererat conſilijs frater eius L.Vitellius, ſeq́; iam adulantibus offere-
bat,cum repente Cenus libertus Neronis, atroci mendacio uniuerſos per-
culit,affirmans ſuperuentu XIIII legionis,iunctis à Brixello uiribus,cæſos
Diplomata uictores,uerſam partiũ fortunã.Cauſa fingendi fuit,ut diplomata Otho-
nis quæ negligebantur,lætiore nuncio reualeſcerent. Et Cenus quidem ra-
pidus in urbem uectus,paucos poſt dies iuſſu Vitellij pœnas luit.Senato-
rum periculum auctum, credentibus Othonianis militibus uera eſſe quæ
afferebantur. Intendebat formidinẽ quod publici conſilij facie, diſceſſum
Mutina,deſertæq́; partes forent.Nec ultra in cõmune cõgreſſi, ſibi quiſq;
conſuluere, donec miſſæ à Fabio Valente epiſtolæ demerent metum. Et
mors Othonis quo laudabilior,eo uelocius audita. At Romæ nihil tre-
pidationis:Cereales ludi ex more ſpectabãtur: ut ceſſiſſe uita Othonem,
& à Flauio Sabino præfecto urbis,quod erat in urbe militum ſacramento
Vitellij adactum,certi auctores in theatrum attulerunt, Vitellio plauſere:
populus cum lauru ac floribus Galbæ imagines circum templa tulit, con-
geſtis in modum tumuli coronis iuxta lacum Curtij, quem locum Galba
moriens ſanguine infecerat.In ſenatu,cũcta longis aliorum principatibus
compoſita,ſtatim decernũtur. Additæ erga Germanicos exercitus laudes
gratesq́;.& miſſa legatio,quæ gaudio fungeretur.Recitatæ Fabij Valentis
epiſtolæ ad conſules ſcriptæ,haud immoderatæ. Gratior Cæcinæ mode-
ſtia fuit,quod non ſcripſiſſet. Cæterum Italia grauius atq; atrocius quàm
bello afflictabatur.Diſperſi per municipia & colonias Vitelliani,ſpoliare,
rapere,ui & ſtupris polluere,in omne fas nefasq́; auidi,aut uenales,non ſa
cro,non profano abſtinebãt. Et fuere qui inimicos ſuos ſpecie militum in-
terficerent.Ipſiq́; milites regionum gnari,refertos agros,dites dominos in
prædam,aut ſi repugnatum foret,ad excidium deſtinabant, obnoxijs du-
cibus,& prohibere non auſis.Minus auaritiæ in Cæcina,plus ambitionis.
Valens

Valens ob lucra & quæſtus infamis, eoq; alienæ etiã culpæ diſſimulator. Iam pridem attritis Italiæ rebus, tantum peditũ equitumq́;, uis damnaq́; & iniuriæ, ægre tolerabantur. Interim Vitellius uictoriæ ſuæ neſcius, ut ad integrum bellum, reliquas Germanici exercitus uires trahebat. Pauci ueterum militum in hybernis relicti, feſtinatis per Gallias delectibus ut remanentium legionũ nomina ſupplerentur. Cura belli Hordeonio Flacco permiſſa. Ipſe è Britannico delectu octo millia ſibi adiunxit. Et paucorũ dierum iter progreſſus, proſperas apud Bebriacũ res, ac morte Othonis concidiſſe bellum accepit. Vocata concione uirtutem militum laudibus cumulat. Poſtulante exercitu, ut libertum ſuum Aſiaticum equeſtri dignitate donaret, inhoneſtam adulationẽ compeſcuit. Dein mobilitate ingenij, quod palàm abnuerat, inter ſecreta conuiuij largitur, honorauitq́; Aſiaticũ anulis, fœdum mancipium, & malis artibus ambitioſum. Iisdem diebus acceſſiſſe partibus utranq; Mauritaniam interfecto procuratore Albino, nuncij uenere. Luceius Albinus à Nerone Mauritaniæ Cęſarienſi prępoſitus, addita per Galbam Tingitanæ prouinciæ adminiſtratione, haud ſpernendis uiribus agebat. XVIII cohortes, quinq; alæ, ingens Maurorum numerus aderat, per latrocinia & raptus apta bello manus. cæſo Galba in Othonem pronus, nec Africa contentus, Hiſpaniæ anguſto freto diremptæ imminebat. Inde Cluuio Rufo metus, & decimam legionẽ propinquare littori, ut tranſmiſſurus iuſſit. Præmiſſi centuriones qui Maurorum animos Vitellio conciliarent. Neq; arduum fuit magna per prouincias Germanici exercitus fama. Spargebatur inſuper ſpreto procuratoris uocabulo, Albinum inſigne regis, & Iubæ nomen uſurpare. Ita mutatis animis, Aſinius Pollio alæ pręfectus, è fidiſſimis Albino, & Feſtus ac Scipio cohortiũ præfecti opprimũtur. Ipſe Albinus dum è Tingitana prouincia Cæſarienſem Mauritaniam petit, appulſus littori, trucidatus. Vxor eius cum ſe percuſſoribus obtuliſſet, ſimul interfecta eſt, nihil eorum quæ fierent Vitellio inquirente. Breui auditu, quãuis magna tranſibat, impar curis grauioribus. Exercitũ itinere terreſtri pergere iubet. Ipſe Arare flumine deuehitur, nullo principali paratu, ſed uetere egeſtate conſpicuus, donec Iunius Blæſus Lugdunenſis Gallię rector, genere illuſtri, largus animo & par opibus, circundaret principi miniſteria, comitaret̃ liberaliter, eo ipſo ingratus, quãuis odiũ Vitellius humilibus blanditijs uelaret. Præſto fuere Lugduni uictricium uictarumq́; partium duces. Valentem & Cæcinã pro concione laudatos, curuli ſuæ circumpoſuit. Mox uniuerſum exercitũ occurrere infanti filio iubet. Perlatum & paludamẽto opertum ſinu retinens, Germanicum appellauit, cinxitq́; cunctis fortunæ Principalis inſignibus. Nimius honos inter ſecunda, rebus aduerſis in ſolatium ceſſit. Tum interfecti centuriones promptiſſimi Othonianorum, unde præcipua in Vitellium alienatio per Illyricos exercitus. Simul cæteræ legiones contactu, & aduerſus Germani-

Aſiaticus Vitellij libertus, anulis honoratur

Araris

cos

cos milites inuidia, bellum meditabantur. Suetonium Paulinum ac Licinium Proculum triſti mora ſqualidos tenuit, donec auditi, neceſſarijs magis defenſionibus quàm honeſtis uterentur. Proditionem ultro imputabant: ſpacium longi ante prelium itineris, fatigationem Othonianorum, permixtum uehiculis agmen, ac pleraqꝫ fortuita fraudi ſuæ aſſignātes. Et Vitellius credidit de perfidia, & fidem abſoluit. Saluius Titianus Othonis frater nullum diſcrimen adijt, pietate & ignauia excuſatus. Mario Celſo conſulatus ſeruatur. Sed creditum fama, obiectumqꝫ mox in ſenatu Cæcilio Simplici, quod eum honorem pecunia mercari, nec ſine exitio Celſi uoluiſſet. Reſtitit Vitellius, deditqꝫ poſtea conſulatum Simplici innoxium & inemptum. Trachalum aduerſus criminantes Galeria uxor Vitellij protexit. Inter magnorum uirorum diſcrimina (pudendum dictu) Maricus quidam è plebe Boiorum inſerere ſeſe fortunæ, & prouocare arma Romana, ſimulatione numinum auſus eſt. Iamqꝫ aſſertor Galliarum & deus (nomen id ſibi indiderat) concitis octo millibus hominum, proximos Heduorum pagos trahebat, cum grauiſſima ciuitas electa iuuētute adiectis à Vitellio cohortibus, fanaticam multitudinē diſiecit. Captus in eo prælio Maricus, ac mox feris obiectus, quia non laniabatur, ſtolidum uulgus inuiolabilem credebat, donec ſpectante Vitellio interfectus eſt. Nec ultra in defectores aut bona cuiuſquam ſæuitum. Rata fuere eorū qui acie Othoniana ceciderant teſtamenta, aut lex inteſtatis. Prorſus ſi luxuriam temperaret, auaritiam non timeres. Epularum fœda & inexplebilis libido. Ex urbe atqꝫ Italia irritamenta gulæ geſtabantur, ſtrepentibus ab utroqꝫ mari itineribus. exhauſti conuiuiorum apparatibus principes ciuitatum. uaſtabantur ipſę ciuitates. degenerabat à labore ac uirtute miles, aſſuetudine uoluptatum, & contemptu ducis. Præmiſit in urbem edictum, quo uocabulum Auguſti differret, Cæſaris non reciperet, cum de poteſtate nihil detraheret. Pulſi Italia mathematici. Cautum ſeuerè, ne equites Ro. ludo & arena polluerentur. Priores id principes pecunia & ſæpius ui perpulerant. Ac pleraqꝫ municipia & coloniæ æmulabantur corruptiſſimum quemqꝫ adoleſcentium pretio illicere. Sed Vitellius aduentu fratris, & irrepentibus dominationis magiſtris, ſuperbior & atrocior, occidi Dolabellā iuſſit, quem in coloniam Aquinatem ſepoſitum ab Othone rettulimus. Dolabella audita morte Othonis urbem introierat. Id ei Plautius Varus prætura functus, ex intimis Dolabellę amicis apud Flauium Sabinū præfectum urbis obiecit, tanquam rupta cuſtodia, ducem ſe uictis partibus oſtentaſſet. Addidit tentatam cohortem, quæ Hoſtiæ ageret. nec ullis tantorū criminum probationibus in pœnitentiam uerſus, ſecundam ueniam poſt ſcelus quærebat. Conctantem ſuper tanta re Flauium Sabinum Triaria L. Vitellij uxor, ultra fœminam ferox, terruit è periculo principis famam clementiæ affectare. Sabinus ſuopte ingenio mitis, ubi formido inceſſiſſet, facilis mu-

Trachalus orator

Maricus Boius aſſertor Galliarum

Mathematici Italia pulſi

Magiſtri dominationis

tatu

tatu,& in alieno diſcrimine ſibi pauens, ne alleuaſſe uideretur,impulit ru/
entem.Igitur Vitellius metu & odio, quod Petroniam uxorem eius mox
Dolabella in matrimonium accepiſſet, uocatum per epiſtolas, uitata Fla/
miniæ uiæ celebritate, diuertere Interamnam,atq; ibi interfici iuſſit. Lon/
gum interfectori: in itinere uiſum, ac taberna proiectum humi iugulauit,
magna cum inuidia noui principatus, cuius hoc primum ſpecimen noſce/
batur.Et Triariæ licentiam modeſtum è proximo exemplũ onerabat Ga/
leria imperatoris uxor, nõ minax triſtibus:& pari probitate mater Vitelli/ *Galeria*
orum Sextilia,antiqui moris.Dixiſſe quin etiam ad primas filij ſui epiſto/ *Sextilia*
las ferebatur,non Germanicum à ſe,ſed Vitellium genitum. Nec ullis po/
ſtea fortunæ illecebris,aut ambitu ciuitatis in gaudium euicta,domus ſuæ
tantum aduerſa ſenſit. Digreſſum à Lugduno Vitelliũ M.Cluuius Ru/
fus aſſequitur omiſſa Hiſpania,lætitiam & gratulationẽ uultu ferens, ani/
mo anxius, & petitum ſe criminationibus gnarus.Hilarius Cæſaris liber/
tus detulerat, tanquam audito Vitellij & Othonis principatu, propriam
ipſe potentiam, & poſſeſſionem Hiſpaniarum tentaſſet: eoq; diplomati/ *Diplomata*
bus nullum principem præſcripſiſſet.Interpretabatur quædam ex oratio/
nibus eius contumelioſa in Vitelliũ, & pro ſe ipſo popularia. Auctoritas
Cluuij præualuit,ut puniri ultro libertum ſuum Vitellius iuberet.Cluuius
comitatui principis adiectus, non adempta Hiſpania quam rexit abſens,
exemplo L.Aruntij,quem Tiberius Cæſar ob metum,Vitellius Cluuium
nulla formidine retinebat. Non idem Trebellio Maximo honos.Profuge
rat Britannia ob iracundiam militũ.Miſſus eſt in locum eius Vectius Bo/
lanus. E præſentibus angebat Vitellium uictarum legionum haud qua/
quam fractus animus. Sparſæ per Italiam & uictoribus permixtæ hoſti/
lia loquebantur, præcipua quartadecimanorum ferocia qui ſe uictos ab/
nuebant. quippe Bebriacenſi acie uexillarijs tantum pulſis uires legionis
non affuiſſe. Remitti eos in Britanniã,unde à Nerone exciti erant,placuit,
atq; interim Batauorum cohortes unà tendere,ob ueterem aduerſus quar
tadecimanos diſcordiam.Nec diu in tantis armatorũ odijs quies fuit. Au/
guſtæ Taurinorum dum opificem quendam Batauus ut fraudatorem in/ *Auguſta Tau*
ſectatur, legionarius ut hoſpitem tuetur, ſui cuiq; commilitones aggrega/ *rinorum*
ti,à conuicijs ad cædem tranſiere.& prælium atrox arſiſſet, ni duæ præto/
riæ cohortes cauſam quartadecimanorum ſecutæ,his fiduciam, & metum
Batauis feciſſent. quos Vitellius agmini ſuo iungi ut fidos,legionẽ Graijs *Alpes Graiæ*
alpibus traductã eo flexu itineris ire iubet,quo Viennã uitarent.Nanque
& Viennenſes timebãtur.Nocte qua proficiſcebatur legio, relictis paſſim
ignibus, pars Taurinæ coloniæ ambuſta: quod damnum ut pleraq; belli
mala, maioribus aliarum urbium cladibus obliteratum.Quartadecimani
poſtquam alpibus digreſſi ſunt,ſeditioſiſsimus quiſq; ſigna Viennam fe/
rebant. conſenſu meliorum compreſſi:& legio in Britanniam tranſuecta.

Proximus

Proximus Vitellio è prætorijs cohortibus metus erat. Separati primum, deinde addito honeſtæ miſsionis lenimento arma ad tribunos ſuos ferebant, donec motum à Veſpaſiano bellū crebreſceret. Tum reſumpta militia, robur Flauianarum partium fuere. Prima claſsicorum legio in Hiſpaniam miſſa, ut pace & otio miteſceret. Vndecima ac ſeptima ſuis Hybernis redditæ. Tertiadecimani ſtruere amphitheatra iuſſi. Nā Cæcina Cremonæ, Valens Bononiæ ſpectaculum gladiatorum edere parabant, nunquam ita ad curas intēto Vitellio, ut uoluptates obliuiſceretur. Et quidem partes modeſte diſtinxerat. Apud uictores orta ſeditio ludicro initio, niſi numerus cæſorum inuidiam bello auxiſſet. Diſcubuerat Vitellius Ticini, adhibito ad epulas Verginio. Legati tribuniq́ʒ ex moribus imperatorum ſeueritatem æmulantur, uel tempeſtiuis conuiuijs gaudent. perinde miles intentus aut licentior. Apud Vitellium omnia indiſpoſita, temulentā, peruigilijs ac Bacchanalibus quàm diſciplinæ & caſtris propiora. Igitur duobus militibus, altero legionis quintæ, altero è Gallis auxiliaribus, per laſciuiam ad certamē luctandi accenſis, poſtquam legionarius prociderat, inſultante Gallo, & ijs qui ad ſpectandum cōuenerant in ſtudia deductis, erupere legionarij in perniciem auxiliorū: ac duæ cohortes interfectæ. Remedium tumultus fuit alius tumultus. Puluis procul & arma aſpiciebātur. Conclamatum repente XIIII legionem uerſo itinere ad prælium uenire. ſed erāt agminis coactores. Agniti dempſere ſollicitudinem. Interim Verginij ſeruus forte obuius, ut percuſſor Vitellij inſimulatꝰ. & ruebat ad conuiuium miles mortē Verginij expoſcēs. Ne Vitellius quidem quanquam ad omnes ſuſpiciones pauidus, de innocentia eius dubitauit. ægrè tamen cohibiti qui exitium uiri conſularis, & quondam ducis ſui flagitabāt. Nec quenquam ſæpius quàm Verginium omnis ſeditio infeſtauit. Manebat admiratio uiri & fama, ſed oderant ut faſtiditi. Poſtero die Vitellius ſenatus legatione quam ibi opperiri iuſſerat audita, tranſgreſſus in caſtra, ultro pietatem militum collaudauit, frementibus auxilijs, tantum impunitatis atqʒ arrogantiæ legionarijs acceſſiſſe. Cohortes Batauorum, ne quid truculentius auderent, in Germaniam remiſſæ, principium interno ſimul externoq́ʒ bello parantibus fatis. Reddita ciuitatibus Gallorum auxilia, ingens numerus, & prima ſtatim defectione inter inania belli aſſumptus. Cæterum ut largitionibus affectæ tamen imperij opes ſufficerent, amputari legionum auxiliorumq́ʒ numeros iubet, uetitis ſupplementis. Et promiſcuæ miſsiones offerebantur, Exitiale id Reip. ingratū militi, cui eadem munia inter paucos, periculaq́ʒ ac labor crebrius redibāt. & uires luxu corrumpebantur, contra ueterem diſciplinam, & inſtituta maiorū, apud quos uirtute q̄ʒ pecunia res Romana melius ſtetit. Inde Vitellius Cremonā flexit, & ſpectato munere Cæcinæ, inſiſtere Bebriacenſibus campis, ac ueſtigia recentis uictoriæ luſtrare oculis concupiuit. Fœdum atqʒ atrox ſpectaculum

Mores imperatorū æmulantur ſubditi

Coactores agminis

Affectæ imperij opes

culum ,intra XL pugnæ diem lacera corpora,trunci artus, putres uirorum equorumq́ formæ,infecta tabo humus,protritis arboribus atq; frugibus dira uaſtitas.nec minus inhumana,pars uiæ, quã Cremonenſes lauro roſisq́ conſtrauerant,extructis altaribus,cæſisq́ uictimis, regiũ in morem. quæ læta in præſens,mox perniciem ipſis fecere. Aderant Valens & Cæcina,monſtrabantq́ pugnæ locos:hinc erupiſſe legionũ agmen,hinc equites coortos: inde circumfuſas auxiliorum manus. Iam tribuni præfectiq́ ſua quiſq; facta extollentes,falſo uera aut maiora uero miſcebant. Vulgus quoq; militum clamore & gaudio,deflectere uia,ſpacia certaminum recognoſcere, aggerem armorum,ſtrues corporum intueri,mirariq́. Et erant quos uaria fors rerũ,lachrymæq́ & miſericordia ſubiret. At non Vitellius flexit oculos,nec tot millia inſepultorum ciuium exhorruit. Lætus ultro,& tam propinquæ ſortis ignarus inſtaurabat ſacrum dijs loci. Exin Bononię à Fabio Valente gladiatorum ſpectaculum editur, aduecto ex urbe cultu. Quantoq́ magis propinquabat,tanto corruptius iter immixtis hiſtrionibus & ſpadonum gregibus,& cætero Neronianæ aulæ ingenio. Nanq; & Neronem ipſum Vitellius admiratione celebrabat,ſectari cantantem ſolitus,non neceſſitate qua honeſtiſſimus quiſq;,ſed luxu & ſaginæ mancipatus emptusq́. Vt Valenti & Cæcinæ uacuos honoris menſes aperiret, coartati aliorum conſulatus,diſſimulatus M. Macri, tanquã Othonianarum partium ducis: & Valerium Marinum deſtinatum à Galba conſulẽ diſtulit,nulla offenſa,ſed mitem,& iniuriam ſegniter laturum. Pedanius Coſta omittitur ingratus principi,ut aduerſus Neronem auſus, & Verginij extimulator. Sed alias protulit cauſas. actæq́ inſuper Vitellio gratiæ,conſuetudine ſeruitij. Non ultra paucos dies,quanquã acribus initijs cœptum, mendacium ualuit. Extiterat quidam Scribonianum ſe Camerinũ ferens. Neronianorum temporum metu in Hiſtria occultatũ, quod illic clientelę & agri ueterum Craſſorum,ac nominis fauor manebat. Igitur deterrimo quoque in argumentum fabulæ aſſumpto,uulgus credulum, & quidã militum errore ueri,ſeu turbarum ſtudio, certatim aggregabantur: cum pertractus ad Vitellium, interrogatusq́ quis nam mortaliũ eſſet,poſtquam nulla dictis fides, & à domino noſcebatur,cõditione fugitiuus,nomine Geta,ſumptum de eo ſuppliciũ in ſeruilem modum. Vix credibile memoratu eſt,quantum ſuperbiæ ſocordiæq́ Vitellio adoleuerit,poſtquã ſpeculatores Syria Iudæaq́ adactum in uerba eius Orientẽ nunciauere. Nam & ſi uagis adhuc & incertis auctoribus,erat tamen in ore famaq́ Veſpaſianus, ac plerunq; ad nomen eius Vitellius excitabatur. Tum ipſe exercitusq; ut nullo æmulo,ſæuitia, libidine,raptu, in externos mores proruperant. At Veſpaſianus bellũ armaq́, procul uel iuxta ſitas uires circumſpectabat. Miles ipſi adeo paratus,ut præeuntem ſacramentum,& fauſta Vitellio omnia precantem,per ſilentium audierint. Mutiani animus nec Ve-

Falſus Scribonianus

ſpaſiano alienus,& in Titum pronior. præfectus Ægypti Alexander con‐ſilia ſociauerat. Tertiam legionē, quod de Syria in Mœſiam tranſiſſet, ſu‐am numerabat. cæteræ Illyrici legiones ſecuturæ ſperabantur. Nanq; om‐nes exercitus flammauerat arrogantia uenientium à Vitellio militū, quod truces corpore, horridi ſermone cæteros ut impares irridebant. Sed inerat à mole belli plerūq; conctatio,& Veſpaſianus modo in ſpem erectus, ali‐quādo aduerſa reputabat: Quis ille dies foret, quo LX ætatis annos,& du‐os filios iuuenes bello permitteret: Eſſe priuatis cogitatiōibus progreſſum, & prout uelint plus minúsue ſumi ex fortuna. Imperium cupiētibus, nihil medium inter ſumma aut præcipitia. Verſabatur ante oculos Germanici exercitus robur, notum uiro militari. Suas legiones ciuili bello inexpertas, Vitellij uictrices.& apud uictos plus querimoniarū quàm uirium. Fluxam per diſcordias militum fidem,& periculum ex ſingulis. Quid enim profu‐turas cohortes alasq;, ſi unus alterq; præſenti facinore paratum ex diuer‐ſo præmium petat? Sic Scribonianum ſub Claudio interfectum, ſic per‐cuſſorem eius Volaginium è gregario ad ſumma militiæ prouectum. Fa‐cilius uniuerſos impelli, quàm ſingulos uitari. His pauoribus nutantem, & alij legati amiciq; firmabant, & Mutianus poſt multos ſecretosq; ſermo‐nes, iam & coràm ita locutus. Omnes qui magnarū rerum conſilia ſu‐ſcipiunt, æſtimare debent, an quod inchoatur, Reip. utile, ipſis glorioſum, aut promptum effectu, aut certe non arduū ſit. Simul ipſe qui ſuadet con‐ſiderandus eſt, adijciat ne conſilio periculū ſuum:& ſi fortuna cœptis affu‐erit, cui ſummum decus acquiratur. Ego te Veſpaſiane ad imperium uoco, tam ſalutare Reip. quàm tibi magnificū. Iuxta deos in tua manu poſitum eſt. Nec ſpeciem adulantis expaueris, à contumelia quàm à laude propius fuerit, poſt Vitellium eligi. Non aduerſus diui Auguſti acerrimā mentem, nec aduerſus cautiſſimam Tiberij ſenectutem, nec contra Cai quidem aut Claudij uel Neronis fundatam lōgo imperio domum exurgimus. ceſſiſti etiā Galbæ imaginibus. Torpere ultra, & polluendā perdēdamq; Remp. relinquere, ſopor & ignauia uideretur, etiam ſi tibi, quàm inhoneſta, tam tuta ſeruitus eſſet. Abijt iam & tranſuectum eſt tempus, quo poſſes uideri concupiſſe. Confugiendum eſt ad imperium. An excidit trucidatus Cor‐bulo? ſplendidior origine quàm nos ſumus, fateor. Sed & Nero nobilitate natalium Vitellium anteibat. Satis clarus eſt apud timentem quiſquis ti‐metur. Et poſſe ab exercitu principem fieri, ſibi ipſe Vitellius documento eſt, nullis ſtipendijs, nulla militari fama, Galbæ odio prouectus. Ne Otho‐nem quidem ducis arte, aut exercitus ui, ſed præpropera ipſius deſperatio‐ne uictum, iam deſiderabilem & magnum principem fecit. Cum interim ſpargit legiones, exarmat cohortes, noua cotidie bello ſemina miniſtrat. ſi quid ardoris ac ferociæ miles habuit, popinis & comeſſationibus & prin‐cipis imitatione deteritur. Tibi è Iudæa & Syria & Ægypto nouem legio‐

Ad Veſpaſianū orō Mutiani ſuadētis ut imperiū Ro. ſuſcipiat.

nes

nes integræ,nulla acie exhauſtæ, non diſcordia corruptæ.ſed firmatus uſu miles,& belli domitor externi. Claſſium, alarum, cohortium robora,& fidiſſimi reges,& tua ante omnes experientia. Nobis nihil ultra arrogabo, quàm ne poſt Valentem & Cæcinam numeremur.Ne tamen Mutianum ſocium ſpreueris,quia æmulũ non experiris:me Vitellio antepono, te mihi.Tuæ domui triumphale nomen,duo iuuenes,capax iam imperij alter, & primis militiæ annis apud Germanicos quoq; exercitus clarus. Abſurdum fuerit, non cedere imperio ei, cuius filium adoptaturus eſſem,ſi ipſe imperarem.Cæterum inter nos non idem proſperarum aduerſarumq; rerum ordo erit. Nam ſi uincimus, honorem quem dederis habebo,diſcrimen ac periculum ex æquo partiemur:imò ut melius eſt, tu hos exercitus rege,mihi bellum,& præliorum incerta trade. Acriore hodie diſciplina uicti quàm uictores agunt.hos ira,odium,ultionis cupiditas ad uirtutem accendit:illi per faſtidium,& contumaciã hebeſcunt.Aperiet & recludet contecta uictricium partium & tumeſcentia uulnera bellum ipſum. Nec mihi maior in tua uigilantia,parſimonia,ſapientia,fiducia eſt, quàm in Vitellij torpore,inſcitia,ſæuitia.Sed & meliorem in bello cauſam,quàm in pace habemus.Nam qui deliberant,deſciuerunt. Poſt Mutiani orationem cæteri audentius circunſiſtere,hortari,reſponſa uatum,& ſyderum motus referre.Nec erat intactus tali ſuperſtitione, ut qui mox rerum dominus Seleucum quendam mathematicum rectorem & præſcium palàm habuerit. *Seleucus mathematicus* Recurſabãt animo uetera omina. Cupreſſus arbor in agris eius conſpicua altitudine repente prociderat,ac poſtera die,eodẽ ueſtigio reſurgens, procera & latior uirebat.grande id,proſperumq; conſenſu aruſpicum. & ſumma claritudo iuueni admodum Veſpaſiano promiſſa. *Omen* Sed primo triumphalia,& conſulatus,& Iudaicæ uictoriæ decus, impleſſe fidem ominis uidebantur. Vt hæc adeptus eſt,portendi ſibi imperium credebat.Eſt Iudæam inter Syriamq; Carmelus,ita uocãt montẽ deumq;.nec ſimulachrum deo,aut templum,ſic tradidere maiores aram tantum & reuerentiam. *Carmelus mons* Illic ſacrificanti Veſpaſiano, cum ſpes occultas uerſaret animo,Baſilides ſacerdos inſpectis identidem extis, quicquid eſt,inquit, Veſpaſiane quod paras,ſeu domum extruére,ſeu prolatare agros,ſiue ampliare ſeruitia, datur tibi magna ſedes,ingentes termini,multum hominũ. Has ambages & ſtatim exceperat fama, & tunc aperiebat. nec quicquam magis in ore uulgi: crebriores apud ipſum ſermones,quanto ſperantibus plura dicũtur.Haud dubia deſtinatione diſceſſere,Mutianus Antiochiam,Veſpaſianus Cæſaream.Illa Syriæ,hæc Iudææ caput eſt. *Antiochia* *Cæſarea* Initium ferendi ad Veſpaſianũ imperij Alexandriæ cœptum, feſtinante Tiberio Alexandro, qui kalen.Iul. ſacramẽto eius legiones adegit. Isq; primus principatus dies in poſterum celebratus, quamuis Iudaicus exercitus v nonas Iul. apud ipſum iuraſſet. Vt ne Titus quidem filius expectaretur,Syria remeans,& conſiliorũ inter

Mutianum ac patrem nuncius, cuncta impetu militũ acta: non parata co-
gnitione,non coniunctis legionibus,dum quæritur tẽpus locusq́;,quodq́;
in re tali difficillimum eſt prima uox, dum animo ſpes,timor, ratio,caſus
obuerſantur. Egreſſum cubiculo Veſpaſianũ pauci milites ſolito aſsiſtunt
Veſpaſianus Imperator ſalutatur ordine,ut legatum ſalutaturi.Imperatorem ſalutauerũt.Tum cæteri accur-
rere, Cæſarem, & Auguſtum, & omnia principatus uocabula cumulare.
Mens à metu ad fortunam tranſierat.In ipſo nihil tumidum,arrogãs, aut
in rebus nouis nouum fuit.Vt primum tantæ multitudinis offuſam oculis
caliginem diſiecit,militariter lautus,læta omnia,& affluẽtia excepit. Nam
id ipſum opperiens Mutianus,alacrem militem in uerba Veſpaſiani ade-
git.Tum Antiochenſium theatrum ingreſſus,ubi illis conſultare mos eſt,
concurrentes & in adulationẽ effuſos alloquitur,ſatis decorus etiam Græ-
ca facundia, omniumq́; quæ diceret atq; ageret,arte quadam oſtentator.
Nihil æque prouinciã exercitumq́; accendit, quàm quod aſſeuerabat Mu
tianus, ſtatuiſſe Vitellium ut Germanicas legiones in Syriam ad militiam
opulentam quietamq́; transferret.Contra Syriacis legionibus Germani-
ca hyberna cœlo ac laboribus dura mutarentur. Quippe & prouinciales
ſueto militum contubernio gaudebant,pleriq; neceſſitudinibus & propin-
quitatibus mixti:& militibus uetuſtate ſtipendiorum nota & familiaria ca
ſtra,in modum penatium diligebantur.Ante Idus Iul.Syria omnis in eo-
Sohemus dem ſacramẽto fuit.Acceſſere,cum regno Sohemus, haud ſpernẽdis cum
Antiochus uiribus Antiochus,uetuſtis opibus ingens,& inſeruientium regum ditiſſi-
Agrippa mus.Mox per occultos ſuorum nuncios excitus ab urbe Agrippa, ignaro
adhuc Vitellio celeri nauigatiõe properauerat. Nec minore animo regina
Berenice Berenice partes iuuabat,florens ætate formaq́;, & ſeni quoq; Veſpaſiano
magnificentia munerum grata.Quicquid prouinciarũ alluitur mari, Aſia
atq; Achaia tenus, quãtumq́; introrſus in Pontum & Armenios pateſcit,
iurauere.Sed inermes legati regebant,nondum additis Cappadociæ legi-
onibus.Conſilium de ſumma rerum Beryti habitum.Illuc Mutianus cum
legatis tribuniſq́;,& ſplendidiſſimo quoque centurionũ ac militum uenit.
Et è Iudaico exercitu lecta decora. Tantum ſimul peditum equitumq́;,&
æmulantium inter ſe regum paratus, ſpeciem fortunæ Principalis effece-
rant.Prima belli cura,agere delectus, reuocare ueteranos. deſtinantur ua-
lidæ ciuitates exercendis armorum officinis. apud Antiochenſes aurũ ar-
gentumq́; ſignatur. eaq́; cuncta per idoneos miniſtros ſuis quæq; locis
feſtinabantur.Ipſe Veſpaſianus adire,hortari,bonos laude, ſegnes exem-
plo incitare ſæpius quàm cohercere,uitia magis amicorum quàm uirtutes
diſſimulans.Multos præfecturis & procurationibus,pleroſq; ſenatorij or-
dinis honore percoluit,egregios uiros,& mox ſumma adeptos. quibuſdã
fortuna pro uirtutibus fuit.Donatiua militi neq; Mutianus prima concio
ne,niſi modicè oſtenderat. ne Veſpaſianus quidẽ plus ciuili bello obtulit,
quàm

quàm alij in pace, egregie firmus aduerſus militarem largitionẽ, eoq́ꝫ ex/
ercitu meliore. Miſſi ad Parthum Armeniumq́ꝫ legati. prouiſumq́ꝫ ne uer/
ſis ad ciuile bellũ legionibus, terga nudarentur. Titum inſtare Iudææ, Ve/
ſpaſianum obtinere clauſtra Ægypti placuit. Sufficere uidebantur aduer/
ſus Vitellium pars copiarum & dux Mutianus, & Veſpaſiani nomen, ac
nihil arduum fatis. Ad omnes exercitus legatosq́ꝫ ſcriptæ epiſtolæ, præce/
ptumq́ꝫ ut prætorianos Vitellio infenſos, recuperandæ militiæ præmio
inuitarent. Mutianus cum expedita manu, ſociũ magis imperij quàm mi/
niſtrum agens, non lento itinere, ne conctari uideretur, neq; tamen prope/
rans, gliſcere famam ipſo ſpacio ſinebat, gnarus modicas uires ſibi, & ma/
iora credi de abſentibus. Sed legio ſexta & tredecim uexillariorum millia
ingenti agmine ſequebantur. Claſſem è Ponto Byzantium adigi iuſſerat:
ambiguus conſilij, num omiſſa Mœſia Dyrrachium pedite atq; equite pe
teret: ſimul longis nauibus uerſum in Italiã mare clauderet, tuta pone ter/
gum Achaia Aſiaq́ꝫ: quas inermes exponi Vitellio, ni præſidijs firmaren/
tur: atq; ipſum Vitellium in incerto fore, quam partem Italiæ protegeret,
ſi ſimnl Brunduſium Tarentumq́ꝫ & Lucaniæ Calabriæq́ꝫ littora infeſtis
claſſibus peterentur. Igitur nauium, militum, armorũ paratu ſtrepere pro/
uinciæ. Sed nihil æque fatigabat, quàm pecuniarum conquiſitio: eos eſſe
belli ciuilis neruos dictitans Mutianus, non ius aut uerũ in cognitionibus,
ſed ſolam magnitudinem opum ſpectabat. paſſim delationes, & locuple/
tiſſimus quiſq; in prædã correpti. quæ grauia atq; intoleranda, ſed neceſſi/
tate armorum excuſata, etiã in pace manſere: ipſo Veſpaſiano inter initia
imperij ad obtinendas iniquitates haud perinde obſtinato, donec indul/
gentia fortunæ & prauis magiſtris didicit, auſusq́ꝫ eſt. Proprijs quoq; opi/
bus Mutianus bellum iuuit, largus priuatim, quod auidius de Rep. ſume/
ret. Cæteri conferendarum pecuniarum exemplũ ſecuti, rariſsimus quiſq;
eandem in recuperando licentiam habuerũt. Accelerata interim Veſpaſia/
ni cœpta, Illyrici exercitus ſtudio in partes. Tertia legio exemplum cæteris
Mœſiæ legionibus præbuit. Octaua erat ac ſeptima Claudiana imbutæ
fauore Othonis, quamuis prælio non interfuiſſent: Aquileiam iam pro/
greſſæ, proturbatis qui de Othone nunciabant, laceratisq́ꝫ uexillis nomen
Vitellij præferentibus, rapta poſtremo pecunia, & inter ſe diuiſa, hoſtiliter
egerant. Vnde metus, & ex metu conſilium, poſſe imputari Veſpaſiano,
quæ apud Vitellium excuſanda erãt. Ita tres Mœſicæ legiones per epiſto/
las alliciebant. In eo metu Aponius Saturninus Mœſiæ rector, peſſimum
facinus audet, miſſo centurione ad interficiendũ Tectium Iulianum ſepti/
mæ legionis legatum, ob ſimultates, quibus cauſam partium prętendebat.
Iulianus comperto diſcrimine, & gnaris locorum adſcitis, per auia Mœſiæ
ultra montem Hemum profugit. nec deinde ciuili bello interfuit, per uari/
as moras ſuſceptum ad Veſpaſianũ iter trahens, & ex nuncijs conctabun/

Veſpa. firmus aduerſus militarem largitionem

Nihil arduum fatis

Maiora cre/duntur de ab/ſentibus

Nerui bellorũ pecunia

Praui ma/giſtri

dus,aut properans. At in Pannonia XIII legio ac VII Galbiana, dolorem iramq; Bebriacenſis pugnæ retinentes, haud cunctanter Veſpaſiano acceſſere,ui præcipua Primi Antonij.

Antonius Primus falſi damnatus

Is legibus nocens, & tempore Neronis falſi damnatus,inter alia belli mala, ſenatoriū ordinem recuperauerat, præpoſitus à Galba ſeptimæ legioni. ſcriptitaſſe Othoni credebatur, ducem ſe partibus offerens.à quo neglectus,in nullo Othoniani belli uſu fuit.labantibus Vitellij rebus Veſpaſianum ſecutus,grande momentū addidit, ſtrenuus manu, ſermone promptus, ſerendæ in alios inuidiæ artifex, diſcordijs & ſeditionibus potens,raptor,largitor,pace peſſimus,bello non ſpernendus.Iuncti inde Mœſici ac Pannonici exercitus, Dalmaticum militem traxere,quanquam conſularibus legatis nihil turbantibus.Titus Fabianus Pannoniam, Pompeius Syllanus Dalmatiam tenebant, diuites

Corn.Fuſcus

ſenes.Sed procurator aderat Cornelius Fuſcus uigens ætate, claris natalibus.prima iuuenta quietis cupidine ſenatoriū ordinem exuerat. idem pro Galba dux coloniæ ſuæ,eaq; opera procurationem adeptus,ſuſceptis Veſpaſiani partibus,acerrimam bello facem prætulit. non tam præmijs periculorum, quàm ipſis periculis lætus, pro certis & olim partis,noua,ambigua,ancipitia malebat.Igitur mouere & quatere quicquid uſquam ægrum foret,aggreditur.Scriptæ in Britanniam ad Quartadecimanos, in Hiſpaniam ad primanos epiſtolæ: quod utraq; legio pro Othone aduerſa Vitellio fuerat.Sparguntur per Gallias literæ, momentoq; temporis flagrabat ingens bellum,Illyricis exercitibus palàm deſciſcentibus: cæteris fortunam ſecuturis.Dum hæc per prouincias à Veſpaſiano ducibuſq; partium geruntur,Vitellius cōtemptior in dies ſegniorq;, ad omnis municipiorum uillarumq; amœnitates reſiſtens,graui urbem agmine petebat.Sexaginta millia armatorum ſequebantur,licentia corrupta. Calonum numerus amplior, procaciſſimis etiam inter ſeruos lixarum ingenijs. tot legatorū amicorumq; comitatus,inhabilis ad parendum, etiam ſi ſumma modeſtia regeretur.Onerabant multitudinem obuij ex urbe ſenatores equiteſq;, quidam metu,multi per adulationem:cæteri ac paulatim omnes, ne alijs proficiſcentibus,ipſi remanerent. Aggregabantur è plebe flagitioſa per obſe-

Amicitiarum dehoneſtamenta

quia Vitellio cogniti,ſcurræ,hiſtriones,aurigę,quibus ille amicitiarum dehoneſtamentis mire gaudebat. Nec coloniæ modo aut municipia congeſtu copiarum, ſed ipſi cultores aruaq; maturis iam frugibus ut hoſtile ſolum uaſtabātur.Multæ & atroces inter ſe militum cædes, poſt ſeditionem

Manente militib. alioqui diſcordia, aduerſus paganos cōſenſus

Ticini cœptam, manente legionum auxiliorumq; diſcordia,ubi aduerſus paganos certandum foret,conſenſu. Sed plurima ſtrages ad ſeptimum ab urbe lapidem. Singulis ibi militibus Vitellius paratos cibos ut gladiatoriam ſaginam diuidebat.Et effuſa plebs totis ſe caſtris miſcuerat.Incurioſos milites uernacula urbanitate quidam ſpoliauere abſciſſis furtim balteis, an accincti forent rogitantes. Non tulit ludibrium inſolens contumeliæ

animus

animus. Inermem populum gladijs inuaſere. Cæſus inter alios pater militis cum filium comitaretur, deinde agnitus. & uulgata cæde, temperatum ab innoxijs. In urbe tamen trepidatum præcurrentibus paſſim militibus. Forum maxime petebant, cupidine uiſendi locum, in quo Galba iacuiſſet. Nec minus ſæuum ſpectaculum erant ipſi, tergis ferarum & ingentibus telis horrentes, cum turbam populi per inſcitiam parum uitarent, aut ubi lubrico uiæ uel occurſu alicuius procidiſſent, ad iurgium, mox ad manus & ferrum tranſirent. Quin & tribuni præfectiq́ꝫ cum terrore & armatorum cateruis uolitabant. Ipſe Vitellius à ponte Miluio, inſigni equo paludatus accinctusq́ꝫ ſenatum & populum ante ſe agens, quo minus ut captam urbem ingrederetur, amicorum conſilio deterritus, ſumpta prætexta & compoſito agmine inceſſit. Quatuor legionum aquilæ per frontem, totidemq́ꝫ circa è legionibus alijs uexilla, mox XII alarum ſigna, & poſt peditum ordines, eques, dein quatuor & XXX cohortes, ut nomina gẽtium aut ſpecies armorum forent, diſcretæ. Ante aquilam præfecti caſtrorũ tribuniq́ꝫ, & primi centurionum candida ueſte, cæteri iuxta ſuam quiſq́ꝫ centuriam armis doniſq́ꝫ fulgentes. Et militum phaleræ, torqueſq́ꝫ ſplendebant: decora facies, & non Vitellio principe dignus exercitus. Sic Capitolium ingreſſus, atq́ꝫ ibi matrem complexus, Auguſtæ nomine honorauit. Poſtera die tanquam apud alterius ciuitatis ſenatum populumq́ꝫ magnificam orationem de ſemetipſo prompſit, induſtriã temperantiamq́ꝫ ſuam laudibus attollens, conſcijs flagitiorum ipſis qui aderãt, omniq́ꝫ Italia, per quam ſomno & luxu pudendus inceſſerat. Vulgus tamen uacuum curis, & ſine falſi ueriq́ꝫ diſcrimine ſolitas adulationes edoctum, clamore & uocibus adſtrepebat: abnuentiq́ꝫ nomẽ Auguſti, expreſſere ut aſſumeret, tam fruſtra quàm recuſauerat. Apud ciuitatem cuncta interpretantem, funeſti ominis loco acceptum eſt, quod maximum Pontificatum adeptus Vitellius, de cerimonijs publicis XV kalen. Aug. edixiſſet, antiquitus infauſto die Cremerẽſi Allienſiq́ꝫ cladibus. adeo omnis humani diuiniq́ꝫ iuris expers, pari libertorum amicorumq́ꝫ ſocordia, uelut inter temulẽtos agebat. Sed comitia conſulum cum candidatis ciuiliter celebrans, omnem infimæ plebis rumorem, in theatro ut ſpectator, in Circo ut fautor affectauit. quæ grata ſanè & popularia ſi à uirtutibus proficiſcerentur, memoria uitæ prioris indecora & uilia accipiebãtur. Ventitabat in ſenatum, etiam cum paruis de rebus patres conſulerentur. Ac forte Priſcus Heluidius prætor deſignatus, contra ſtudium eius cenſuerat. Commotus primo Vitellius, non tamen ultra quàm Tribunos plebis in auxilium ſpretæ poteſtatis aduocauit. Mox mitigantibus amicis, qui altiorem iracundiam eius uerebantur, nihil noui accidiſſe reſpondit, quod duo ſenatores in Rep. diſſentirent: ſolitum ſe etiam Thraſeæ contradicere. Irriſere pleriq́ꝫ impudentiam æmulationis. alijs id ipſum placebat, quod non ex præpotentibus, ſed Thraſeam

Vitellij in urbem Romam ingreſſus

Sextilia, Auguſta

Vulgus

Ciuitas Romana cũcta interpretãs

ad exemplar ueræ gloriæ legiſſet. Præpoſuerat prætorianis P.Sabinũ, ad præfecturam cohortis Iulium Priſcum,dum centurio eſſet. Priſcus Valentis,Sabinus Cæcinæ gratia pollebant.Inter diſcordes Vitellio nihil auctoritatis.munia imperij Cæcina ac Valens obibãt,olim anxij odijs, quæ bello & caſtris male diſſimulata, prauitas amicorum, & fœcunda gignendis inimicitijs ciuitas auxerat,dum ambitu,comitatu,& immenſis ſalutantium agminibus contendunt, comparanturq; uarijs in hunc aut illum Vitellij inclinationibus.Nec unquã ſatis fida potentia,ubi nimia eſt.Simul ipſum Vitellium,ſubitis offenſis aut intempeſtiuis blanditijs mutabilem,contemnebant metuebantq;. Nec eo ſegnius inuaſerant domos, hortos, opesq; imperij,cum flebilis & egens nobilium turba, quos ipſos liberosq; patriæ Galba reddiderat,nulla principis miſericordia iuuarẽtur. Gratum primoribus ciuitatis,etiam plebs approbauit,quod reuerſis ab exilio iura libertorum conceſſiſſet,quanquam id omnino ſeruilia ingenia corrumpebãt, abditis pecunijs per occultos aut ambitioſos ſinus. Et quidã in domum Cæſaris tranſgreſſi,atq; ipſis dominis potentiores. Sed miles plenis caſtris & redundãte multitudine,in porticibus aut delubris,& urbe tota uagus, non principia noſcere,nõ ſeruare uigilias,neq; labore firmari: per illecebras urbis,& inhoneſta dictu,corpus otio,animum libidinibus imminuebat. Poſtremo ne ſalutis quidẽ cura, infamibus Vaticani locis magna pars tetendit.unde crebræ in uulgus mortes. Et adiacentia Tiberi Germanorũ Gallorumq; obnoxia morbis corpora,fluminis auiditas,& æſtus impatientia labefecit.Inſuper cõfuſus prauitate uel ambitu,ordo militię. Sedecim prætoriæ,quatuor urbanæ cohortes ſcribebantur,quis ſingula millia ineſſent. Plus in eo delectu Valens audebat,tanquã ipſum Cæcinam periculo exemiſſet.ſanè aduentu eius partes conualuerant,& ſiniſtrum lenti itineris rumorem proſpero prælio uerterat.omniſq; inferioris Germaniæ miles Valentem aſſectabatur.unde primum creditur Cæcinæ fides fluitaſſe. Cæterum nõ ita ducibus indulſit Vitellius,ut non plus militi liceret. Sibi quiſq; militiam ſumpſere.quãuis indignus,ſi ita maluerat, urbanæ militiæ aſcribebatur,Rurſus bonis remanere inter legionarios aut alares uolẽtibus permiſſum.nec deerant qui uellent,feſſi morbis,& intemperiem cœli incuſantes.Robora tamen legionibus aliſq; ſubtracta, conuulſum caſtrorum decus, x x millibus è toto exercitu permixtis magis quàm electis. Concionante Vitellio poſtulantur ad ſupplicium Aſiaticus & Flauius & Rufinus duces Galliarum,quod pro Vindice bellaſſent. Nec cohercebat eiuſmodi uoces Vitellius.ſuper inſitam animo ignauiam,conſcius ſibi inſtare donatiuum & deeſſe pecuniã, omnia alia militi largiebatur. Liberti principum conferre pro numero mancipiorum ut tributum iuſſi. Ipſe ſola perdendi cura,ſtabula aurigis extruere.Circum gladiatorum ferarumq; ſpectaculis opplere.tanquã in ſumma abundantia,pecuniæ illudere. Quin & natalem

Ciuitas Romana fœcũda gignendis inimicitijs

Iura libertorum

Germanorum obnoxia morbis corpora

Vitellij

Vitellij diem Cæcina ac Valens editis tota urbe uicatim gladiatoribus,celebrauere ingēti paratu,& ante illum diem inſolito. Lætū fœdiſſimo cuiqȝ, apud bonos inuidiæ fuit,quod extructis in cāpo Martio aris,inferias Neroni iecisset. Cæſæ publice uictimæ crematæqȝ: faces Auguſtales ſubdidere: quod ſacerdotiū,ut Romulus Tatio regi,ita Cæſar Tiberius Iuliæ genti ſacrauit. Nondum quartus à uictoria menſis, & libertus Vitellij Aſiaticus Polycletos,Patrobios,& uetera odiorum nomina æquabat. Nemo in illa aula probitate aut induſtria certauit. Vnum ad potentiam iter, prodigis epulis, & ſumptu Caianæ aquæ ſatiare inexplebiles Vitellij libidines. Ipſe abunde ratus,ſi præſentibus frueretur, nec in longius conſultans,nouies millies ſeſtertium pauciſſimis menſibus interuertiſſe creditur. Magna & miſera ciuitas eodem anno Othonem Vitelliumqȝ paſſa, inter Iunios, Fabios, Icellos, Aſiaticos, uaria & pudenda ſorte agebat, donec ſucceſſere Mutianus & Marcellus,& magis alij homines,qȝ alij mores. Prima Vitellio tertiæ legionis defectio nunciatur,miſſis ab Aponio Saturnino epiſtolis,antequam is quoqȝ Veſpaſiani partibus aggregaretur. Sed neqȝ Aponius cuncta, ut trepidans re ſubita,perſcripſerat, & amici adulātes mollius interpretabantur: Vnius legionis eam ſeditionem: cæteris exercitibus conſtare fidem. In hunc modum etiam Vitellius apud milites diſſeruit,prætorianos nuper exauctoratos inſectatus, à quibus falſos rumores diſpergi. nec ullum ciuilis belli metum aſſeuerabat, ſuppreſſo Veſpaſiani nomine, & uagis per urbem militibus,qui ſermones coërcerent. Id præcipuum alimentum famæ erat. Auxilia tamen è Germania Britanniaqȝ & Hiſpanijs exciuit,ſegniter,& neceſſitatē diſſimulans. Perinde legati prouinciæqȝ cunctabātur. Hordeonius Flaccus ſuſpectis iam Batauis anxius proprio bello, Vectius Bolanus nunquam ſatis quieta Britannia, & uterqȝ ambigui. neqȝ ex Hiſpanijs properabatur,nullo tum ibi conſulari. Trium legionum legati pares iure,& proſperis Vitellij rebus certaturi ad obſequium, aduerſam eius fortunam ex æquo detrectabant. In Africa legio cohorteſqȝ delectæ à Clodio Macro,mox à Galba dimiſſæ, rurſus iuſſu Vitellij militiam cœpere. ſimul cætera iuuētus dabat impigre nomina. quippe integrum illic ac fauorabilem proconſulatum Vitellius, famoſum inuiſumqȝ Veſpaſianus egerat: perinde ſocij de imperio utriuſqȝ coniectabant. ſed experimentum contra fuit. Ac primo Valerius Feſtus legatus ſtudia prouincialium cum fide iuuit. mox nutabat,palàm epiſtolis edictiſqȝ Vitelliū, occultis nuncijs Veſpaſianū fouens,& hęc illáue defenſurus, prout inualuiſſent. Deprehenſi cum literis edictiſqȝ Veſpaſiani per Rhætiam & Gallias militum & centurionum quidam,ad Vitellium miſſi necantur. plures fefellere, fide amicorum, aut ſuomet ſtatu occultati. Ita Vitellij paratus noſcebantur. Veſpaſiani conſiliorum pleraqȝ ignota: primum ſocordia Vitellij, deinde Pannonicæ alpes præſidijs inſeſſæ nuncios retinebāt. Mare quoqȝ

Aſiaticus Vitellij libertus

Pannonicæ alpes

Vide Annot. Eteſiæ flabant, harum flatus in Orientem nauigãtibus ſecundus, inde ad-uerſus erat. Tandem irruptione hoſtium, atrocibus undiq; nuncijs exterritus, Cæcinam ac Valentem expediri ad bellũ iubet. Præmiſſus Cæcina: Valentem è graui corporis morbo tum primum aſſurgentem infirmitas tardabat. Longe alia proficiſcentis ex urbe Germanici exercitus ſpecies. Non uigor corporibus, non ardor animis. lentum & rarum agmen, fluxa arma, ſegnes equi: impatiens ſolis, pulueris, tempeſtatum, quantumq; hebes ad ſuſtinendum laborem miles, tanto ad diſcordias promptior. Accedebat huc Cæcinæ ambitio uetus, torpor recens, nimia fortunæ indulgentia ſoluti in luxum: ſeu perfidiam meditanti, infringere exercitus uirtutem, inter artes erat. Credidere pleriq; Flauij Sabini conſilijs concuſſam Cæcinæ mentem, miniſtro ſermonum Rubrio Gallo, rata apud Veſpaſianum fore pacta tranſitionis. ſimul odiorum inuidiæq; erga Fabium Valentem admonebatur, ut impar apud Vitellium, gratiam uireſq; apud nouũ principem pararet. Cæcina complexu Vitellij multo cum honore digreſſus, partem equitum ad occupandam Cremonam præmiſit. Mox uexillarij quartædecimæ & ſextædecimæ legionum, dein quinta & duodeuiceſima ſecutæ: poſtremo agmine Vna&uiceſima Rapax, & prima Italica inceſſere cum uexillarijs trium Britannicarum legionum & electis auxilijs. Profecto Cæcina, ſcripſit Fabius Valens exercitui, quem ipſe ductauerat, ut in itinere opperiretur: ſic ſibi cum Cæcina conueniſſe. qui præſens, eoq; ualidior, immutatum id conſilium finxit, ut ingruenti bello tota mole occurreretur. Ita accelerare legiones Cremonam, pars Hoſtiliam petere iuſſę. Ipſe Rauennam diuertit, prætexto claſſem alloquendi. Mox Patauij ſecretum componendæ proditionis quæſitum. nanq; Lucilius Baſſus poſt præfecturam alæ, Rauennati ſimul ac Miſenenſi claſſibus à Vitellio prępoſitus, quod non ſtatim præfecturam prætorij adeptus foret, iniquam iracundiam flagitioſa perfidia ulciſcebatur. Nec ſciri poteſt traxerit ne Cæcinam, Mali, ſimiles an (quod euenit inter malos, ut & ſimiles ſint) eadem illos prauitas impulerit. Scriptores temporum, qui potiente rerum Flauia domo, monumenta huiuſce belli compoſuerunt, curam pacis & amorem Reip. corruptas in adulationem cauſas tradidere. Nobis ſuper inſitam leuitatem, & prodito Galba mox uilem fidem, æmulatione inuidiaq;, ne ab alijs apud Vitellium anteirentur, peruertiſſe ipſum Vitellium uidentur. Cæcina legiones aſſecutus, centurionum militumq; animos obſtinatos pro Vitellio, uarijs artibus ſubruebat. Baſſo eadem molienti minor difficultas erat, lubrica ad mutandam fidem claſſe, ob memoriã recentis pro Othone militiæ.

BEATI RHENANI IN LIBRVM DECIMVM NONVM CASTIGATIONES

HAEC & talia.) Nos,Hæc atq; talia.

Cæterum ut tranſmitteret in Italiam impune, & eo uſui foret, ſcriptum Aponio ſociū reuireſcere credebat.) Hunc locum prorſus deprauatum arbitramur. Neq; enim ex uer/bis iſtis cōmodus ſenſus elici poteſt. Budenſe exemplar ha/bet, Cæterum in Italiam impune & eo uſui foret ſcriptum Aponio ſocium reuireſcere credebatur.Ex uerbis iſtis æque corruptis,huiuſmodi lectionē exculpſimus. Cæterū quum in Italiam,impunito eo uſu,foret ſcriptū,ſocium reuireſcere credebat. Nunc per/pendat lector utra lectio huic loco magis ſit accommoda. Videtur autē mihi ideo dictum impunito eo uſu,quia non ſemper licet è caſtris ad amicos mittere literas, ad cauendam proditionem.

Poſſeſſa ipſo tranſitu Vincētia.) Repoſui,Vicentia.Sic enim Plin. atq; Ptole meus uocāt,quidā & Vicetiā ex inſcriptione quę in agro Veronenſi reperta eſt. *Vicentia*

Ac ne peruium illa Germanicis exercitibus fieret.) Illâ ſicut quâ,pro illac.Sic libro ſecūdo.Incubueratq; ſagittarijs,illâ rupturus, ni Rhætorū Vindelicorumq; & Gallicæ cohortes ſigna obiecíſſent.Hac forma Liuius eâ aduerbialiter uſurpat libro ſexto primæ decad.quod ad quâ refertur.Emenda locum illum fœde depra/uatū in omnibus æditionibus quas ego uiderim.Sic enim uulgo legitur. Et Vol/ſci quâ modo ſimulato metu ceſſerant, eunt in ueram fugam effuſi. Tu ſcribe.Et Volſci quâ modo ſimulato metu ceſſerant,eâ in ueram fugam effuſi,magna pars & in ipſo certamine,& poſt in fuga cæſi. *Liuij locus*

Conſilia poſt res afferebātur.) Hæc lectio placet.nam quod in libro regio ſcri/ptum eſt,poſt tres menſes,plane ſuppoſuit aliquis,ne uocabulum corruptum tres ex res,ſolum relinqueretur.Nimis longum tempus futurum erat ſi addidiſſet,an/nos,nimis breue,ſi dies.

Omiſſum id munus.) Nos,remiſſum id m.Item,Portius Septimius Proc.

Ad occupandam ripam Rheni fluminis, quod Rhætos Noricosq; interfluit.) Caſtigauimus contra manuſcriptum exemplar,Ad occupandam ripam Aeni flu minis. Nam autore Ptolemęo Noricum ab occaſu terminatur Aeno fluuio. De hoc loco meminimus libro primo rerum Germanicarum. *Aenus fl.*

Nec his aut illis prælium tentantibus.) Scripſimus, Nunc illis aut hijs præli/um tentantibus.

Sed Primus ac Varus occupantes Aquileię proxima quæq;.) Codex Buden ſis,Sed Primus ac Varus occupata Aquileia,proxima quoq;,Subau. occupātes.

Vulgata uictoria poſt principia belli ſecundum Flauianos duæ legiones, ſep/tima Galbiana.) Exēplar Matthiæ regis. Vulgata uictoria principia belli ſecun/dum Flauianos date legiones. Lego. Vulgata uictoria principio belli ſecundum Flauianos data, legiones ſeptima Galbiana &c.

Si placere Galbæ principatus.) Caſtig. Si placeret Galbæ principatus.

Facta à tribunis & centurionib.) Particula à uidetur mihi ſupereſſe.

Obturbabatur militum uocibus Aponius.) Dictionem Aponius deleuimus. Mox.Et à conuitijs ac probris.Nos,& probris.Ibidem.Senſit ludibrium miles.in manuſcripto codice eſt,Sentit miles.

Quippe Mœſicę legiones.) Vocabulo legiones expuncto ſcripſimus,Quip/pe Mœſici adiutam à ſe Pannon.ultro.reſ.Nam ſequitur,Pannonici.Codex Bu/denſis continet,Mœſice, ſed perperam meo iudicio.

Vacantium forte balnearum fornicibus abditus.) Repoſuimus, fornacibus.

Qui prope accurrit.) Caſtig. Qui propere accurrit.

Hadriam peruectus.) Nos, Hadriam prouectus.

Secreta caſtrorum affectans.) Volumen regium, Secretorum caſtrorũ affectans. Lego. ſecretum caſtrorum affectans.

Transfugiſſe claſſem in arcto commeatum.) Repoſui, Transfugiſſe claſſem inopia commeatuum.

Huc cecidiſſe Germani exercitus gloriam.) Nos, Germanici exercitus.

Iunctas manus & capta traderent arma.) Caſtig. uinctas manus & c.t.a.

Et abeſſe unicũ Othoniani exercitus robur.) Liber manuſcriptus habet, Germanici. Forte legendum, Britannici.

Quos tamẽ ijſdem illis campis.) Repoſui, Quos tum ijsdẽ campis illis. Mox, ut tot armatorum millia, dictio tot non eſt illic.

Vt legiõibus primæ Italicę & undeuiceſimę Rapaci iungerẽtur.) Nos, Vni&uiceſimæ Rapaci iungerentur.

Vbi hæc comperta Antonio, diſcordes animis, diſcretos uiribus hoſtium exercitus aggredi ſtatuit.) Hæc duo uocabula animis diſcretos, non ſunt in regio codice, qui ſic habet, Vbi hęc comperta Antonio, diſcordes uiribus hoſtium exercitus aggredi ſtatuit. Diſcordes uiribus, id eſt propter uires.

Immenſam belli luem.) Accuſatiuus luem non eſt in libro Budenſi. Malim, uim. Paulopoſt illic eſt, progredi paucos.

Vacuo medio relinquit iter.) Emendaui, Vacuum in medio reliquit iter.

Occurſare pauentibus.) Nos, occurrere pauentibus.

Atq; illic conſternuntur.) Scripſi, conſternantur. Sic infra. Cæteri fœda fuga conſternantur. Quanquam uulgo legitur conſternuntur.

Arma equosq; abripere.) Nos, arma, equos, abripere.

Quos militiæ gloria legionarijs quanquã raptim ductos, æquabat.) Quia ablatiuus gloria non eſt in exemplari manuſcripto, forte militiæ dictum eſt aduerbialiter pro in militia. Legitur autem illic æquabant. Subauditur, alij. Item. Nec Antonius ultra inſiſtit. Item. Poſſe coloniã plano ſitam. Non in plano. Sic infra. Turrim uicino ſitam, pro in uicino. Quare præpoſitionem in ſuſtulimus.

Et maiorem rapiendi licentiam.) Lego ſed. Idem audaciæ per tenebras irrumpentibus, ſed maiorem rapiendi licentiam. Mox, Sed opes. Malim, & opes. Infra, Num ſecures dolabrasq;, & cętera. Nos. Num ſecures, dolabras, & cętera expug. urbibus ſecum attuliſſent.

Aduectis tormentis machinisq; uim uictoriamq; nobiſcum ferimus.) Exemplar Budenſe tantũ habet, tormentisq;. Forte legendũ, aduectis tormentis uimq; uictoriamq; nobiſcum ferimus.

Cæteraq; quę uſui forent allaturos.) Caſtigaui, Cęteràq; uſui allaturos. Item, uagos ex Cremonenſibus.

Sextadecimanos duodeuiceſimanosq;.) Nos, Sextadecimanos duoetuiceſimanosq;. Sic & alibi loquitur.

Atrox his rurſusq; illis.) Submoui particulã que, Atrox his, rurſus illis. Mox eſt illic. Eademq; acie arma. Non, utraq; acie.

Neutrò inclinata fortuna.) Scripſimus, Neutrò inclinauerat fortuna.

Quæ ſuper cuncta.) Codex Budenſis habet que. Lego, Quin ſuper cuncta. Nam ſæpe que pro quin poſuit librarius.

Pondera ſaxorum Vitelliani prouoluunt.) Illic eſt præuoluunt.

Quamuis peſſimo flagitio degenerant.) Quid ſi legas, quouis peſsimo flag.

Is in uallũ egreſſus deturbatis qui reſtiterant.) Scripſi, qui reſiſterent.

Non

Non in uulgus inops,ſed in trib.) Illic,Nō in uulgus inopsq́ in tribunos. Forte,quin in tribunos.

Tot fortiſſimi uiri.) Nos,Ac fortiſſimi uiri.

Et poſita omni fiducia.) Caſtigauimus, Et poſita omni ferocia.

Subit recordatio illos eſſe.) Exemplar Matthiæ regis habet,Subit ratio. Legerim,Subit miſeratio illos eſſe qui nuper Bebriaci uictoriæ temperaſſent.

Auxit inuidiam æditum illic à Cæcina gladiatorum ſpectaculum.) Præpoſitionem à deleuimus. Nam ſubauditur.

Maiore opum ſpecie complebat.) Emendaui, Maiorum opum ſpecie comp.

Is balneas abluendo cruore propere petit.) Nos,abluendo cruori. Illic eſt balnea. Nec refert.

Vtiq́ exercitui,uario.) Caſtig. Vtq́ exercitu,uario linguis,morib.

Hic exitus Cremonam habuit.) Illic tantum,Hic exitus Cremonā. Tum ſubaudiendum habuit. Aut legendum,Cremonæ.

Et ſi qua alia uis per alpes irrueret.) Repoſui, rueret. Nam ruere pro irruere ſæpe uſurpat.

Vbere agri annexu.) Cogitandum an legi poſsit,adheſu,ab adherendo. Mox eſt illic. Ciuilibusq́ intacta.

Antonius poſt rem,flagitij crebreſcente inuidia.) Volumen Coruini regis habet,Antonius piſtore flagitij. Lego,Antonius pudore flagitij,crebreſ. inuidia.

Cædi cœpere.) Illic,Cecidi. Repoſuimus,Occidi cœpere.

Non alloquio exercitioq́.) Illic,non exercitioq́. Lego,non alloquio, non exercitio militem firmare.

Nec defuit qui unū conſulatus diem (i.e.i.l.C.ſ.) m.c.i.t.a.blandiretur.) Caſtigauimus, eblandiretur. *Vnū conſulatus diē eblandiretur.*

Roſsius Regulus,inijt eiurauitq́.) Illic eſt tantū, Roſius Reg. inijt, eiurauit.

Cum belli ciuilis præmia feſtinarentur.) Codex Budenſis habet, dictarentur. Legerim, iſta darentur.

Turrim uicino ſitam collucere per n.c.l.animaduertit.) Illic aduertit.

Vbi aſpernatū Vitellium.) Fœdus lapſus eſt. Reſtituimus, Vbi aſperatū V.

Illic infenſus Blæſo.) Nos,ille infenſus Blæſo.

Cauſam confuſionis quærenti.) Volumen regiū habet aperte, Cauſam effuſionis quęrēti. Id fortaſſis accipi poteſt de ſubita prouolutione qua ſe L. Vitellius calumniator in terram ante pedes Vitellij Cæſaris effudit. At confuſionis uocabulum etiam uſurpat libro ſequenti,de Domitiano. Crebra oris confuſio pro modeſtia accipiebat̄. Liuius libro primo dec.quintæ. Paulopoſt redijt cōfuſo uultu.

Tot Germanicæ legiones.) Hæc clauſula non eſt in libro manuſcripto.

Principis labores è conuiuio proſpectantem.) Labores, morbum uocat. *Labores pro morbo*

Ne dilata Blæſi mors maturam pœnitētiam.) Repoſui, maturam perniciem, Subaudi,ipſi Vitellio afferret.

Vt parum abfuerit.) Nos, Vt parum effugeret,ne dignus crederetur.

Sed Valens ne in tanto quidem diſcrimine.) Illic, ne in tanto diſcrimine quidem. Itē,quo minus illicitas rapere uoluptates. Quā lectionē et nos ſecuti ſumus.

Apud auidos periculorum & dedecoris ſecuros.) Caſtig. & decoris ſecuros. Sunt autem decoris ſecuri,qui nullam honeſti curam habent. *Decoris ſecuri*

Eo metu, paucis quos aduerſa non mutauerant.) Addidimus particulam,&, Eo metu, & paucis quos aduerſa non mutauerant.

Ipſe flexit in Vmbriam,atq́ inde Etruriam.) Rurſum hic addidimus præpoſitionem,in, Atq́ inde in Etruriam.

Gallias,& exercitus,& Germaniæ gentes,nouūq́ bellū cieret.) Duas dictiones,& exercitus,deleui.

Aut aduerſante uento.) Scribo, haud aduerſante uento.

Foroiulienſem coloniam clauſtraq; maris præſidio tuebatur.) Illic, Foroiulienſem coloniam, clauſtra maris, Appoſitiue.

Autor Eo grauior auctor.) Sic ſupra. Tum progreſſus Lucilius autorem ſe præbet palàm claſſis.

Quæ ubi paratu firma.) Codex Coruini, parta habet. Lego. Quæ ubi pacta firma, & auctarum apud u. V. a. increbuere.

Totidemq; centurionibus.) Illic, totidem cẽturionibus. Et nos ſic ſcripſimus.

Cæteris remanere et in uerba Veſpaſiani adigi, uolentibus fuit Cęteris remanere, & in uerba Veſpaſiani adigi uolẽtibus liberum fuit.) Eraſimus dictionem liberũ. Nam imitatione Græca dixit Tacitus, Cęteris remanere & in uerba Veſpaſiani adigi uolentibus fuit. Vt libro 15. Hęc atq; talia plebi uolenti fuere. Sic enim caſtigandum monuimus, ubi uulgo ualentia fuere, legitur. In uita Agricolæ ſoceri. Eoq; initio erecta prouincia, ut quibus bellum uolentibus erat. Libro primo. Vt quibuſq; bellum inuitis aut cupientibus erat. Nec eſt locutio ualde diſsimilis, infra; Et Mutiano uolenti ſcripſere. Adduximus ſuperiori loco quædam exempla ex autoribus Græcis, quæ non uiſum eſt hic repetere.

Simul ipſorum Brigantum defectione.) Liber regius, Simul ipſorum Brigantum defectio. Statq; ſententia.

Haud tenendæ manus auctor.) Nos, Haud temnendæ manus ductor. In manuſcripto uolumine legitur, tependæ manus ductor. Poſſit legi, haud penitendæ manus. Quod uero mox ſequitur, uetuſtam admodum ciuitatem, & illic eſt, uetuſta manum ciuitatem, Forte ſcribendum, uetuſtiſſimam ciuitatem.

Claſſis quoq; faces intulit.) Nos, Claſsi.

Quin & Barbari contemptim uagabantur.) Scripſi, contemptius uagabãtur.

Ceu felicitas in tali ingenio.) Caſtig. Seu felicitas in tali ingenio.

Tanto acrior apud maiores, quod ſicut uirtutibus glor.) Nos dictione quod expũcta, ſic ſcripſimus. Tanto acrior apud maiores ſicut uirtutibus gloria, ita flagitij pœnitentia fuit. Nam exemplar regium manifeſte habet flagitij, ut de flagitio occiſi fratris intelligas.

Sed hæc aliaq; ex ueteri memoria petita.) Caſt. repetita. Mox eſt illic, poſcet.

Et certiora ex Mutiano ſperabantur.) Prępoſitionem ex ſuſtulimus.

Et Mutiano uolentia reſcripſere.) Caſtigauimus, Et Mutiano uolenti ſcripſere, Hoc eſt grata reſcripſere. Redolet Helliniſmum hæc locutio. Non prorſum abſimilis illis, Hęc atq; talia plebi uolenti fuere. Item, remanere & in uerba Veſpaſiani adigi uolentibus. In uita Agricolæ, Vt quibus bellum uolentibus erat. Sane quantum ad datiuum uolenti attinet quod Græcis eſt βουλομένῳ, meminimus ſupra. Mox eſt illic, aut facta eius.

Vt ad uires hoſtiũ ſpectãdas.) Particulã ut expunximus. Nam ſubintelligit.

Abnuentiq; uera eſſe quæ afferret.) Nos, referret.

Quandoquidem, inquit magno documento opus.) Addidimus uerbum, eſt.

Tandem flagitante exercitu qui Meuaniam inſederat.) Pronomen relatiuum qui ſubmouimus. Nam hæc clauſula, Meuaniam inſederat, per parentheſim interiecta eſt. Et ſubintelligitur, Meuaniam inſederat ſ. is exercitus.

Vt nube atra diem obtenderent.) Scripſimus, obtunderent. Obtunditur lux & fulgor per obumbrationem.

Longe Longe quàm ubi feriri hoſtias mos eſt, cõfoſſus.) Deleui particulam q̃. Longe, id eſt procul ab eo loco ubi feriri hoſtias mos eſt, confoſſus.

Et collata utrinq; caſtra.) Caſtig. Vt collata utrinq; caſtra.

Quæ ubi Vitellio cognita.) Manuſcriptũ exemplar non habet, Vbi, Poſſunt ſic di-

ſic diſtingui uerba. Quæ Vitellio cognita. Subaudi. ſunt. Parte cop.

Dantes nomina ſacramento adigit.) Illic eſt dat nomina. Forte ſcribendum & diſtinguendum, dant nomina, ſacramento adigit.

Et pondus argenti ſenatoribus inducit.) Nos, indicit.

Quæ non dabantur, remiſit.) Codex Matthiæ Coruini, Quæ non dabantur, omiſit. Adhuc nullus commodus ſenſus elici poteſt. Pro non dabantur, lego, nunciabantur, & bene habebit locus. Quæ nunciabantur, omiſit. Hoc eſt, omiſit puni re ſenatores equitesq́; de quibus nunciatum foret quod è caſtris ſe ſubduxiſſent. *Quæ nunciabātur, omiſit*

Niue ſe eluctantibus.) Caſtigaui quemadmodum eſt in uolumine Budenſi, niues eluctantibus. Sic in uita Agricolæ. Super uirtutem hoſtium, locorumq́; difficultates eluctatus. Eodem modo dixit libro 17. Et immenſa uiarum ſpacia, ęgre ſub armis eniterentur. Et hoc loco mox. Cuſtodias Vitellij elapſum. Item libro 4. Eiusq́; ſtatuam uim ignium bis elapſam. *Niues eluctantib. ſpacia uiarum eniti*

Et notitia locorum.) Illic legitur. Et noctu locorum. Forte, notu pro notione (ſeu notitia.

Donec aquilę ſignaq́; legionum aſſequerentur.) Abſolute uſurpat aſſequi. Infra. Miſſus exemplo Varus. Nos. Miſſus extemplo Varus.

Fonteium Capitonem in proditionem corruptum.) Hęc clauſula in proditionem, non eſt in libro regio.

Id quoq́; non ſine decore.) Nos, ſine dedecore.

Vt ad prælium intentus armatusq́;.) Illic legitur. ornatusq́;. Liuius libro nono primę decad. Diemq́; ijs, qua equis armisq́; inſtructi atq́; ornati adeſſent, edixit. Item libro 1. primę decad. Armati ornatiq́;. Vbi uulgo legitur, Ordinati armatiq́;. *Flauianus exercitus ut ad prælīū intentus, ornatusq́;*

Et pecuniam & ſecreta Campanię offerre Vitellio.) Budenſis codex habet ſecretam. Lego. ſecretum Campanię.

Tanquam inuidia & ęmulatione fortunam fratris moraretur.) Illic legitur, fortunę fratris m. Diſtingue, Tanquam inuidia & ęmulatione fortunę fratris, moraretur. Vbi moraretur accipit abſolute, pro cunctari.

Et credebatur affectam eius fidem preiuuiſſe.) Sic hic dicit affectā fidem pro leſa, quemadmodū Liuius dixit res affectas libro ſexto primę decadis. Quorum legati opem rebus affectis orātes, quum ſenatum adiſſent. Et adfectam Remp. libro quinto eiuſdem decadis. Modo quę res poſt prodigium Albani lacus, niſi inſtauratio ſacrorū, auſpiciorūq́; renouatio, affectę Veienti bello reip. remedio fuit? Et affectum corpus. Libro nono primę decadis. In corpore tamen affecto uigebat uis animi conſilijq́;. Emendandus eſt deprauatus Liuij locus libro quinto primę decadis, ubi in uulgatis ęditionibus legitur, Vires corporis effœtę. Tu ſcribe, Vires corporis affectę. *Affecta fides* *Affectæ res* *Affecta reſp.* *Affectum corpus* *Vires corporis affectæ*

Ne uictos quidem laturos.) Codex Matthię Coruini, Ne uicto quidem laturos. Lego, ne uictum quidem laturus.

Niſi extincto ęmulatore redituram.) Illic legitur, ęmulatore daturam. Forte ſcribendum, ęmulo redituram.

Ne dum Primus & Fuſcus.) Nos, Nedum Primus ac Fuſcus. Mox eſt illic, ulla in Vitellium.

Moriendum deditis.) Hęc clauſula non eſt in libro manuſcripto.

Pullo amictu palatio digreditur.) Scripſimus, degreditur. Nam quoties ex alto deſcenſus innuitur, apte locum habet hoc uerbum. Liuius libro nono primæ decadis. Cum quingentis, inquit, haud amplius peditibus, ducentisq́; equitibus degreſſum iugis Maſaniſſam perſecutus. Rurſum libro quinto eiuſdem decadis. Cum equitibus ad pedes degreſſis. Sic enim ibi legendum, pro digreſſis. *Palatio degrēditur*

Simul ferebatur lecticula paruulus filius.) Illic eſt, paruus filius.

Piſo & Galba tanquā in acie cecidere. In ſua concione.) Exemplar Budenſe:

Piſo & Galba tanquã in acie cecidebant ſua concione Vitellius. Legerim, in acie ceciderant, ſua concione Vitellius. ſ. cecidit. Sua concione, pro, in ſua concione.

Interclusum aliud iter.) Illic, interclusum alterum iter. Et ſic nos ſcripſimus. Mox, in palatium rediit.

Mixto milite, & quibuſdam ſenatorum equitumq́.) Participium mixto non eſt in codice regio. Verum pro & quibuſdam, eſt, ex quibuſdam. Vt ſtet ſentẽtia, arcem Capitolij inſedit, milite, hoc eſt cum milite, ex quibuſdam ſenatorum equitumq́. Mutauimus itaq; particulam, &, in ex, & ablatiuum mixto ſuſtulimus.

Arcẽ capitolij inſedit, milite ex quibuſdam ſenatorũ equitumq́

Ne à militibus internuncius inuiſæ pacis interficeretur.) Particulam à deleui. Nam ſubauditur. Niſi quis putet uocabulum internuncius cum datiuo militibus conſtruendũ, per participiũ exiſtens. Tum multo minus opus erit à prępoſitione.

Saxis tegulisq; Vitellianos deturbabãt.) Hoc uerbũ miror à librario omiſſum fuiſſe.

Faces in prominentẽ porticum iecere.) Illic eſt, iacere pro iaciebãt.

Quo nitentes ac progreſſos depellerent.) Nos, depulerint. Item, populo Ro.

Quam non Porſena dedita urbe, neq; Galli capta temerare potuiſſent.) Scripſimus, tenere potuiſſent. Tenere hoc eſt obtinere, tanquam ſui iuris factam. Sic enim habet Codex Budenſis. Alioqui uerbum temerare non diſplicet, quo ſæpe Tacitus utitur. Senſus eſt, ſaltem tenere non potuerunt, adeo non cremare excinderecq;. De hoc tamen loco cogitet lector.

Quo tantæ cladis pretio ſtetit?) Verbũ ſtetit eraſimus, & diſtinximus. Quibus armorum cauſis, quo tantæ cladis pretio, pro patria bellauimus?

Ignoratusq́, apud Cornelium primum.) Nos, Ignoratus apud Corneliũ Primum paternum clientem, iuxta Velabrum delituit.

Et præmia nauatæ operæ petebant.) Volumen Budenſe. Et præmia enauatæ operæ petebant. Eſt autem elegans uocabulũ enauatus, ab enauando. Vbi e conſummationem ſignificat, ut in uerbo euinco. Libro tertio. Tanto magis imbelles Heduos euincite. Item in emunio, cuius participio utitur in uita Agricolæ: Syluis & paludibus emuniendis.

Præmia enauatæ operæ
Enauatus
Enauare operam

Direpta æmulatione inter duos.) Nos, dirempta æmulatione inter duos.

Neq; multi cecidere.) Caſtigaui, neq; inulti cecidere.

Ipſe lauream geſtæ proſperæ rei.) Emend. Ipſe lauream proſperè geſtæ rei.

Cæteri fœda fuga conſternuntur.) Scripſi, conſternantur. Vt ſupra, Atque illic conſternantur.

Vt prætextu Reip. concordiam pacemq; ſuaderent.) Nos, prætexto. Nam ſic & autores alij loquuntur.

Prætexto reipublicæ

Et ni dato à duce præſidio.) Et particula nõ eſt in libro manuſcripto, qui mox habet, ſacrum etiam in exteras gentes legatorum ius. In pro erga, Hoc eſt cũ exteræ gentes mittunt legatos.

Sacrũ etiã in exteras gẽtes legatorũ ius

Dirempta belli commercia.) Lego, bellico commercia, Sabini cæde, & incendio Capitolij, dirempta bellico cõmercia. Hoc eſt, uelut dato belli ſigno, dirempta commercia. Notum eſt quid ſit bellicum canere.

Erui iugulariq; expoſtulantes.) Scripſimus, poſtulantes.

Et ſcortis miles.) Caſtigauimus, Et ſcortis ſimiles.

Quæ acerrimus quiſq; ut nouiſſimam ſpeciem retinebant.) Emendauimus: ut nouiſſimam ſpem retinebant.

Auentinum in domum uxoris ſellula defertur.) Exemplar regiũ habet Auentini. Per auerſam palatij partem Auentini, in domum uxo. ſellula defertur.

Vel quo maturius ludibrio eximeret.) Illic legitur, ludibus. Suſpicor ſcribendum, ludibrijs. Mox, nos, Vox una.

Pater illi L. Vitellius (nam ſeptimum & quinquageſimum ætatis annum explebat.

plebat.) Codex Budenſis. Patrem illi Luceriam ſeptimum & quinquageſimum ætatis annum explebat. Conijcio legendum. Pater illi L. Nucerian. ſeptimum & quinquageſimum ætatis annũ explebat. Siue. Pater illi L. Nucerin. (aut L. Nuceria pro à Nuceria) Iam ſeptimum & quinquageſimum ętatis annum explebat. De auo Vitellij Cęſaris Suetonius in hæc uerba ſcribit: P. Vitellius domo Nuceria. Cæterum quia manuſcriptum uolumen habet, Patrem illi Luceriam, ſimplicius ſit legere, Patrem illi Nuceria. Subaudi dedit. Septimum & quinquageſimum ætatis annum explebat. Paulopoſt. Reip. haud dubie intererat. Vocabulũ Reip. in regio libro omiſſum, doctus quiſpiam hic inſulſit cum eo non ſit opus. Nam latine dicitur, Hauddubie intererat Vitelliũ uinci, hoc eſt ad rem pertinebat. Vtile erat. Itaq; genitiuum Reip. diſpunximus. Liuius libro ſeptimo quartæ decad. Quod plurimum intererat ad animos ciuitatum.

Patrem illi Nuceria

Hauddubie intererat Vitellium uinci

Præcipiti in occaſum die.) Scripſimus, Præcipitãte in occaſum die. Nam pręcipitare etiam abſolute uſurpant autores. Liuius libro ſeptimo tertiæ decad. Creditum uulgo eſt, in puteum apertum ex equo præcipitaſſe. Sic enim ſcriptum reperi in uetuſto codice cum eum librum conferrem. Quanquam in uulgatis ęditionibus legitur præcipitatum eſſe. Rurſum libro nono quartæ decad. Et pars maxima inermes per inuia & rupes deruptas præcipitantes fugerunt.

Præcipitante in occaſũ die.

Præcipitare

FINIS

P. CORNELII TACITI AB EXCESSV DIVI AVGVSTI ANNALIVM

LIBER XIX

MELIORE fato fideq; Flauianarum partium duces conſilia belli tractabant. Petouionem in hyberna Tertiædecimæ legionis conuenerant. illic agitauere, placeret ne obſtrui Pannoniæ alpes, donec à tergo uires uniuerſæ cõſurgerent, an ire cominus, & certare pro Italia conſtantius foret. Quibus opperiri auxilia, & trahere bellum uidebatur, Germanicarum legionũ uim famamq; extollebant, & adueniſſe mox cum Vitellio Britannici exercitus robora: Ipſis nec numerum parem pulſarum nuper legionum: & quanquam atrociter loquerentur, minorem eſſe apud uictos animum. Sed inſeſſis interim alpibus, uenturum cum copijs Orientis Mutianum. Supereſſe Veſpaſiano mare, claſſes, ſtudia prouinciarum, per quas uelut alterius belli molem cieret. Ita ſalubri mora, nouas uires affore, & præſentibus nihil periturum.

Petouionem uulgus eruditorũ Petouiã uocat, Germani Betta in Carnis oppidum in ripa Draui fl. ſitũ.

Ad ea Antonius Primus (is acerrimus belli concitator) feſtinationẽ ipſis utilem, Vitellio exitioſam diſſeruit. plus ſocordiæ quàm fiduciæ acceſſiſſe uictoribus. Neque enim in procinctu & caſtris habitos, per omnia Italiæ municipia deſides, tantum hoſpitibus metuendos, quanto ferocius ante ſe egerint, tanto cupidius inſolitas uoluptates hauſiſſe. Circo quoq; ac theatris & amœnitate urbis emollitos, aut ualetudinibus feſſos. Sed addito ſpa

Antonius Primus belli cõcitator aduerſus Vitellium pro Veſpaſiano

cio,rediturum & his robur meditatione belli. Nec procul Germaniã unde uires,Britanniam freto dirimi,iuxta Gallias Hiſpaniasq́ . utrinque uiros, equos,tributa.ipſamq́ Italiã & opes urbis.Ac ſi inferre arma ultro uelint, duas claſſes,uacuumq́ Illyricum mare.Quid tum clauſtra montium profutura? quid tractum in æſtatem aliam bellum? unde interim pecuniam & commeatus?Quin potius eo ipſo uterentur, quod Pannonicæ legiones deceptæ,magis quàm uictæ,reſurgere in ultionem properent: Mœſici exercitus integras uires attulerint.Si numerus militũ potius quàm legionum putetur,plus hinc roboris,nihil libidinũ,& profuiſſe diſciplinæ ipſum pudorem.Equites uero ne tum quidem uictos, ſed quanquam rebus aduerſis,diſiectam Vitellij aciem. Duæ tunc Pannonicæ ac Mœſicæ alæ perrupere hoſtem.Nunc XVI alarum coniuncta ſigna, pulſu ſonituq́ & nube ipſa operient ac ſuperfundent oblitos prçliorũ equites equosq́. Niſi quis retinet,idem ſuaſor auctorq́ conſilij ero. Vos quibus fortuna in integro eſt,legiones continete,mihi expeditæ cohortes ſufficient. Iam reſerata militia impulſas Vitellij res audietis:iuuabit ſequi, & ueſtigijs uincentis inſiſtere. Hæc atq; talia flagrans oculis,truci uoce, quo latius audiretur (& enim ſe centuriones & quidam militum conſilio miſcuerant) ita effudit,ut cautos quoq; ac prouidos permoueret: uulgus & cæteri unum uirum ducemq́ ſpreta aliorum ſegnitia laudibus ferrent.Hanc ſui famam ea ſtatim concione commouerat,qua recitatis Veſpaſiani epiſtolis,non,ut plerique, incerta diſſeruit, huc illuc tracturus interpretationem, prout conduxiſſet. Aperte deſcendiſſe in cauſam uidebatur,eoq́ gratior militibus erat,culpæ uel gloriæ ſocius.Proxima Cornelij Fuſci procuratoris auctoritas. Is quoque inclementer in Vitellium inuehi ſolitus,nihil ſpei ſibi inter aduerſa reliquerat.Titus Appius Flauianus natura ac ſenecta conctatior,ſuſpitiones militum irritabat, tanquam affinitatis cum Vitellio meminiſſet. Idemq́ quod cœptante legionum motu profugus,dein ſponte remeauerat, perfidiæ locũ quæſiſſe credebatur.Nam Flauianũ omiſſa Pannonia ingreſſum Italiam,& diſcrimini exemptum,rerum nouarum cupido legati nomen reſumere,& miſceri ciuilibus armis impulerat,ſuadente Cornelio Fuſco,non quia induſtria Flauiani egebat, ſed ut conſulare nomen ſurgentibus tum maxime partibus,honeſta ſpecie prætenderetur. Cæterum ut tranſmitteret in Italiam impune,& eo uſui foret, ſcriptum Aponio ſocium reuireſcere crederet.Quæſitum inde quæ ſedes bello legeretur.Verona potior uiſa, patentibus circum campis ad pugnam equeſtrem,qua præualebãt: ſimul coloniam copijs ualidã auferre Vitellio, in rem famamq́ uidebatur. Poſſeſſa ipſo tranſitu Vicentia: quod per ſe parum (etenim modicæ municipio uires)magni momenti locum obtinuit,reputantibus illic Cæcinam genitum, & patriam hoſtium duci ereptam.In Veronenſibus pretium fuit. exemplo opibusq́ partes iuuere. Et interceptus exercitus per Rhætiam Iuliasq́

Vide Caſtigationes huic 19 libro præfixas

Verona

Vicentia

Iuliasq; alpes.ac ne peruium illâ Germanicis exercitibus foret, obſepſerat. Quæ ignara Veſpaſiano aut uetita.quippe Aquileię ſiſti bellum,expecta-riq; Mutianum iubebat. Adijciebatq; imperio conſilium,quando Ægyp-tus,clauſtra annonæ, uectigalia opulentiſſimarum prouinciarum obtine-rentur, poſſe Vitel i exercitum egeſtate ſtipendij frumentiq; ad deditio-nem ſubigi.Eadem Mutianus crebris epiſtolis monebat, incruentam & ſi-ne luctu uictoriã,& alia huiuſcemodi prætexendo,ſed gloriæ auidus, atq; omne belli decus ſibi retinens . Cæterum ex diſtantibus terrarum ſpacijs conſilia poſt res afferebãtur . Igitur repentino incurſu Antonius ſtationes hoſtiũ irrupit,tentatiſq; leui prælio animis,ex æquo diſceſſum.Mox Cæ-cina inter Hoſtiliam uicum Veronenſium,& paludes Tartari fluminis,ca-ſtra permunijt,tutus loco,cum terga flumine, latera obiectu paludis tege-rentur.quod ſi affuiſſet fides , aut opprimi uniuerſis Vitellianorũ uiribus duæ legiones nondũ coniuncto Mœſico exercitu potuere,aut retro actæ, deſerta Italia turpem fugam conſciuiſſent . Sed Cæcina per uarias moras prima hoſtibus prodidit tempora belli,dũ quos armis pellere promptum erat,epiſtolis increpat,donec per nuncios pacta perfidiæ firmaret.Interim Aponius Saturninus cũ legione ſeptima Claudiana aduenit . Legioni tri-bunus Vipſanus Meſſala præerat,claris maioribus,egregius ipſe,& qui ſo lus ad id bellum artes bonas attuliſſet. Has ad copias nequaquam Vitelli-anis pares(quippe tres adhuc legiones erant)miſit epiſtolas Cæcina,teme ritatem uicta arma tractantium incuſans. Simul uirtus Germanici exerci-tus laudibus attollebatur,Vitellij modica & uulgari mentione,nulla in Ve ſpaſianum contumelia. Nihil prorſus quod aut corrumperet hoſtem, aut terreret . Flauianarum partium duces, omiſſa prioris fortunæ defenſione, pro Veſpaſiano magnifice,pro cauſa fidẽter, de exercitu ſecuri, Vitellium ut inimici,ut innocuum exercitum Mœſicum celebrare.At ne inermes pro uinciæ barbaris nationibus exponerẽtur, principes Sarmatarũ Iazygum, *Sarmatæ Iazyges* penes quos ciuitatis regimen, in commilitiũ adſciti, plebem quoq; & uim equitum,qua ſola ualent offerebant. remiſſum id munus, ne inter diſcor-dias externa molirentur,ac maiore ex diuerſo mercede,ius faſq; exuerent. Trahũtur in partes Sido atq; Italicus reges Sueuorum, quibus uetus ob- *Sido, Italicus Sueuorum reges* ſequium erga Romanos,& gens fidei commiſſæ patiẽtior :oppoſita in la-tus auxilia infeſta Rhætiæ,cui Porcius Septimius procurator erat,incorru ptæ erga Vitellium fidei.Igitur Sextilius Felix cum ala Tauriana & VIII cohortibus,ac Noricorum iuuentute, ad occupandam ripam Æni flumi-nis,quod Rhætos Noricoſq; interfluit,miſſus.Nũc illis,aut his præliũ ten *Rhætia Vitellio ſtudebat* tantibus,fortuna partiũ alibi tranſacta.Antonio uexillarios è cohortibus, & partem equitum ad inuadendã Italiam rapienti, comes fuit Arrius Va-rus ſtrenuus bello, quam gloriam & dux Corbulo,& proſperæ in Arme-nia res addiderant . Idem ſecretis apud Neronem ſermonibus ferebatur

Corbulonis uirtutes criminatus. Vnde infami gratia primum pilum adepto, læta ad præſens male parta, mox in perniciem uertere. Sed Primus ac Varus occupantes Aquileiæ proxima quæq; , & Opitergij & Altini lætis animis accipiuntur. Relictum Altini præſidium, aduerſus claſſem Rauennatem, nondum defectione eius audita. Inde Pataúium & Ateſte partibus adiunxere. Illic cognitum tris Vitellianas cohortes, & alam cui Scribonianæ nomen ad Forum Alieni ponte iuncto conſediſſe. Placuit occaſio inuadendi incurioſos. nam id quoq; nunciabatur. luce prima inermes pleroſq; oppreſſere. Prædictũ ut paucis interfectis, cæteros pauore ad mutandam fidem cogerent. Et fuere qui ſe ſtatim dederent. plures abrupto ponte, inſtanti hoſti uiam abſtulerunt. Vulgata uictoria poſt principia belli ſecundum Flauianos, duæ legiones ſeptima Galbiana, Tertiadecima Gemina cum Vedio Aquila legato Pataúium alacres ueniunt. Ibi pauci dies ad requiem ſumpti. & Minutius Iuſtus præfectus caſtrorum legionis ſeptimæ, quia audacius quàm ciuili bello imperitabat, ſubtractus militũ iræ, ad Veſpaſianum miſſus eſt. Deſiderata diu res interpretatione gloriæ in maius accipitur, poſtquam Galbæ imagines diſcordia temporũ ſubuerſas in omnibus municipijs recoli iuſſit Antonius, decorũ pro cauſa ratus, ſi placeret Galbæ principatus. Et partes præſumpſere, facta tribunis & centurionibus retinendi quæ Vitellius indulſiſſet ſpe, atq; ipſum Cæcinam non obſcure ad tranſitionem hortabantur. Recitatæ pro concione epiſtolæ addidere fiduciã, quod ſubmiſſe Cæcina uelut offendere Veſpaſianũ timens, ipſorum duces contemptim, tanquam inſultantes Vitellio ſcripſiſſent. Aduentu deinde duarum legionum, è quibus tertiã Dillius Aponianus, octauam Numiſius Lupus ducebãt, oſtentare uires, & militari uallo Veronam circũdare placuit. Forte Galbianæ legioni in aduerſa fronte ualli opus ceſſerat, & uiſi procul ſociorum equites, uanam formidinem ut hoſtes fecere. Rapiuntur arma, & ut proditionis ira militum in T. Appium Flauianum incubuit, nullo criminis argumento. Sed iam pridem inuiſus turbine quodam ad exitium poſcebatur. propinquum Vitellij, proditorem Othonis, interceptorem donatiui clamitabant. Nec defenſioni locus, quanquã ſupplices manus tenderet, humi plerunq; ſtratus, lacera ueſte, pectus atq; ora ſingultu quatiens. Id ipſum apud infenſos incitamentum erat, tanquã nimius pauor conſcientiam argueret. Obturbabatur militum uocibus cum loqui cœptaret. fremitu & clamore cæteros aſpernãtur, uni Antonio apertæ militum aures. Nanq; & facundia aderat mulcendiq; uulgum artes, & auctoritas. Vbi crudeſcere ſeditio, & à cõuitijs & probris, ad tela & manus tranſibant, inijci cathenas Flauiano iubet. Senſit ludibriũ miles, diſiectiſq; qui tribunal tuebantur, extrema uis parabatur. Oppoſuit ſinum Antonius ſtricto ferro, aut militum ſe manibus, aut ſuis moriturum obteſtans: ut quemq; notum, & aliquo militari decore inſignẽ aſpexerat, ad ferendam opem

Aquileia
Opitergium
Altinum
Pataúium
Ateſte
Dillius Aponianus

opem nomine ciens. Mox conuerſus ad ſigna & bellorū deos, hoſtium potius exercitibus illum furorem, illam diſcordiā inijcerent, orabat, donec faτiſceret ſeditio, & extremo iam die ſua quiſq; in tentoria dilaberetur. Profectus eadē nocte Flauianus, obuijs Veſpaſiani literis, diſcrimini exemptus eſt. Legionesq; ueluti tabe infectæ Aponium Saturninū Mœſici exercitus legatū, eo atrocius aggrediuntur, quod non ut prius labore & opere feſſæ, ſed medio diei exarſerāt, uulgatis epiſtolis, quas Saturninus ad Vitellium ſcripſiſſe credebatur. ut olim uirtutis modeſtiæq;, tunc procacitatis & petulantiæ certamen erat, ne minus uiolenter Aponium q̄ Flauianū ad ſupplicium depoſcerent. Quippe Mœſici adiutam à ſe Pannoniorū ultionem referentes, & Pannonici uelut abſoluerentur aliorum ſeditione, iterare culpam gaudebant. In hortos in quibus diuertebatur Saturninus pergunt. Nec tam Primus, Aponianus, & Meſſala (quanq̄ omni modo nixi) eripuere Saturninum, q̄ obſcuritas latebrarum, quibus occulebatur uacantium forte balnearū fornacibus abditus. Mox omiſſis lictoribus Patauium conceſſit. Digreſſu cōſularium uni Antonio uis ac poteſtas in utrunq; exercitum fuit, cedentibus collegis, & obuerſis militū ſtudijs. Nec deerant qui crederent utranq; ſeditionē fraude Antonij cœptam, ut ſolus bello frueretur. Ne in Vitellij quidem partibus quietæ mentes, exitioſiore diſcordia. non ſuſpicionibus uulgi, ſed perfidia ducū turbabantur. Lucillius Baſſus claſſis Rauennatis præfectus, ambiguos militū animos, quod magna pars Dalmatæ Pannonijq; erant, quæ prouinciæ Veſpaſiano tenebantur, partibus eius aggregauerat. Nox proditioni electa, ut cæteris ignaris, ſoli in principia defectores coirēt. Baſſus pudore ſeu metu quis nam exitus foret, intra domum opperiebatur. Trierarchi magno tumultu Vitellij imagines inuadunt, & paucis reſiſtentiū obtruncatis, cæterum uulgus rerum nouarū ſtudio, in Veſpaſianū inclinabat. Tum progreſſus Lucilius auctorē ſe palàm præbet, claſſis Corneliū Tuſcum præfectum ſibi deſtinat, qui properè accurrit. Baſſus honorata cuſtodia liburnicis nauibus Hadriam prouectus, à præfecto alæ Mennio Rufino præſidium illic agitante uincitur. Sed exoluta ſtatim uincula interuentu Hormi Cæſaris liberti. is quoq; inter duces habebatur. At Cæcina defectione claſſis uulgata, primores centurionum, & paucos militum, cæteris per militiæ munera diſperſis, ſecreta caſtrorum affectans, in Principia uocat. Ibi Veſpaſiani uirtutem uireſq; partium extollit: transfugiſſe claſſem inopia commeatuum, aduerſas Gallias Hiſpaniaſq;, nihil in urbe fidum, atque omnia de Vitellio in deterius. Mox incipientibus qui conſcij aderant, cæteros re noua attonitos, in uerba Veſpaſiani adigit. Simul Vitellij imagines direptæ, & miſſi qui Antonio nunciarent. Sed ubi totis caſtris in fama proditio, recurrēs in principia miles præſcriptum Veſpaſiani nomē, proiectas Vitellij effigies aſpexit. uaſtum primo ſilentium, mox cuncta ſimul erumpunt: huc cecidiſſe Germanici exercitus

citus gloriam,ut ſine prælio,ſine uulnere, uinctas manus & capta traderēt arma? Quas enim ex diuerſo legiones? Nempe uictas. & abeſſe unicum Othoniani exercitus robur, primanos quartadecimanosq́; quos tum iiſdem campis illis fuderint ſtrauerintq́;,ut tot armatorum millia uelut grex uenalium exuli Antonio donum darentur. Octo nimirum legiones unius claſſis acceſſionem fore. Id Baſſo,id Cæcinæ uiſum, poſtquā domos,hortos,opes principi abſtulerint,etiam militibus principem auferre, licet integros incruentosq́;,Flauianis quoq; partibus uiles. quid dicturos repoſcentibus aut proſpera,aut aduerſa? Hæc ſinguli, hæc uniuerſi, ut quemq; dolor impulerat,uociferantes, initio à quinta legione orto, repoſitis Vitellij imaginibus,uincla Cæcinæ inijciunt. Fabium Fabulum quintæ legionis legatum,& Caſſium Longum præfectum caſtrorum,duces deligunt. Forte oblatos trium liburnicarum milites,ignaros & inſontes trucidant. Relictis caſtris,abrupto ponte Hoſtiliam rurſus,inde Cremonam pergunt, ut legionibus primæ Italicæ & Vnietuiceſimę Rapaci iungerentur,quas Cæcina ad optinendam Cremonam cum parte equitū præmiſerat. Vbi hæc comperta Antonio,diſcordes animis, diſcretos uiribus hoſtiū exercitus aggredi ſtatuit,antequam ducibus auctoritas,militi obſequium,& iunctis legionibus fiducia rediret. nanq; Fabium Valentem profectum ab urbe,acceleraturumq́; cognita Cæcinæ proditione coniectabat, Et fidus Vitellio Fabius,nec militiæ ignarus. Simul ingens Germanorū uis, per Rhætiam timebatur:& Britannia Galliaq́; & Hiſpania auxilia Vitellius acciuerat, immenſam belli luem,ni Antonius id ipſum metuens feſtinato prælio uictoriam præcepiſſet. Vniuerſo cum exercitu ſecundis à Verona caſtris Bebriacum uenit. Poſtero die legionibus ad muniendum retentis,auxiliares cohortes in Cremonenſem agrum miſſæ, ut ſpecie parandarum copiarum, ciuili præda miles imbueretur. Ipſe cum quatuor millibus equitū ad octauum à Bebriaco progreſſus, quo licentius popularentur, exploratores(ut mos eſt)longius curabant. Quinta fermè hora diei erat, cum citus eques aduentare hoſtes,pręgredi paucos,motum fremitumq́; latè audiri nunciauit. Dum Antonius quid nam agendū conſultat, auiditate nauandæ operæ Arrius Varus cum promptiſſimis equitum prorupit. Impulitq́; Vitellianos modica cæde. nam pluriū accurſu uerſa fortuna, & acerrimus quiſq; ſequentium,fugæ ultimus erat. nec ſponte Antonij properatū. & fore quæ acciderant rebatur. Hortatus ſuos ut magno animo capeſſerent pugnam, diductis in latera turmis,uacuū in medio reliquit iter, quo Varū equitesq́; eius reciperet. Iuſſę armari legiones,datum per agros ſignum,ut quà cuiq; proximum,omiſſa præda,prælio occurrerent. Pauidus interim Varus,turbæ ſuorum miſcetur, intulitq́; formidinem. Pulſi cum saucijs integri,ſuometipſi metu,& anguſtijs uiarum conflictabantur. Nullum in illa trepidatione Antonius conſtantis ducis aut fortiſſimi militis officium omiſit. occurrere

Prior pugna à Veſpaſiano ſtantiū cū Vitellianis,& uictoria

currere pauẽtibus,retinere cedentes.ubi plurimus labor, unde aliqua ſpes, cõſilio, manu,uoce inſignis hoſti,cõſpicuus ſuis,eò poſtremo ardoris prouectus eſt,ut uexillarium fugientem haſta tranſuerberaret.mox raptũ uexillum in hoſtem uertit. quo pudore haud plures quàm centũ equites reſtitere.Iuuit locus arctiore illic uia,& fracto interfluentis riui ponte,qui incerto alueo,& præcipitibus ripis fugam impediebat. Ea neceſſitas ſeu fortuna lapſas iam partes reſtituit.Firmati inter ſe denſis ordinibus, excipiũt Vitellianos temere effuſos, atq; illi conſternantur. Antonius inſtare perculſis, ſternere obuios.Simul cæteri ut cuiq; ingenium, ſpoliare,capere arma,equos abripere.Exciti proſpero clamore qui modo per agros fuga palabantur,uictoriæ ſe miſcebant.Ad quartum à Cremona lapidem fulſere legionum ſigna,Rapacis atq; Italicæ,læto inter initia equitum ſuorũ prælio illuc uſq; prouecta.Sed ubi fortuna cõtra fuit,non laxare ordines, non recipere turbatos,non obuiam ire,ultroq; aggredi hoſtem, tantũ per ſpacium curſu & pugnando feſſum.forte uicti, haud perinde rebus proſperis ducem deſiderauerant,atq; in aduerſis deeſſe intelligebãt. Nutantem aciem uictor equitatus incurſat.Et Vipſanus Meſſala tribunus cum Mœſicis auxiliaribus aſſequitur,quos militiæ gloria legionarijs quanquam raptim ductos,æquabat.Ita mixtus pedes equesq; rupere legionũ agmen. Et propinqua Cremonenſium mœnia quanto plus ſpei ad effugium, minorem ad reſiſtendum animum dabant.Nec Antonius ultra inſtitit,memor laboris ac uulnerum,quibus tam anceps belli fortuna quamuis proſpero fine, equites equosq; afflictauerat.Inumbrãte ueſpera uniuerſum Flauiani exercitus robur aduenit.Vtq; cumulos ſuper & recẽtia cæde ueſtigia inceſſere, quaſi debellatũ foret, pergere Cremonã, & uictos in deditionẽ accipere,aut expugnare depoſcunt.Hæc in medio pulchra dictu.Illa ſibi quiſq;, poſſe coloniã plano ſitam impetu capi.Idem audaciæ per tenebras irrumpentibus,& maiorem rapiendi licentiam. Quod ſi lucem opperiãtur, iam pacem,iam preces,& pro labore ac uulneribus,clementiam & gloriam inania laturos.Sed opes Cremonenſium in ſinu præfectorum legatorumq; fore.Expugnatæ urbis prædam ad militẽ,deditæ ad duces pertinere.Spernuntur centuriones tribuniq;,ac ne uox cuiuſquã audiatur, quatiũt arma, rapturi imperiũ ni ducantur. Tum Antonius inſerens ſe manipulis, ubi aſpectu & auctoritate ſilentium fecerat,non ſe decus neq; pretium eripere tam bene meritis affirmabat. Sed diuiſa inter exercitum duceſq; munia, militibus cupidinem pugnandi conuenire,duces prouidendo, cõſultando, conctatione ſæpius quàm temeritate prodeſſe. Vt pro uirili portione armis ac manu uictoriam iuuerit, ratione & conſilio proprijs ducis artibus profuturum.Neque enim ambigua eſſe quæ occurrant, noctem, & ignotæ ſitum urbis, intus hoſtes,& cuncta inſidijs opportuna. non ſi pateant portæ,niſi explorato,niſi die intrandum. An oppugnationem inchoaturos

Ant.Primus nocturnã Cremonæ oppugnationem diſſuadet

Ratio & conſiliũ propriæ ducis artes

ros

ros adempto omni proſpectu? quis æquus locus, quanta altitudo mœnium? tormentis ne & telis, an operibus & uineis aggredienda urbs foret? Mox conuerſus ad ſingulos, num ſecures, dolabras, & cætera expugnandis urbibus, ſecum attuliſſent, rogitabat. Et cum abnuerent, gladijs ne, inquit, & pilis perfringere ac ſubruere muros ullæ manus poſſunt? Si aggerem ſtruere, ſi pluteis cratibusúe protegi neceſſe fuerit, ut uulgus improuidum irriti ſtabimus, altitudinem turrium & aliena munimenta mirantes? Quin potius mora noctis unius aduectis tormentis machinisq́; , uim uictoriamq́; nobiſcum ferimus. Simul lixas caloneſq́; cum recentiſſimis equitum Bebriacum mittit, copias cæteraq́; uſui allaturos. Id uero ægre tolerante milite prope ſeditionem uentum, cum progreſſi equites ſub ipſa mœnia, uagos ex Cremonenſibus corripiunt. quorum indicio noſcitur, ſex Vitellianas legiones, omnemq́; exercitum qui Hoſtiliæ egerat, eo ipſo die triginta millia paſſuum emenſum, comperta ſuorum clade, in prælium accingi, ac iam affore. Is terror obſtructas mentes conſilijs ducis, aperuit. Siſtere tertiam legionem in ipſo uiæ Poſthumiæ aggere iubet, cui iuncta à læuo ſeptima Galbiana patenti campo ſtetit: dein ſeptima Claudiana agreſti foſſa (ita locus erat) præmunita, dextro octaua per apertum limitem, mox tertiadecima denſis arbuſtis interſepta. Hic aquilarum ſignorumq́; ordo. Milites mixti per tenebras, ut fors tulerat. prætorianum uexillum proximum tertianis. cohortes auxiliorum in cornibus. latera ac terga equite circumdata. Sido atque Italicus Sueui cum delectis popularium primori in acie uerſabantur. At Vitellianus exercitus, cui acquieſcere Cremonæ, & recuperatis cibo ſomnoq́; uiribus, confectum algore atque inedia hoſtem poſtera die profligare ac proruere ratio fuit: indigus rectoris, uacuus conſilij, tertia fermè noctis hora, paratis, iamq́; diſpoſitis Flauianis impingitur. Ordinem agminis diſiecti per iram ac tenebras, aſſeuerare non auſim, quanquam alij tradiderint: quartam Macedonicam dextro ſuorum cornu, quintam & quintamdecimam cum uexillis nonæ ſecundæq́; & uiceſimæ Britannicarum legionum, mediam aciem, ſextadecimanos duo&uiceſimanóſque & primanos læuum cornu compleſſe. Rapaces atque Italici omnibus ſe manipulis miſcuerant. Eques auxiliaq́; ſibi ipſi locum legere. Prælium tota nocte uarium, anceps, atrox, his rurſus illis exitiabile. Nihil animus, aut manus, ne oculi quidem prouiſu iuuabant. Eademq́; utraque acie arma. crebris interrogationibus notum pugnę ſignum, permixta uexilla, ut quiſque globus capta ex hoſtibus huc uel illuc raptabat. Vrgebatur maxime ſeptima legio, nuper à Galba conſcripta. Occiſi ſex primorum ordinum centuriones. abrepta quædam ſigna. Ipſam Aquilam Atilius Verus primipili centurio multa cum hoſtium ſtrage, & ad extremum moriens, ſeruauerat. Suſtinuit labantem aciem Antonius accitis prætorianis. qui ubi excepere pugnã, pellunt hoſtem, dein

Sueui in prima acie

Poſterior pugna, qua Vitelliani prorſus profligantur

dein pelluntur. Nanq; Vitelliani tormenta in aggerem uiæ contulerant, ut tela uacuo atq; aperto excuterentur, diſperſa primo & arbuſtis ſine hoſtium noxa illiſa. Magnitudine eximia quartædecimæ legionis baliſta, ingentibus ſaxis hoſtilem aciem proruebat: lateq; cladem intuliſſet, ni duo milites præclarum facinus auſi, arreptis è ſtrage ſcutis ignorati uincula ac libramenta tormentorũ abſcidiſſent. Statim confoſſi ſunt, eoq; intercidere nomina. de facto haud ambigitur. Neutrò inclinauerat fortuna, donec adulta nocte, luna ſurgẽs oſtẽderet acies, falleretq;. Sed Flauianis æquior à tergo. hinc maiores equorum uirorumq; umbræ, & falſo ut in corpore ictu tela hoſtium citra cadebant. Vitelliani aduerſo lumine collucentes, uelut ex occulto iaculantibus incauti offerebantur. Igitur Antonius ubi noſcere ſuos, noſciq; poterat, alios pudore & probris, multos laude & hortatu, omnes ſpe promiſſisq; accendens, cur rari ſumpſiſſent arma Pannonicas legiones interrogabat. Illos eſſe campos in quibus abolere labẽ prioris ignominiæ, ubi recuperare gloriam poſſent. Tum ad Mœſicos conuerſus, principes auctoresq; belli ciebat: Fruſtra minis & uerbis prouocatos Vitellianos, ſi manus eorum oculosq; non tolerent. Hæc ut quoſq; acceſſerat. Plura ad Tertianos, ueterum recentiumq; admonens: ut ſub M. Antonio Parthos, ſub Corbulone Armenios, nuper Sarmatas pepuliſſent. Mox infenſus prætorianis: uos, inquit, niſi uincitis pagani, quis alius imperator, quæ caſtra alia excipient? Illic ſigna armaq; ueſtra ſunt, & mors uictis. Nam ignominiam conſumpſiſtis. Vndiq; clamor. & orientem ſolem (ita in Syria mos eſt) Tertiani ſalutauere. Vagus inde conſilio ducis ſubditus rumor, aduenisse Mutianũ, exercitus inuicem ſalutaſſe. Gradum inferunt, quaſi recentibus auxilijs aucti, rariore iam Vitellianorum acie, ut quos nullo rectore, ſuus quenq; impetus uel pauor contraheret duceret ue. Poſtquã pulſos ſenſit Antonius, denſo agmine obturbat. laxati ordines abrũpuntur. nec reſtitui quiuere impedientibus uehiculis tormentisq;. Per limitem uiæ ſparguntur conſectandi feſtinatione uictores. eo notabilior cædes fuit, quia filius patrem interfecit. Rem nominaq; auctore Vipſano Meſſala tradam. Iulius Manſuetus ex Hiſpania Rapaci legioni additus, impuberem filium domi liquerat. Is mox adultus inter ſeptimanos à Galba conſcriptus, oblatũ forte patrem & uulnere ſtratum, dum ſemianimem ſcrutatur, agnitus, agnoſcensq;, & exanguem amplexus, uoce flebili precabatur placatos patris manes, néue ſe ut parricidam auerſarentur: publicũ id facinus: & unum militem quotam ciuilium armorũ partem. Simul attollere corpus, aperire humum, ſupremo erga parentẽ officio fungi. Aduertère proximi, deinde plures. hinc per omnem aciem miraculum, & queſtus, & ſæuiſſimi belli execratio. Nec eo ſegnius propinquos, affines, fratres trucidatos ſpoliant. Factum eſſe ſcelus loquuntur, faciuntq;. Vt Cremonam uenere, nouum immenſumq; opus occurrit. Othoniano

G bello

Adulta nocte

Pagàni

Oriẽtẽ ſolem ſalutare, Syrorum mos

bello Germanicus miles mœnibus Cremonenſium caſtra ſua, caſtris uallum circumiecerat. eaq́ munimenta rurſus auxerat. Quorum aſpectu hæſere uictores incertis ducibus quid iuberent. Incipere oppugnationem feſſo per diem noctemq́ exercitu, arduum, & nullo iuxta ſubſidio anceps. Sin Bebriacum redirent, intolerandus tam longi itineris labor. & uictoria ad irritum reuoluebatur. Munire caſtra, id quoq́ propinquis hoſtibus formidoloſum, ne diſperſos & opus molientes ſubita eruptione turbarēt. Quæ ſuper cuncta, terrebat ipſorū miles periculi quàm moræ patientior. Quippe ingrata quæ tuta, & temeritate ſpes. omniſq́ cædes, & uulnera & ſanguis auiditate prædæ penſabantur. Huc inclinauit Antonius, cingiq́ uallum corona iuſſit. Primo ſagittis ſaxiſq́ eminus certabant, maiore Flauianorū pernicie, in quos tela deſuper librabantur. Mox uallum portaſq́ legionibus attribuit, ut diſcretus labor fortes ignauoſq́ diſtingueret, atq́ ipſa contentione decoris accenderentur: Proxima Bebriacenſi uiæ tertiani ſeptimaniq́ ſumpſere, dexteriora ualli, octaua ac ſeptima Claudiana: tertiadecimanos ad Brixianā portam impetus tulit. Paulū inde moræ, dum è proximis agris ligones, dolabras, & alij falces ſcalaſq́ conuectant. Tum elatis ſuper capita ſcutis denſa teſtudine ſuccedūt. Romanæ utrinq́ artes. pondera ſaxorum Vitelliani prouoluunt, diſiectam fluitantemq́ teſtudinem lanceis contiſq́ ſcrutantur, donec ſoluta compage ſcutorū, exangues aut laceros proſternerent. Multa cum ſtrage inceſſerat conctatio, ni duces feſſo militi, & uelut irritas exhortationes abnuenti, Cremonam monſtraſſent. Hormi ne id ingenium, ut Meſſala tradit, an potior auctor ſit C. Plinius, qui Antonium incuſat, haud facile diſcreuerim: niſi quod neq́ Antonius neq́ Hormus à fama uitaq́ ſua, quamuis peſſimo flagitio degenerauere. Non iam ſanguis neq́ uulnera morabantur, quin ſubruerent uallum, quaterentq́ portas, innixi humeris, & ſuper iteratam teſtudinē ſcandentes, prehenſarent hoſtium tela brachiaq́. integri cum ſaucijs, ſemineces cum expirantibus uoluuntur, uaria pereuntium forma, & omni imagine mortium. Acerrimum ſeptimæ tertiæq́ legionum certamen. Et dux Antonius cum delectis auxiliaribus eòdem incubuerat. Obſtinatos inter ſe, cum ſuſtinere Vitelliani nequirent, & ſuperiecta tela teſtudine laberentur, ipſam poſtremo baliſtam in ſubeuntes propulere: quæ ut ad præſens diſiecit obruitq́ quos inciderat, ita pinnas ac ſumma ualli ruina ſua traxit. Simul iuncta turris ictibus ſaxorum ceſſit. quà ſeptimani dum nituntur cuneis, tertianus ſecuribus gladijſq́ portam perfregit. Primum irrupiſſe C. Voluſiū tertiæ legionis militem inter omnes auctores cōſtat. Is in uallum egreſſus deturbatis qui reſiſterent, conſpicuus manu ac uoce capta caſtra conclamauit. Cæteri trepidis iam Vitellianis, ſeq́ è uallo præcipitantibus perrupere. cōpletur cæde quantū inter caſtra muroſq́ uacui fuit. Ac rurſus noua laborū facies, ardua urbis mœnia, ſaxeæ turres, ferrati portarum obijces

Vallum Vitellianorū Cremonæ proximum à Flauianis oppugnatur

Capta caſtra

obiices, uibrans tela miles, frequẽs obſtrictuſq; Vitellianis partibus Cremonenſis populus, magna pars Italiæ ſtato in eoſdem dies mercatu congregata: quod defenſoribus auxilium ob multitudinem, oppugnantibus incitamentum ob prædam erat. Rapi ignes Antonius, inferriq; amœniſſimis extra urbẽ ædificiis iubet, ſi damno rerũ ſuarũ Cremonenſes ad mutandam fidem traherentur. propinqua muris tecta, & altitudinem mœnium egreſſa, fortiſſimo quoque militum complet. Illi trabibus teguliſq; & facibus propugnatores deturbant. Iam legiones in teſtudinem glomerantur, & alii tela ſaxaq; incutiebãt, cum languere paulatim Vitellianorum animi, & ut quiſq; ordine anteibat, cedere fortunæ: ne Cremona quoque exciſa, nulla ultra uenia, omniſq; ira uictoris non in uulgus inops, ſed in tribunos centurioneſq;, ubi preciũ cædis erat, reuerteretur. Gregarius miles futuri ſocors, & ignobilitate tutior, perſtabat. Vagi per uias, in domibus abditi, pacem ne tum quidem orabant cum bellum poſuiſſent. Primores caſtrorum nomen atq; imagines Vitellii amoliuntur. Cathenas Cæcinæ (nam etiam tum uinctus erat) exoluunt, orantq; ut cauſæ ſuæ deprecator aſſiſtat. Aſpernantem tumentemq;, lachrymis fatigant extremum malorum: ac fortiſſimi uiri, proditoris opem inuocantes, mox uelamenta & infulas pro muris oſtentant. Cum Antonius inhiberi tela iuſſiſſet, ſigna aquilaſq; extulere. Mœſtum inermium agmen deiectis in terram oculis ſequebatur. Circumſtiterant uictores, & primo ingerebant probra, intentabant ictus. Mox ut præberi ora contumeliis, & poſita omni ferocia cuncta uicti patiebantur, ſubit recordatio, illos eſſe, qui nuper Bebriaci uictoriæ temperaſſent. Sed ubi Cæcina prætexta lictoribuſq; inſignis dimota turba conſul inceſſit, exarſere uictores. ſuperbiam ſæuitiamq; (adeo inuiſa ſcelera ſunt) etiam perfidiam obiectabant. Obſtitit Antonius, datiſq; defenſoribus, ad Veſpaſianũ dimiſit. Plebs interim Cremonenſium inter armatos conflictabatur. nec procul cæde aberant, cum precibus ducum mitigatus eſt miles. Et uocatos ad concionem Antonius alloquitur, magnifice uictores, uictos clementer. de Cremona in neutrum. Exercitus præter inſitam prædandi cupidinem uetere odio ad excidium Cremonenſiũ incubuit. Iuuiſſe partes Vitellianas Othonis quoq; bello credebãtur. Mox tertiadecimanos ad extruendum amphitheatrum relictos, ut ſunt procacia urbanæ plebis ingenia, petulantibus iurgiis illuſerant. Auxit inuidiam editũ illic à Cæcina gladiatorum ſpectaculum, eademq; rurſus belli ſedes, & præbiti in acie Vitellianis cibi: cæſæ quædam fœminæ, ſtudio partium ad præliũ progreſſæ. Tẽpus quoq; mercatus, ditem alioquin coloniã, maiorum opũ ſpecie cõplebat. Cæteri duces in obſcuro, Antoniũ fortuna famaq; omniũ oculis expoſuerat. Is balneas abluendo cruori propere petit. Excepta uox eſt, cum teporẽ incuſaret, ſtatim futurũ ut incaleſcerent. Vernile dictũ omnem inuidiam in eum uertit, tanq; ſignum incendẽdæ Cremonæ

Oppugnatur Cremona

Velamenta & infulæ

Procacia urbanæ plebis ingenia

Cremonæ excidium

monæ dediſſet,quæ iam flagrabat. Quadraginta armatorū millia irrupere.Calonū lixarumq́ꝫ amplior numerus,& in libidinem ac ſæuitiam corruptior.Non dignitas,non ætas protegebat,quo minus ſtupra cædibus,cædes ſtupris miſceretur. Grandæuos ſenes,exacta ætate fœminas,uiles ad prædam,in ludibrium trahebant.Vbi adulta uirgo,aut quis forma conſpicuus incidiſſet,ui manibusq́ꝫ rapientium diuulſus,ipſos poſtremo direptores in mutuam perniciem agebat. Dum pecuniā uel grauia auro templorum dona ſibi quiſq́ꝫ trahūt,maiore aliorū ui truncabantur. Quidā obuia aſpernati,uerberibus tormentisq́ꝫ dominorū abdita ſcrutari,defoſſa eruere.Faces in manibus,quas ubi prædā egeſſerant, in uacuas domos,& inania templa per laſciuiam iaculabantur.Vtque exercitu uario linguis, moribus,cui ciues,ſocij,externi intereſſent,diuerſæ cupidines, & aliud cuiq́ꝫ fas, nec quicquā illicitū.Per quatriduū Cremona ſuffecit,cum omnia ſacra profanaq́ꝫ in igne conſiderent.Solum Mephitis templū ſtetit ante mœnia,loco ſeu numine defenſum.Hic exitus Cremonā habuit anno CCLXXXVI à primordio ſui.Condita erat T.Sempronio & P. Cornelio cōſulibus ingruente in Italiam Hannibale,propugnaculum aduerſus Gallos trans Padum agentes,& ſi qua alia uis per alpes rueret.Igitur numero colonorum, opportunitate fluminum,ubere agri annexu,connubijsq́ꝫ gentium adoleuit floruitq́ꝫ,bellis externis intacta,ciuilibus infelix.Antonius poſt rem,flagitij crebreſcente inuidia, edixit, nequis Cremonenſes captiuos detineret. Irritamq́ꝫ prædam militibus effecerat conſenſus Italiæ, emptionē talium mancipiorū aſpernatis.Occidi cœpere,quod ubi enotuit, à propinquis affinibusq́ꝫ occulte redimebātur.Mox redijt Cremonam reliquus populus. repoſita fora,templaq́ꝫ,magnificentia municipum, & Veſpaſianus hortabatur. Cæterū aſſidere ſepultæ urbis ruinis, noxia tabo humus haud diu permiſit.Ad tertium lapidem progreſſi,uagos pauentesq́ꝫ Vitellianos ſua quemq́ꝫ apud ſigna cōponunt. Et uictæ legiones ne manente adhuc ciuili bello ambigue agerent,per Illyricum diſperſæ.In Britanniam inde & Hiſpanias nuncios famamq́ꝫ,in Galliam Iulium Calenū tribunū, in Germaniam Alpinum Montanū præfectum cohortis,quod hic Treuir,Calenus Heduus, uterq́ꝫ Vitelliani fuerāt,oſtentui miſere. Simul tranſitus alpium præſidijs occupati:ſuſpecta Germania,tanq́ꝫ in auxilium Vitellij accingeretur. At Vitellius profecto Cæcina , cum Fabium Valentē paucis poſt diebus ad bellum impuliſſet, curis luxum obtendebat : non parare arma, nō alloquio exercitioq́ꝫ militē firmare,nō more uulgi agere,ſed umbraculis hortorū abditus,ut ignaua animalia,quibus ſi cibū ſuggeras,iacent torpentq́ꝫ,præterita,inſtantia, futura,pari obliuione dimiſerat. Atq́ꝫ illum in nemore Aricino deſidem & marcentē proditio Lucillij Baſſi, ac defectio claſſis Rauēnatis perculit.Nec multo poſt de Cæcina affertur mixtus gaudio dolor,& deſciuiſſe,& ab exercitu uinctū. plus apud ſocordē animum

Vitellij Cæſaris ignauia ſocordiaq́ꝫ

lætitia

lætitia quàm cura ualuit. Multa cum exultatione in urbẽ reuectus, frequen ti concione pietatem militum laudibus cumulat. P. Sabinum prætorij præ fectum ob amicitiã Cæcinæ uinciri iubet, ſubſtituto in locum eius Alphe no Varo. Mox ſenatum compoſita in magnificentiam oratione allocutus, exquiſitis patrum adulationibus attollitur. Initiũ atrocis in Cæcinam ſen tentiæ à L. Vitellio factum. Dein cæteri cõpoſita indignatione, quod con ſul rempublicam, dux imperatorem, tantis opibus tot honoribus cumula tus, amicum, prodidiſſet, uelut pro Vitellio conquerentes, ſuum dolorem proferebant. Nulla in oratione cuiuſquam erga Flauianos duces obtrecta tio. errorem imprudentiamq; exercituũ culpantes, Veſpaſiani nomen ſu ſpenſi & uitabundi circumibant. Nec defuit qui unum couſulatus diem (is enim in locum Cæcinæ ſupererat) magno cum irriſu accipientis tribuen tisq; eblandiretur. Pridie kalend. Nouembris Roſſius Regulus inijt, eiura uitq;. Annotabant periti, nunquam antea non abrogato magiſtratu, neq; lege lata, alium ſuffectum. Nam conſul uno die & ante fuerat Caninius Rebilus, C. Cæſare dictatore, cum belli ciuilis præmia feſtinarentur.

Nota per eos dies Iunij Blæſi mors, & famoſa fuit, de qua ſic accepimus. Graui corporis morbo æger Vitellius Seruilianis hortis, turrim uicino ſi tam collucere per noctem crebris luminibus animaduertit. Sciſcitanti cau ſam, apud Cæcinam Thuſcum epulari multos, præcipuũ honore Iunium Blæſum nunciatur. Cætera in maius de apparatu, & ſolutis in laſciuiã ani mis. Nec defuere, qui ipſum Thuſcum & alios, ſed criminoſius Blæſum in cuſarent, quod ægro principe lætos dies ageret. Vbi aſperatum Vitellium, & poſſe Blæſum peruerti, ſatis patuit ijs qui principũ offenſas acriter ſpe culantur, datæ L. Vitellio delationis partes. Ille infenſus Blæſo æmulatio ne praua, quod eum omni dedecore maculoſum, egregia fama anteibat, cubiculum imperatoris reſerat: filium eius ſinu complexus, & genibus ac cidens, cauſam cõfuſionis quærenti, Non ſe proprio metu, nec ſui anxium, ſed pro fratre, pro liberis fratris, preces lachrymasq; attuliſſe. Fruſtra Ve ſpaſianum timeri, quem tot Germanicæ legiones, tot prouinciæ uirtute ac fide, tantum deniq; terrarum ac maris immenſis ſpacijs arceat. In urbe, ac ſinu cauendum hoſtem, Iunios Antoniosq; auos iactantem, qui ſe ſtirpe imperatoria comem ac magnificũ militibus oſtẽtet. Verſas illuc omnium mentes, dum Vitellius amicorũ inimicorumq; negligens, fouet æmulum, principis labores è conuiuio proſpectantem. Reddendam pro intempe ſtiua lætitia mœſtam & funebrem noctem, qua ſciat & ſentiat uiuere Vi tellium, & imperare, & ſi quid fato accidat, filium habere. Trepidanti in ter ſcelus metumq;, ne dilata Blæſi mors maturam perniciem, palàm iuſſa atrocem inuidiam ferret, placuit ueneno graſſari. Addidit facinori fidem, nobili gaudio Blæſum uiſendo. quin & audita eſt ſæuiſſima Vitellij uox, qua (ipſa enim uerba referam) ſe pauiſſe oculos ſpectata inimici morte

Iun. Blæſus accuſatur

iactauit. Blæſo ſuper claritatem natalium & elegantiam morum, fidei obſtinatio fuit. Integris quoq; rebus à Cæcina & primoribus partiũ iam Vitellium aſpernantibus ambitus, abnuere perſeuerauit: ſanctus, inturbidus: nullius repentini honoris, adeo non principatus appetens, ut parum effugeret, ne dignus crederetur. Fabius interim Valens multo ac molli concubinarum ſpadonumq; agmine, ſegnius quàm ad bellum incedens, proditam à Lucillio Baſſo Rauennatem claſſem, pernicibus nuncijs accepit. Et ſi cœptum iter properaſſet, nutantem Cæcinam præuenire, aut ante diſcrimen pugnæ aſſequi legiones potuiſſet. Nec deerant qui monerent, ut cum fidiſſimis per occultos tramites uitata Rauenna Hoſtiliam Cremonámue pergeret. Alijs placebat accitis ex urbe prætorijs cohortibus, ualida manu perrumpere. Ipſe inutili cunctatione, agendi tempora conſultando conſumpſit. Mox utrunq; conſiliũ aſpernatus, quod inter ancipitia deterrimum eſt, dum media ſequitur, nec auſus eſt ſatis, nec prouidit. Miſſis ad Vitellium literis auxilium poſtulat. Venere tres cohortes, cum ala Britannica, neq; ad fallendum aptus numerus, neq; ad penetrandũ. Sed Valens ne in tanto diſcrimine quidem, infamia caruit, quominus illicitas rapere uoluptates, adulterijsq; ac ſtupris polluere hoſpitum domus crederetur. Aderant uis & pecunia, & ruentis fortunæ nouiſſima libido. Aduentu demum peditum equitumq; prauitas conſilij patuit, quia nec uadere per hoſtes tam parua manu poterat, etiam ſi fidiſſima foret, nec integram fidem attulerant. Pudor tamen & præſentis ducis reuerentia morabatur, haud diuturna uincula apud auidos periculorũ, & decoris ſecuros. Eo metu & paucis quos aduerſa non mutauerant, comitantibus, cohortes Ariminum præmittit. Alam tueri terga iubet. Ipſe flexit in Vmbriam, atque inde in Etruriam. ubi cognito pugnæ Cremonenſis euentu, non ignauum, &, ſi proueniſſet, atrox conſilium inijt, ut arreptis nauibus in quamcunq; partem Narbonenſis prouinciæ egreſſus, Gallias & Germaniæ gentes, nouumq; bellum cieret. Digreſſo Valente, trepidos qui Ariminum tenebant Cornelius Fuſcus admoto exercitu, & miſſis per proxima littorum liburnicis, terra mariq; circumuenit. Occupantur plana Vmbriæ, & quâ Picenus ager Hadria alluitur. omniſq; Italia inter Veſpaſianum ac Vitellium Apẽnini iugis diuidebatur. Fabius Valens è ſinu Piſano ſæuitia maris, aut aduerſante uento Portum Herculis Monœci depellitur. haud procul inde agebat Marius Maturus alpium maritimarum procurator, fidus Vitellio, cuius ſacramentum cunctis circa hoſtilibus non exuerat. Is Valentem comiter exceptũ, ne Galliam Narbonenſem temere ingrederetur monendo terruit, ſimul cæterorũ fides metu intacta. Nam circũiectas ciuitates procurator Valerius Paulinus, ſtrenuus militiæ, & Veſpaſiano ante fortunã amicus, in uerba eius adegerat. Cõcitiſq; omnibus qui exautorati à Vitellio bellũ ſponte ſumebant, Foroiulienſem coloniã clauſtraq; maris

præ-

præſidio tuebatur, eo grauior autor, quod Paulino patria Forum Iulij,& honos apud prætorianos,quorum quõdam tribunus fuerat. Ipſiq; pagani fauore municipali, & futuræ potentiæ ſpe,iuuare partes annitebantur. quæ ubi paratu firma,& aucta rumore apud uarios Vitellianorũ animos increbruere,Fabius Valens cum quatuor ſpiculatoribus, & tribus amicis, totidem centurionibus ad naues regreditur mature: cæteriſq; remanere, & in uerba Veſpaſiani adigi uolentibus liberũ fuit. Cæterũ ut mare tutius Valenti quàm littora aut urbes:ita futuri ambiguus,& magis quid uitaret quàm cui fideret certus, aduerſa tempeſtate Stœchadas Maſsilienſiũ inſulas affertur. Ibi eum miſſæ à Paulino liburnicæ oppreſſere. Capto Valẽte cuncta ad uictoris opes conuerſa,initio per Hiſpaniam à prima Adiutrice legione orto, quæ memoria Othonis infenſa Vitellio,decimam quoq; ac ſextam traxit. Nec Galliæ cunctabantur. Et Britanniam inclytus erga Veſpaſianum fauor, quod illic ſecũdæ legioni à Claudio præpoſitus,& bello clarus egerat, non ſine motu adiunxit cæterarum: in quibus pleriq; centuriones ac milites à Vitellio prouecti,expertum iam principem anxij mutabant. Ea diſcordia & crebris belli ciuilis rumoribus Britãni ſuſtulere animos,autore Venuſio: qui ſuper inſitam ferociam & Romani nominis odium,proprijs in Carthimanduam reginam ſtimulis accendebatur. Carthimandua Brigantibus imperitabat, pollens nobilitate:& auxerat potentiam poſtq; capto per dolum rege Carataco, inſtruxiſſe triumphũ Claudij Cæſaris uidebatur. Inde opes,& rerum ſecundarum luxus. ſpreto Venuſio,is fuit maritus, armigerũ eius Vellocatũ in matrimoniũ regnumq; accepit. concuſſa ſtatim flagitio domus. Pro marito ſtudia ciuitatis. pro adultero libido reginæ & ſæuitia. Igitur Venuſius accitis auxilijs, ſimul ipſorum Brigantum defectione,in extremum diſcrimen Carthimãduam adduxit. Tum petita à Romanis præſidia.& cohortes alæq; noſtræ uarijs prælijs exemere tamen periculo reginã. Regnum Venuſio,bellũ nobis relictum. Turbata per eoſdẽ dies Germania,& ſocordia ducũ & ſeditione legionũ. Externa ui & perfidia ſociali propè afflicta Romana res. Id bellũ cũ cauſis & euẽtibus (etenim longius prouectũ eſt) mox memorabimus.

Fab. Valens captus

Britanniæ bellum

Carthimandua regina Brigantes

Caractacus

Germaniæ motus ortus in Batauis

Mota & Dacorum gens,nunq; fida,tunc ſine metu,abducto è Mœſia exercitu. ſed prima rerum quieti ſpeculabantur:ubi flagrare Italiam bello, cuncta inuicẽ hoſtilia, accepere, expugnatis cohortiũ alarumq; hybernis, utraq; Danubij ripa potiebãtur. Iamq; caſtra legionũ excindere parabãt, ni Mutianus ſextam legionẽ oppoſuiſſet, Cremonenſis uictoriæ gnarus, ac ne externa moles utrinq; ingrueret, ſi Dacus Germanuſq; diuerſi irrupiſſent. Affuit ut ſæpe aliás fortuna populi Ro. quæ Mutianum uireſq; Oriẽtis illuc tulit:& quod Cremonæ interim tranſegimus. Fõteius Agrippa ex Aſia (procõſul eam prouinciam annuo imperio tenuerat) Mœſiæ præpoſitus eſt, additis copijs è Vitelliano exercitu, quem ſpargi per prouincias

Daci

Fortuna po. Romani

In Ponto bellum ſeruile — *Anicetus* — *Trapezus*

uincias,& externo bello illigari,pars cõſilij paciſq; erat. Nec cæteræ nationes ſilebant. Subita per Pontum arma Barbarum mancipium regiæ quondam claſsis præfectus mouerat. Is fuit Anicetus Polemonis libertus præpotens olim,& poſtquam regnum in formam prouinciæ uerterat,mutationis impatiens. Igitur Vitellij nomine adſcitis gentibus,quæ Pontum accolunt,corrupto in ſpem rapinarũ egentiſsimo quoq;, haud temnendæ manus ductor,Trapezuntem uetuſtam admodum ciuitatem à Græcis in extremo Ponticæ oræ cõditam ſubitus irrupit. Cæſa ibi cohors,regium auxilium olim.mox donati ciuitate Romana, ſigna armaq; in noſtrum modum,deſidiam licentiamq; Græcorũ retinebãt. Claſsi quoq; faces intulit, uacuo mari eludẽs,quia lectiſsimas liburnicarum,omnemq; militem Mutianus Byzantium adegerat. Quin & Barbari contemptius uagabãtur,fabricatis repente nauibus quas cameras uocant, arctis lateribus latã aluum ſine uinculo æris aut ferri connexam.& tumido mari, prout fluctus attollitur,ſumma nauium tabulis augent, donec in modum tecti claudãtur. Sic inter undas uoluũtur,pari utrinq; prora & mutabili remigio,quando hinc uel illinc appellere indiſcretum & innoxiũ eſt. Aduertit ea res Veſpaſiani animum,ut uexillarios è legionibus,ducemq; Virdium Geminũ ſpectatæ militiæ deligeret. Ille incompoſitum & prædæ cupidine uagum hoſtem adortus,cogit in naues: effectiſq; raptim liburnicis,aſſequitur Anicetum in hoſtio fluminis Cohibi,tutum ſub Sedochezorum regis auxilio,quem pecunia doniſq; ad ſocietatẽ perpulerat. Ac primo rex minis armiſq; ſupplicem tueri. Poſtq; merces proditionis aut bellum oſtendebatur, fluxa ut eſt Barbaris fide, pactus Aniceti exitium perfugas tradidit,belloq; ſeruili finis impoſitus.

Cameræ naues ponticæ — *Fluxa barbaris fides*

Lætum ea uictoria Veſpaſianũ, cunctis ſuper uota fluẽtibus Cremonẽſis prælij nũcius in Aegypto aſſequitur. Eo properantius Alexandriam pergit, ut fracto Vitellij exercitu, urbẽ quoq; externæ opis indigam fame urgeret. Nanq; & Africam eodem latere ſitam,terra mariq; inuadere parabat, clauſis annonæ ſubſidijs,inopiã ac diſcordiam hoſti facturus.

Antonius Primus

Dum hac totius orbis mutatione fortuna imperij tranſit, Primus Antonius nequaq; pari innocentia poſt Cremonam agebat. ſatisfactum bello ratus & cætera ex facili:ſeu felicitas in tali ingenio, auaritiam,ſuperbiam,cæteraq; occulta mala patefecit:ut captam Italiam perſultare,ut ſuas legiones colere, omnibus dictis factiſq; uim ſibi ad potentiam ſtruere. utq; licentia militem imbueret, interfectorum centurionum ordines legionibus offerebat. eo ſuffragio turbidiſsimus quiſq; delecti. nec miles in arbitrio ducũ,ſed duces militari uiolentia trahebãtur. quæ ſeditioſa & corrumpendæ diſciplinæ mox in prædam uertebat,nihil aduentantem Mutianum ueritus, quod exitioſius erat q̃ Veſpaſianũ ſpreuiſſe. Cæterum propinqua hyeme, & humentibus Pado campis,expeditum agmen incedere.Signa aquilæq; uictricium legionum,milites uulneribus

aut

aut ætate graues, pleriq; etiam integri Veronæ relicti. ſufficere cohortes alæq́;, & è legionibus lecti, profligato iam bello uidebantur. Vndecima legio ſeſe adiunxerat initio cunctata, ſed proſperis rebus anxia quod defuiſſet. Sex millia Dalmatarum recens delectus comitabantur. Ducebat Pompeius Siluanus conſularis. uis conſiliorum penes Annium Baſſum legionis legatum. Is Siluanum ſocordem bello, & dies rerum uerbis terentem, ſpecie obſequij regebat, ad omniaq; quæ agenda forent, quieta cum induſtria aderat. Ad has copias è claſsicis Rauennatibus legionariam militiam poſcentibus, optimus quiſq; adſciti. Claſſem Dalmatæ ſuppleuere. Exercitus duceſq́; ad Fanum Fortunæ iter ſiſtunt, de ſumma rerũ cunctantes, quod motas ex urbe prætorias cohortes audierant, & teneri præſidijs Apẽninum rebãtur, & ipſos in legione bello atrita, inopia & ſeditioſæ militum uoces terrebant, Clauarium (donatiui nomen eſt) flagitantium. nec pecuniam aut frumẽtum prouiderãt: & feſtinatio atq; auiditas præpediebant, dum quæ accipi poterant, rapiuntur. Celeberrimos autores habeo, tantam uictoribus aduerſus fas nefasq́; irreuerentiam fuiſſe, ut gregarius eques occiſum à ſe proxima acie fratrem profeſſus, præmium à ducibus petierit. Nec illis aut honorare eam cædem ius hominum, aut ulciſci ratio belli permittebat. Diſtulerant tanq́; maiora meritum quàm quæ ſtatim exoluerent, nec quicq́; ultra traditur. Cæterum & prioribus ciuium bellis par ſcelus inciderat. Nam prælio quo apud Ianiculum aduerſum Cinnam pugnatum eſt, Pompeianus miles fratrem ſuum, dein cognito facinore, ſeipſum interfecit, ut Siſenna memorat. tanto acrior apud maiores ſicut uirtutibus gloria, ita flagitijs pœnitentia fuit. Sed hæc aliaq́; ex ueteri memoria repetita, quotiens res locuſq́; exempla recti, aut ſolatia mali poſcent, haud abſurde memorabimus. Antonio ducibuſq́; partium præmitti equites, omnemq́; Vmbriã explorari placuit, ſi qua Apẽnini iuga clementius adirentur: acciri aquilas ſignaq́;, & quicquid Veronæ militũ foret: Padumq́; & mare commeatibus compleri. Erãt inter duces qui necterẽt moras. quippe nimius iam Antonius, & certiora de Mutiano ſperabantur. Nanq; Mutianus tam celeri uictoria anxius, & ni præſens urbe potiretur, expertem ſe belli gloriæq́; ratus, ad Primũ & Varũ media ſcriptitabat, inſtandũ cœptis, aut rurſus cunctãdi utilitates ediſſerens: atq; ita cõpoſitus, ut ex euentu rerũ aduerſa abnueret, uel proſpera agnoſceret. Plotium Griphum nuper ab Veſpaſiano in ſenatorum ordinem additum, ac legioni præpoſitũ, cæteroſq́; ſibi fidos apertius monuit. Iiq́; omnes de feſtinatione Primi ac Vari ſiniſtre, & Mutiano uolenti ſcripſere. Quibus epiſtolis Veſpaſiano miſsis, effecerat, ut non pro ſpe Antonij conſilia factaq́; eius æſtimarentur. Aegre id pati Antonius, & culpam in Mutianum conferre, cuius criminationibus coaluiſſent pericula ſua. nec ſermonibus temperabat, immodicus lingua, & obſequij inſolens, literas ad Veſpaſianũ compoſuit

Dies rerum, uerbis terere

Fanum Fortunæ, oppid.

Clauarium

Pro occiſo fratre, præmium petens

Siſenna hiſtoricus

poſuit iactantius quàm ad principem, nec ſine occulta in Mutianum inſectatione: Se Pãnonicas legiones in arma egiſſe, ſuis ſtimulis excitos Mœſiæ duces, ſua conſtantia perruptas alpes, occupatam Italiam, interſepta Germanorũ Rhætorumq; auxilia. quod diſcordes diſperſasq; Vitellij legiones equeſtri procella, mox peditum ui, per diem noctemq; fudiſſet, id pulcherrimum & ſui operis. caſum Cremonæ bello imputandum. maiore damno, plurium urbium excidijs ueteres ciuium diſcordias reipublicæ ſtetiſſe. non ſe nuncijs neq; epiſtolis, ſed manu & armis imperatori ſuo militare. neq; officere gloriæ eorum, qui Aſiã interim compoſuerint: illis Mœſiæ pacem, ſibi ſalutem ſecuritatemq; Italiæ cordi fuiſſe. ſuis exhortationibus Gallias Hiſpaniasq; ualidiſsimã terrarum partem ad Veſpaſianum conuerſas. ſed cecidiſſe in irritum labores, ſi præmia periculorum ſoli aſſequantur, qui periculis non affuerint. Nec fefellere ea Mutianum. Inde graues ſimultates: quas Antonius ſimplicius, Mutianus callide, eoq; implacabilius nutriebat.

Vitellius aduerſam fortunam ſtultè diſſimulat

At Vitellius fractis apud Cremonam rebus, nuncios cladis occultans ſtulta diſsimulatione, remedia potius malorum quàm mala differebat. Quippe confitenti conſultantiq; ſupererant ſpes uireſq;. Cum è contrario læta omnia fingeret, falſis ingraueſcebat. Mirum apud ipſum de bello ſilentium. prohibiti per ciuitatem ſermones, eoq; plures: ac ſi liceret, uera narraturi, quia uetabantur, atrociora uulgauerant. Nec duces hoſtium augendæ famæ deerant, captos Vitellij exploratores, circumductoſq; ut robora uictoris exercitus noſcerent, remittendo. quos omnes Vitellius ſecreto percontatus, interfici iuſsit.

Iulij Agreſtis cẽturionis cõſtantia

Notabili conſtantia centurio Iulius Agreſtis, poſt multos ſermones quibus Vitellium ad uirtutem fruſtra accendebat, perpulit ad uires hoſtium ſpectandas, quæq; apud Cremonam acta forent, ipſe mitteretur. Nec exploratione occulta fallere Antonium tentauit, ſed mandata imperatoris ſuumq; animum profeſſus, ut cuncta uiſeret poſtulat. Miſsi qui locum prælij, Cremonæ ueſtigia, captas legiones oſtenderent. Agreſtis ad Vitellium remeauit, abnuentiq; uera eſſe quæ referret, atq; ultro corruptum arguenti: quãdoquidem, inquit, magno documẽto opus eſt, nec alius iam tibi aut uitæ aut mortis meæ uſus, dabo cui credas. atq; ita digreſſus, uoluntaria morte dicta firmauit. Quidam iuſſu Vitellij interfectum, de fide conſtãtiaq; eadẽ tradidere.

Vitellius tandem expergiſcitur

Vitellius ut è ſomno excitus, Iuliũ Priſcum & Alphenũ Varum cum xiiij prætorijs cohortibus & omnibus equitum alis obſidere Apẽninũ iubet. Secuta è claſsicis legio. tot millia armatorum lecta equis uiriſq;, ſi alius dux foret, inferẽdo quoq; bello ſatis pollebant. Cæteræ cohortes ad tuendã urbem L. Vitellio fratri datæ. Ipſe nihil è ſolito luxu remittẽs, & diffidẽtia properus, feſtinare comitia, quibus cõſules in multos annos deſtinabat: fœdera ſocijs, Latium externis dilargiri: his tributa dimittere, alios immunitatibus iuuare, deniq; nulla in poſterũ cura

lacerare

lacerare imperium. Sed uulgus ad magnitudinem beneficiorum aderat, Stultiſsimus quiſq; pecunijs mercabatur. Apud ſapientes caſſa habebantur, quæ neq; dari, neq; accipi ſalua republica poterāt. Tandem flagitante exercitu (Meuaniam inſederat) magno ſenatorum agmine, quorū multos ambitione, plures formidine trahebat, in caſtra uenit, incertus animi, & infidis conſilijs obnoxius. Concionanti (prodigioſum dictu) tantum fœdarum auium ſuperuolitauit, ut nube atra diem obtūderent. Acceſsit dirum omen, profugus altaribus taurus, diſiecto ſacrificij apparatu, longè ubi feriri hoſtias mos eſt, confoſſus. Sed præcipuum ipſe Vitellius oſtentū erat, ignarus militiæ, improuidus conſilij. quis ordo agminis, quæ cura explorandi, quantus urgendo trahendóue bello modus, alios rogitans, & ad omnes nūcios uultu quoq; & inceſſu trepidus, dein temulentus. Poſtremo tædio caſtrorum, & audita defectione Miſenenſis claſsis, Romam reuertit, recentiſsimum quodq; uulnus pauens, ſummi diſcriminis incurioſus. Nam cum tranſgredi Apenninum integro exercitus ſui robore, & feſſos hyeme atq; inopia hoſtes aggredi in aperto foret, dū diſpergit uires, acerrimum militem, & uſq; in extrema obſtinatū, trucidandum, capiendumq́; tradidit, peritiſsimis centurionum diſſentientibus, & ſi conſulerentur, uera dicturis. Arguere eos intimi amicorum Vitellij. ita formatis principis auribus, ut aſpera quæ utilia, nec quicquam niſi iocundum & læſurū acciperet. Sed claſſem Miſenenſem (tantum ciuilibus diſcordijs etiā ſingulorum audacia ualet) Claudius Fauentinus centurio per ignominiam à Galba dimiſſus, ad defectionem traxit, fictis Veſpaſiani epiſtolis, precium proditionis oſtentans. præerat claſsi Claudius Apollinaris, neq; fidei conſtans, neq; ſtrennus in perfidia. & Apinius Tiro prætura functus, ac tum forte Minturnis agens, ducem ſe defectoribus obtulit. à quibus municipia coloniæq́; impulſæ. præcipuo Puteolanorum in Veſpaſianum ſtudio, contra Capua Vitellio fida, municipalem æmulationem bellis ciuilibus miſcebant. Vitellius Claudium Iulianum (is nuper claſſem Miſenenſem molli imperio rexerat) permulcendis militum animis delegit, data in auxilium urbana cohors, & gladiatores quibus Iulianus præerat. Vt collata utrinque caſtra, haud magna conctatione Iuliano in partes Veſpaſiani tranſgreſſo, Tarracinam occupauere, mœnibus ſituq; magis quam ipſorum ingenio tutam. Quæ ubi Vitellio cognita, parte copiarū Narniæ cum præfectis prætorij relicta, L. Vitellium fratrem cum ſex cohortibus & quingentis equitibus, ingruenti per Campaniam bello oppoſuit. Ipſe æger animi, ſtudijs militum & clamoribus populi arma poſcentis refouebatur, dum uulgus ignauum & nihil ultra uerba auſurū, falſa ſpecie, exercitus & legiones appellat. Hortantibus libertis (nam amicorum eius quanto quis clarior, minus fidus) uocari tribus iubet, dantes nomina ſacramēto adigit. Superfluente multitudine, curam delectus in conſules partitur.

Seruorum

Vitellius in caſtra uenit apud Meuaniā

Vitellius qualis in bello

Aures Vitellij quo formatæ

Audacia ſingulorū quid poſsit ī diſcordia ciuili

Vulgus ignāuum & nihil ultra uerba auſurum

Seruorum numerum, & pondus argenti ſenatoribus indicit. equites Ro-
Libertini mani obtulere operam pecuniaſqꝫ, etiam libertinis idem munus ultro fla-
gitantibus.Ea ſimulatio officia metu profecta uerterat in fauorem.Et ple-
riqꝫ haud perinde Vitelliũ, quàm caſum locumqꝫ principatus miſeraban-
tur.nec deerat ipſe uultu,uoce,lachrymis miſericordiam elicere,largus pro
miſsis,&,quæ natura trepidantum eſt, immodicus. Quin & Cæſarem ſe
Metus dici uoluit,aſpernatus antea.ſed tũc,ſuperſtitione nominis, & quia in me-
tu conſilia prudẽtium,& uulgi rumor iuxta audiuntur. Cæterũ ut omnia
inconſulti impetus cœpta,initijs ualida, ſpacio langueſcunt, dilabi paula-
tim ſenatores,equiteſqꝫ,primo cunctanter,& ubi ipſe nõ aderat,mox con
territi,mœſtiúe diſcrimine,donec Vitellius pudore irriti conatus,quæ non
Vide annotationes dabantur omiſit. Vt terrorem Italiæ poſſeſſa Meuania, ac uelut rena-
tum ex integro bellum intulerat, ita haud dubium erga Flauianas partes
ſtudiũ,tã pauidus Vitellij diſceſſus addidit. ereptus Samnis, Pelignuſqꝫ.
& Marſi æmulatione,quod Campania præueniſſet, ut in nouo obſequio
ad cuncta belli munia acres erant. Sed fœda hyeme per tranſitum Apen
nini conflictatus exercitus:& uix quieto agmine niues eluctãtibus, patuit
Fortuna Flauianorũ ducũ quantum diſcriminis adeundũ foret, ni Vitellium retro fortuna uertiſſet,
quæ Flauianis ducibus non minus ſæpe quàm ratio affuit. Obuium illic
Petilium Cerialem habuere,agreſti cultu,& notitia locorum,cuſtodias Vi
tellij elapſum.Propinqua affinitas Ceriali cum Veſpaſiano,nec ipſe inglo
rius militiæ,eoqꝫ inter duces aſſumptus eſt. Flauio quoqꝫ Sabino,ac Do-
mitiano patuiſſe effugium,multi tradidere. Et miſsi ab Antonio nuncij,
per uarias fallendi artes penetrabant,locum ac præſidiũ monſtrãtes.Sabi
nus inhabilẽ labori & audaciæ ualetudinẽ cauſabatur.Domitiano aderat
animus.ſed cuſtodes à Vitellio additi,quanqꝫ ſe ſocios fugæ promitterẽt,
tanqꝫ inſidiantes timebantur.Atqꝫ ipſe Vitellius reſpectu ſuarũ neceſsitu
Carſulæ dinum,nihil in Domitianum atrox parabat. Duces partium ut Carſulas
uenere,paucos ad requiem dies ſumunt, donec aquilæ ſignaqꝫ legionum
aſſequerentur.Et locus ipſe caſtrorum placebat,late proſpectans,tuto co-
piarum aggeſtu, florentiſsimis pone tergum municipijs.Simul colloquia
cum Vitellianis decem milium ſpacio diſtantibus,& proditio ſperabatur.
Aegre id pati miles & uictoriam malle quàm pacem. ne ſuas quidem le-
giones opperiebãtur,ut prædæ quàm periculorũ ſocias.Vocatos ad con-
Antonius Primus ad milites cionem Antonius docuit, eſſe adhuc Vitellio uires, ambiguas ſi delibera-
rent,acres ſi deſperaſſent. Initia bellorum ciuilium fortunæ permittenda,
uictoriam conſilijs & ratione proficiſci. Iam Miſenenſem claſſem & pul-
cherrimam Campaniæ oram deſciuiſſe, nec plus è toto terrarũ orbe reli-
quum Vitellio,quàm quod inter Tarracinam Narniamqꝫ iaceat.Satis glo
riæ prælio Cremonenſi partum, & exitio Cremonæ nimium inuidiæ,ne
concupiſcerẽt Romam capere potius quàm ſeruare. Maiora illis præmia

& multo

& multo maximum decus, ſi incolumitatem ſenatui populoq; Ro. ſine ſanguine quæſiſſent. His ac talibus mitigati animi. Nec multo poſt legiones uenere. Et terrore famaq; aucti exercitus, Vitellianæ cohortes nutabant, nullo in bellũ adhortante, multis ad tranſitionem, qui ſuas centurias turmasq; tradere donũ uictori, & ſibi in poſterum gratiã certabant. Per eos cognitum eſt Interamnam proximis campis præſidio quadringentorum equitũ teneri. Miſſus extemplo Varus cum expedita manu, paucos repugnantium interfecit. plures abiectis armis, ueniam petiuere. quidã in caſtra refugi, cuncta formidine implebant, augendo rumoribus uirtutẽ copiasq; hoſtium, quo amiſſi præſidij dedecus lenirent. Nec ulla apud Vitellianos flagitij pœna. & præmijs defectorũ uera fides. ac reliquum perfidiæ certamen, crebra transfugia tribunorum centurionumq;. Nam gregarius miles induruerat pro Vitellio, donec Priſcus & Alphenus deſertis caſtris ad Vitellium regreſſi, pudore proditionis cunctos exoluerẽt. Iiſdem diebus Fabius Valens Vrbini in cuſtodia interficitur. Caput eius Vitellianis cohortibus oſtentatũ, ne quam ultra ſpem fouerent. nam peruaſiſſe in Germanias Valentẽ, & ueteres illic nouosq; exercitus ciere credebant. Viſa cæde, in deſperationẽ uerſi. & Flauianus exercitus immane quantũ animo exitium Valentis, ut finem belli accepit. Natus erat Valens Anagniæ equeſtri familia, procax moribus, neq; abſurdus ingenio famam urbanitatis per laſciuiam petere. ludicro iuuenum ſub Nerone, uelut ex neceſſitate, mox ſponte mimos actitauit, ſcite magis q̃ probe. Legatus legionis & fouit Verginium, & infamauit. Fonteium Capitonẽ in proditionẽ corruptũ, ſeu quia corrumpere nequiuerat, interfecit, Galbæ proditor, Vitellio fidus, & aliorum perfidia illuſtratus. Abrupta undiq; ſpe Vitellianus miles tranſiturus in partes, id quoq; non ſine dedecore, ſed ſub ſignis uexilliſq; in ſubiectos Narniæ campos deſcendere. Flauianus exercitus ut ad præliũ intentus armatusq;, denſis circa uiam ordinibus adſtiterat. Accepti in mediũ Vitelliani. & circundatos Primus Antonius clemẽter alloquitur. pars Narniæ, pars Interamnæ ſubſiſtere iuſſi. relictæ ſimul è uictricibus legiones neq; quieſcentibus graues, & aduerſus contumaciã ualidæ. Non omiſere per eos dies Primus ac Varus crebris nuncijs ſalutẽ, & pecuniam & ſecreta Campaniæ offerre Vitellio, ſi poſitis armis, ſeq; ac liberos ſuos Veſpaſiano permiſiſſet. In eundem modũ & Mutianus cõpoſuit epiſtolas: quibus plerunq; fidere Vitellius, ac de numero ſeruorũ, electione lictorum loqui. Tanta torpedo inuaſerat animũ, ut ſi principem eum fuiſſe cæteri non meminiſſent, ipſe obliuiſceretur.

Fab. Valens Vrbini interficitur

Valens, Anagninus fuit

At primores ciuitatis, Flauium Sabinũ præfectũ urbis ſecretis ſermonibus incitabant, uictoriæ famæq; partẽ capeſſeret. Eſſe illi proprium militẽ cohortium urbanarũ, nec defuturas uigilum cohortes, ſeruitia ipſorũ, fortunam partiũ, & omnia prona uictoribus. ne Antonio Varoq; de gloria concederet. Paucas Vitellio cohortes, & mœſtis undiq;

Fl. Sabinus frater Veſpaſiani præfectus urbis

Mobilis populi animus nuncijs trepidas. populi mobilem animũ: & ſi ſe ducem prębuiſſet, eaſdem illas adulationes pro Veſpaſiano fore. Ipſum Vitellium ne proſperis quidem parem, adeo ruentibus debilitatũ. gratiã patrati belli penes eum, qui urbem occupaſſet. Id Sabino conuenire, ut imperiũ fratri reſeruaret: id Veſpaſiano, ut cæteri poſt Sabinũ haberẽtur. Haud quaq̃ erecto animo eas uoces accipiebat inualidus ſenecta. Erant qui occultis ſuſpicionibus inceſſerent, tanq̃ inuidia & æmulatione fortunã fratris moraretur. Nanq; Flauius Sabinus ætate prior, priuatis utriuſq; rebus, auctoritate pecuniaq́; Veſpaſianum anteibat. *Affecta fides* Et credebatur affectam eius fidem præiuuiſſe, domo agriſq́; pignori acceptis. Vnde quanquã manente in ſpeciem concordia, offenſarũ opera metuebantur. Melior interpretatio, mitem uirũ abhorrere à ſanguine & cædibus: eoq́; crebris cũ Vitellio ſermonibus de pace, ponendiſq́; per conditionẽ armis agitare. Sæpe domi cõgreſſi, poſtremo in æde Apollinis, ut fama fuit, pepigere. Verba uoceſq́; duos teſtes habebãt, *Silius Italicus* Cluuiũ Rufum & Silium Italicũ. Vultus procul uiſentibus notabãtur, Vitellij proiectus & degener, Sabinus non inſultans, & miſeranti propior. Quod ſi tam facile ſuorũ mentes flexiſſet Vitellius, q̃ ipſe ceſſerat, incruentam urbem Veſpaſiani exercitus intraſſet. Cæterũ ut quiſq; Vitellio fidus, ita pacem & conditiones abnuebãt, diſcrimen ac dedecus oſtentantes, & fidem in libidine uictoris. Nec tantã Veſpaſiano ſuperbiã, ut priuatum Vitellium pateretur, ne uictos quidẽ laturos. Ita periculũ ex miſericordia. Ipſum ſanè ſenem, & proſperis aduerſiſq́; ſatiatũ. Sed quod nomẽ, quem *Germanicus Vitellij filius* ſtatum filio eius Germanico fore? Nunc pecuniam, & familiam, & beatos Campaniæ ſinus promitti. Sed ubi imperium Veſpaſianus inuaſerit, non ipſi, non amicis eius, non deniq; exercitibus ſecuritatẽ, niſi extincto æmulatore redituram. Fabium illis Valentẽ captiuum & caſibus dubijs reſeruatum, prægrauem fuiſſe, nedum Primus ac Fuſcus, & ſpecimen partiũ Mu*Mutianus ſpecimen partiũ*tianus, ullam in Vitelliũ niſi occidendi licentiam habeant. Non à Cæſare Pompeium, non ab Auguſto Antoniũ incolumes relictos. Niſi forte Veſpaſianus altiores ſpiritus gerat, Vitellij cliens, cum Vitellius collega Claudio foret. Quin ut cenſurã patris, ut tres conſulatus, ut tot egregiæ domus honores deceret, deſperatione ſaltem in audaciã accingeretur. perſtare militem, ſupereſſe ſtudia populi. Deniq; nihil atrocius euenturũ, q̃ in quod ſponte ruant. moriendũ uictis, moriendum deditis. id ſolũ referre, nouiſſimum ſpiritum per ludibrium & contumelias effundant, an per uirtutem.

Surdę ad fortia cõſilia Vitellio aures. Obruebatur animus miſeratione curaq́;, ne pertinacibus armis, minus placabilem uictorẽ relinqueret coniugi ac liberis. Erat illi & feſſa ætate parens, quæ tamen paucis ante diebus opportuna morte excidiũ domus præuenit, nihil principatu filij aſſecuta, niſi luctũ & bonã famam. xv kalen. Ianu. audita defectione legionis cohortiumq́;, quæ ſe Narniæ dediderant, pullo amictu palatio degreditur,

mœſta

mœſta circum familia. Simul ferebatur lecticula paruulus filius uelut in funebrem pompam. Voces populi blandæ & intempeſtiuæ. miles minaci ſilentio. Nec quiſq; adeo rerum humanarũ immemor, quem nõ cõmoueret illa facies, Romanũ principem & generis humani paulo ante dominũ, relicta fortunæ ſuæ ſede, per populũ, per urbem, exire de imperio. Nihil tale uiderant, nihil audierant. Repentina uis dictatorem Cæſarẽ oppreſſerat, occultæ Caium inſidiæ. nox & ignotũ rus fugam Neronis abſconderant. Piſo & Galba tanq; in acie cecidere: in ſua cõcione Vitellius, inter ſuos milites, proſpectantibus etiã fœminis, pauca & pręſenti mœſtitiæ congruentia locutus: Cedere ſe pacis & Reip. cauſa: retinerent tantũ memoriã ſui, fratremq; & coniugẽ & innoxiam liberorũ ætatem miſerarentur. Simul filium protendens, modo ſingulis, modo uniuerſis cõmendans, poſtremo fletu præpediente, aſſiſtenti conſuli (Cæcilius Simplex erat) exolutũ à latere pugionem, uelut ius necis uitæq; ciuium, reddebat. Aſpernante conſule, reclamantibus qui in concione adſtiterant, ut in æde Concordiæ poſiturus inſignia imperij, domũq; fratris petiturus diſceſſit. Maior hic clamor obſiſtentium penatibus priuatis, in palatiũ uocantium. interclusũm alterũ iter, idq; ſolum quod in ſacra uia pergeret patebat. Tum conſilij inops in palatium rediјt. Præuenerat rumor, eiurari ab eo imperiũ. Scripſeratq; Flauius Sabinus cohortium tribunis, ut militẽ cohiberent. Igitur tanq; omnis Reſp. in Veſpaſiani ſinũ ceſſiſſet, primores ſenatus, & pleriq; equeſtris ordinis omniſq; miles urbanus & uigiles, domũ Flauij Sabini compleuere. Illuc de ſtudijs uulgi & minis Germanicarũ cohortium affertur. Longius iam progreſſus erat, q̃ ut regredi poſſet: & ſuo quiſq; metu, ne diſiectos eoq; minus ualidos Vitelliani conſectarentur, cunctantẽ in arma impellebant. Sed quod in eiuſmodi rebus accidit, cõſiliũ ab omnibus datum eſt, periculũ pauci ſumpſere. Circa lacum Fundani deſcendentibus qui Sabinum comitabantur armatis, occurrunt promptiſſimi Vitellianorũ. Modicum ibi præliũ improuiſo tumultu, ſed proſperũ Vitellianis fuit. Sabinus re trepida, quod tutiſſimum è præſentibus, arcem Capitolij inſedit, milite ex quibuſdam ſenatorũ equitumq;. quorũ nomina tradere haud promptum eſt, quoniã uictore Veſpaſiano multi id meritum erga partes ſimulauere. Subierunt obſidiũ etiam fœminę: inter quas maxime inſignis Verulana Gracilia, neq; liberos, neq; propinquos, ſed bellum ſecuta. Vitellianus miles cuſtodia ſocordi clauſos circundedit. eoq; concubia nocte ſuos liberos Sabinus & Domitianũ fratris filium in Capitoliũ acciuit. At Sabinus miſſo per neglecta ad Flauianos duces nuncio, qui circumſideri ipſos, niſi ſubueniretur, arctas res nunciaret, noctem adeo quietã egit, ut digredi ſine noxa potuerit. Quippe miles Vitellij aduerſus pericula ferox, laboribus & uigilijs parum intentus erat. Et hybernus hymber repente fuſus, oculos aureſq; impediebat. Luce prima Sabinus anteq; inuicẽ hoſtilia cœptarent,

Vitellius poſiturus inſignia imperij

eiurari imperium

Fl. Sabinus capitoliũ inſedit

Verulana Gracilia

Cornelium Martialem è primipilaribus ad Vitelliũ miſit, cum mandatis & queſtu, quod pacta turbarentur. Simulationẽ prorſus & imaginem deponendi imperij fuiſſe, ad decipiendos tot illuſtres uiros. Cur enim è roſtris, fratris domũ imminentem foro, & irritandis hominũ oculis, quã Auentinum & penates uxoris petiſſet? Ita priuato & omnẽ principatis ſpeciem uitanti conueniſſe. Contra Vitelliũ in palatiũ, in ipſam imperij arcem regreſſum. Inde armatũ agmen emiſſum, ſtratam innocentiũ cædibus celeberrimam urbis partẽ. ne Capitolio quidem abſtineri. Togatũ nempe ſe, & unum è ſenatoribus, dum inter Veſpaſianũ ac Vitellium prælijs legionum, captiuitatibus urbiũ, deditionibus cohortiũ iudicatur. Iam Hiſpanijs Germanijsq; & Britannia deſciſcentibus, fratrẽ Veſpaſiani manſiſſe in fide, donec ultro ad conditiones uocaretur. Pacem & concordiã uictis utilia, uictoribus tantũ pulchra eſſe. Si conuentionis pœniteat, nõ ſe, quem perfidia deceperit, ferro peteret, nõ filium Veſpaſiani uix puberem. quantum occiſis uno ſene & uno iuuene profici? Iret obuiam legionibus, de ſumma rerum illic certaret. cætera ſecundũ euentum prælij ceſſura. Trepidus ad hæc Vitellius, pauca purgandi ſui cauſa reſpondit, culpã in militem conferens, cuius nimio ardori imparem eſſe modeſtiã ſuam. Et monuit Martialem, ut per ſecretã ędium partẽ occulte abiret, ne à militibus internũcius inuiſæ pacis interficeretur. Ipſe neq; iubendi neq; uetandi potens, non iam imperator, ſed tantũ belli cauſa erat. Vix dum regreſſo in Capitoliũ Martiale, furens miles aderat, nullo duce, ſibi quiſq; auctor: cito agmine forum & imminentia foro templa præteruecti, erigunt aciem per aduerſum collem, uſq; ad primas Capitolinę arcis fores. Erant antiquitus porticus in latere cliui, dextræ ſubeuntibus. In quarũ tectum egreſſi, ſaxis tegulisq; Vitellianos deturbabant. neq; illis manus niſi gladijs armatę, & arceſſere tormenta, aut miſſilia tela, longum uidebatur. Faces in prominentẽ porticum iecere, & ſequebantur ignem. ambuſtasq; Capitolij fores penetraſſent, ni

Statuæ decora maiorum

Sabinus reuulſas undiq; ſtatuas, decora maiorum, in ipſo aditu uice muri obieciſſet. Tum diuerſos Capitolij aditus inuadunt, iuxta lucum aſyli, & quâ Tarpeia rupes centum gradibus aditur. Improuiſa utraq; uis. propior atq; acrior per aſylum ingruebat. Nec ſiſti poterant ſcandentes per coniuncta ædificia: quæ, ut in multa pace, in altum edita, ſolum Capitolij æquabant. Hic ambigitur, ignem tectis oppugnatores iniecerint, an obſeſſi, quæ crebrior fama eſt, quo nitentes ac progreſſos depulerint. Inde lapſus ignis in porticus appoſitas ædibus. mox ſuſtinentes faſtigium Aquilæ ueteres ligno traxere flammã, alueruntq;. Sic Capitolium clauſis foribus indefen-

Capitoliũ conflagrauit

ſum, & indireptũ conflagrauit. Id facinus poſt conditã urbem luctuoſiſſimum fœdiſſimumq; Reip. populo Ro. accidit, nullo externo hoſte, propitijs ſi per mores noſtros liceret deis. Sedem Iouis optimi maximi auſpicatõ à maioribus pignus imperij conditam, quam non Porſena dedita urbe

neq;

neq; Galli capta tenere potuiſſent, furore principũ excindi? Arſerat & ante Capitolium ciuili bello, ſed fraude priuata. Nunc palàm obſeſſum, palam incenſum. quibus armorũ cauſis, quo tantæ cladis precio, pro patria bellauimus? Vouerat Tarquinius Priſcus rex bello Sabino, ieceratq; fundamenta, ſpe magis futuræ magnitudinis, q̃ quo modicę adhuc Po.Ro.res ſufficerent. Mox Seruius Tullius ſociorũ ſtudio, deinde Tarquinius Superbus capta Sueſſa Pometia, hoſtiũ ſpolijs extruxere. Sed gloria operis libertati reſeruata. Pulſis regibus, Horatius Puluillus iterum cõſul dedicauit ea magnificentia, quam immenſæ poſtea Po.Ro. opes ornarent potius q̃ augerent. Iisdem rurſus ueſtigijs ſitum eſt, poſtq; interiecto CCCCXV annorũ ſpacio L. Scipione, C. Norbano Coss. flagrauerat. Curam uictor Sylla ſuſcepit, neq; tamen dedicauit. hoc ſolum felicitati eius negatum. Luctatij Catuli nomen inter tanta Cæſarũ opera, uſq; ad Vitellium manſit. Ea tunc ædes cremabatur. Sed plus pauoris obſeſſis q̃ obſeſſoribus intulit. Quippe Vitellianus miles, neq; aſtu, neq; conſtantia inter dubia indigebat. Ex diuerſo trepidus miles, dux ſegnis, & ueluti captus animi, nõ lingua non auribus competere. neq; alienis conſilijs regi, neq; ſua expedire. huc illuc clamoribus hoſtiũ circumagi. quæ iuſſerat uetare, quæ uetuerat iubere. Mox quod in perditis rebus accidit, omnes præcipere, nemo exequi. poſtremo abiectis armis, fugam & fallendi artes circunſpectabant. Irrumpunt Vitelliani, & cuncta ſanguine, ferro, flammisq; miſcẽt. Pauci militarium uirorũ, inter quos maxime inſignes, Cornelius Martialis, Æmylius Pacenſis, Caſperius Niger, Didius Scæua, pugnã auſi obtruncãtur. Flauium Sabinũ inermem, neq; fugam cœptantẽ, circumſiſtunt, & Quintum Atticum conſulẽ, umbra honoris & ſuamet uanitate monſtratũ, quod edicta in populũ pro Veſpaſiano magnifica, probroſa aduerſus Vitelliũ iecerat. Cæteri per uarios caſus elapſi, quidã ſeruili habitu, alij fide clientium cõtecti, & inter ſarcinas abditi. Fuere qui excepto Vitellianorũ ſigno, quo inter ſe noſcebantur, ultro rogitantes reſpondentesue audaciã pro latebra haberẽt. Domitianus prima irruptione apud æditũ occultatus, ſolertia liberti lineo amictu turbæ ſacricolarũ immixtus, ignoratus apud Cornelium Primum paternũ clientem, iuxta Velabrum delituit. Ac potiẽtẽ rerum patre, diſiecto ęditui contubernio, modicũ ſacellũ IOVI CONSERVATORI aramq; poſuit, caſusq; ſuos in marmore expreſſit. Mox imperium adeptus, IOVI CVSTODI templũ ingens, ſeq; in ſinu dei ſacrauit. Sabinus & Atticus onerati cathenis, & ad Vitelliũ ducti, nequaq; infeſto ſermone uultuq; excipiuntur, frementibus qui ius cædis, & præmia nauatæ operæ petebãt. Clamore à proximis orto, ſordida pars plebis ſupplicium Sabini expoſcit, minas adulationesq; miſcet. Stantẽ pro gradibus palatij Vitellium, & preces parantẽ, peruicere ut abſiſteret. Tum confoſſum conlaceratumq;, & abſciſſo capite truncũ corpus Sabini in Gemonias trahũt.

Flauiani in capitolio obſeßi

Omnes præcipiunt, nemo exequitur

Fl. Domitianus latebra ſeruatus Sacricolæ

Plebs

Hic exitus uiri haud ſanè ſpernẽdi. Quinq; & XXX ſtipendia in Rep. fecerat, domi militięq; clarus. Innocentiã iuſtitiamq; eius non argueres. Sermonis nimius erat. Id unũ ſeptem annis quibus Mœſiam, duodecim quibus præfecturã urbis obtinuit, calumniatus eſt rumor. in fine uitæ, alij ſegnem, multi moderatũ, & ciuium ſanguinis parcum credidere. Quod inter omnes conſtiterit, ante principatũ Veſpaſiani decus domus penes Sabinum erat. Cædem eius lætam fuiſſe Mutiano accepimus. Ferebant pleriq; etiam paci conſultũ, dirempta æmulatione inter duos, quorum alter ſe fratrem imperatoris, alter conſortẽ imperij cogitaret. Sed Vitellius conſulis ſuppliciũ poſcenti populo reſtitit, placatus ac uelut uicem reddẽs, quod interrogantibus quis Capitoliũ incendiſſet, ſe reum Atticus obtulerat. Eaq; confeſſione, ſiue aptum tempori mendaciũ fuit, inuidiam crimenq; agnouiſſe, & à partibus Vitellij amolitus uidebatur. Iiſdem diebus L. Vitellius poſitis apud Feroniam caſtris, excidio Terracinæ imminebat, clauſis illic gladiatoribus remigibusq;, qui non egredi mœnia, neq; periculum in aperto audebant. Pręerat, ut ſupra memorauimus, Iulianus gladiatoribus, Apollinaris remigibus, laſciuia ſocordiaq; gladiatorũ magis quàm ducum ſimiles. Non uigilias agere, non intuta mœnium firmare, noctu dieq; fluxi, & amœna littorũ perſonantes, in miniſterium luxus diſperſis militibus, de bello tantũ inter conuiuia loquebantur. Paucos ante dies diſceſſerat Apinius Tyro, doniſq; ac pecunijs acerbe per municipia cõquirendis, plus inuidiæ quàm uirium partibus addebat. Interim ad L. Vitellium ſeruus Verginij Capitonis perfugit, pollicitusq; ſi præſidiũ acciperet, uacuam arcem furtim traditurũ, multa nocte cohortes expeditas ſummis montiũ iugis ſuper caput hoſtiũ ſiſtit. Inde miles ad cædem magis quàm ad pugnã decurrit. ſternunt inermes, aut arma capientes, & quoſdam ſomno excitos, cum tenebris, pauore, ſonitu tubarũ, clamore hoſtili turbarentur. pauci gladiatorum reſiſtentes, neq; inulti cecidere. Cæteri ad naues ruebant, ubi cuncta pari formidine implicabãtur, permixtis paganis, quos nullo diſcrimine Vitelliani trucidabant. Sex liburnicæ inter primũ tumultum euaſere, in quis pręfectus claſſis Apollinaris: reliquas in littore captas, aut nimio ruentium onere preſſas, mare hauſit. Iulianus ad L. Vitelliũ perductus, & uerberibus fœdatus, in ore eius iugulatur. Fuere qui uxorem L. Vitellij Triariam inceſſerint, tanquam gladio militari cincta, inter luctũ cladeſq; expugnatæ Terracinæ, ſuperbè ſæueq; egiſſet. Ipſe lauream proſperè geſtæ rei ad fratrem miſit, percontatus ſtatim regredi ſe, an perdomandæ Campaniæ inſiſtere iuberet. Quod ſalutare non modo partibus Veſpaſiani, ſed Reip. fuit. nam ſi recens uictoria miles & ſuper inſitam peruicaciã ſecũdis ferox, Romam contendiſſet, haud parua mole certatum, nec ſine exitio urbis foret. quippe L. Vitellio quamuis infami inerat induſtria, nec uirtutibus ut boni, ſed quo modo peſſimus quiſq;, uitijs ualebat. Dum hęc in partibus Vitellij

Sermonis nimius erat

Terracinæ obſidium per Vitellianos

Terracina proditione ſerui capitur

Laure

L. Vitellius

tellij geruntur, digreſſus Narnia Veſpaſiani exercitus, feſtos Saturni dies
Otriculi per otium agitabat. Cauſa tam prauæ moræ, ut Mutianū oppe/ *Otriculum*
rirentur. Nec defuere qui Antonium ſuſpicionibus arguerent, tanq̃ dolo
cunctantē, poſt ſecretas Vitellij epiſtolas, quibus conſulatū & nubilem fili/
am & dotales opes, precium proditionis, offerebat: Alij ficta hæc, & in gra
tiam Mutiani cōpoſita: Quidam omniū id ducum conſiliū fuiſſe, oſtenta/
re potius urbi bellum q̃ inferre: quando ualidiſſimæ cohortes à Vitellio
deſciuiſſent, & abſciſſis omnibus præſidijs ceſſurus imperio uidebat᷑. Sed
cuncta feſtinatione, deinde ignauia Sabini corrupta, qui ſumptis temere
armis, munitiſſimam Capitolij arcem, & ne magnis quidē exercitibus ex/
pugnabilem, aduerſus tris cohortes tueri nequiſſet. Haud facile quis uni
aſſignauerit culpā, quæ omnium fuit. nam & Mutianus ambiguis epiſtolis
uictores morabatur, & Antonius præpoſtero obſequio, uel dum tegeret
inuidiam crimē meruit. cæteriq; duces dum peractum bellū putant, finem
eius inſigniuere. Ne Petilius quidē Cerialis cū mille equitibus præmiſſus,
ut tranſuerſis itineribus per agrum Sabinū Salaria uia urbem introiret, ſa/
tis maturauerat, donec obſeſſi Capitolij fama cunctos ſimul exciret. Anto
nius per Flaminiā ad Saxa rubra, multo iam noctis, ſerum auxiliū uenit. *Ad ſaxa ru/*
Illic interfectum Sabinū, conflagraſſe Capitoliū, tremere urbē, mœſta om *bra, loci nomē*
nia accepit. plebē quoq; & ſeruitia pro Vitellio armari nunciabatur. Et Pe/
tilio Ceriali equeſtre prælium aduerſum fuerat. nanq; incautū & tanq̃ ad
uictos ruentē, Vitelliani interiectus equiti pedes excepere. pugnatū haud
procul urbe inter ædificia hortoſq; & anfractus uiarum. quæ gnara Vitel/
lianis, incomperta hoſtibus metum fecerāt. neq; omnis eques concors, ad/
iunctis quibuſdam qui nuper apud Narniam dediti, fortunā partium ſpe
culabantur. capitur præfectus alæ Tullius Flauianus. cæteri fœda fuga con
ſternantur, non ultra Fidenas ſecutis uictoribus. Eo ſucceſſu ſtudia populi
aucta. Vulgus Vrbanum arma cepit. Paucis ſcuta militaria. plures raptis
quod cuiq; obuium telis, ſignum pugnæ expoſcunt. Agit grates Vitellius,
& ad tuendā urbem prorumpere iubet. Mox uocato ſenatu, deliguntur le/
gati ad exercitus, ut prætexto Reip. concordiam pacemq; ſuaderēt. Varia
legatorū ſors fuit. Qui Petilio Ceriali occurrerunt extremū diſcrimen adie/
re, aſpernante milite conditiones pacis. Vulneratur prætor Arulenus Ru/
ſticus, auxit inuidiam ſuper uiolatū legati prætoriſq; nomen, propria di/
gnatio uiri. Palantur comites. occiditur proximus lictor dimouere turbam
auſus. & ni dato à duce præſidio defenſi forent, ſacrum etiam inter exteras
gentes legatorū ius, ante ipſa patriæ mœnia, ciuilis rabies uſq; in exitium *Legatorū ius*
temeraſſet. Æquioribus animis accepti ſunt, qui ad Antoniū uenerāt, non *ſacrum*
quia modeſtior miles, ſed duci plus auctoritatis. Miſcuerat ſe legatis Mu/
ſonius Rufus equeſtris ordinis, ſtudiū philoſophiæ, & placita Stoicorum *Muſonius*
æmulatus. Cœptabatq; permixtus manipulis, bona pacis ac belli diſcrimi *Rufus*

na diſſerens, armatos monere. Id pleriſq; ludibrio, pluribus tædio. nec de-
erant qui propellerent proculcarentq́;, ni admonitu modeſtiſſimi cuiuſq;,
& alijs minitantibus, omiſiſſet intempeſtiuã ſapientiam. Obuiæ fuere &
uirgines Veſtales cum epiſtolis Vitellij ad Antoniũ ſcriptis. Eximi ſupre-
mo certamine unum diem poſtulabãt. ſi moram interieciſſent, facilius om-
nia conuentura. Virgines cum honore dimiſſæ, Vitellio reſcriptũ, Sabini
cæde, & incendio Capitolij, dirempta belli commercia. Tentauit tamẽ An
tonius uocatas ad concionem legiones mitigare, ut caſtris iuxta pontem
Miluiũ poſitis, poſtera die urbem ingrederentur. Ratio conctandi, ne aſpe
ratus prælio miles, non populo, nõ ſenatui, ne templis quidem ac delubris
deorum conſuleret. Sed omnem prolatationẽ ut inimicam uictoriæ ſuſpe-
ctabãt. Simul fulgentia per colles uexilla, quanq́; imbellis populus ſeque-
retur, ſpeciem hoſtilis exercitus fecerant. Tripartito agmine, pars ut aſtite-
rat Flaminia uia, pars iuxta ripam Tiberis inceſſit, tertium agmen per Sa-
lariam collinæ portæ propinquabat. plebs inuectis equitibus fuſa. Miles
Vitellianus trinis & ipſe præſidijs occurrit. Prælia ante urbem multa & ua-
ria: ſed Flauianis conſilio ducum præſtantibus, ſæpius proſpera. Ii tantum
conflictati ſunt, qui in partem ſiniſtram urbis ad Saluſtianos hortos per
anguſta & lubrica uiarũ flexerant. Superſtantes macerijs hortorũ Vitelli-
ani ad ſerum uſq; diem ſaxis piliſq́; ſubeuntes arcebant, donec ab equiti-
bus qui porta Collina irruperant, circumuenirentur. Concurrẽre & in cam
po Martio infeſtæ acies. Pro Flauianis fortuna, & parta toties uictoria: Vi
telliani deſperatione ſola ruebant, & quanquã pulſi, rurſus in urbe congre-
gabantur. Aderat pugnãtibus ſpectator populus, utq́; in ludicro certami-
ne, hos modo, rurſus illos clamore & plauſu fouebat: quoties pars altera
inclinaſſet abditi in tabernis, aut ſi quã in domũ perfugerant, erui iugula-
riq́; poſtulantes parte maiore prædæ potiebãtur. Nam milite ad ſangui-
nem & cædes obuerſo, ſpolia in uulgus cedebant. Sæua ac deformis urbe
tota facies. alibi prælia & uulnera, alibi balneæ popinæq́;. Simul cruor &
ſtrues corporũ, iuxta ſcorta, & ſcortis ſimiles: quantũ in luxurioſo otio libi-
dinum, quicquid in acerbiſſima captiuitate ſcelerũ, prorſus ut eandẽ ciuita-
tem & furere crederes & laſciuire. Conflixerant ante armati exercitus in
urbe, bis L. Sylla, ſemel Cinna, uictoribus, nec tũc minus crudelitatis. nunc
inhumana ſecuritas, & ne minimo quidẽ temporis uoluptates intermiſſæ,
uelut feſtis diebus id quoq; gaudiũ accederet, exultabãt. Fruebãtur nulla
partiũ cura, malis publicis læti. Plurimũ molis in oppugnatione caſtrorum
fuit, quæ acerrimus quiſq; ut nouiſſimã ſpem retinebant. Eo intentius ui-
ctores, præcipuo ueterum cohortiũ ſtudio, cuncta ualidiſſimarũ urbium
excidijs reperta, ſimul admouent, teſtudinem, tormenta, aggeres, faceſq́;,
quicquid tot prælijs laboris ac periculi hauſiſſent, opere illo cõſummari cla
mitantes. Vrbem ſenatui ac populo Ro. templa dijs reddita, propriũ eſſe
militis

Intempeſtiua ſapientia

Populus pugnæ ſpectator

Caſtrorũ oppugnatio

militis decus in caſtris:illam patriam,illos penates.ni ſtatim recipiātur,noctem in armis agendam.Contra Vitelliani quanquam numero fatoq; diſpares,inquietare uictoriam,morari pacem,domos arasq; cruore fœdare, ſuprema uictis ſolatia complectebantur.Multi ſemianimes ſuper turres & propugnacula mœnium expirauere. Cōuulſis portis reliquus globus obtulit ſe uictoribus, & cecidere omnes cōtrarijs uulneribus uerſi in hoſtem. Ea cura etiā morientibus decori exitus fuit.Vitellius capta urbe, per auerſam palatij partem Auentinum in domum uxoris ſellula defertur, ut ſi diem latebra uitauiſſet,Terracinam ad cohortes fratremq; perfugeret.Dein mobilitate ingenij,& quæ natura pauoris eſt,cum omnia metuēti,præſentia maxime diſplicerent,in palatium regreditur,uaſtum deſertumq;, dilapſis etiam infimis ſeruitiorum,aut occurſum eius declinantibus.Terret ſolitudo,& tacentes loci.tentat clauſa,inhorreſcit uacuis. feſſusq; miſero errore, & pudenda latebra ſemet occultans,ab Iulio Placito tribuno cohortis protrahitur.Vinctæ ponè tergum manus.laniata ueſte, fœdum ſpectaculum ducebatur,multis increpantibus,nullo illachrymante. deformitas exitus miſericordiam abſtulerat. Obuius è Germanicis militibus,Vitellium infeſto ictu per iram, uel quo maturius ludibrijs eximeret, an tribunū appetierit, in incerto fuit: aurem tribuni amputauit, ac ſtatim confoſſus eſt. Vitellium infeſtis mucronibus coactum, modo erigere os & offerre contumelijs, nunc cadentes ſtatuas ſuas, plerunq; roſtra,aut Galbæ occiſi locum contueri, poſtremo ad Gemonias,ubi corpus Flauij Sabini iacuerat, propulere. Vox una non degeneris animi excepta, cum tribuno inſultanti,ſe tamen imperatorem eius fuiſſe reſpondit.Ac deinde ingeſtis uulneribus concidit.Et uulgus eadem prauitate inſectabatur interfectum,qua fouerat uiuentem. Pater illi L.Vitellius.ſeptimum & quinquageſimum ætatis annum explebat.conſulatum, ſacerdotia,nomen locumq; inter primores,nulla ſua induſtria,ſed cuncta patris claritudine adeptus. Principatum ei detulere qui ipſum non nouerant.Studia exercitus raro cuiquam bonis artibus quæſita perinde affuere, quàm huic per ignauiam. Inerat tamen ſimplicitas ac liberalitas,quæ,ni adſit modus,in exitium uertuntur.Amicitias dum magnitudine munerum, non conſtantia morum cōtinere putat, meruit magis quàm habuit. Haud dubiè intererat Vitelliū uinci.Sed imputare perfidiam non poſſunt,qui Vitellium Veſpaſiano prodidere, cum à Galba deſciuiſſent. Præcipitante in occaſum die, ob pauorem magiſtratuum ſenatorumq;,qui dilapſi ex urbe aut per domos clientium ſemet occultabant, uocari ſenatus non potuit. Domitianum, poſtquā nihil hoſtile metuebatur, ad duces partium progreſſum, & Cæſarem cōſalutatum,miles frequens, utq; erat in armis, in paternos penates deduxit.

Roma capta

Germanicus miles

Fui tamen imperator tuus

CASTIGATIONES

CIVITAS pauida & ſeruitio parata occupari,redeuntē Tarracina L. Vitel.) Nos, Ciuitas pauida & ſeruitio parata, occupare redeuntem Tarracina L. Vitellium cum cohortibus,extinguiq́; reliqua belli poſtulabat.

Patibulo affixus, in ijſdem annulis quos acceptos à Vitellio geſtabat.) Præpoſitionem à ſubmouimus, ſubintellectam in ablatiuo Vitellio.

Mox Illyricos,) Caſtigauimus, Mox Illyrico.

Mox deos reſpicere reſtituiq́; Capitolium placuit.) Repoſui,Mox deos reſpexere,reſtitui Capitolium placuit.

Et egregijs utriuſq; orationibus teſtatum.) Scripſimus. Et egregijs orationibus utriuſq; certatum.

Quis multos anteiret.) Ablatiuus quis non eſt in libro manuſcripto.

Vt uniuſcuiuſq; uitam famam penetrarent.) Nos,famamq́;.

Quorum accuſatores etiamſi puniri oporteat.) Addidimus negatiuam particulam,non, qua hic opus eſt, Quorum accuſatores etiamſi puniri non oporteat. Vide Heluidij modeſtiam.

Sed conſulem deſignatum cenſuiſſe dicebat. Sed ſecundum uetera exempla.) Alterum ſed expunximus ut legas, Sed conſulem deſignatum cenſuiſſe dicebat ſecundum uetera exempla.

Id magis uitandum.) Vitandum non eſt in codice Budenſi. Poſſet etiā addi uel ſubaudiri. Id magis.ſ.curandum.

Ne peruicacia cuiuſquam.) Nos, peruicacia quorundam.

Se meminiſſe.) Malim legere pronomine ſe expuncto. Meminiſſet temporū quibus natus ſit.q.c.ſ.p.a.i. Vlteriora mirari.Subaudi,meminiſſet.

Cuius ſe magiſtrum ferebat.) Emendauimus,Eius ſe magiſtrum ferebat.

Variq́; Arij potentia.) Tantum habet liber regius,Arijq́; potentia.

Capta legionum hyberna.) Nos,capta legionum caſtra hyberna.

Simulq́; inſulā inter uada ſitam.) Exemplar Matthię Coruini habet.Simulq́; inſulam iuuata ſitam.Quid ſi legas,ſub uada ſitam. Sic libro ſequenti dixit, Sub muros.Iudæi ſub ipſos muros ſtruxere aciem.

Mox per Britanniam gloria.) Hactenus defuit hic participiū aucta,quod nos addidimus. Mox aucta per Britanniam gloria.

Sub Vitellio rurſus diſcrimen adit.) Nos, adijt.

Quibus auertere accita à Vitellio auxilia.) Auertere mutauimus in auerteret & præpoſitionem ſuſtulimus.Quibus auerteret accita Vitellio auxilia.

Si redintegrandum bellum.) Caſtigauimus, Si redintegratum bellum.

Igitur Ciuilis deſciſcendi certus.) Codex Budēſis,Igitur ciuilis diſcidij certus. Id expone,Certus ſubaudi Claudius Ciuilis,ciuilis diſſidij,id eſt belli ciuilis quod Romæ erat. Et ſic nos ſcripſimus.

Et cætera ſeruitia mala enumerat.) Emendauimus,Et cętera ſeruitij mala enumerat.Paulopoſt eſt illic,tradi ſe præfectis,cēturionib.quos ubi ſp.& ſ. expl. Sine

Eſſe ſibi robur peditū equitumq́; conſanguineos Germanos.) Liber (quæ regius,Et ſibi robur peditum equitumq́;,conſanguineos,Gallias idem cupientes. Eſſe ſubauditur,& in accuſatiuo conſanguineos ſubauditur Germanos.

Erat in Caninefatibus ſtolide audacię Brenno.) Illic,Brinio,qui paulopoſt appellatur Brimio,Forte,Brinno,quem hodie Brunonem dicimus.

Igitur

Igitur ipſo rebellis familiæ omine placuit.Impoſitusq; ſcuto.) Verbũ placuit eraſimus.Nã integra eſt ſentẽtia ſi ſic diſtinguas,Igitur ipſo rebellis familiæ omine,impoſitusq; ſcuto,more gentis,& ſuſtinentium humeris uibratus,dux deligitur.Expone,Impoſitusq;,que,id eſt non ſolum impoſitus ſcuto:&,id eſt uerũ etiam ſuſtinentiũ humeris uibratus,dux deligitur. Nam uideo quid illi impoſuerit, qui uerbum placuit hic infulſit.

Et quod militum in ſuperiore inſulæ parte congregantur,) Nos, Et quod militum in ſuperiorem inſulæ partem congregantur.

Quippe uiribus cohortis adductis.) Duæ dictiones,Quippe uiribus, nõ ſunt in libro Coruini regis,ubi tantum legitur,nomen magis exercitus q̃ robur,cohortium abductis Vitellius. Vnde erui lectionem,Nomen magis exercitus q̃ robur, cohortibus abductis,Vitellius è proximis Neruiorum Germanorumq; pagis,ſegnem numerum armis onerauerat.Sicq; locum emendaui in contextu.

Caninefatem tumultum oppreſſurum.) Illic compreſſurum. Nec ſemper obſcœnam ſignificationem hoc uerbum habet,quæ res caſtigatorem mouit ut mutaret.Sic libro primo.Diſſideat interim miles , neq; duorum adoleſcentium nondum adulta autoritate comprimi queat.Item libro ſequenti . Sub eo bellũ ortum, & comprimere cœptantem Ceſtium Gallum Syr. leg. uaria prælia ac ſæpius aduerſa excepere.

Nec Brennonem.) Illic Brimionem.

Quas incenſis caſtellis illuc appulerant.) Caſtigaui,Quaſi incenſis caſtellis.

Virtutem proprium hominis bonum.) Illic hominum.

Maiore precio fugeret.) Illic, fungeretur.

In Friſios aduehitur.) Nos , auehitur.

Cunctaq; quæ acciderant.) Codex Budenſis,Qui cuncta quę acciderant. Caſtigaui, Quin cuncta quæ acciderant.

Sed fraude ducum euenire.) Addidi uerbum metuebãtur.Sed fraude metuebantur euenire.Mox nos,exponeret.

Simul paganorum lixarumq; ignauia.) Repoſui,ignaua,ſed procax ante periculum manus.

Vt Batauos numero impares circumfundant.) Regium uolumen habet, circumdant.Malim,Et Batauos numero impares circumdant.

Illi ueteris militiæ memores in cuneis congregantur.) Illic , Illi ueteris militiæ inciuiles congregantur.Legerim.Illi ueteris militiæ ui habiles,cõgregantur denſi undiq;,& frontem tergaq; ac latus tuti.

Neq; hoſtium ſe conſilijs uti.) Nos,Neq; hoſtium conſilijs uti ſe.

Proinde perfugus Batauus. Caſtig.Proinde perfuga Batauus.

Quippe ubi relata Ciuili.) Emendaui,Quæ ubi relata Ciuili. Mox accuſatiuus,uniuerſam,non eſt in libro manuſcripto.

Sed parum prouiſum,ni copiæ in caſtra conueherentur,rapi permiſere.) Scribendum meo iudicio,Sed paruum prouiſum , ni copiæ in caſtra conueherentur, rapi permiſere.Nam accuſandi caſu dictum eſt hic prouiſum , à uocabulo prouiſus,us,ui,quartę inflexiõis. Sic libro 16. Diſpoſitu prouiſuq; ciuiliũ rerũ peritus.

Sed paruum prouiſum pro modicã prouiſionem

Vtramq; Rheni ripam.) Accuſatiuus utramq; non eſt in libro manuſcripto.

Iuſta belli ciuilis externiq; facie obſtupefecerant obſeſſos.) Scripſimus,iuxta ut ſit aduerbium ſimilitudinis,pro æque,quod tamen quidam iuſta ſcribunt. Sic libro primo.Nam in pace cauſas & merita ſpectari,ubi bellũ ingruat, innocentes ac noxios iuxta cadere.

Quod duabus legionibus ſitum,uix quinq; millia armatorum Romanorũ tuebantur.) Difficilis locus eſt.Codex Budenſis habet,quod duabus legionibus ſitum uix V. milia armatorũ tuebantur.Igitur genitiuus Romanorũ ſuppoſititius

uidetur

uidetur. Vt paucis dicam mentem meam, diuino ſic legendum. Quod duabus legionibus,tum uix quinq; millium armatorum,tuebantur.Quod.ſ.uallum,tuebantur.ſ.Romani,duabus legionibus,tum uix quinq; millium armatorum. Id eſt quæ duæ legiones uix quinq; millium armatorum erant,hoc eſt, uix continebant quinque millia armatorum.

Sibi quæq; gens conſiſtunt.) Lego,Simul quæq; gens conſiſtunt.Nam ſupra quoq; librarius quodam loco ſibi ſcripſit pro ſimul.quemadmodum ante monui. Mox eſt in uolumine manuſcripto,Oppoſitis pleriq; ſcalis.

Perfugæ captiuiq; docebant ſtruere machinas.) Caſtigaui,materias.

Duo & uiceſimæ legionis legatus

Dillio Voculæ duodeuiceſimæ legionis legato tradit.) Nos, duoetuiceſimæ legionis legato tradit.

Adſciri in ſocietatem Germanos.) Repoſuimus, Acciri in ſocie. Germanos.

His inter ſe uocibus inſiſtentes.) Codex regius, His inter ſe uocis inſiſtentes.

Exemplares omnium literarum

Ordeonius exemplaria omnium literarũ.) Illic.Exemplares (Forte uotis. omnium literarum.Exemplares, ſubauditur,literas.

Pleræq; ciuitates aduerſum nos armatæ.) Illic,aduerſum nos arma. Placet lectio uulgata.Nam alioqui uerbum cœperunt aut ſimile,ſubaudiendum foret.

Incognita illi cœlo ſiccitate.) Illic,incognita cœlo ſiccitate,hoc ẽ illi cœlo Ger(manico.

Ductus à Vocula exercitus.) A præp.eraſimus.nã ſubintelligit.

Auctus eſt Germanorum numerus.) Nos, Auctus & Germanorum numerus. Et pro etiam.

Nauem arripiunt.) Emendaui, Germani multa cum ſtrage noſtrorum, nauem abripiunt.

Vt Menapios & Morinos & extrema Galliarum quateret.) Nos,quaterent.

Quos gens Germanicæ originis eiurata p.R.n.A.uocarent.) Liber Matthiæ Coruini, quos gens Germanice originis eiurata patria Romanorum nomen agrippinenſes uocarentur.Forte legendum,Quod gens Germanicæ originis,eiurata patria,Romanorum nomine Agrippinenſes uocarentur. Vel, quod ſe Germanicæ originis, eiurata patria, Romanorum nomine Agrippinenſes uocarent.

Romanus miles periculorum ignarus.) Malim,periculorum gnarus.

Nuncijs promiſſis fidem legionum conuellens.) Addidi particulam &,hic inprimis neceſſariam,Nuncijs & promiſſis fidem legionum conuellens.

Is error Romanis addit animos.) Datiuus Romanis non eſt in exemplari Bu.

Soluere obſidium legionum eodem impetu potuiſſet.) Nos,eo impetu potu.

Et ſuis uictoria proueniſſet.) Illic,promouiſſet.

Vt depoſitis impedimentis ſarcinisq;.) Vt particula nõ eſt in libro manuſcripto, Poteſtq; abeſſe.

Et minari aſſeuerant,) Caſtigauimus, Et minari adſueuerant.

Ne tempori deeſſent.) Verba militum ad obſeſſos.

Credita per utrunq; exercitum fama.) Malim,ædita.

Effuſus in luxum & ep.& n.cœtus, ueterem in Ordeonium iram renouauit.) Repoſuimus,Effuſi in luxum & epulas & nocturnos cœtus, ueterem in Ordeonium iram renouant.

Cũ iam Vitellius occidiſſet.) Codex regius habet,occurriſſet.Emendaui,cor(ruiſſet.

Mixtus Cattis, Vſipijs.) Illic,Mixtus & Cattis, Vſipijs.Scripſi, Mixtus ex Cattis, Vſipijs.

Is præerat prouinciæ.) Verbum præerat nõ legitur illic.Tum expone.Is prouinciæ nequaq̃ turbidus,hoc eſt ipſi prouinciæ,ingenio.i.ob ingeniũ, uel, ex in(genio.

Vulgus alimẽta in dies mercari ſolitũ,cui una ex rep.annonę cura.) Hæ duæ dictiones,cui una,non extant in manuſcripto codice.Et mutant meo iudicio

dicto ſenſum. Nam Tacitus uult dicere, ex Rep. annonæ cura. ſ. exiſtente, Hoc eſt quia cura annonæ pertineret ad Remp. Vt ſit hæc locutio ſimilis illi, libro 18. Et quibuſdam uicinis colonijs inuidiæ æmulatione. Subauditur exiſtente. Sic libro primo, Seu nihil militi, ſeu omnia concederentur, in ancipiti republica. Subauditur, futura. In literis Tiberij Cæſaris, quarum ſententiam Tacitus recitat libro tertio, ſic ſcriptũ eſt. At Hercule nemo neſcit, quod Italia externæ opis indiget, quod uita populi Ro. per incerta maris & tempeſtatũ, cotidie uoluitur, ac niſi prouinciarum copiæ & dominis, & ſeruitijs, & agris ſubuenerint, noſtra nos ſcilicet nemora, noſtræq; uillæ tuebuntur? Hanc P. C. curam ſuſtinet princeps.

Eius nomen epiſtolis edictiſq; præferebatur.) Caſtig. proponebatur.

Ius penes Mutianum erat.) Verbum erat eraſimus. Infra ſcripſ. quo die.

Tum forte ducti, per quos redderentur bello rapta.) Ex hac clauſula nihil eſt in Budẽſi uolumine præter duas uoces, Tum rapta. Dormitauit hic librarius. Forte. Tum qui rapta, quiq; æra. Subaud. creati ſunt uel electi.

Tertio Iuliano.) Paulo ante habes, T. Iuliano.

Ipſi Publio animus in periculis.) Et hic Codex Budenſis mutilus eſt. Nam duas uoces, Ipſi Publio, non habet. Forte legendum, neq; animus. Nec eſt illic paulo poſt ablatiuus dato. Expone, Signo ultionis, id eſt in ſignum ultionis in accuſatores, petit à Cæſare Iunius Mauricus, ut cõm. principal. p. ſenatui faceret.

Conſulendum tali ſuper re princeps reſpondit.) Repoſui, Conſulendum tali ſuper re principem reſpondit.

Senatus inchoantibus primoribus, iuſiurandum cõcepit, quo certatim omnes magiſtratus, cæteri ut ſententiam rogabantur, deos teſtes aduocabãt.) Regium exemplar habet. Omnis iniens magiſtratus, cæteri ſententiam rogabantur. Lego, Omnis iniens magiſtratus, cæteri ſententiam rogabantur, deos teſtes aduocabat. Nunc clara erit ſententia ſi ſic diſtinguas. Senatus inchoantibus primoribus, iuſiurandum concepit, quo certatim omnis iniens magiſtratus (cæteri ſententiã rogabantur) deos teſtes aduocabat, Nihil ope ſua factum quo cuiuſquam ſalus læderetur, neq; ſe premium aut honorem ex calamitate ciuium cepiſſe. *Iuſiurandum magiſtratum ineuntis*

Et Nomium Actianum.) Nos, Nonium Act. Item, In Vibium Criſpum.

Sponte ex S. C. accuſationem ſubiſſe.) Hæc uerba ſignificant accuſationem Craſſorum ex ſenatuſconſulto decretam, quã ſponte ſubierit Aquilius Regulus. Alioqui legerem, Sponte ex ſe accuſationem ſubiſſe.

Signatus, & ſacerdotio fulgens.) Forte, deſignatus, & ſacerdotio fulgens.

Cũ interim inteſtabilior & ſæuior exortus eſt.) Inteſtabilior pro deteſtabilior. *Inteſtabilior* Horatius in ſecundo ſermonum. Inteſtabilis & ſacer eſto. Tacitus Annalium libro quinto de Aemylia Lepida. Quanquã inteſtabilis, tamen impunita agebat. Paulopoſt eodem libro de Tiberio. Inteſtabilis ſæuitia, ſed obtectis libidinibus.

Ad cædem deſtinaretur.) Nos, deſtinarentur.

Prenſare commanipularium pectora ceruicibus iniecta.) Prenſare uerbũ deleuimus, & pro commanipularium ſcripſimus, cum manipulariũ, pro iniecta inuecti. hoc modo, Vt uero huc illuc diſtrahi cœpere, metus per omnes, & præcipua Germanici militis formido, tanquam ea ſeparatione ad cædem deſtinarẽtur, cum manipularium pectora ceruicibus inuecti, ſuprema oſcula petere, hoc eſt petebant. Inuecti, ſignificat impetum ceruices ſociorũ amplexantium.

Spernunt oblatos agros.) Addidimus pronomẽ ſibi, Spernũt oblatos ſibi ag.

Si pauca ſupra petiero.) Aut ſupra repetiero. Vt libro 16. De C. Petronio pauca ſupra repetenda ſunt, ceu uulgo legitur. Aut pauca repetiero. Niſi quis malit, ſubrepetiero. Vt ſit uerbũ eius formæ cuius eſt, Prodeambulo, proſubigo, repromitto, adobruo, & quod apud Liuiũ reperitur, ſuperincido.

Necq; modica cupiens, ſed affinitate Vitellij anxius.) Codex Matthiæ Coruini. Necq; modica cupido ſi affinitate Vitellij anxius. Is cr. ſ. Forte ſcribendũ, Neque modice cupidus. Affinitate Vitellij anxius is, crebris ſermonibus tent.

Cecidiſſe Galerianum cõſobrinũ eius generumq;.) Illic legitur, ceſſiſſe. Scripſerim, Cæſos eſſe Gal. conſobrin. eius generumq;.

Centurio à Mutiano miſſus.) Particulam à ſubmouimus.

Gaudio clamoribusq; cuncta miſcebãt, indulgentia uiri, & adulandi libidine.) Fœdus lapſus eſt in duobus iſtis uocabulis, indulgentia uiri. Caſtigauimus, indiligentia ueri, hoc eſt, quod forent indiligentes in perſcrutanda ueritate rei.

Indiligentia ueri

Militesq; & centuriones quoſdam punit.) Nos, punijt.

Ni pater exemplum præbuiſſet.) Illic, Ni parens e.p.

Bono eſſe animo iubet.) Verbum iubet non eſt in codice manuſcripto. Verũ illic legitur attollere, quemadmodum & nos ſcripſimus.

A quatrimis & fontibus omnibusq; hauſta pluere.) Dij boni quàm eſt hæc clauſula prodigioſis mendis obſita. Reſtituimus, Aqua, riuis & fontibus amnibusq; hauſta, perluêre.

Et ſecundum ceſpitem redditis extis.) Nos, Et ſuper ceſpitem red. extis.

Et in interna mala fregiſſent.) Præpoſitionẽ in eraſimus. Paulopoſt hic Lingon. Forte, ille Lingon.

Attamen interfuere quidam Vbiorũ Turingorũq;.) Caſtigaui, Tungrorũq;.

Cæſas legiones, uaſtatam Italiam, capi tum maxime urbem.) Emendaui, capi cummaxime urbem.

Cummaxime

Omnes exercitus ſuis quenq; bellis deſtineri.) Nos, diſtineri.

De reliquijs Vitelliani exercitus dubitauere.) Illic legitur, reliquis. Subaudi (militibus.

Infidisq; legionibus.) Non eſt in codice Budenſi. Sicut nec ablatiuus artibus paulopoſt.

Eadem rurſus omnia.) Caſtig. eadem rurſus numina.

Adeo nos, ſi fortuna in præſens uirtusq; deſeruit.) Vocabulum uirtusq; non eſt in libro manuſcripto.

Tolerant nunc maxime inopiam obſidiumq; apud Vetera legiones.) Emendaui, Tolerant cummaxime inopiam apud Vetera legiones.

Centurio deniq; aut miles.) Repoſui, Centurioq; aut miles.

Tutori Treuiro augentur excubiæ.) Nos, agentur excubiæ.

Vt ſi uobis nõ fuit cordi, me duce hæc caſtra incorrupta & intemerata ſeruari, at certe pollui fœdariq; à Tutore & Claſsico ne ſinatis.) Fœde hũc locũ interpolatũ auſim iurare. Nam datiuus cordi nõ eſt exemplari regio, nec ſex iſtæ dictiones, certe pollui fœdariq; à Tutore &. Sed tantum, At Claſſico ne ſinatis. Dixit autem Tacitus imitatiõe Grecorũ, Si nõ fuit, pro ſi nõ licuit: nam ἐστὶ pro ἔξεστι illi uſurpant: uobis me duce hæc caſtra incorrupta & intemerata ſeruari, at Claſſico ne ſinatis. Q. D. Aequius feram ſi alius quiſpiã id faciat. nam Claſsicum quũ prouincialis ſit, iſta non decent. Totam ſententiam ſic legeris, Te Iupiter optime maxime, quem per octingentos uiginti annos tot triumphis coluimus, Te Quirine Romanæ parens urbis, precor ueneror q;, ut ſi uobis non fuit, me duce hæc caſtra incorrupta & intemerata ſeruari, at Claſsico ne ſinatis.

Si nõ fuit, pro ſi non licuit

Herennium & Numium legatos uinciri ſatis uiſum.) Liber manuſcriptus habet, Herenniũ & Numiſiũ. Id accipiendũ de Numiſio Rufo, cuius ſupra hoc ipſo libro fit mentio. Legati, inquit, legionũ Mumius Lupercus & Numiſius Rufus uallũ murosq; firmabant. Et infra. Annumerabor Numiſijs & Herennijs, ut omnes legati ueſtri, aut militũ manibus, aut hoſtiũ, ceciderint. Itaq; repoſuimus hoc loco, Numiſium.

Aut

Aut qui ipſos leu.ab.prof.) Volumẽ manuſcriptum habet, at qui. Malim,ac qui ipſos. Mox nos. Ad quintum ferè lapidem coorti Germani.

Reuulſæ imperatorum imagines,innexa ſigna.) Pro innexa legitur in codice regio,inhora. Conijcio fuiſſe ſcriptum à Tacito,ſymbola. Reuulſæ imperatorum imagines,ſymbola, ſigna. *Imagines* *Symbola* *Signa*

Metu futuri.) Nos,metus futuri. Quando neq; ſubire conditiones,metus futuri,neq; palàm aſpernari conditio præſens ſinebat.

Delectus è propinqua conſultis.) Caſtigaui, Delectus è propinquis conſulta reſponſaq; ut internuncius numinis portabat.

Claudius Labeo Bethaſiorum Turingorumq; & Neruiorũ tumultuaria manu reſtitit.) Nos, Tungrorumq;. Item paulopoſt, ex primoribus Tungrorum, pro Turingorum.

Vigens rerum.) Repoſui,ingens rerum. Sic libro primo dixit, ingens animi. Sed fœmina ingens animi,munia ducis per eos dies induit.

Lætum militibus idem nomen.) In manuſcripto codice eſt, ide nomen. Fortaſſe ſcribendum,id nomen.

Quod bello caput,unde uis auſpiciumq; peteretur.) Nos, Vnde ius auſ.pet.

Caracatium.) Illic utrobiq; Ceracates.

Quia pontem Nauas fluminis abruperat.) Nos,Nauæ fluminis. Apud Bingium Naua Rheno miſcetur. *Naua flumen*

Montibus & Moſſela amne ſeptum.) Repoſui, Montibus aut Moſella a.ſe.

Paulum moræ in aſsenſu.) Caſtig. in aſcenſu.

Redigeret prędam in fiſcum.) Poſſet etiã legi, Redigeretur prędа in fiſcum. Nam uolumen Matthię regis habet,redigeretur. Mox eſt illic,poſito ciuiũ bello.

Primum illorum ſtipendiorũ & ſacramenti diem haberent.) Scripſi, Primum illum ſtipend.& ſacr.diem haberent.

Ne quiſquam alienum ſeruitium.) Nos,Nec quiſquam alien.ſeru.

Aut minoribus q̃ nunc tributis,parabantur exercitus.) Caſtig.parabuntur.

Aut uoto ſtare.) Liber manuſcriptus tantũ habet, aut uaſtare. Fortaſſis, Aut clàm ſtare.

Nam Germanos qui ab ipſis ſpernentur.) Nos, ſperentur.

Niſi ex reliquijs Germani exercitus.) Repoſui, Germanici exercitus.

Non imperitia militum,ſed adoleſcentuli.) Duas dictiones,militum ſed, eximimus,ut legatur, Auſuros rurſus uenturosq; in manus,non imperitia adoleſcentuli,uerba & conciones q̃ ferrũ & arma meditantis, ſed Ciuilis & Claſſici.

Quàm quod uos Gallici fœderis oblitos prędixerim.) Malim,prædixi, propter ſcripturam codicis Budenſis.

Tutor & Claſſicus ciuilis ſuis quiſq; locis pugnam ciebant.) Addidimus particulam,Tutor,& Claſsicus,& Ciuilis,ſuis q.l.p. ciebant.

Cerialis ut incuria prope res afflixit.) Nos, rem afflixit.

Flagrantiſſima cohortium ſuarum integra manu, & è Chaucis.) Ablatiuum manu deleui. Expone,Non inualidus,flagrantiſſima cohortiũ ſuarum,id eſt quæ inter cohortes ardentiſsima erat,integra. Subaud.exiſtente.

Galbiaci in finibus Agrippinenſium.) Nos, Talbiaci, Quidã Tolbiacum appellãt, ut Antoninus in itinerario,& alij. Paulopoſt,Turingosq;. Nos,Tũgrosq;. *Tolbiacum*

Fauore militũ anxius eſt.) Verbum eſt eraſimus. Mox,ut non pro ſpe ſua accipitur. Nos, excipitur.

Quis è cœlis fauor.) Volumen regium nõ habet è cœlis,ſed celis eſt. Scripſi, cœleſtis fauor.

Illi elapſo in prauum artu.) Caſtigaui, Illi elapſos in prauũ artus. Mox,poſſe integrare, Subaudi,ſalubrem uim.

Deniq; peracti remedij gloriam penes Cæſarē eſſe.) Liber manuſcriptus ha-

Patrati reme dij gloria bet,parati remedij. Fortaſſis legendum, patrati. Sic libro ſequenti, Nec omnia pa- trandi fiducia.

Reſpexit pone tergum è primoribus Aegyptiorū n.Baſil.) Illic nō eſt è præp.

Timotheus quęſitus qui in Pontum meaſſent.) Caſtigaui, Timotheus quæ- ſitis qui in Pontum meaſſent. Mox, nos, Sinopen.

Præcepitq; nauigaturis.) Repoſui, Pręcipitq; nauigaturis.

Aduectus us. ui. Hęc de origine & aduentu dei.) Scripſi, Hæc de origine & aduectu dei. quo uocabulo etiam ſupra uſus eſt.

Aut ſalus Galliarum in diſcrimen uerteretur.) Repoſui, in diſcrimine uert.

Simul ſimplicitatis ac modeſtię nomine.) Aduerbium ſimul non eſt in exem- plari regio. Omittiq; poteſt.

FINIS

P. CORNELII TACITI AB EX- CESSV DIVI AVGVSTI ANNALIVM

LIBER XX

INTERFECTO Vitellio bellū magis deſierat, quàm pax cœperat. Armati per urbem uictores, implacabili odio uictos conſectabantur. plenæ cædibus uiæ, cruenta fora templaq;, paſſim tru- cidatis ut quemq; ſors obtulerat. Ac mox auge- ſcente licentia, ſcrutari, ac protrahere abditos: ſi quem procerum habitu & iuuenta proſpexerāt, obtruncare, nullo militum aut populi diſcrimine. quæ ſæuitia, recentibus odijs, ſanguine explebatur, dein uerterat in auari- tiam. Nihil uſquam ſecretum aut clauſum ſinebāt, Vitellianos occultari ſi- mulantes. Initium id perfringendarum domuum, uel ſi reſiſteretur, cauſa cædis. Nec deerat egentiſſimus quiſq; ex plebe. & peſſimi ſeruitiorū pro- dere ultro dites dominos. alij ab amicis monſtrabantur. Vbiq; lamenta, conclamationes, & fortuna captæ urbis, adeo ut Othoniani Vitellianiq; militis inuidioſa antea petulantia deſideraretur. Duces partium accenden- do ciuili bello acres, temperandæ uictoriæ impares. Quippe in turbas & diſcordias peſſimo cuiq; plurima uis, pax & quies bonis artibus indigent. Nomen ſedemq; Cæſaris Domitianus acceperat, nondū ad curas inten- tus, ſed ſtupris & adulterijs filium principis agebat. Præfectura prætorij penes Arrium Varum. Summa potentiæ in Primo Antonio. is pecuniam familiamq; è principis domo, quaſi Cremonenſem prædam rapere. Cæ- teri modeſtia uel ignobilitate, ut in bello obſcuri, ita pręmiorum expertes. Ciuitas pauida & ſeruitio parata, occupare redeuntem Tarracina L. Vitel- lium cum cohortibus, extinguiq; reliqua belli, poſtulabat. Præmiſſi Arici- am equites. agmē legionū intra Bouillas ſtetit. Nec conctatus eſt Vitellius,

ſeq;

ſeq́ꝫ & cohortes arbitrio uictoris permittere. Et miles infelicia arma haud minus ira, quàm metu abiecit. Longus deditorũ ordo ſeptus armatis per urbem inceſſit. Nemo ſupplici uultu, ſed triſtes & truces, & aduerſum plauſus ac laſciuiam inſultantis uulgi immobiles. paucos erumpere auſos, circumiecti preſſere. cæteri in cuſtodiam conditi. Nihil quiſquam locutus indignum, & quanquam inter aduerſa, ſalua uirtutis fama. Dein L. Vitellius interficitur, par uitijs fratris, in principatu eius uigilantior, nec perinde proſperis ſocius, q́ꝫ aduerſis abſtractus. Iiſdem diebus Lucilius Baſſus cũ expedito equite ad componendam Campaniam mittitur, diſcordibus municipiorum animis, magis inter ſemet, quàm contumacia aduerſus principem. Viſo milite, quies & minoribus colonijs impunitas. Capuæ legio tertia hyemandi cauſa locatur, & domus illuſtres afflictæ, cum contra Tarracinenſes nulla ope iuuarentur. Tanto procliuius eſt iniuriæ quàm beneficio uicem exoluere: quia gratia oneri, ultio in quæſtu habetur. Solatio fuit ſeruus Verginij Capitonis, quem proditorẽ Tarracinenſium diximus, patibulo affixus, in ijſdem annulis quos acceptos Vitellio geſtabat. At Romæ ſenatus cũcta principibus ſolita, Veſpaſiano decernit, lætus & ſpei certus. quippe ſumpta per Gallias Hiſpaniasq́ꝫ ciuilia arma, motis ad bellũ Germanis, mox Illyrico, poſtquam Ægyptum, Iudæam Syriamq́ꝫ & omnis prouincias exercitusq́ꝫ luſtrauerant, uelut expiato terrarum orbe, cœpiſſe finem uidebantur. Addidere alacritatem Veſpaſiani literæ, tanquam manente bello ſcriptæ. ea, prima ſpecie, forma. cæterum ut princeps loquebatur, ciuilia de ſe & Rep. egregia. nec ſenatus obſequium deerat. Ipſi conſulatus cum Tito filio, prætura Domitiano & conſulare imperium decernuntur. Miſerat & Mutianus epiſtolas ad ſenatũ, quæ materiam ſermonibus præbuere: ſi priuatus eſſet, cur publice loqueretur. potuiſſe eadem paucos poſt dies loco ſententiæ dici. ipſa quoq́ꝫ inſectatio in Vitellianos fera & ſine libertate. id uero erga Remp. ſuperbũ, erga principem contumelioſum, quod in manu ſua fuiſſe imperium, donatumq́ꝫ Veſpaſiano iactabat. Cæterum inuidia in occulto, adulatio in aperto, erant. Multo cum honore uerborum Mutiano triumphalia de bello ciuili data. Sed in Sarmatas expeditio fingebatur. Adduntur Primo Antonio conſularia, Cornelio Fuſco, & Arrio Varo prætoria inſignia. Mox deos reſpexere. reſtitui placuit Capitolium. Eaq́ꝫ omnia Valerius Aſiaticus conſul deſignatus cenſuit. Cæteri uultu manuq́ꝫ, pauci quibus conſpicua dignitas, aut ingenium adulatione exercitum, compoſitis orationibus aſſentiebãtur. Vbi ad Heluidium Priſcum prætorem deſignatum uentum, prompſit ſententiam, ut honorificam in bonum principem. Falſa aberant, & ſtudijs ſenatus attollebãtur. Isq́ꝫ præcipuus illi dies magnæ offenſæ initium, & magnæ gloriæ fuit. Res poſcere uidetur, quia iterum in mentionẽ incidimus uiri ſæpius memorandi, ut uitam ſtudiaq́ꝫ eius & quali fortuna ſit uſus, paucis repetã. Heluidius

L. Vitellius interficitur

Heluidius Priſcus quis & cuias

Priſcus regione Italiæ, Tarracinæ municipio, Cluuio patre qui ordinẽ primipili duxiſſet, ingenium illuſtre altioribus ſtudijs iuuenis admodum dedit, non ut pleriq; , ut nomine magnifico ſegne otium uelaret, ſed quo firmior aduerſus fortuita, Remp. capeſſeret. doctores ſapientiæ ſecutus eſt, qui ſola bona quæ honeſta, mala tantum quæ turpia, potentiam, nobilitatem, cæteraq; extra animum, neq; bonis neq; malis annumerant. Quæſtorius adhuc, à Pæto Thraſea gener delectus, è moribus ſoceri nihil ęque ac libertatem hauſit, ciuis, ſenator, maritus, gener, amicus, cunctis uitæ officijs æquabilis, opũ contemptor, recti peruicax, conſtans aduerſus metus. Erant quibus appetentior famæ uideretur, quando etiã ſapientibus cupido gloriæ nouiſſima exuitur. Ruina ſoceri, in exiliũ pulſus, ut Galbæ principatu redijt, Marcellum Eprium delatorem Thraſeæ accuſare aggreditur. Ea ultio (incertum maior an iuſtior) ſenatum in ſtudia diduxerat. Nam ſi caderet Marcellus, agmen reorum ſternebatur. Primo minax certamen, & egregijs orationibus utriuſq; certatum. Mox dubia uoluntate Galbæ, multis ſenatorum deprecãtibus omiſit Priſcus, uarijs (ut ſunt hominum ingenia) ſermonibus moderationem laudantium, aut conſtantiam requirentium. Cæterum eo ſenatus die, quo de imperio Veſpaſiani cenſebant, placuerat mitti ad principem legatos. Hinc inter Heluidiũ & Eprium acre iurgium. Priſcus eligi nominatim à magiſtratibus iuratis, Marcellus urnam poſtulabat. quæ conſulis deſignati ſententia fuerat. Sed Marcelli ſtudium proprius rubor excitabat, ne alijs electis poſthabitus crederetur. Paulatimq; per altercationem ad continuas & infeſtas orationes prouecti ſunt, quærente Heluidio, quid ita Marcellus iudicium magiſtratuũ paueſceret? eſſe illi pecuniam & eloquentiã, quîs multos anteiret, ni memoria flagitiorum urgeretur. Sorte & urna mores non diſcerni: ſuffragia & exiſtimationem ſenatus reperta, ut uniuſcuiuſq; uitam famamq; penetrarent. pertinere ad utilitatem Reip. pertinere ad Veſpaſiani honorem, occurrere illi quos innocentiſſimos ſenatus habeat, qui honeſtis ſermonibus aures imperatoris imbuant. Fuiſſe Veſpaſiano amicitiam cum Thraſea, Sorano, Senecione, quorum accuſatores etiam ſi puniri non oporteat, oſtentari non debere. hoc ſenatus iudicio uelut admoneri principẽ, quos probet, quos reformidet. nullum maius boni imperij inſtrumentum, quàm bonos amicos. Eſſe ſatis Marcello quod Neronem in exitium tot innocentium impulerit. Frueretur præmijs & impunitate, Veſpaſianũ melioribus relinqueret. Marcellus non ſuam ſententiam impugnari, ſed conſulem deſignatũ cenſuiſſe dicebat ſecundũ uetera exempla, quæ ſortem legationibus poſuiſſent, ne ambitioni aut inimicitijs locus foret. Nihil eueniſſe cur antiquitus inſtituta exoleſcerent, aut principis honor in cuiuſquam cõtumeliam uerteretur. ſufficere omnes obſequio. id magis uitandum ne peruicacia quorundam irritaretur animus nouo principatu ſuſpenſus, & uultus quoq; ac ſermones omnium

Stoicus fuit

Aequabilis

Dubia uoluntas

Certamen in ſenatu de legatione, inter Priſcum & Eprium

Sors & urna Suffragia

Amici boni

omnium circũſpectans. Se meminiſſe temporũ quibus natus ſit,quã ciuitatis formam patres auiq́; inſtituerint:ulteriora mirari,præſentia ſequi:bonos imperatores uoto expetere,qualeſcunq; tolerare.

Vlteriora mirari, præſentia ſequi

Non magis ſua oratione Thraſeam quàm iudicio ſenatus afflictum . Sæuitiam Neronis per huiuſmodi imagines illuxiſſe . nec minus ſibi anxiam talem amicitiam q̃; alijs exilium.Deniq; conſtantia,fortitudine Catonibus & Brutis æquaretur Heluidius:ſe unum eſſe ex illo ſenatu qui ſimul ſeruierit:ſuadere etiam Priſco,ne ſupra principem ſcanderet, ne Veſpaſianũ ſenem triumphalem, iuuenum liberorum patrem præceptis coërceret. Quo modo peſſimis imperatoribus ſine fine dominationem , ita quamuis egregijs modum libertatis placere.

Modus libertatis

Hæc magnis utrinq; cõtentionibus iactata, diuerſis ſtudijs accipiebantur. Vicit pars quæ ſortiri legatos malebat , etiã medijs patrum annitẽtibus retinere morem . Et ſplendidiſſimus quiſq; eòdem inclinabat, metu inuidiæ ſi ipſi eligerentur.

Prætores ærarij

Secutum aliud certamen. Prætores ærarij (nam tum à prætoribus tractabatur ærarium) publicam paupertatem queſti,modum impenſis poſtulauerant.Eam curam conſul deſignatus ob magnitudinem oneris,& remedij difficultatem,principi reſeruabat.Heluidius arbitrio ſenatus agendum cenſuit . Cum perrogarent ſententias conſules,Vulcatius Tertulinus tribunus plebis interceſſit , ne quid ſuper tanta re principe abſente ſtatueretur.cenſuerat Heluidius, ut Capitolium publicè reſtitueret,adiuuaret Veſpaſianus.Eam ſententiã modeſtiſsimus quiſq; ſilentio,deinde obliuio tranſmiſit.Fuere qui & meminiſſent.

Muſonius Rufus

Tum inuectus eſt Muſonius Rufus in Publium Celerem , à quo Baream Soranum falſo teſtimonio circumuentum arguebat.Ea cognitione renouari odia accuſationũ uidebantur.ſed uilis & nocens reus protegi non poterat . Quippe Sorani ſancta memoria . Celer profeſſus ſapientiam,dein teſtis in Baream proditor corruptorq́; amicitiæ , cuius ſe magiſtrum ferebat . Proximus dies cauſæ deſtinatur.Nec tam Muſonius aut Publius, quàm Priſcus & Marcellus cæteriq́; motis adulationibus animis expectabantur.

Tali rerum ſtatu,cum diſcordia inter partes,ira apud uictos,nulla in uictoribus auctoritas,non leges,non principes in ciuitate eſſent, Mutianus urbem ingreſſus cuncta ſimul in ſe traxit . fracta Primi Antonij Variq́; potentia, male diſſimulata in eos Mutiani iracundia , quamuis uultu tegeretur.Sed ciuitas rimandis offenſis ſagax,uerterat ſe,tranſtuleratq́;.Ille unus ambiri, coli.nec deerat ipſe ſtipatus armatis,domos hortoſq́; permutans . apparatu,inceſſu,excubijs,uim principis complecti,nomẽ remittere.

Calphurnij Galeriani cædes

Plurimum terroris intulit cædes Calphurnij Galeriani . Is fuit filius C. Piſonis, nihil auſus.ſed nomen inſigne,& decora ipſi iuuenta,rumore uulgi celebrabantur.Erantq́; in ciuitate adhuc turbida,& nouis ſermonibus læta,qui principatus inanem ei famam circumdarent.Iuſſu Mutiani cuſtodia militari cinctus,ne in ipſa urbe conſpectior mors foret , ad quadrageſimum ab urbe

Iulius Priſcus lapidē uia Appia fuſo per uenas ſanguine extinguitur.Iulius Priſcus prætoriarum ſub Vitellio cohortiū præfectus,ſe ipſum interfecit, pudore ma-
Alph.Varus gis quàm neceſſitate.Alphenus Varus ignauiæ infamiæq́ ſuæ ſuperfuit.
Aſiaticus Vitellij libertus. Aſiaticus enim (is libertus) malam potentiam ſeruili ſupplicio expiauit.

Bellū in inferiori Germania geſtum. Iiſdem diebus crebreſcentem cladis Germanicæ famam nequaq́ mœſta ciuitas excipiebat.cæſos exercitus, capta legionum caſtra hyberna, deſciuiſſe Gallias,non ut mala loquebantur.Id bellum quibus cauſis ortum,
Bataui quanto externarū ſociarumq́ gentiū motu flagrauerit, altius expediam. Bataui, donec trans Rhenum agebant pars Cattorum, ſeditione dome-
Inſula Batauorum ſtica pulſi extrema Gallicæ oræ uacua cultoribus, ſimulq́ inſulam inter uada ſitam occupauere,quam mare Oceanū à fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit: nec opibus Romanis ſocietate ualidiorum attriti,uiros tantum armaq́ imperio miniſtrāt,diu Germanicis bellis exerciti: mox aucta per Britanniam gloria,tranſmiſſis illuc cohortibus, quas uetere inſtituto nobiliſſimi popularium regebāt.Erat & domi delectus eques, præcipuo nandi ſtudio.arma equosq́ retinens, integris turmis Rhenum
Iul.Paulus Cl.Ciuilis perrumpere.Iulius Paulus & Claudius Ciuilis,regia ſtirpe,multo cæteros anteibant.Paulum Fonteius Capito falſo rebellionis crimine interfecit.Iniectæ Ciuili cathenę,miſſusq́ ad Neronem,& à Galba abſolutus,ſub Vitellio rurſus diſcrimen adijt,flagitante ſupplicium eius exercitu. Inde cauſæ irarum, ſpesq́ ex malis noſtris. Sed Ciuilis ultra quàm barbaris ſolitum,ingenio ſolers,& Sertorium ſe aut Hannibalem ferens ſimili oris dehoneſtamento,ne ut hoſti obuiam iretur,ſi à populo Romano palàm deſciuiſſet, Veſpaſiani amicitiam ſtudiumq́ partium prætendit:miſſis ſanè ad eum Primi Antonij literis, quibus auertere accita à Vitellio auxilia, & tumultus Germanici ſpecie,retentare legiones iubebatur. Eadem Ordeonius Flaccus præſens monuerat, inclinato in Veſpaſianū animo, & Reip. cura,cui excidium aduentabat,ſi redintegratum bellum,& tot armatorum millia Italiam irrupiſſent. Igitur ciuilis diſſidij certus, occultato interim altiore conſilio,cætera ex euentu iudicaturus,nouare res hoc modo cœpit. Iuſſu Vitellij Batauorum iuuentus ad delectum uocabatur: quem ſuapte natura grauē,onerabant miniſtri auaritia ac luxu,ſenes aut inualidos conquirendo,quos pretio dimitterent. rurſus impuberes,ſed forma conſpicui (& eſt pleriſq; procera pueritia) ad ſtuprum trahebantur.Hinc inuidia, & compoſiti ſeditionis auctores, perpulere ut delectum abnuerent. Ciuilis primores gentis,& promptiſſimos uulgi ſpecie epularum, ſacrū in nemus
“ uocatos,ubi nocte ac lætitia incaluiſſe uidet,à laude gloriaq́ gentis orſus,
“ iniurias & raptus,& cætera ſeruitij mala enumerat. Neq; enim ſocietatem
“ ut olim,ſed tanquam mancipia haberi:quando legatum graui quidem co-
“ mitatu,& ſuperbo cum imperio uenire:tradi ſe præfectis centurionibusq́,
“ quos ubi ſpolijs & ſanguine expleuerint,mutari, exquiriq; nouos ſinus,&

uaria

uaria prædandi uocabula. Inſtare delectũ, quo liberi à parentibus, fratres à fratribus uelut ſupremum diuidantur. Nunquã magis afflictã rem Romanam, nec aliud in hybernis quàm prædam & ſenes: attollerent tantum oculos & inania legionum nomiña ne pauefcerent: eſſe ſibi robur peditum equitumq́ꝫ: conſanguineos Germanos, Gallias idem cupientes: ne Romanis quidem ingratum id bellum, cuius ambiguam fortunam Veſpaſiano imputaturos. uictoriæ rationem non reddi. Magno cum aſſenſu auditus, Barbaro ritu & patrijs execrationibus uniuerſos adigit. Miſſi ad Caninefates qui conſilia ſociarent. *Caninefates* Ea gens partem inſulæ colit, origine, lingua, uirtute par Batauis: numero ſuperãtur. Mox occultis nuncijs pellexit Britannica auxilia, Batauorum cohortes, miſſas in Germaniam, ut ſupra rettulimus, ac tum Magontiaci agentes. Erat in Caninefatibus ſtolidæ audaciȩ Brinio, *Brinio ſiue Brimio* claritate nataliũ inſigni. pater eius multa hoſtilia auſus, Caianarum expeditionum ludibrium impune ſpreuerat. Igitur ipſo rebellis familiæ omine, impoſitusq́ꝫ ſcuto, more gentis, & ſuſtinentium humeris uibratus, dux deligitur. Statimq́ꝫ accitis Friſijs *Friſij* (tranſrhenana gens eſt) duarum cohortium hyberna proximo occupato Oceano irrumpit. Nec præuiderant impetum hoſtium milites, nec ſi præuidiſſent, ſatis uirium ad arcendũ erat. Capta igitur & direpta caſtra, dein uagos & pacis modo effuſos lixas negociatoresq́ꝫ Romanos inuadunt. Simul excidijs caſtellorũ imminebant: quæ à præfectis cohortiũ incenſa ſunt, quia defendi nequibant. Signa uexillaq́ꝫ, & quod militum, in ſuperiorem inſulæ partem cõgregantur, duce Aquilio primipilari. nomen magis exercitus quàm robur, cohortibus abductis, Vitellius è proximis Neruiorũ Germanorumq́ꝫ pagis, ſegnem numerum armis onerauerat. Ciuilis dolo graſſandum ratus, incuſauit ultro præfectos, quod caſtella deſeruiſſent: ſe cum cohorte cui præerat, Caninefatem tumultũ compreſſurum: illi ſua quiſq́ꝫ hyberna repeterent. Subeſſe fraudem conſilio, & diſperſas cohortes facilius opprimi, nec Brinionem ducem eius belli, ſed Ciuilem eſſe patuit, erumpentibus paulatim indicijs, quæ Germani læta bello gens, non diu occultauerant. Vbi inſidiæ parum ceſſere, ad uim tranſgreſſus, Caninefates, Friſios, Batauos proprijs cuneis componit. directa ex diuerſo acies haud procul à flumine Rheno, & obuerſis in hoſtem nauibus, quas incenſis caſtellis illuc appulerat. nec diu certato, Tungrorum cohors ſigna ad Ciuilem tranſtulit. Perculſiq́ꝫ milites improuiſa proditione à ſocijs hoſtibusq́ꝫ cædebantur. Eadem etiam nauibus perfidia. Pars remigum è Batauis, tanquam imperitia, officia nautarum propugnatorumq́ꝫ impediebant. mox cõtra tendere, & puppes hoſtili ripæ obijcere. ad poſtremũ gubernatores centurionesq́ꝫ, niſi eadẽ uolentis, trucidant, donec uniuerſa quatuor & uiginti nauium claſſis transfugeret, aut caperetur. Clara ea uictoria in præſens, in poſterum uſui: armaq́ꝫ & naues quibus indigebãt adepti, magna per Germanias Galliasq́ꝫ

fama

fama,libertatis auctores celebrabantur. Germaniæ ſtatim miſere legatos auxilia offerentes. Galliarum ſocietatē Ciuilis arte donisq; affectabat, captos cohortium præfectos ſuas in ciuitates remittendo: cohortibus abire an manere mallent data poteſtate. manentibus honorata militia, digredientibus ſpolia Romanorum offerebantur. Simul ſecretis ſermonibus admonebat malorum, quæ tot annis perpeſſi, miſeram ſeruitutem falſo pacem uocarent. Batauos quanquam tributorū expertes, arma contra communes dominos cœpiſſe. prima acie fuſum uictumq; Romanum. quid ſi Galliæ iugum exuant? quantum in Italia reliquum? prouinciarum ſanguine, prouincias uinci. ne Vindicis aciem cogitarēt. Batauo equite protritos Æduos Aruernosq;. fuiſſe inter Verginij auxilia Belgas. uereq; reputantibus Galliam ſuiſmet uiribus concidiſſe. Nunc eaſdem omnium partes, addito ſi quid militaris diſciplinæ in caſtris Romanorum uiguerit. eſſe ſecum ueteranas cohortes, quibus nuper Othonis legiones procubuerint. Seruirent Syria Aſiaq; & ſuetus regibus Oriens, multos adhuc in Gallia uiuere ante tributa genitos. Nuper certe cæſo Quintilio Varo pulſam è Germania ſeruitutem. Nec Vitellium principem ſed Cæſarem Auguſtū bello prouocatum. Libertatem natura etiam mutis animalibus datā. Virtutem proprium hominis bonum. Deos fortioribus adeſſe. Proinde arriperent uacui occupatos, integri feſſos. dum alij Veſpaſianum, alij Vitellium foueant, patere locum aduerſus utrunq;. Sic in Gallias Germaniasq; intentus, ſi deſtinata proueniſſent, ualidiſſimarum ditiſſimarumq; nationū regno imminebat. At Flaccus Ordeonius primos Ciuilis conatus per diſſimulationem aluit. Vbi expugnata caſtra, deletas cohortes, pulſum Batauorum inſula Romanum nomen trepidi nuncij afferebant, Mumium Lupercum legatum (is duarum legionum hybernis præerat) egredi aduerſus hoſtem iubet. Lupercus legionarios, è pręſentibus Vbios, è proximis Treuirorum equites, haud longe agentes, raptim tranſmiſit, addita Batauorum ala, quę iam pridē corrupta fidem ſimulabat, ut proditis in ipſa acie Romanis, maiore precio fugeret. Ciuilis c[illegible]arum cohortium ſignis circundatus, ut ſuo militi recens gloria ante ocul[illegible] & hoſtes memoria cladis terrerentur, matrem ſuam ſororesq;, ſimul omnium coniuges paruosq; liberos conſiſtere à tergo iubet, hortamenta uictoriæ, uel pulſis pudorem. Vt uirorū cantu, fœminarum ululatu ſonuit acies, nequaq; par à legionibus cohortibusq; redditur clamor. Nudauerat ſiniſtrum cornu Batauorū ala transfugiens, ſtatimq; in nos uerſa. Sed legionarius miles, quanq; rebus trepidis, arma ordinesq; retinebat. Vbiorum Treuirorumq; auxilia, fœda fuga diſperſa, totis campis palātur. Illuc incubuere Germani. Et fuit interim effugium legionibus in caſtra, quibus Veterum nomen eſt. Præfectus alæ Batauorum Claudius Labeo oppidano certamine æmulus Ciuili, ne interfectus inuidiam apud populares, uel ſi retineretur, ſemina diſcordiæ præberet, in

Friſios

Friſios auehitur. Iiſdem diebus Batauorũ & Caninefatium cohortes, cum iuſſu Vitellij in urbem pergerent, miſſus à Ciuile nuncius aſſequitur. Intumuere ſtatim ſuperbia ferociaq́;, & precium itineris donatiuũ, duplex ſtipendium, augeri equitum numerũ, promiſſa ſanè à Vitellio poſtulabant, non ut aſſequerentur, ſed cauſam ſeditioni. Et Flaccus multa concedendo, nihil aliud effecerat, quàm ut acrius expoſcerent, quæ ſciebãt negaturum. Spreto Flacco inferiorem Germaniam petiuere, ut Ciuili iungeretur. Ordeonius adhibitis tribunis centurionibusq́; conſultauit, num obſequium abnuentes ui coërceret. Mox inſita ignauia, & trepidis miniſtris, quos ambiguus auxiliorum animus, & ſubito delectu ſuppletæ legiones angebãt, ſtatuit continere intra caſtra militẽ. Dein pœnitentia, & arguentibus ipſis qui ſuaſerant, tanquam ſecuturus, ſcripſit Herennio Gallo legionis primæ legato, qui Bonnam obtinebat, ut arceret tranſitu Batauos, ſe cum exercitu tergis eorum hæſurum. Et opprimi poterant, ſi hinc Ordeonius, inde Gallus motis utrinq; copijs, medios clauſiſſent. Flaccus omiſit inceptũ, alijsq́; literis Gallum monuit, ne teneret abeuntes. Vnde ſuſpicio, ſponte legatorum excitari bellum. Quin cuncta quæ acciderant, aut metuebantur, non inertia militis neq; hoſtiũ ui, ſed fraude metuebantur ducum euenire. Batauj cũ caſtris Bonnẽſibus propinquarẽt, præmiſere qui Herennio Gallo mandata cohortium exponeret. Nullum ſibi bellum aduerſus Romanos, pro quibus toties bellaſſent: Longa atq; irrita militia feſſis, patriæ atq; otij cupidinem eſſe: Si nemo obſiſteret, innoxium iter fore: ſin arma occurrãt, ferro uiam inuenturos. Conctantem legatum milites perpulerant, fortunam prælij experiretur. Tria millia legionariorum, & tumultuariæ Belgarum cohortes, ſimul paganorum lixarumq́; ignaua, ſed procax ante periculum manus omnibus portis erumpunt, ut Batauos numero impares circumfundant. Illi ueteris militiæ memores in cuneis congregantur, denſi undique, & frontem tergaq́; ac latus tuti. Sic tenuem aciem noſtrorum perfringunt. Cedentibus Belgis pellitur legio, & uallum portasq́; trepidi petebant. Ibi plurimum cladis. cumulatæ corporibus foſſæ. nec cæde tantum & uulneribus, ſed ruina, & ſuis pleriq; telis interiere. Victores, colonia Agrippinenſium uitata, nihil cætero in itinere hoſtile auſi, Bonnenſe prælium excuſabant, tanquam petita pace, poſtquã negabatur, ſibimetipſi conſuluiſſent. Ciuilis aduentu ueteranarum cohortium, iuſti iam exercitus ductor, ſed conſilij ambiguus, & uim Romanam reputans, cunctos qui aderant, in uerba Veſpaſiani adigit. Mittitq́; legatos ad duas legiones, quæ priore acie pulſæ, in Vetera caſtra conceſſerant, ut idem ſacramentum acciperent. Redditur reſponſum, neque proditoris, neque hoſtium ſe conſilijs uti. Eſſe ſibi Vitellium principem, pro quo fidem & arma uſque ad ſupremum ſpiritum retenturos. proinde perfuga Batauus arbitrum rerum Romanarum ne ageret, ſed meritas ſceleris pœnas expectaret. Quæ ubi

relata

Bonna

Vide Annot.

Colonia Agrippinen.

Bonnenſe prælium

relata Ciuili,incenſus ira,uniuerſam Batauorum gentē in arma rapit. Iun-guntur Bructeri Tencteriq́;, & excita nuncijs Germania ad prædam famamq́;. Aduerſus has belli concurrentis minas,legati legionum Mumius Lupercus & Numiſius Rufus uallum muroſq́; firmabant.ſubuerſa longę pacis opera,haud procul caſtris in modū municipij extructa, ne hoſtibus uſui forent. Sed parum prouiſum, ni copiæ in caſtra conueherentur,rapi permiſere.Ita paucis diebus per licētiam abſumpta ſunt,quæ aduerſus neceſſitates in longum ſuffeciſſent.Ciuilis medium agmen cum robore Batauorum obtinens,utranq; Rheni ripam,quo truculentior uiſu foret,Germanorum cateruis complet, aſſultante per campos equite.Simul naues in aduerſum amnem agebantur. Hinc ueteranarum cohortium ſigna, inde depromptæ ſyluis lucisq́; ferarum imagines,ut cuiq; genti inire prælium mos eſt,iuxta belli ciuilis externiq́; facie obſtupefecerāt obſeſſos. & ſpem oppugnantium augebat amplitudo ualli,quod duabus legionibus ſitum, uix quinque millia armatorum tuebantur. Sed lixarum multitudo turbata pace illuc congregata,& bello miniſtra aderat.Pars caſtrorum in collem leniter aſſurgens,pars æquo adibatur. quippe illis hybernis obſideri premiq́; Germanias Auguſtus crediderat: neque unquam id malorum, ut oppugnatum ultro legiones noſtras uenirent.Inde non loco neque munimentis labor additus. Vis & arma ſatis placebant.Bataui,tranſrhenaniq́;, quo diſcreta uirtus manifeſtius ſpectaretur, ſibi quæque gens conſiſtunt, eminus laceſſentes. Poſt ubi pleraq; telorum turribus pinnisq́; mœnium irrita hærebant,& deſuper ſaxis uulnerabantur,clamore atque impetu inuaſere uallum. Appoſitis pleriq; ſcalis,alij per teſtudinem ſuorum ſcandebant iam quidam,cum gladijs & armorum incuſſu præcipitati, ſudibus & pilis obruuntur, praeferoces initio, & rebus ſecundis nimij. Sed tum prædæ cupidine, aduerſa quoque tolerabant. Machinas etiam inſolitum ſibi auſi. nec ulla ipſis ſolertia. perfugæ captiuiq́; docebant ſtruere materias in modum pontis,mox ſubiectis rotis propellere:ut alij ſuperſtantes, tanquam ex aggere præliarentur: pars intus occulti, muros ſubruerent. Sed excuſſa baliſtis ſaxa ſtrauere informe opus.& crates uineaſq́; parantibus adactæ tormentis ardentes haſtæ.ultroq́; ipſi oppugnatores ignibus petebantur, donec deſperata ui uerterent conſilium ad moras, haud ignari paucorum dierum ineſſe alimenta,& multum imbellis turbę. Simul ex inopia proditio,& fluxa ſeruitiorum fides,ac fortuita belli ſperabātur. Flaccus interim cognito caſtrorum obſidio, & miſſis per Gallias qui auxilia concirent, lectos legionibus Dillio Voculæ duoetuiceſimæ legionis legato tradit, ut quàm maximis per ripam itineribus celeraret. Ipſe pauidus torpere inuiſus militibus.neq; enim ambigue fremebāt: emiſſas à Magontiaco Batauorū cohortes,diſſimulatos Ciuilis conatus,acciri in ſocietatem Germanos.Non Primi Antonij, neq; Mutiani ope Veſpaſianum magis adoleuiſſe

Bructeri Tencteri

Germani imagines ferarū in bellum portant.

Veterum caſtrorū ſitus

adoleuiſſe.aperta odia,armaq́ palàm depelli:fraudem & dolum,obſcura, coq́ ineuitabilia. Ciuilem ſtare contra, ſtruere aciem,Ordeonium è cubiculo & lectulo iubere quicquid hoſti cõducat. Tot armatas fortiſſimorum uirorum manus, unius ſenis ualitudine regi. Quin potius interfecto traditore,fortunam uirtutemq́ ſuam malo omine exoluerent. His inter ſe uocibus inſiſtentes,flammauere inſuper allatæ à Veſpaſiano literæ, quas Flaccus,quia occultari nequibant,pro cõcione recitauit:uinctosq́ qui attulerãt ad Vitellium miſit. Sic mitigatis animis, Bonnam hyberna primæ legionis uetum. Infenſior illic miles culpam cladis in Ordeonium uertebat: eius iuſſu directam aduerſus Batauos aciem, tanq́ à Magontiaco legiones ſequerentur:eiuſdem proditione cæſos,nullis ſuperuenietibus auxilijs.Ignota hæc cæteris exercitibus,neq́ imperatori ſuo nũciari:cum accurſu tot prouinciarum, extingui repens perfidia potuerit. Ordeonius exemplaria omnium literarum, quibus per Gallias Britanniamq́ & Hiſpanias auxilia orabat,exercitui recitauit: inſtituitq́ peſſimum facinus, ut epiſtolæ Aquiliferis legionum traderentur, à quîs ante militi quàm ducibus legebantur. Tum è ſeditioſis unum uinciri iubet, magis uſurpandi iuris cauſa, quàm quia unius culpa foret.Motusq́ Bonna exercitus,in coloniã Agrippinenſem affluentibus auxilijs Gallorum, qui primo rem Romanam enixe iuuabant. Mox ualeſcentibus Germanis, pleræq́ ciuitates aduerſum nos armatæ ſpe libertatis, & ſi exuiſſent ſeruitium cupidine imperitandi. Gliſcebat iracũdia legionum,nec terrorem unius militis uincula indiderant. quin idem ille arguebat ultro conſcientiam ducis, tanq́ nuncius inter Ciuilem Flaccumq́ falſo crimine teſtis ueri opprimeretur. Cõſcendit tribunal Vocula mira conſtantia, prehenſumq́ militem ac uociferantem duci ad ſupplicium iuſſit. Et dum mali pauent,optimus quiſq́ iuſſis paruere. Exin cõſenſu ducem Voculam poſcentibus, Flaccus ſummam rerum ei permiſit. Sed diſcordes animos multa efferabant:inopia ſtipendij frumentiq́,& ſimul delectum tributaq́ Galliæ aſpernantes: Rhenus, incognita illi cœlo ſiccitate,uix nauium patiẽs,arcti commeatus,diſpoſitæ per omnem ripam ſtationes quæ Germanos uado arcerent: eademq́ de cauſa minus frugũ, & plures qui conſumerẽt. Apud imperitos prodigij loco accipiebatur ipſa aquarum penuria, tanq́ nos amnes quoq́ & uetera imperij munimenta deſererent.quod in pace fors ſeu natura, tunc fatum & ira dei uocabatur. Ingreſſis Noueſium tertiadecima legio coniungitur. Additus Voculæ in partem curarum Herennius Gallus legatus: nec auſi ad hoſtem pergere, loco Gelduba nomen eſt,caſtra fecere. Ibi ſtruẽda acie,muniendo uallandoq́, & æteris belli meditamentis militẽ firmabant. Vtq́ præda ad uirtutem incenderetur,in proximos Gugernorum pagos,qui ſocietatem Ciuilis acceperant,ductus Vocula exercitus. Pars cum Herennio Gallo permanſit. Forte nauem haud procul caſtris fruměto grauem,cum per uada

Bonnã, hyberna primæ legionis

Colonia Agrippinen.

Vocula, dux exercitus conſtituitur.

Noueſium

Gelduba

Gugernorum pagi.

hæſiſſet, Germani in ſuam ripam trahebant. Nõ tulit Gallus, miſitq́ſ ſubſidio cohortem. Auctus & Germanorũ numerus, paulatimq́ aggregantibus ſe auxilijs acie certatum. Germani multa cum ſtrage noſtrorum, nauem abripiunt. Victi (quod tum in morem uerterat) non ſuam ignauiam, ſed perfidiam legati culpabant. Protractum è tentorio ſciſſa ueſte, uerberato corpore, quo precio, quibus conſcijs prodidiſſet exercitum, dicere iubent. Redit in Ordeonium inuidia. Illum auctorẽ ſceleris, hunc miniſtrũ uocant: donec exitium minitantibus exterritus, proditionem & ipſe Ordeonio obiecit. Vinctusq́, aduentu demum Voculæ exoluitur. Is poſtera die auctores ſeditionis morte affecit. Tanta illi exercitui diuerſitas inerat licentiæ patientiæq́. Haud dubiè gregarius miles Vitellio fidus: ſplendidiſſimus quiſq; in Veſpaſianum proni. inde ſcelerum ac ſuppliciorum uices, & mixtus obſequio furor, ut contineri non poſſent, qui puniri poterãt.

Licentia militum & patiẽtia.

At Ciuilem immenſis actibus uniuerſa Germania extollebat, ſocietate nobiliſſimis obſidum firmata. Ille ut cuiq; proximum, uaſtari Vbios Treuirosq́, & alia manu Moſam amnem tranſire iubet, ut Menapios & Morinos & extrema Galliarum quaterẽt. Actæ utrobiq; prædæ. Infeſtius in Vbijs, quos genus Germanicę originis eiurata patria, Romanorum nomine Agrippinenſes uocarent. Cæſæ cohortes eorum in uico Marcoduro incurioſius agentes, quia procul ripa aberant. Nec quieuere Vbij, quominus prædas è Germania peterent. primo impune: dein circumuenti ſunt, per omne id bellum meliore uſi fide q̃ fortuna. Contuſis Vbijs grauior & ſucceſſu rerum ferocior Ciuilis, obſidium legionum urgebat, intentis cuſtodijs, ne quis occultus nuncius uenientis auxilij penetraret. Machinas molemq́ operum Batauis delegat: Tranſrhenanos prælium poſcentis, ad ſcindẽdum uallum ire, detruſosq́ redintegrare certamen iubet, ſuperãte multitudine, & facili damno. nec finem labori nox attulit. Congeſtis circum lignis accenſisq́, ſimul epulantes, ut quiſq; uino incaluerat, ad pugnam temeritate inani ferebantur. Quippe ipſorum tela per tenebras uana. Romani conſpicuam Barbarorum aciem, & ſi quis audacia aut inſignibus effulgens, ad ictum deſtinabant. Intellectum id Ciuili: & reſtincto igne, miſceri cuncta tenebris & armis iubet. Tum uero ſtrepitus diſſoni, caſus incerti, neq; feriendi, neq; declinandi prouidentia. Vnde clamor acciderat, circumagere corpora, tendere arcus: nihil prodeſſe uirtus, fors cuncta turbare, & ignauorum ſæpe telis fortiſſimi cadere. Apud Germanos inconſulta ira: Romanus miles periculorũ gnarus ferratas ſudes, grauia ſaxa nõ forte iaciebat. Vbi ſonus molientium, aut appoſitæ ſcalæ hoſtem in manus dederant, propellere umbone, pilo ſequi: multos in mœnia egreſſos pugionibus fodere. Sic exhauſta nocte, nouam aciem dies aperuit. Eduxerant Bataui turrim duplici tabulato, quã prætoriæ portæ (is æquiſſimus locus) propinquãtem promoti contra ualidi aſſeres, & incuſſæ trabes perfregere,

Vbij
Treuiri
Menapij
Morini
Vbij ſeſe uocabant Agrippinenſes.
Marcodurum uicus ubiorũ

Ciuilis legiones obſidet.

Irrita Veterũ caſtrorum oppugnatio.

multa ſuperſtantium pernicie. Pugnatumq́; in perculſos ſubita & proſpe/ra eruptione. Simul à legionarijs peritia & arte præſtantibus,plura ſtrue/bantur. Præcipuum pauorẽ intulit ſuſpenſum & nutans machinamẽtum, quo repente demiſſo præter ſuorum ora, ſinguli pluresue hoſtium ſubli/me rapti, uerſo pondere intra caſtra effundebantur. Ciuilis omiſſa oppu/gnandi ſpe,rurſus per otium aſſidebat,nuncijs & promiſſis fidẽ legionum conuellens. Hæc in Germania ante Cremonenſe prælium geſta, cuius euentum literæ Primi Antonij docuere,addito Cæcinæ edicto. Et præfe/ctus cohortis è uictis Alpinus Montanus fortunam partium præſens fate/batur. Diuerſi hinc motus animorum. Auxilia è Gallia,quis nec amor,nec odium in partes,militia ſine affectu,hortantibus præfectis ſtatim à Vitel/lio deſciſcunt:uetus miles conctabatur. Sed adigente Ordeonio Flacco,in/ſtantibus tribunis dixit ſacramentũ, non uultu neq; animo ſatis affirmãs: & cum cætera iuriſiurandi uerba conciperent, Veſpaſiani nomen hæſitan/tes, aut leui murmure, & plerunq; ſilentio tranſmittebant. Lectæ deinde pro concione epiſtolæ Antonij ad Ciuilem,ſuſpiciones militum irritauere tanquam ad ſocium partium ſcriptæ,& de Germanico exercitu hoſtiliter. Mox allatis Geldubam in caſtra nuncijs, eadem dicta factaq́;, & miſſus cũ mandatis Montanus ad Ciuilẽ, ut abſiſteret bello,neue externa armis falſis uelaret. Si Veſpaſianum iuuare aggreſſus foret,ſatisfactum cœptis.

Concipere iu/riſiurandi uer ba

Gelduba

Ad ea Ciuilis primo callide,poſt ubi uidet Montanum præferocem in genio, paratumq́; in res nouas, orſus à queſtu periculisq́; quæ per quinq; & uiginti annos in caſtris Romanis exhauſiſſet, Egregium, inquit,pre/cium laboris cœpi,necem fratris,& uincula mea, & ſæuiſſimas huius exer/citus uoces.quibus ad ſupplicium petitus, iure gentiũ pœnas repoſco. uos autem Treuiri cæteræq́; ſeruientium animæ, quod precium effuſi totiens ſanguinis expectatis,niſi ingratam militiam,immortalia tributa,uirgas,ſe/cures, & dominorum ingenia? En ego præfectus unius cohortis, & Ca/ninefates Batauiq́; exigua Galliarum portio, uana illa caſtrorũ ſpacia ex/cidimus,uel ſepta ferro fameq́; premimus:deniq; auſos aut libertas ſeque/tur,aut uicti ijdem erimus. Sic accenſum, ſed meliora referre iuſſum di/mittit. Ille ut irritus legationis redijt,cætera diſſimulans, quæ mox erupe/re. Ciuilis parte copiarum retenta,ueteranas cohortes, & quod è Germa/nis maxime promptum,aduerſus Voculam exercitumq́; eius mittit, Iulio Maximo & Claudio Victore ſororis ſuæ filio ducibus. Rapiũt in tranſitu hyberna alæ Aſciburgij ſita.adeoq; improuiſi caſtra inuoluere, ut nõ allo qui,nõ pandere aciẽ Vocula potuerit. Id ſolũ ut in tumultu monuit,ſubſi/gna no milite media firmare. auxilia paſſim circũfuſa ſunt. Eques,prupit, exceptusq́; compoſitis hoſtium ordinibus,terga in ſuos uertit: Cædes in/de non prælium.Et Neruiorum cohortes metu ſeu perfidia latera noſtro/rum nudauere. Sic ad legiones peruẽtum,quæ amiſſis ſignis intra uallum

Ciuilis ad Al/pinum Mon/tanum

Aſciburgium

Neruij

ſternebantur, cum repente nouo auxilio fortuna pugnæ mutatur. Vaſconum lectæ à Galba cohortes, ac tum accitæ, dum caſtris propinquant, audito prçliantium clamore, intentos hoſtis à tergo inuadunt, latioremq́ quàm pro numero terrorem faciunt, alijs à Noueſio, alijs à Maguntiaco uniuerſas copias aduéniſſe credentibus. Is error Romanis addit animos, & dũ alienis uiribus confidunt ſuas recepere. Fortiſſimus quiſq; è Batauis, quantum peditum erat, fundũtur: eques euaſit, cum ſignis captiuisq́, quos prima acie corripuerant. Cæſorum eo die in partibus noſtris maior numerus & imbellior, è Germanis ipſa robora. Dux uterq; pari culpa meritus aduerſa, proſperis defuere. Nam Ciuilis ſi maioribus copijs inſtruxiſſet aciem, circumiri à tam paucis cohortibus nequiſſet, caſtraq́ perrupta excidiſſet. Vocula nec aduentum hoſtium explorauit, eoq́ ſimul egreſſus uictusq́. dein uictoriæ parum confiſus, tritis fruſtra diebus, caſtra in hoſtem mouit. quem ſi ſtatim impellere, curſumq́ rerum ſequi maturaſſet, ſoluere obſidium legionum eo impetu potuiſſet. Tentauerat interim Ciuilis obſeſſorum animos, tanquam perditæ apud Romanos res, & ſuis uictoria proueniſſet. Circunferebãtur ſigna uexillaq́. oſtentati etiam captiui. ex quibus unus egregium facinus auſus, clara uoce geſta patefecit, confoſſus illic à Germanis. unde maior indici fides. Simul uaſtatione incendijsq́ flagrantium uillarum, uenire uictorem exercitum intelligebatur. In conſpectu caſtrorum conſtitui ſigna, foſſamq́ & uallum circundari Vocula iubet, ut depoſitis impedimentis ſarcinisq́ expediti certarent. Hinc in ducem clamor pugnam poſcentium. & minari aſſueuerant. Ne tempore quidem ad ordinandam aciem capto, incompoſiti feſſiq́ prælium ſumpſere. nam Ciuilis aderat, non minus uitijs hoſtium quàm uirtute ſuorũ fretus. Varia apud Romanos fortuna, & ſeditioſiſſimus quiſq; ignauus: quidam recentis uictoriæ memores, retinere locum, ferire hoſtẽ, ſeq́ & proximos hortari. Et redintegrata acie, manus ad obſeſſos tendere, Ne tempori deeſſent. Illi cuncta è muris cernentes omnibus portis prorumpunt. Ac forte Ciuilis lapſu equi proſtratus, credita per utrunq; exercitum fama, uulneratum aut interfectum, immane quantum ſuis pauoris, & hoſtibus alacritatis indidit. Sed Vocula omiſſis fugientium tergis, uallum turresq́ caſtrorum augebat, tanquam rurſus obſidium immineret, corrupta totiẽs uictoria, non falſò ſuſpectus bellum malle. Nihil æque exercitus noſtros, quàm egeſtas copiarum fatigabat. Impedimenta legionum cum imbelli turba Noueſium miſſa, ut inde terreſtri itinere frumentum adueherent. Nam flumine hoſtes potiebantur. Primum agmen ſecurum inceſſit, nondum ſatis firmo Ciuile. qui rurſus miſſos Noueſium frumentatores, dataſq́ in præſidium cohortes uelut multa pace ingredi accepit, rarum apud ſigna militem, arma in uehiculis. cunctos licentia uagos, compoſitus inuadit, præmiſſis qui pontes & uiarum anguſta inſiderent. pugnatum longo agmine

Vaſconum cohortes

Bataui fugiũt

Noueſium

agmine,& incerto Marte,donec prœliũ nox dirimeret. Cohortes Geldu/bam perrexere, manentibus ut fuerant caſtris, quæ relictorũ illic militum præſidio tenebantur. Non erat dubium quantum in regreſſu diſcriminis adeundum foret,frumentatoribus onuſtis pauculisq;. Addit exercitui ſuo Vocula mille delectos è quinta & quartadecima legionibus apud Vetera obſeſſis,indomitũ militem & ducibus infenſum. Plures quàm iuſſum erat profecti,palàm in agmine fremebant, non ſe ultra famem inſidias legatorum toleraturos. At qui remanſerant,deſertos ſe abducta parte legionum querebantur. Duplex hinc ſeditio,alijs reuocantibus Voculam,alijs redire in caſtra abnuentibus. Interim Ciuilis Vetera circunſedit. Vocula Geldubam,atq; inde Noueſium conceſſit. Ciuilis capit Geldubam. Mox haud procul Noueſio,equeſtri prælio proſpere certauit. Sed miles ſecundis aduerſisq; perinde in exitium ducum accendebatur. Et aduentu quintanorum quintadecimanorumq; auctæ legiones donatiuum expoſcunt, comperto pecuniam à Vitellio miſſam. Nec diu contatus Ordeonius,nomine Veſpaſiani dedit. Idq; præcipuum fuit ſeditionis alimentum. Effuſi in luxum & epulas, & nocturnos cœtus, ueterem in Ordeonium iram renouant: nec ullo legatorũ,tribunorumúe obſiſtere auſo, quippe omnem pudorem nox ademerat, protractũ è cubili interficiunt. Eadem in Voculam parabantur,niſi ſeruili habitu,per tenebras ignoratus euaſiſſet. Vbi ſedato impetu,metus redijt,centuriones cum epiſtolis ad ciuitates Galliarum miſere,auxilia ac ſtipendia oraturos. Ipſi,ut eſt uulgus ſine rectore præceps, pauidum,ſocors,aduentante Ciuile,raptis temere armis,ac ſtatim omiſſis, in fugam uertuntur. Res aduerſæ diſcordiam pepercre, ijs qui è ſuperiore exercitu erant,cauſam ſuam diſſociantibus: Vitellij tamen imagines in caſtris, & per proximas Belgarũ ciuitates repoſitæ, cũ iam Vitellius corruiſſet. Dein mutati in pœnitentiam primani quartaniq;, & duodeuiceſimani Voculam ſequuntur, apud quem reſumpto Veſpaſiani ſacramento,ad liberandum Magontiaci obſidium ducebantur. Diſceſſerant obſeſſores,mixtus ex Cattis,Vſipijs,Mattiacis exercitus,ſatietate prædæ, nec incruenti. Ita diſperſos & neſcios miles noſter inuaſerat. Quin & loricã uallumq; per fines ſuos Treuiri ſtruxere, magnisq; inuicem cladibus cũ Germanis certabant: donec egregia erga populum Romanũ merita,mox rebelles fœdarent. Interea Veſpaſianus iterum,ac Titus,conſulatum abſentes inierunt,mœſta & multiplici metu ſuſpenſa ciuitate. quæ ſuper inſtantia mala,falſos pauores induerat,deſciuiſſe Africam,res nouas moliente L. Piſone. Is præerat prouinciæ,nequaq; turbidus ingenio. Sed quia naues ſæuitia hyemis prohibebantur, uulgus alimenta in dies mercari ſolitũ, cui una ex rep. annonæ cura, clauſum littus, retineri cõmeatus dũ timet, credebat: augentibus famam Vitellianis,qui ſtudium partium nondum poſuerant: nec uictoribus quidem ingrato rumore, quorũ cupiditates externis quoq;

Gelduba

Vulgus ſine rectore

Magontiaci obſidium

bellis inexplebiles, nulla unquã ciuilis uictoria ſatiauit. Kalend. Ianuarijs
in ſenatu quem Iulius Frontinus prætor urbanus uocauerat, legatis exerci
tibusq́;, ac regibus laudes gratesq́; decretæ. Et Tertio Iuliano prætura, ꝗ
tranſgredientem in partes Veſpaſiani legionẽ deſeruiſſet, ablata, ut in Plo
tium Griphum transferretur. Hormo dignitas equeſtris data. Et mox eiu-
rante Frontino, Cæſar Domitianus præturam cepit. Eius nomen epiſtolis
edictiſq́; proponebatur. Ius penes Mutianum, niſi quod pleraq; Domitia
Mutianus nus inſtigantibus amicis aut propria libidine audebat. Sed pręcipuus Mu
tiano metus è Primo Antonio, Varoq́; Ario, quos recentes claroſq́; rerũ
fama, ac militum ſtudijs, etiam populus fouebat, quia in neminẽ ultra aci-
Anto. Primus em ſæuierant. Et ferebatur Antonius Scribonianũ Craſſum, egregijs ma-
Scribonianus Craſsus ioribus & fraterna imagine fulgentẽ, ad capeſſendam rempub. hortatus,
haud defutura conſciorũ manu, ni Scribonianus abnuiſſet, ne paratis qui-
dem corrumpi facilis, adeo metuens incerta. Igitur Mutianus, quia propa-
làm opprimi Antonius nequibat, multis in ſenatu laudibus cumulatum, ſe
cretis promiſſis onerat, citeriorẽ Hiſpaniam oſtentans diſceſſu Cluuij Ru-
fi uacuam. ſimul amicis eius, tribunatus præfecturaſq́; largitur. Dein poſt-
quam inanem animum ſpe, & cupidine impleuerat, uires abolet, dimiſſa in
hyberna legione ſeptima, cuius flagrantiſſimus in Antonium amor. Et ter
tia legio, familiaris Ario Varo miles, in Syriam remiſſa. Pars exercitus in
Germanias ducebatur. Sic egeſto quicquid turbidũ, redit urbi ſua forma
Domitianus legeſq́; & munia magiſtratuum. Quo die ſenatum ingreſſus eſt Domitia-
Cæſar nus, de abſentia patris fratriſq́; ac iuuenta ſua pauca & modica diſſeruit,
decorus habitu: & ignotis adhuc moribus, crebra oris confuſio pro mode-
ſtia accipiebatur. Referente Cæſare de reſtituendis Galbæ honoribus, cen
ſuit Curtius Montanus, ut Piſonis quoque memoria celebraretur. Patres
utrunq; iuſſere. de Piſone irritum fuit. Tum ſorte ducti, per quos redderen
tur bello rapta, quiq́; æra legum uetuſtate delapſa noſcerent, figerentq́;, &
Faſtos exo- qui Faſtos adulatione temporum fœdatos exonerarent, modumq́; publi-
nerare cis impenſis facerent. Redditur Tertio Iuliano prætura, poſtq́; cognitus
eſt ad Veſpaſianum confugiſſe. Gripho honor manſit. Repeti inde cogni
Publius Celer tionem inter Muſonium Rufum & P. Celerem placuit, damnatuſq́; Publi
damnatus us, & Sorani manibus ſatisfactum. Inſignis publica ſeueritate dies, ne pri-
uatim quidem laude caruit. iuſtum iudicium expleſſe Muſonius uidebat.
Diuerſa fama Demetrio Cynicam ſectam profeſſo, quod manifeſtũ reũ
ambitioſius quàm honeſtius defendiſſet. Ipſi Publio animus in periculis,
neq; oratio ſuppeditauit. Signo ultionis in accuſatores dato, petit à Cæſa-
Commentarij re Iunius Mauricus, ut commentariorum principalium poteſtatem ſenatui
Principales faceret, per quos noſceret, quem quiſq; accuſandum popoſciſſet. Conſulen
dum tali ſuper re principem reſpondit. Senatus inchoantibus primoribus,
iuſiurandũ concepit, quo certatim omnes magiſtratus, cęteri ut ſententiam
rogabantur

rogabantur, Deos teſtes aduocabant, nihil ope ſua factum quo cuiuſquã ſalus læderetur, neq; ſe præmium aut honorem ex calamitate ciuium cepiſſe, trepidis & uerba iuriſiurãdi per uarias artes mutantibus quis flagitij conſcientia inerat. Probabant religionem patres, periurium arguebant. Eáque uelut cenſura in Sariolenum Voculam, & Nonium Actianum, & Ceſtium Seuerum acerrime incubuit, crebris apud Neronem delationibus famoſos. Sariolenum & recens crimen urgebat, quod apud Vitellium molitus eadem foret. nec deſtitit ſenatus manus intentare Voculæ, donec curia excederet. Ad Pactium Africanum tranſgreſſi, eum quoq; proturbant, tanquam Neroni Scribonianos fratres concordia opibuſq; inſignes, ad exitium monſtrauiſſet. Africanus neq; fateri audebat, neque abnuere: in Vibium Criſpum cuius interrogationibus fatigabatur, ultro conuerſus, miſcendo quæ defendere nequibat, ſocietate culpæ inuidiam declinauit.

Magnã eo die pietatis eloquentiæq; famã Vipſanus Meſſala adeptus eſt, nondũ ſenatoria ætate, auſus pro fratre Aquilio Regulo deprecari. Regulum ſubuerſa Craſſorum & Orphiti domus in ſummum odium extulerat. Sponte ex S.C. accuſationem ſubijſſe iuuenis admodum, nec depellendi periculi, ſed in ſpẽ potentiæ uidebatur. Et Sulpitia Prætextata Craſſi uxor, quatuorq; liberi, ſi cognoſceret ſenatus, ultores aderãt. Igitur Meſſala non cauſam neque reum tueri, ſed periculis fratris ſemet opponens, flexerat quoſdã. Occurrit truci oratione Curtius Montanus, eò uſq; progreſſus, ut poſt cædem Galbæ, datam interfectori Piſonis pecuniam à Regulo, appetitum morſu Piſonis caput obiectaret. Hæc certe, inquit, Nero non coegit, nec dignitatem, aut iſta lucem ſæuitia redemiſti. Sanè toleremus iſtorum defenſiones, qui perdere alios quàm periclitari ipſi maluerunt. Te ſecurum reliquerat exul pater, & diuiſa inter creditores bona, nondum honorum capax ætas, nihil quod ex te concupiſceret Nero, nihil quod timeret. libidine ſanguinis & hiatu præmiorum, ignotum adhuc ingenium, & nullis defenſionibus expertum, cæde nobili imbuiſti, cum ex funere reipublicæ raptis conſularibus ſpolijs, ſeptuagies ſeſtertio, ſignatus & ſacerdotio fulgens, innoxios pueros, illuſtres ſenes, conſpicuas fœminas eadem ruina proſterneres: cum ſegnitiam Neronis incuſares, quod per ſingulas domos ſeq; & delatores fatigaret: poſſe uniuerſum ſenatum una uoce ſubuerti. Retinete Patres conſcripti, & reſeruate hominem tam expediti conſilij, ut omnis ætas inſtructa ſit, & quomodo ſenes noſtri Marcellum Criſpum, iuuenes Regulum imitentur. Inuenit etiam æmulos infelix nequitia. quid ſi floreat uigeatque? Et quem adhuc quæſtorium offendere non audemus, prætorium & conſularem uiſuri ſumus? An Neronem extremum dominorum putatis? Idem crediderant qui Tiberio, qui Caio ſuperſtites fuerunt, cum interim inteſtabilior & ſæuior exortus eſt. Non timemus Veſpaſianum: ea principis ætas, ea

Vipſanus Meſſala

Aquil. Regulus, Craſſorũ accuſator

Curt. Montani oratio

" moderatio. Sed diutius durant exempla, quàm mores. Elanguimus P. C.
" nec iam ille ſenatus ſumus, qui occiſo Nerone, delatores & miniſtros mo-
" re maiorum puniendos flagitabat. Optimus eſt poſt malũ principem di-
es primus. Tanto cũ aſſenſu ſenatus, auditus eſt Montanus, ut ſpem ca-
peret Heluidius, poſſe etiam Marcellum proſterni. Igitur à laude Cluuij Rufi orſus, qui perinde diues & eloquentia clarus, nulli unquam ſub Nerone periculum faceſſiſſet, crimine ſimul exemploq́ Eprium urgebat, ardentibus patrũ animis. quod ubi ſenſit Marcellus, uelut excedens curia: imus, inquit, Priſce & relinquimus tibi ſenatum tuum: Regna præſente Cæſare. Sequebatur Vibius Criſpus, ambo infenſi, uultu diuerſo: Marcellus minacibus oculis, Criſpus renidens: donec accurſu amicorum retraherentur. Cũ gliſceret certamẽ, hinc multi boniq́, inde pauci & ualidi pertinacibus odiis tenderent, conſumptus per diſcordiam dies. Proximo ſenatu, inchoante Cæſare de abolendo dolore iraq́, & priorum temporũ neceſſitatibus, cenſuit Mutianus prolixè pro accuſatoribus. Simul eos qui cœptã, dein omiſſam actionem repeterent, monuit ſermone molli, & tanquam rogaret. Patres ceptatam libertatem, poſtquam obuiam itum, omiſere. Mutianus ne ſperni ſenatus iudicium, & cunctis ſub Nerone admiſſis data impunitas uideretur, Octauium Sagittam, & Antiſtium Soſianum ſenatorij ordinis, egreſſos exilium in eaſdem inſulas redegit. Octauius Pontiam Poſthumiam ſtupro cognitam, & nuptias ſuas abnuentem, impotens amoris interfecerat. Soſianus prauitate morum multis exitioſus. Ambo graui ſenatus conſulto damnati pulſiq́, quamuis conceſſo alijs reditu, in eadem pœna retenti ſunt. Nec ideo lenita erga Mutianũ inuidia. Quippe Soſianus ac Sagitta, uiles etiam ſi reueterentur: accuſatorum ingenia, & opes, & exercita malis artibus potentia, timebantur. Reconciliauit pauliſper ſtudia patrum habita in ſenatu cognitio ſecundũ ueterem morem. Manlius Patricius ordinis ſenatorij, pulſatum ſe in colonia Senenſi cœtu multitudinis, & iuſſu magiſtratuum querebatur. nec finem iniuriæ hic ſtetiſſe: planctum & lamenta ſupremorum imagine præſenti ſibi circundata, cum contumelijs & probris, quæ in ſenatum uniuerſum iacerentur. Vocati qui arguebantur. Et cognita cauſa in conuictos uindicatum. Additumq́ S. C. quo Senenſium plebes modeſtiæ admoneretur. Iiſdem diebus Antonius Flamma Cyrenenſibus damnatur lege repetundarum, & exilio ob ſæuitiam. Inter quæ militaris ſeditio propè exarſit. Prætorianam militiam repetebant à Vitellio dimiſſi, pro Veſpaſiano congregati. & lectus in eandem ſpem è legionibus miles, promiſſa ſtipendia flagitabat. Ne Vitelliani quidem ſine multa cæde pelli poterant. Ingreſſus caſtra Mutianus, quo rectius ſtipendia ſingulorum ſpectaret, ſuis cum inſignibus armiſq́ uictores conſtituit, modicis inter ſe ſpacijs diſcretos. Tum Vitelliani quos apud Bouillas in deditionem acceptos memorauimus

Heluidius Priſcus optimus ſenator

Colonia Senenſis

uimus,cæteriq́ per urbem,& urbi uicina conquiſiti,producuntur propè in tecto corpore. Eos Mutianus diduci,& Germanicum Britannicumq́ militem,ac ſi qui aliorum exercituum, ſeparatim aſſiſtere iubet. Illos primus ſtatim aſpectus obſtupefecerat, cum ex diuerſo uelut aciem telis & armis trucem,ſemet clauſos nudosq́ & illuuie deformes aſpicerent. Vt uero huc illuc diſtrahi cœpere,metus per omnes, & pręcipua Germanici militis formido,tanquã ea ſeparatione ad cædem deſtinarentur,cum manipularium pectora ceruicibus inuecti ſuprema oſcula petere,ne dererentur ſoli, neu in pari cauſa diſparem fortunam paterentur:modo Mutianum,modo abſentem principem,poſtremum cœlum ac deos obteſtari,donec Mutianus cunctos eiuſdem ſacramenti, eiuſdem imperatoris milites appellans falſo timori obuiam iret. Nanq; & uictor exercitus clamore lachrymas eorum iuuabat. Isq́ finis illa die. Paucis poſt diebus alloquentem Domitianum firmati iam excepere. Spernunt oblatos ſibi agros, militiam & ſtipendia orant. Preces erant, ſed quibus contradici non poſſet. igitur in prætorium accepti. Dein quibus ætas & iuſta ſtipẽdia, dimiſſi cum honore,alij ob culpam: ſed carptim ac ſinguli,quo tutiſſimo remedio cõſenſus multitudinis extenuatur. Cæterum uera ne pauperie,an uti uideretur,actum in ſenatu, ut ſexcenties ſeſtertium à priuatis mutuum acciperetur. Præpoſitusq́ ei curæ Pompeius Siluanus. Nec multo poſt neceſſitas abijt, ſiue omiſſa ſimulatio. Abrogati inde,legem ferente Domitiano, conſulatus quos Vitellius dederat:Funusq́ cenſorium Flauio Sabino ductum: magna documenta inſtabilis fortunæ, ſummaq́ etiam miſcentis. Sub idem tempus L. Piſo proconſul interficitur. ea de cæde q̃ ueriſſime expediam, ſi pauca ſupra petiero, ab initio cauſisq́ talium facinorum non abſurda. Legio in Africa auxiliaq́ tutandis imperij finibus ſub diuo Auguſto Tiberioq́ principibus, Proconſuli parebant. Mox C. Cæſar turbidus animi, ac M. Syllanum obtinentem Africam metuens, ablatam proconſuli legionem, miſſo in eam rem legato tradidit. æquatus inter duos beneficiorum numerus,& mixtis utriuſq; mandatis,diſcordia quæſita auctaq́. Prauo certamine,legatorum ius adoleuit, diuturnitate officij, uel quia minoribus maior æmulandi cura. Proconſulũ ſplendidiſſimus quiſq; ſecuritati magis quàm potentiæ conſulebant. Sed tum legionem in Africa regebat Valerius Feſtus, ſumptuoſæ adoleſcentiæ,neq; modica cupiens,ſed affinitate Vitellij anxius. Is crebris ſermonibus tentarit ne Piſonem ad res nouas, an tentanti reſtiterit,incertum. quoniam ſecreto eorum nemo affuit, & occiſo Piſone pleriq; ad gratiã interfectoris inclinauere. Nec ambigitur prouinciã & militẽ alienato erga Veſpaſianũ animo fuiſſe. & quidã è Vitellianis urbe profugi,oſtentabãt Piſoni nutantes Galias, paratã Germaniã, pericula ipſius,& in pace ſuſpecta tutius bellũ. Inter quæ Claudius Sagitta præfectus alæ Petrinæ, proſpera nauigatione præuenit Papiriũ cẽturionem à Mutiano

L. Piſo Proconſul Africæ interficitur

Val. Feſtus

Cl. Sagitta

Mutiano miſſum, aſſeuerauitq́ mandata interficiendi Piſonis centurioni data: Cecidiſſe Galerianum conſobrinum eius generumq́: Vnam in audacia ſpem ſalutis. Sed duo itinera audendi,ſeu mallet ſtatim arma,ſeu petita nauibus Gallia, ducem ſe Vitellianis exercitibus oſtenderet. Nihil ad ea moto Piſone,cẽturio à Mutiano miſſus,ut portum Carthaginis attigit, magna uoce,læta Piſoni omnia,tanq́ principi continuare: obuios & ſubitæ rei miraculo attonitos, ut eadẽ adſtreperent, hortari.uulgus credulum, ruere in forum, præſentiã Piſonis expoſcere. Gaudio clamoribusq́ cuncta miſcebant,indiligentia ueri,& adulandi libidine. Piſo indicio Sagittæ, uel inſita modeſtia,non in publicum egreſſus eſt, neq; ſe ſtudijs uulgi permiſit. Centurionemq́ percontatus, poſtquam quæſitum ſibi crimen cædemq́ comperit,animaduerti in eum iuſſit, haud perinde ſpe uitæ, quàm ira in percuſſorem, quod idem ex interfectoribus Clodij Macri, cruentas legati ſanguine manus,ad cædem proconſulis rettuliſſet. Anxio deinde edicto Carthaginẽſibus increpitis,ne ſolita quidem munia uſurpabat,clauſus intra domum, ne qua motus noui cauſa uel forte oriretur. Sed ubi Feſto conſternatio uulgi,centurionis ſupplicium, ueraq́ & falſa more famæ in maius innotuere,equites in necem Piſonis mittit. Illi raptim uecti,obſcuro adhuc cœptæ lucis,domum proconſulis irrumpunt,diſtrictis gladijs,& magna pars Piſonis ignari,quod Pœnos auxiliares Maurosq́ in eam cædem delegerat.haud procul cubiculo, obuium forte ſeruum, quis nam, & ubi eſſet Piſo,interrogauere. Seruus egregio mendacio ſe Piſonem eſſe reſpondit,ac ſtatim obtruncatur.nec multo poſt Piſo interficitur.Nanq; aderat qui noſceret Bebius Maſſa è procuratoribus Africæ, iam tunc optimo cuiq; exitioſus,& in cauſas malorum quæ mox tulimus, ſæpius rediturus. Feſtus Adrumeto ubi ſpeculabundus ſubſtiterat, ad legionem tendit,præfectumq́ caſtrorũ Cetronium Piſanum uinciri iuſſit, proprias ob ſimultates: ſed Piſonis ſatellitẽ uocabat, militesq́ & centuriones quoſdam punijt, alios præmijs affecit:neutrũ ex merito, ſed ut oppreſſiſſe bellum crederetur. Mox Ophenſium Leptitanorumq́ diſcordias componit, quæ raptu frugum & pecorum inter agreſtes,modicis principijs, iam per arma atq; acies exercebãtur. Nam populus Ophenſis multitudine inferior,Garamantas exciuerat gentem indomitam,& inter accolas latrocinijs fœcundam. Vnde arcta Leptitanis res, lateq́ uaſtatis agris, intra mœnia trepidabant,donec interuentu cohortiũ alarumq́ fuſi Garamantes, & recepta omnis præda, niſi quam uagi per inacceſſa mapalium ulterioribus uendiderant. At Veſpaſiano poſt Cremonenſem pugnam, & proſperos undique nuncios, cecidiſſe Vitellium multi cuiuſque ordinis pari audacia fortunaq́ hybernũ mare aggreſſi nunciauere. Aderant legati regis Vologeſi quadraginta Parthorum equitũ millia offerentes.magnificũ lætumq́ tantis ſociorum auxilijs ambiri, neque indigere. Gratiæ Vologeſo actæ, manda-

Vulgus credulum

Ophenſes

Leptitani

mandatumq; ut legatos ad ſenatum mitteret, & pacem eſſe ſciret. Veſpa-
ſianus in Italiam resq; urbis intentus, aduerſam de Domitiano famam ac
cipit, tanquam terminos ætatis, & conceſſa filio egrederetur. Igitur ualidiſ-
ſimam exercitus partem Tito tradit, ad reliqua Iudaici belli perpetranda.
Titum antequam digrederetur, multo apud patrem ſermone, oraſſe dice-
batur, ne criminantium nuncijs temere accenderetur: integrumq; ſe ac pla
cabilem filio præſtaret. Non legiones, non claſſes, perinde firma imperij
munimenta, quàm numerum liberorum. Nam amicos tempore, fortuna,
cupidinibus aliquando aut erroribus imminui, transferri, deſinere: ſuum
cuiq; ſanguinem indiſcretum, ſed maxime principibus, quorum proſperis
& alij fruantur, aduerſa ad iunctiſſimos pertineant: Ne fratribus quidem
manſuram concordiam, ni pater exemplum præbuiſſet. Veſpaſianus
haud æque Domitiano mitigatus, quàm Titi pietate gaudens, bono eſſe
animo iubet, belloq; & armis rempublicā attollere: Sibi pacem domumq;
curæ fore. Tum celerrimas nauium frumento onuſtas, ſæuo adhuc mari
committit. Quippe tanto diſcrimine urbs nutabat, ut decē haud amplius
dierum frumentum in horreis fuerit, cum à Veſpaſiano commeatus ſub-
uenere. Curam reſtituendi Capitolij in L. Veſtinum confert, equeſtris or
dinis uirum, ſed auctoritate famaq; inter proceres. Ab eo contracti haru-
ſpices, monuere, ut reliquiæ prioris delubri in paludes auehe rētur, templū
iiſdem ueſtigijs ſiſteretur: nolle deos mutari ueterem formam. Vndecimo
kalendas Iulias, ſerena luce ſpacium omne quod templo dicabatur, euin-
ctū uittis coroniſq;. Ingreſſi milites quibus fauſta omina, felicibus ramis.
dein uirgines Veſtales cum pueris puelliſq; patrimis matrimiſq; aqua ri-
uis & fontibus amnibuſq; hauſta, perluere. Tum Heluidius Priſcus præ
tor, præeunte Plauto Heliatio pontifice, luſtrata boue tauriſq; area, & ſu-
per ceſpitem redditis extis, Iouem, Iunonem, Mineruam, præſideſq; impe
rij deos precatus uti cœpta proſperarēt, ſedeſq; ſuas pietate hominum in-
choatas, diuina ope attollerent, uittas quibus ligatus lapis innexiq; funes
erant contigit. Simul cæteri magiſtratus, & ſacerdotes, & ſenatus, & eques,
& magna pars populi, ſtudio lætitiaq; connixi, ſaxum ingens traxere: paſ-
ſimq; iniectæ fundamentis argenti auriq; ſtipes, & metallorum primitiæ
nullis fornacibus uictæ, ſed ut gignuntur. Prædixere haruſpices ne teme-
raretur opus ſaxo auróue in aliud deſtinato. Altitudo ædibus adiecta. Id
ſolum religio annuere. & prioris templi magnificentiæ defuiſſe creditum
quo tanta uis hominū retinēda erat. Audita interim per Gallias Ger-
maniaſq; mors Vitellij, duplicauerat bellum. Nam Ciuilis omiſſa diſſi-
mulatione, in populum Romanum ruere. Vitellianæ legiones externum
ſeruitium, quàm imperatorem Veſpaſianum malle. Galli ſuſtulerant
animos, eandem ubique exercituum noſtrorum fortunam rati. Vulgato
rumore à Sarmatis Daciſq; Mœſica ac Pannonica hyberna circumſideri,

Ceremoniæ circa Capitolium reſtituendum

paria

paria de Britannia fingebantur. Sed nihil æque quàm incendiũ Capitolij, ut finem imperij adeſſe crederent, impulerat: Captã olim à Gallis urbem, ſed integra Iouis ſede, manſiſſe imperium: Fatali nunc igne, ſignum cœleſtis iræ datum. & poſſeſſionem rerũ humanarum Tranſalpinis gentibus portendi, ſuperſtitione uana Druidæ canebant. Inceſſeratq; fama, primores Galliarum ab Othone aduerſus Vitellium miſſos, antequam digrederentur, pepigiſſe, ne deeſſent libertati, ſi populum Romanũ continua bellorum ciuilium ſeries & interna mala fregiſſent. Ante Flacci Ordeonij cædem nihil prorupit, quo coniuratio intelligeretur. Interfecto Ordeonio, commeauere nũcij inter Ciuilem Claſſicumq; præfectum alæ Treuirorũ. Claſſicus nobilitate opibusq; anteibat alios. Regiũ illi genus, & pace belloq; clara origo. Is ſe è maioribus ſuis hoſtis populi Ro. q̃ ſocius iactabat. Miſcuere ſeſe Iulius Tutor, & Iulius Sabinus, hic Treuir, hic Lingõ. Tutor ripæ Rheni à Vitellio præfectus. Sabinus ſuper inſitam uanitatem, falſæ ſtirpis gloria incendebatur: proauiam ſuam diuo Iulio per Gallias bellanti corpore atq; adulterio placuiſſe. Hi ſecretis ſermonibus, animos cæterorũ ſcrutari. ubi quos idoneos rebãtur, cõſcientia obſtrinxere. in colonia Agrippinenſi in domum priuatam conueniunt. nam publicè ciuitas talibus inceptis abhorrebat. Attamen interfuere quidam Vbiorum Tungrorumq; Sed plurima uis penes Treuiros ac Lingonas. Nec tulere moras conſultandi. certatim proclamant, furere diſcordijs populum Ro. cæſas legiones, uaſtatam Italiam, capi cummaxime urbẽ, omnes exercitus ſuis quemq; bellis diſtineri. ſi alpes pręſidijs firmẽtur, coalita libertate diſpecturas Gallias, quem uirium ſuarum terminum uelint. Hæc dicta pariter probataq;. de reliquijs Vitelliani exercitus dubitauere. Pleriq; interficiendos cenſebant turbidos, infidos, ſanguine ducum pollutos. Vicit ratio parcendi, ne ſublata ſpe ueniæ, pertinacia accenderentur. Alliciendos potius in ſocietatem. legatis tantum legionũ interfectis, cæterum uulgus conſcientia ſcelerum, & ſpe impunitatis, facile acceſſurum. Ea primi concilij forma. miſſiq; per Gallias concitores belli. Simulatum ipſis obſequium, quo incautiorem Voculam opprimerẽt. Nec defuere qui Voculæ nunciarẽt. Sed uires ad coërcẽdum deerant, infrequentibus infidisq; legionibus. Inter ambiguos milites, & occultos hoſtes, optimũ è præſentibus ratus, mutua diſſimulatione, & ijſdem quibus petebatur artibus graſſari, in coloniam Agrippinenſem deſcendit. Illuc Claudius Labeo, quem captum & extra conuentum amandatum in Friſios diximus, corruptis cuſtodibus perfugit, pollicitusq;, ſi præſidiũ daretur, iturum in Batauos, & potiorem ciuitatis partem ad ſocietatem Romanam retracturum, accepta peditũ equitumq; modica manu, nihil apud Batauos auſus, quoſdam Neruiorum Betaſiorumq; in arma traxit. Et furtim magis q̃ bello Caninefates Marſacosq; incurſabat. Vocula Gallorum fraude illectus, ad hoſtem contendit. Nec procul Veteribus aberat, cum Claſſicus

Druidæ.

Colõia Agrippinenſis

Vbij, Tungri.

Cl. Labeo.

Claſsicus ac Tutor per ſpeciem explorādi prægreſsi,cum ducibus Germanorum pacta firmauere. Tumq́ꝫ primū diſcreti à legionibus,proprio uallo caſtra ſua circundāt, obteſtante Vocula, Non adeo turbatam ciuilibus armis rem Romanam,ut Treuiris etiam Lingonibusq́ꝫ deſpectui ſit. Supereſſe fidas prouincias, uictores exercitus, fortunā imperij & ultores deos. Sic olim Sacrouirum & Heduos, nuper Vindicem Galliasq́ꝫ ſingulis prælijs cōcidiſſe. Eadem rurſus numina,eadem fata, ruptores fœderum expectarent. Melius diuo Iulio, diuoq́ꝫ Auguſto notos eorum animos. Galbam & infracta tributa hoſtiles ſpiritus induiſſe. Nunc hoſtes quia molle ſeruitium.cum ſpoliati exutiq́ꝫ fuerint,amicos fore. Hæc ferociter locutus,poſtquam perſtare in perfidia Claſsicum Tutoremq́ꝫ uidet,uerſo itinere Noueſium concedit. Galli duūm millium ſpacio diſtantibus campis conſedere. Illuc commeantium centurionum militumq́ꝫ emebātur animi,ut(flagitiū incognitum) Romanus exercitus in externa uerba iurarent, pignusq́ꝫ tanti ſceleris,nece aut uinculis legatorum daretur. Vocula,quanquam pleriqꝫ fugam ſuadebant,audendum ratus,uocata cōcione,in hunc modum diſſeruit. Nunquam apud uos uerba feci,aut pro uobis ſollicitior,aut pro me ſecurior. Nam mihi exitiū parari libens audio. Mortemq́ꝫ in tot malis hoſtium, ut finem miſeriarum expecto. Veſtri me pudet miſeretq́ꝫ, aduerſus quos non prælium & acies parantur. id enim fas armorum,& ius hoſtium. bellum cum populo Romano ueſtris ſe manibus geſturum Claſsicus ſperat:imperiumq́ꝫ & ſacramentum Galliarum oſtētat. Adeo nos, ſi fortuna in præſens uirtusq́ꝫ deſeruit, etiam uetera exempla deficiunt,quoties Romanæ legiones perire præoptauerint, ne loco pellerentur? ſocij ſæpe noſtri excindi urbes ſuas, ſeq́ꝫ cum cōiugibus ac liberis cremari pertulerunt.neqꝫ aliud precium exitus,quàm fides famaq́ꝫ. Tolerant cum maximè inopiam obſidiumq́ꝫ apud Vetera legiones,nec terrore aut promiſsis demouētur. Nobis ſuper arma & uiros & egregia caſtrorum munimenta, frumentum & commeatus quāuis longo bello pares. Pecunia nuper etiam donatiuo ſufficit,quod ſiue à Veſpaſiano,ſiue à Vitellio datū interpretari mauultis, ab imperatore certe Romano accepiſtis. Tot bellorum uictores apud Geldubam,apud Vetera, fuſo toties hoſte, ſi pauetis aciem,indignum id quidem. Sed eſt uallum,muriq́ꝫ & trahendi artes,donec è proximis prouincijs auxilia exercitusq́ꝫ concurrant. Sanè ego diſpliceam. Sunt alij legati,tribuni,centurioq́ꝫ aut miles. ne hoc prodigium toto terrarū orbe uulgetur, uobis ſatellitibus Ciuilem & Claſsicum Italiam inuaſuros. An ſi ad mœnia urbis Germani Galliq́ꝫ duxerint,arma patriæ inferetis? Horret animus tāti flagitij imagine. Tutori Treuiro agētur excubiæ? Signum belli Batauus dabit? & Germanorum cateruas ſupplebitis? quis deinde ſceleris exitus? cū Romanæ legiones contra direxerint,transfugæ è transfugis,& proditores è proditoribus inter recens &

Noueſium (margin)

« uetus ſacramẽtum inuiſi deis errabitis? Te Iupiter optime maxime, quem « per octingẽtos uiginti annos tot triumphis coluimus: te Quirine Romanæ parẽs urbis, precor ueneror que, ut ſi uobis non fuit cordi, me duce hæc « caſtra incorrupta & intemerata ſeruari, at certe pollui fœdari que à Tutore « & Claſsico ne ſinatis. Militibus Romanis aut innocentiã detis, aut maturã & ſine noxa pœnitentiam. Varie excepta oratio inter ſpem metum que ac pudorem. Digreſſum Voculam & de ſupremis agitãtem, liberti ſerui que prohibuere fœdiſsimam mortem ſponte præuenire. Et Claſsicus miſſo Aemylio Longino deſertore primæ legionis, cædem eius maturauit. Herennium & Numiſium legatos uinciri ſatis uiſum. Dein ſumptis Romani imperij inſignibus in caſtra uenit. Nec illi quanque ad omne facinus durato, uerba ultra ſuppeditauere, quàm ut ſacramẽtum recitaret. Iurauere qui aderant pro imperio Galliarum. Interfectorem Voculæ altis ordinibus, cæteros, ut quiſque flagitium nauauerat, præmijs attollit. Diuiſæ inde inter Tutorem & Claſsicũ curæ. Tutor ualida manu circumdatos Agrippinenſes, quantum que militum apud ſuperiorem Rheni ripam, in eadem uerba adigit. Occiſis Magontiaci tribunis, pulſo caſtrorum præfecto, qui detrectauerãt, Claſsicus corruptiſsimum quemque è deditis pergere ad obſeſſos iubet, ueniam oſtentantes ſi præſentia ſequerẽtur. aliter nihil ſpei. Famem ferrum que & extrema paſſuros. Adiecere qui miſsi erant, exemplum ſuum. Obſeſſos hinc fides, inde egeſtas, inter decus ac flagitium diſtrahebant. Conctantibus ſolita inſolita que alimenta deerant, abſumptis iumentis equiſque & cæteris animalibus, quæ profana fœda que in uſum neceſsitas uertit. Virgulta poſtremo & ſtirpes & internatas ſaxis herbas uellentes, miſeriarum patientiæ que documẽtum fuere, donec egregiam laudem fine turpi macularent, miſsis ad Ciuilem legatis uitam orãtes. Neque antè preces admiſsæ, quàm in uerba Galliarũ iurarẽt. Tum pactus prædam caſtrorum, dat cuſtodes, qui pecuniam, calones, ſarcinas retentarent, ac qui ipſos leues abeuntes proſequerentur. Ad quintum ferè lapidem coorti Germani, incautum agmen aggrediuntur. Pugnaciſsimus quiſque in ueſtigio, multi palantes occubuere. Cæteri retro in caſtra profugiunt, querente ſanè Ciuile & increpante Germanos, tanquam fidem per ſcelus abrumperent. Simulata ea fuerint, an retinere ſæuientes nequiuerit, parum affirmatur. Direptis caſtris, faces inijciunt. Cunctos que qui prælio ſuperfuerant, incendium hauſit. Ciuilis barbaro uoto, poſt cœpta aduerſus Romanos arma propexum rutilatum que crinem patrata demum cæde legionum depoſuit. Et ferebatur paruulo filio quoſdã captiuorũ, ſagittis iaculiſque puerilibus figendos obtuliſſe. Cæterum neque ſe neque quenquam Batauum in uerba Galliarum adegit, fiſus Germanorum opibus, & ſi certandum aduerſus Gallos de poſſeſsione rerum foret, inclytus fama & potior. Mumius Lupercus legatus legionis inter dona miſsus Velledæ. Ea uirgo nationis Bru-

[Margin: Agrippinẽſes / Magõtiacum]

[Margin: Barbarũ uotũ Ciuilis crinem deponit]

ctera

ſteræ late imperitabat, uetere apud Germanos more, quo pleraſq; fœminarum fatidicas, & augeſcente ſuperſtitione arbitrētur deas. Tunc'q; Velledæ autoritas adoleuit. nam proſperas Germanis res, & excidium legionum prædixerat. Sed Lupercus in itinere interfectus. Pauci centurionum tribunorumq́; in Gallia geniti reſeruantur, pignus ſocietatis. Cohortium, alarum, legionum, hyberna ſubuerſa cremataq́;, ijs tantū relictis quæ Magontiaci ac Vindoniſſæ ſita ſunt. Legio xiij cum auxilijs ſimul deditis, à Noueſio in coloniam Treuirorum tranſgredi iubetur, præfinita die intra quam caſtris excederet. Medium omne tempus per uarias curas egere, ignauiſsimus quiſq; cæſorū apud Vetera exemplo pauentes, melior pars rubore & infamia, quale illud iter, quis dux uiæ, & omnia in arbitrio eorū quos uitæ neciſq; dominos feciſſent. Alij nulla dedecoris cura, pecuniam aut chariſsima ſibimet ipſi circūdare. Quidam expedire arma, teliſq́; tanquam in aciem accingi. Hæc meditantibus, aduenit proficiſcendi hora, expectatione triſtior. Quippe intra uallum deformitas haud perinde notabilis. detexit ignominiam campus & dies. Reuulſæ imperatorum imagines, innexa ſigna, fulgentibus hinc inde Gallorū uexillis, ſilens agmen, & uelut longæ exequiæ. Dux Claudius Sanctus effoſſo oculo, dirus ore, ingenio debilior. Duplicatur flagitium, poſtquam deſertis Bonnenſibus caſtris, altera ſe legio miſcuerat. Et uulgata captarum legionum fama, cuncti qui paulo ante Romanorum nomen horrebant, procurrētes ex agris tectiſq́;, & undiq; effuſi, inſolito ſpectaculo nimiū fruebantur. Non tulit ala Picentina gaudium inſultantis uulgi. ſpretiſq; Sancti promiſsis, aut minis, Maguntiacum abeunt: ac forte obuio interfectore Voculæ Longino, coniectis in eum telis, initium exoluendæ in poſterum culpæ fecere. Legiones nihil mutato itinere, ante mœnia Treuirorum conſidunt.

Magōtiacum
Vindoniſſa
Noueſium

Ciuilis & Claſsicus rebus ſecundis ſublati, an coloniam Agrippinenſem diripiendam exercitibus ſuis permitterent, dubitauere. Sæuitia ingenita & cupidine prædæ, ad excidium ciuitatis trahebātur. obſtabat ratio belli, & nouum imperium inchoantibus utilis clementiæ fama. Ciuilem etiam beneficij memoria flexit, quod filium eius primo rerum motu in colonia Agrippinenſi deprehenſum, honoratè cuſtodierant. Sed Tranſrhenanis gentibus inuiſa ciuitas opulētia auctuq́;. Neq; alium finem belli rebātur, quàm ſi promiſcua ea ſedes omnibus Germanis foret, aut diſiecta Vbios quoq; diſperſiſſet. Igitur Tencteri Rheno diſcreta gens, miſſis legatis, mandata apud cōcilium Agrippinenſiū edi iubent, quæ ferociſsimus è legatis in hunc modum protulit. Rediſſe uos in corpus nomenq́; Germaniæ, communibus deis, ſed præcipuo deorum Marti grates agimus. Vobiſq́; gratulamur, quod tandē liberi inter liberos eritis. nam ad hunc diem flumina ac terras, & cœlum quodāmodo ipſum clauſerant Romani, ut colloquia congreſſuſq́; noſtros arcerent. uel quod contumelioſius eſt uiris ad

« arma natis,inermes ac propè nudi ſub cuſtode & precio coiremus.Sed ut
« amicitia ſocietasq́ʒ noſtra in æternũ rata ſint, poſtulamus à uobis, muros
« coloniæ,munimenta ſeruitij detrahatis:etiã fera animalia ſi clauſa teneas,
« uirtutis obliuiſcũtur.Romanos oẽs in finibus ueſtris trucidetis.haud facile
« libertas & domini miſcentur. Bona interfectorum in mediũ cedãt,ne quis
« occulere quicquam, aut ſegregare cauſam ſuã poſsit.Liceat nobis uobiſq́ʒ
« utranqʒ ripam colere,ut olim maioribus noſtris.quomodo lucem diemq́ʒ
« omnibus hominibus , ita omnes terras fortibus uiris natura aperuit.Inſti-
« tuta cultumq́ʒ patriũ reſumite,abruptis uectigalibus,quibusRomani plus
« aduerſus ſubiectos quàm armis ualẽt.ſincerus & integer,& ſeruitutis obli
« tus populus,aut ex æquo agetis, aut alijs imperitabitis. Agrippinenſes
ſumpto conſultandi ſpacio,quando neqʒ ſubire conditiones metus futuri,
neque palàm aſpernari cõditio præſens ſinebat,in hunc modũ reſpondẽt.
« Quæ prima libertatis facultas data eſt, auidius quàm cautius ſumpſi-
« mus,ut uobis cæterisq́ʒ Germanis conſanguineis noſtris iungeremur.Mu
« ros ciuitatis congregantibus ſe cum maxime Romanorum exercitibus,au
« gere nobis quàm diruere tutius eſt. Si qui ex Italia aut prouincijs alienige
« næ in finibus noſtris fuerant, eos bellũ abſumpſit, uel in ſuas quiſqʒ ſedes
« refugere . Deductis olim & nobiſcum per connubium ſociatis,quiq́ʒ mox
« prouenere,hæc patria eſt . Nec uos adeo iniquos exiſtimamus,ut interfici
« à nobis parẽtes,fratres,liberos noſtros uelitis.Vectigal & onera commer
« ciorum reſoluimus. Sint tranſitus incuſtoditi, ſed diurni & inermes,donec
« noua & recentia iura in uetuſtatem & cõſuetudinem uertantur. Arbitrum
« habebimus Ciuilem & Velledam, apud quos pacta ſancientur. Sic le-

Velleda nitisTencteris legati ad Ciuilem & Velledam miſsi cum donis,cuncta ex uoluntate Agrippinẽſium perpetrauere.Sed coràm adire, alloquiq́ʒ Velledam negatum . Arcebantur aſpectu, quo uenerationis plus ineſſet.Ipſa edita in turre:delectus è propinquis conſulta reſponſaq́ʒ ut internuncius numinis portabat. Ciuilis ſocietate Agrippinenſium auctus,proximas ciuitates affectare aut aduerſantibus bellum inferre ſtatuit. Occupatiſq́ʒ

Sunici Sunicis & iuuẽtute eorum per cohortes compoſita,quo minus ultra per-
Cl. Labeo geret,Claudius Labeo Bethaſiorum Tũgrorumq́ʒ & Neruiorum tumul-
Batauus. tuaria manu reſtitit,fretus loco,quia pontem Moſæ fluminis anteceperat.
Bethaſij Pugnabaturq́ʒ in anguſtijs ambiguè,donec Germani tranantes terga La-
Tungri beonis inuaſere . Simul Ciuilis auſus an ex compoſito,intulit ſe agmini
Neruij Tungrorum,& clara uoce,. Non ideo,inquit,bellum ſumpſimus,ut Bataui & Treuiri gẽntibus imperent . Procul hæc à nobis arrogantia,accipite ſocietatem. tranſgredior ad uos, ſeu me ducem,ſeu militem mauultis. Mouebatur uulgus,cõdebantq́ʒ gladios,cum Campanus ac Iuuenalis ex primoribus Tungrorum,uniuerſam ei gẽtem dedidere.Labeo antequam circumueniretur profugit . Ciuilis Bethaſios quoqʒ ac Neruios in fidem

acceptos

acceptos copijs ſuis adiunxit, ingens rerum, perculſis ciuitatum animis, uel ſponte inclinantibus. Interea Iulius Sabinus proiectis fœderis Romani monimentis Cæſarem ſe ſalutari iubet. Magnamq́ꝫ & inconditam popularium turbam in Sequanos rapit, cõterminam ciuitatem & nobis fidam. Nec Sequani detrectauere certamen. Fortuna melioribus affuit. Fuſi Lingones, Sabinus feſtinatũ temere bellum pari formidine deſeruit. Vtq́ꝫ famam exitij ſui faceret, uillam in quam perfugerat, cremauit, illic uoluntaria morte interijſſe creditus. Sed quibus artibus latebriſq́ꝫ uitam per nouem mox annos traduxerit, ſimul amicorum eius cõſtantiam, & inſigne Epponinæ uxoris exemplũ, ſuo loco reddemus. Sequanorum proſpera acie belli impetus ſtetit. Reſipiſcere paulatim ciuitates, fasq́ꝫ & fœdera reſpicere, principibus Remis: qui per Gallias edixere, ut miſſis legatis in commune conſultarent, libertas an pax placeret. At Romæ cuncta in deterius audita Mutianũ angebant. Nequaquam egregij duces, iam enim Gallum Annium & Petilium Cerialem delegerat, ſummam belli parum tolerare. Nec relinquenda urbs ſine rectore. Et Domitiani indomitæ libidines timebantur, ſuſpectis, uti diximus, Primo Antonio, Varoq́ꝫ Ario. Varus prætorianis præpoſitus, uim atqꝫ arma retinebat. Eũ Mutianus pulſum loco, ne ſine ſolatio ageret, annonæ pręfecit. Vtq́ꝫ Domitiani animum Varo haud alienum deliniret, Arretinũ Clementẽ domui Veſpaſiani per affinitatem innexum, & gratiſſimum Domitiano prætorianis præpoſuit, patrem eius ſub Caio Cæſare egregie functum ea cura dictitans. Lætũ militibus idem nomen. atqꝫ ipſum quanquam ſenatorij ordinis ad utraqꝫ munia ſufficere. Aſſumuntur è ciuitate clariſſimus quiſqꝫ, & alij per ambitionẽ. Simul Domitianus Mutianusq́ꝫ accingebantur diſpari animo. ille ſpe ac iuuenta properus, hic moras nectens, quis flagrantem retineret, ne ferocia ętatis, & prauis impulſoribus ſi exercitũ inuaſiſſet, paci belloq́ꝫ male cõſuleret. Legiões uictrices VI & XVIIJ, Vitellianarũ una & uiceſima, è recens cõſcriptis ſecũda, Pœninis Coctianisq́ꝫ alpibus, pars monte Graio traducuntur. XIIIJ legio è Britannia, IIJ ac prima ex Hiſpania accitę. Igitur uenientis exercitus fama, & ſuopte ingenio ad mitiora inclinantes Galliarũ ciuitates, in Remos conuenere. Treuirorũ legatio illic opperiebatur, acerrimo inſtinctore belli Tullio Valentino. Is meditata oratione, cuncta magnis imperijs obiectari ſolita, cõtumeliasq́ꝫ & inuidiam in Populũ Romanũ effudit, turbidus miſcendis ſeditionibus, & pleriſqꝫ gratus uecordi facundia. At Iulius Auſpex è primoribus Remorum, uim Romanam, pacisq́ꝫ bona diſſertans, & ſumi bellum etiam ab ignauis, ſtrenuiſſimi cuiuſqꝫ periculo geri, iamq́ꝫ ſuper caput legiones: ſapientiſſimum quemqꝫ reuerentia fideq́ꝫ, iuniores periculo ac metu continuit. Et Valentini animum laudabant, conſilium Auſpicis ſequebantur. Conſtat obſtetiſſe Treuiris Lingonibusq́ꝫ apud Gallias, quod Vindicis motu cum Verginio ſteterant. Deterruit pleroſqꝫ prouinciarum

Iul. Sabinus

Sequani

Expeditio in Gallias defectionem molientes

Pœninæ alp.
Coctianæ
Graius mons
Conuentus Gallicarũ ciuitatum apud Remos
Tul. Valentinus Treuir.
Iul. Auſpex Remus

æmulatio. quod bello caput? unde ius auſpiciumq́ peteretur? quam ſi
cuncta proueniſſent, ſedem imperio legerent? Nondum uictoria, iam di-
ſcordia erat: alijs fœdera, quibuſdam opes uiréſque, aut uetuſtatem origi
nis periuriáque iactantibus. tædio futurorum, præſentia placuere. Scri-
buntur ad Treuiros epiſtolæ nomine Galliarum, ut abſtinerent armis im-
petrabili uenia, & paratis deprecatoribus ſi pœniteret. Reſtitit idem Va-
lentinus, obſtruxitq́ ciuitatis ſuæ aures, haud perinde inſtruendo bello
intentus, quàm frequens concionibus. Igitur non Treuiri neq́ Lingones,
cæteræúe rebellium ciuitates pro magnitudine ſuſcepti diſcriminis agere.
Ne duces quidem in unum conſulere. Sed Ciuilis auia Belgarum circumi-
bat, dum Claudium Labeonem capere aut exturbare nititur. Claſſicus ſe-
gne plerunque otium trahens, uelut parto imperio fruebatur. Ne Tutor
quidem maturauit ſuperiorem Germaniæ ripam & ardua alpium præſi-
Vindoniſſa dijs claudere. Atq́ interim una&uiceſima legio Vindoniſſa, Sextilius Fe-
lix cum auxiliarijs cohortibus per Rhætiam irrupere. Acceſſit ala Singu-
larium, excita olim à Vitellio, deinde in partes Veſpaſiani tranſgreſſa. Præ-
Iul Briganti- erat Iulius Briganticus, ſorore Ciuilis genitus, ut fermè acerrima proxi-
cus Batauus morum odia ſunt, inuiſus auunculo infenſusq́. Tutor Treuirorum copias
recenti Vangionum, Caracatium, Tribocorum lectu auctas, ueterano pe-
dite atque equite firmauit, corruptis ſpe, aut metu ſubactis legionarijs. qui
primo cohortem præmiſſam à Sextilio Felice interficiunt. mox ubi du-
ces exercitusq́ Romani propinquabant, honeſto transfugio rediere, ſe-
cutis Tribocis Vangionibusq́ & Caracatibus. Tutor Treuiris comitanti-
Bingium bus, uitato Magontiaco Bingium conceſſit, fidens loco, quia pontem Na-
Naua fl. uæ fluminis abruperat. ſed incurſu cohortium quas Sextilius ducebat, &
reperto uado, proditus fuſúsque. Ea clade perculſi Treuiri. & plebes
omiſſis armis per agros palatur. quidam principum, ut primi poſuiſſe bel-
lum uiderentur, in ciuitates quæ ſocietatē Romanam non exuerant, perfu
gerūt. Legiones à Noueſio Bonnaq́ in Treuiros, ut ſupra memorauimus,
traductæ, ſe ipſas in uerba Veſpaſiani adigunt. Hæc Valentino abſente ge
ſta. qui ubi aduentabat, furens, cunctaq́ rurſus in turbas & exitium con-
Medioma- uerſurus, legiones in Mediomatricos ſociam ciuitatem abſceſſere. Valen-
trici tinus ac Tutor in arma Treuiros retrahunt, occiſis Herennio ac Numiſio
legatis, quo minore ſpe ueniæ creſceret uinculum ſceleris. Hic belli ſta-
tus erat, cum Petilius Cerialis Magontiacum uenit. eius aduentu erectæ
ſpes. Ipſe pugnæ auidus, & cōtemnendis quàm cauendis hoſtibus melior,
ferocia uerborum militem incendebat, ubi primum congredi licuiſſet, nul-
lam prælio moram facturus. Delectus per Galliam habitos in ciuitates re-
mittit, ac nunciare iubet ſufficere imperio legiones. ſocij ad munia pacis re-
dirent, ſecuri uelut confecto bello, quod Romanæ manus excepiſſent. Au-
xit ea res Gallorum obſequium. nam recepta iuuentute, facilius tributa to-
lerauere

ſerauere,proniores ad officia quod ſpernebant. At Ciuilis & Claſſicus ubi pulſum Tutorem,cæſos Treuiros,cuncta hoſtibus proſpera accepere, trepidi ac properantes,dum diſperſas ſuorum copias conducunt,crebris interim nuncijs Valentinum monuere,ne ſummæ rei periculum faceret.Eo rapidius Cerialis, miſſis in Mediomatricos qui breuiore itinere legiones in hoſtem uerterent, contracto quod erat militum Magontiaci, quantumcp̃ ſecum tranſuexerat, tertijs caſtris Rigodulum uenit, quem locum magna Treuirorum manu Valentinus inſederat, montibus aut Moſella amne ſeptum,& addiderat foſſas obicesq́ ſaxorum. Nec deterruere ea munimenta Romanũ ducem quo minus peditem perrumpere iuberet, equitum aciem in collem erigeret,ſpreto hoſte, quem temere collectum haud ita loco iuuari,ut non plus ſuis in uirtute foret. Paulum moræ in aſcenſu dum miſſilia hoſtium præuehuntur. Vt uentum ad manus,deturbati ruinæ modo præcipitantur. Et pars equitum æquioribus iugis circumuecta, nobiliſſimos Belgarum in quís ducem Valentinum cepit. Cerialis poſtero die coloniam Treuirorum ingreſſus eſt,auido milite eruendæ ciuitatis: hanc eſſe Claſſici, hanc Tutoris patriam. horum ſcelere, clauſas cæſasq́ legiones. Quid tantum Cremonam meruiſſe, quam è gremio Italiæ raptam, quia unius noctis moram uictoribus attulerit? Stare in confinio Germaniæ integram ſedem,ſpolijs exercituum & ducum cædibus ouantem. Redigeret prædam in fiſcum. Ipſis ſufficere ignes,& rebellis coloniæ ruinas, quibus tot caſtrorum excidia penſarentur. Cerialis à metu infamiæ ſi licentia ſæuitiaq́ imbuere militem crederetur, preſſit iras.& paruere poſito ciuili bello ad externa modeſtiores.Conuertit inde animos accitarum è Mediomatricis legionum miſerabilis aſpectus. Stabant cõſcientia flagitij mœſtæ,fixis in terram oculis.Nulla inter coeuntes exercitus conſalutatio. neque ſolantibus hortantibusúe reſponſa dabant, abditi per tentoria & lucem ipſam uitantes. nec perinde periculum aut metus quàm pudor ac dedecus obſtupefecerat,attonitis etiam uictoribus, qui uocem precesq́ adhibere non auſi, lachrymis ac ſilentio ueniam poſcebant, donec Cerialis mulceret animos, fato acta dictitans,quæ militum ducumúe diſcordia uel fraude hoſtiũ eueniſſent: Primum illum ſtipendiorum & ſacramenti diem haberent: Priorũ facinorum neq; imperatorem,neq; ſe meminiſſe. Tunc recepti in eadem caſtra, & edictum per manipulos, ne quis in certamine iurgioúe ſeditionem aut cladem commilitoni obiectaret. Mox Treuiros ac Lingonas, ad concionem uocatos,ita alloquitur. “Neq; ego unq́ facundiam exercui,& populi Romani uirtutem armis affirmaui.Sed quia apud uos uerba plurimũ ualent, bonáque ac mala non ſua natura, ſed uocibus ſeditioſorum æſtimantur,ſtatui pauca diſſerere quæ profligato bello utilius ſit uobis audiſſe,quàm nobis dixiſſe. Terram ueſtram cæterorumq́ Gallorum ingreſſi ſunt duces imperatoresq́ Romani nulla cupidine, ſed maioribus ueſtris

Rigodulum
Moſella fl.
Colonia Treuirorum

inuocantibus, quos diſcordiæ uſque ad exitium fatigabant, & acciti auxilio Germani ſocijs pariter atque hoſtibus ſeruitutem impoſuerant. quot pręlijs aduerſus Cymbros Teutonóſque, quantis exercituum noſtrorum laboribus, quóue euentu Germanica bella tractauerimus, ſatis clarum. Nec ideo Rhenum inſedimus ut Italiam tueremur, ſed ne quis alius Arioviſtus regno Galliarum potiretur. An uos chariores Ciuili Batauiſq; & tranſrhenanis gentibus creditis, quàm maioribus eorum patres auiq; ueſtri fuerunt. Eadem ſemper cauſa Germanis tranſcendendi in Gallias, libido atque auaritia, & mutandæ ſedis amor, ut relictis paludibus & ſolitudinibus ſuis, fœcundiſſimum hoc ſolum, uóſque ipſos poſſiderent. Cæterum libertas, & ſpecioſa nomina prætexuntur. nec quiſquàm alienum ſeruitium, & dominationem ſibi concupiuit, ut non eadem iſta uocabula uſurparet. Regna bellaq; per Gallias ſemper fuere, donec in noſtrum ius concederetis. Nos quanquam totiens laceſſiti, iure uictoriæ id ſolum uobis addidimus, quo pacem tueremur. Nam neque quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendijs, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt. Cætera in communi ſita ſunt. Ipſi plerunque legionibus noſtris præſidetis. Ipſi has aliáſque prouincias regitis. Nihil ſeparatum clauſumúe. Et laudatorum principum uſus ex æquo, quamuis procul agentibus. Sæui proximis ingruunt. quomodo ſterilitatem aut nimios hymbres & cætera naturæ mala, ita luxum uel auaritiam dominantium tolerate. Vitia erunt donec homines. ſed neque hæc continua, & meliorum interuentu penſantur: niſi forte Tutore & Claſſico regnantibus, moderatius imperium ſperatis: aut minoribus quàm nunc tributis, parabuntur exercitus, quibus Germani Britanniq; arceantur. nam pulſis (quod dij prohibeant) Romanis, quid aliud quàm bella omnium inter ſe gentium exiſtent? Octingentorum annorum fortuna diſciplinaq; compages hęc coaluit, quæ conuelli ſine exitio conuellentium nõ poteſt. Sed uobis maximum diſcrimen, penes quos aurum & opes, præcipuæ bellorum cauſæ. Proinde pacem & urbem quam uicti uictoreſq; eodem iure obtinemus, amate, colite. Moneant uos utriuſq; fortunæ documenta, ne contumaciam cum pernicie quàm obſequium cum ſecuritate malitis. Tali oratione grauiora metuenteis cõpoſuit, erexitq;. Tenebantur uictore exercitu Treuiri, cũ Ciuilis & Claſſicus miſere epiſtolas ad Cerialem, quarum hæc ſententia fuit. Veſpaſianum quanquam nuncios occultarent exceſſiſſe uita: Vrbem atq; Italiam interno bello conſumptam: Mutiani & Domitiani uana & ſine uiribus nomina: Si Cerialis imperium Galliarum uelit, ipſos finibus ciuitatum ſuarum contentos: Si prælium mallet, ne id quidem abnuere. Ad ea Cerialis Ciuili & Claſſico nihil. eum qui attulerat ipſas epiſtolas ad Domitianum miſit. Hoſtes diuiſis copijs aduenere undiq;. Pleriq; culpabant Cerialem paſſum iũgi quos diſcretos intercipere licuiſſet. Romanus exercitus caſtra

foſſa

foſſa uallocꝗ circūdedit, quis temere antea intutis conſederat. Apud Germanos diuerſis ſentētijs certabat. Ciuilis opperiendas Trāſrhenanorum gentes, quarū terrore fractæ Po. Ro. uires obtererentur. Gallos quid aliud quàm prædam uictoribus? & tamen quod roboris ſit, Belgas ſecum palàm, aut uoto ſtare. Tutor cōctatione creſcere rem Romanam affirmabat, coeuntibus undiq; exercitibus, tranſuectā à Britannia legionem, accitas ex Hiſpania, aduentare ex Italia, nec ſubitum militem, ſed ueterem expertumcꝗ belli. Nam Germanos qui ab ipſis ſperentur, non iuberi, non regi, ſed cuncta ex libidine agere. pecuniamcꝗ ac dona, quis ſolis corrumpantur, maiora apud Ro. & neminem adeo in arma promptum, ut non idem precium quietis quàm periculi malit. quod ſi ſtatim congrediantur, nullas eſſe Ceriali niſi ex reliquijs Germanici exercitus legiones fœderibus Galliarum obſtrictas. Idcꝗ ipſum quod incōditam nuper Valentini manum contra ſpem ſuam fuderint, alimentū illis ducicꝗ temeritatis. Auſuros rurſus uenturoſcꝗ in manus, non imperiti adoleſcentuli uerba & conciones quàm ferrum & arma meditantis, ſed Ciuilis & Claſſici: quos ubi aſpexerint, redituram in animos formidinem, fugam, famemcꝗ ac totiens captis precariā uitam. neq; Treuiros aut Lingonas beniuolentia cōtineri: reſumpturos arma, ubi metus abſceſſerit. Diremit conſiliorū diuerſitatē, approbata Tutoris ſentētia Claſsicus. ſtatimcꝗ exequunt. Media acies Vbijs Lingonibuſcꝗ data, dextro cornu cohortes Batauorum, ſiniſtro Bructeri Tencterícꝗ, pars montibus, alij uiam inter Moſellamcꝗ flumen, tam improuiſi aſſiluere, ut in cubiculo ac lectulo Cerialis (neq; enim noctem in caſtris egerat) pugnari ſimul, uincicꝗ ſuos audierit, increpans pauorē nunciantium, donec uniuerſa clades in oculis fuit. Perrupta legionū caſtra, fuſi equites: medius Moſellæ pons, qui ulteriora coloniæ annectit, ab hoſtibus inſeſſus. Cerialis turbidis rebus intrepidus, & fugientes manu retrahens, intecto corpore promptus inter tela, felici temeritate, & fortiſſimi cuiuſq; accurſu, recuperatū pontem electa manu firmauit. Mox in caſtra reuerſus palantes captarū apud Noueſiū Bōnamcꝗ legionum manipulos, & rarum apud ſigna militem, ac propè circumuentas aquilas uidet. Incenſus ira, non Flaccum, inquit, non Voculam deſeritis. Nulla hic proditio. neque aliud excuſandū habeo, quàm quod uos Gallici fœderis oblitos præ dixerim, memoriā Romani ſacramenti tenere credidi. Annumerabor Nu miſijs & Herennijs, ut omnes legati ueſtri, aut militū manibus, aut hoſtiū ceciderint. Ite nunciate Veſpaſiano, uel quod propius eſt Ciuili & Claſſico, relictū à uobis in acie ducem. uenient legiones, quæ neq; me inultum, neq; uos impunitos patiātur. Vera erant. & à tribunis præfectiſcꝗ eadem ingerebant. Conſiſtūt per cohortes & manipulos. neq; enim poterat pateſcere acies effuſo hoſte, & impedietibus tentorijs ſarcinisq;, cū intra uallum pugnaret. Tutor, & Claſſicus, & Ciuilis, ſuis quiſq; locis pugnā ciebāt,

Germani Transrhenani

Galli præda uictoribus

Belgæ

Germani incompoſiti

Bructeri Tencteri

Moſella

Treuirorum coloniam intelligit

Felix Petilij Cerealis temeritas

Gallos

Gallos pro libertate, Batauos pro gloria, Germanos ad prædã inſtigantes. Et cũcta pro hoſtibus erant, donec legio uiceſimaprima patentiore quàm cæteræ ſpacio conglobata, ſuſtinuit ruẽtes, mox impulit. Nec ſine ope diuina, mutatis repente animis, terga uictores uertere. Ipſi territos ſe cohortium aſpectu ferebant, quæ primo impetu diſiectæ, ſummis rurſus iugis congregabantur, ac ſpeciem noui auxilij fecerãt. Sed obſtitit uincentibus prauum inter ipſos certamen, hoſte omiſſo ſpolia cõſectandi. Cerialis ut incuria propè rem afflixit, ita conſtantia reſtituit. Secutuſq; fortunam, caſtra hoſtium eodem die capit excinditq;. Nec in longum quies militi data. Orabant auxilium Agrippinenſes, offerebantq; uxorem ac ſororem Ciuilis, & filiam Claſſici, relicta ſibi pignora ſocietatis. Atq; interim diſperſos in domibus Germanos trucidauerant. unde metus, & iuſtæ preces inuocantium antequam hoſtes reparatis uiribus, ad ſpem, uel ad ultionem accingerentur. Nanq; & Ciuilis illuc intenderat, non inualidus, flagrantiſſima cohortium ſuarum integra, & è Chaucis Friſijſq; compoſita. Talbiaci in finibus Agrippinenſium agebat. Sed triſtis nuncius auertit, deletam cohortem dolo Agrippinenſium, qui largis epulis uinoq; ſopitos Germanos, clauſis foribus, igne iniecto, cremauere. Simul Cerialis propero agmine ſubuenit. Circumſteterat Ciuilem & alius metus, ne quartadecima legio, adiuncta Britannica claſſe, afflictaret Batauos, quâ Oceano ambiuntur. Sed legionem terreſtri itinere Fabius Priſcus legatus in Neruios Tungroſq; duxit. Eæq; ciuitates in ditionem acceptæ. Claſſem ultro Caninefates aggreſſi ſunt. maiorq; pars nauium depreſſa aut capta. Et Neruiorum multitudinem ſponte commotam, ut pro Romanis bellum capeſſeret, ijdem Caninefates fudere. Claſſicus quoq; aduerſus equites Noueſium à Ceriale præmiſſos, ſecundum prælium fecit. quæ modica, ſed crebra damna, famam uictoriæ nuper partæ lacerabant.

Agrippinenſes præſidium Germanorũ cremant

Noueſium

Germanicus Vitellij Cæſaris filius interficitur

Iiſdem diebus Mutianus Vitellij filium interfici iubet, manſuram diſcordiam obtendens, ni ſemina belli reſtinxiſſet. Neq; Antoniũ Primum adſciri inter comites à Domitiano paſſus eſt, fauore militum anxius, & ſuperbia uiri, æqualium quoq; adeo ſuperiorum intolerantis. Profectus ad Veſpaſianum Antonius, ut non pro ſpe ſua excipitur, ita neque auerſo imperatoris animo. Trahebatur in diuerſa, hinc meritis Antonij, cuius ductu confectum haud dubie bellum erat: inde Mutiani epiſtolis. ſimul cæteri ut infeſtum tumidumq; inſectabantur, adiunctis prioris uitæ criminibus. neq; ipſe deerat arrogãtia uocare offenſas, nimius cõmemorandis quæ meruiſſet. Alios ut imbelles, Cæcinam ut captiuũ ac deditititum increpat. Vnde paulatim leuior uiliorq; haberi, manẽte tamen in ſpeciem amicitia. Per eos menſes, quibus Veſpaſianus Alexãdriæ ſtatos æſtiuis flatibus dies, & certa maris, opperiebatur, multa miracula euenere, quis cœleſtis fauor & quædã in Veſpaſianũ inclinatio numinũ oſtẽderet. Ex plebe

Miracula

Alexan

Alexandrina quidam oculorum tabe notus genua eius aduoluitur,reme/dium cæcitatis expoſcens gemitu,monitu Serapidis dei quem dedita ſu/perſtitionibus gens ante alios colit. precabaturq́ꝫ principem, ut genas & oculorũ orbes dignaretur reſpergere oris excremento. Alius manu æger, eodem deo auctore,ut pede ac ueſtigio Cæſaris calcaretur,orabat. Veſpaſianus primo irridere, aſpernari:atqꝫ illis inſtantibus,modo famam uani/tatis metuere,modo obſecratione ipſorum, & uocibus adulantiũ in ſpem induci: poſtremo æſtimari à medicis iubet, an talis cæcitas ac debilitas ope humana ſuperabiles forent. Medici uariè diſſerere: Huic non exe/ſam uim luminis,& redituram ſi pellerentur obſtantia: Illi elapſos in pra/uum artus, ſi ſalubris uis adhibeatur, poſſe integrari: Id fortaſſe cordi deis,& diuino miniſterio principem electum.deniqꝫ peracti remedij glo/riam penes Cæſarem,irriti ludibrium penes miſeros fore.Igitur Veſpaſianus cuncta fortunæ ſuæ patere ratus, nec quicquã ultra incredibile, læto ipſe uultu, erecta quæ aſtabat multitudine, iuſſa exequitur. Statim con/uerſa ad uſum manus,ac cæco reluxit dies. Vtrunqꝫ qui interfuere nunc quoqꝫ memorant, poſtquam nullum mendacio precium. Altior inde Veſpaſiano cupido adeundi ſacram ſedem,ut ſuper rebus imperij conſu/leret. Arceri templo cunctos iubet. atqꝫ ingreſſus, intentusq́ꝫ numini, re/ſpexit pone tergum è primoribus Aegyptiorũ nomine Baſiliden, quem procul Alexandria plurium dierũ itinere, & ægro corpore detineri haud ignorabat. Percunctatur ſacerdotes num illo die Baſilides templum iniſ/ſet? percunctatur obuios,num in urbe uiſus ſit? denique miſſis equitibus explorat, illo temporis momento octoginta millibus paſſuum abfuiſſe. Tunc diuinã ſpeciem, & uim reſponſi ex nomine Baſilidis, interpretatus eſt. Origo dei nondum noſtris auctoribus celebrata. Aegyptiorum an/tiſtites ſic memorant. Ptolemæo regi, qui Macedonum primus Aegypti opes firmauit, cum Alexandriæ recens conditæ mœnia,templaq́ꝫ & reli/giones adderet, oblatum per quietem decore eximio & maiore quàm hu/mana ſpecie iuuenem, qui moneret, ut fidiſſimis amicorum in Pontum miſſis, effigiem ſuam acciret: lætum id regno,magnamq́ꝫ & inclytam ſe/dem fore quæ excepiſſet. ſimul uiſum eundem iuuenem in cœlum igne plurimo attolli. Ptolemæus omine & miraculo excitus, ſacerdotibus Ae/gyptiorum,quibus mos talia intelligere,nocturnos uiſus aperit.Atqꝫ illis Ponti & externorũ parũ gnaris,Timotheũ Athenienſem è gẽte Eumolpi/darũ,quẽ ut antiſtitẽ cerimoniarũ Eleuſi exciuerat,quæ nam illa ſuperſti/tio,quod numen interrogat. Timotheus quæſitis qui in Pontũ meaſſent, cognoſcit urbẽ illic Sinopen,nec procul templũ uetere inter accolas fama Iouis Ditis.Nanqꝫ & muliebrẽ effigiẽ aſſiſtere,quã pleriqꝫ Proſepinã uo/cent. Sed Ptolemæus, ut ſunt ingenia regũ, pronus ad formidinẽ, ubi ſe/curitas redijt, uoluptatum quàm religionũ appetens,negligere paulatim, aliasq́ꝫ

Serapis deus

Viſus,ſiue ſpe/ctrum

Nam βασιλεὺς Græcis rex,unde & Baſilides de/ſcendit, hinc omen regni ſiue imperij Veſpaſiano

Ptolemæus Lagi

Timotheus Athenienſis Eumolpida/rum familia

Sinope cla/riſsima Ponti urbs.

aliasq́ꝫ ad curas animum uertere: donec eadem ſpecies terribilior iam & inſtantior, exitium ipſi regnoq́ꝫ denunciaret ni iuſſa patrarentur. Tum legatos & dona Scydrothemidi regi (is tunc Sinopēſibus imperitabat) expediri iubet, præcipitq́ꝫ nauigaturis, ut Pythium Apollinem adeant. Illis mare ſecundum. Sors oraculi haud ambigua: Irent ſimulachrumq́ꝫ patris ſui reueherēt, ſororis relinquerēt. Vt Sinopē uenere, munera, preces, mandata regis ſui Scydrothemidi allegant. Qui diuerſus animi, modo numen paueſcere, modo minis aduerſantis populi terreri, ſæpe donis promiſsisq́ꝫ legatorum flectebatur. Atq; interim triennio exacto, Ptolemæus nō ſtudium, non preces omittere. Dignitatem legatorū, numerum nauium, auri pondus, augebat. Tum minax facies Scydrothemidi offertur, ne deſtinata deo ultra moraretur. Cunctantem uaria pernicies, morbiq́ꝫ & manifeſta cœleſtium ira, grauiorq́ꝫ in dies fatigabat. Aduocata concione, iuſſa numinis, ſuos Ptolemæiq́ꝫ uiſus, ingruentia mala exponit. Vulgus aduerſari regē, inuidere Aegypto, ſibi metuere, templumq́ꝫ circūſedere. Maior hinc fama tradidit, deum ipſum appulſas littori nauis ſponte conſcendiſſe. Mirum inde dictu, tertio die tantum maris emenſi, Alexandriam appelluntur. Templum pro magnitudine urbis extructum loco cui nomen Rhacotis. fuerat illic ſacellum Serapidi atq; Iſidi antiquitus ſacratū. Hæc de origine & aduectu dei celeberrima. Nec ſum ignarus eſſe quoſdam qui Seleucia urbe Syriæ accitum, regnante Ptolemæo, quem tertia ætas tulit: alij auctorem eundem Ptolemæum, ſedem ex qua tranſierit, Memphim perhibēt, inclytam olim, & ueteris Aegypti columen. Deum ipſum multi Aeſculapium quod medeatur ægris corporibus, quidam Oſyrim, antiquiſſimum illis gētibus numen, pleriq; Iouem, ut rerum omnium potentem, plurimi Ditem patrem, inſignibus quæ in ipſo manifeſta, aut per ambages coniectant. At Domitianus Mutianusq́ꝫ antequam alpibus propinquarent, proſperos rerum in Treuiris geſtarum nuncios accepere. Præcipua uictoriæ fides, dux hoſtium Valentinus, nequaquam abiecto animo, quos ſpiritus geſſiſſet, uultu ferebat. Auditus ideo tantum ut noſceretur ingenium eius, damnatusq́ꝫ. inter ipſum ſupplicium exprobranti cuidam patriam eius captam, accipere ſe ſolatium mortis reſpondit. Sed Mutianus quod diu occultauerat, ut recens exprompſit: Quoniā benignitate deûm fractæ uires hoſtium forent, parum decore Domitianum confecto propè bello alienæ gloriæ interuenturum. Si ſtatus imperij, aut ſalus Galliarum in diſcrimine uerteretur, debuiſſe Cæſarem in acie ſtare: Caninefates Batauosq́ꝫ minoribus ducibus delegandos. Ipſe Lugduni uim fortunamq́ꝫ principatus è proximo oſtētaret, nec paruis periculis immixtus, & maioribus nō defuturus. Intelligebātur artes, ſed pars obſequij in eo, ne deprehēderentur. Ita Lugdunū uentū. Vnde creditur Domitianus occultis ad Cerialem nuncijs, fidem eius tentauiſſe, an præſenti ſibi exerci-

Scydrothemis Sinopēſium rex

Seleucia

Memphis, columē Aegypti

Iul. Valentinus Treuir

exercitum imperiumq; traditurus foret. qua cogitatione bellum aduerſus patrẽ cogitauerit, an opes uireſq; aduerſus fratrẽ, in incerto fuit. Nam Cerialis ſalubri temperamento eluſit ut uana pueriliter cupientem. Domitianus ſperni à ſenioribus iuuentam ſuam cernens, modica quoque & uſurpata antea munia imperij omittebat. Simul ſimplicitatis ac modeſtiæ imagine, in altitudinem conditus, ſtudiumq; literarum & amorem carminum ſimulans, quo uelaret animum, & fratris æmulationi ſubduceretur, cuius diſparem mitioremq; naturam, contra interpretabatur.

Domitianus ſtudiũ literarum ſimulat

LIBRI XX FINIS

BEATI RHENANI IN LIBRVM XXI CASTIGATIONES

ET præliatis utriuſq; rebus militia clarus.) Codex Matthię regis habet, Et præliatis utriuſq; rebus. Opinor legendum, Et priuatis utriuſq; rebus, militiæ clarus. Hoc eſt, etiam priuſq; pater eſſet imperator factus, ac ipſe Cæſar. Sic libro 19. Nanq; Flauius Sabinus ętate prior, priuatis utriuſq; rebus, autoritate pecuniaq; Veſpaſianum anteibat.

Priuatis utriuſque rebus

Atque ipſe ut ſuperior ſui iam crederetur.) Et hic locus prorſum eſt uitiatus. In manuſcripto libro legitur, Atq; ipſe ut ſuperior unam crederetur. Nec hęc lectio bene habet. Opus eſt ad diuinationẽ confugere. Suſpicor ſcribendum, Atq; ipſe ut ſuperiori uia ingrederetur, decorum ſe promptumq; in armis oſtendebat. Hoc enim melius placet, quàm ſi legamus, Vt uberior materia pręberetur, ut, pro quando.

Tres tum in Iudæa legiones.) Illic, Tres cum in Iudęa legiones. Lego, Tres cum in Iudæa legiones. Atq; ſic caſtigaui.

Tradidit è Syria duodecimam, & abductos Alexandria.) Poſcente id ſenſu, ſcripſimus, Tradidit & Syria duodecimam & adductos Alexandria duo&uiceſimanos tertianoſq;.

Aucto in Barbarũ morem cognomento.) Accuſatiuus morem non eſt in codice Budenſi. Nos quoq; ſuſtulimus. Nã ſic & libro quinto loquitur. Ciuitas potens, ſepta muris, neq; in Barbarum corrupta, ſed conditoris Seleuci retinens.

Sunt qui tradunt Aſſyrios conuenas.) Nos, Sunt qui tradant.

Mox proprias urbes Hebręaſq; terras.) Regium uolumen habet. an mox pr. urb. H. terras. Scripſimus, ac mox proprias urbes H. terras.

Conditam urbem Hieroſolymam nomine ſuo feciſſe.) Illic, conditæ urbi, Hieroſolymam nomine ſuo feciſſe. Repoſuimus, conditæ urbi Hieroſolymã nomen è ſuo feciſſe. Appoſitiue Hieroſolymam, nomen.

Et id genus hominũ & inuiſum deis.) Emendauimus. Et id genus hominum ut inuiſum deis, alias in terras auehere iuſſum.

Seu quod de ſeptem ſyderibus.) Nos, è ſeptem ſyderibus.

Ac pleriſq; cœleſtium uim ſuã & curſum ſeptimos per numeros commeare.) Mutauimus in hunc modum. Ac pleraq; cœleſtium ui ſua & curſu ſeptimos per numeros commeare.

Hi ritus.) Forte, Ritus quoquo modo inducti.

Et perſuaſio cœleſtium.) Particulam & ſubmouimus. Eademq; cura, & de infernis perſuaſio.

Septentrionem è latere Syriæ longe proſpectant.) Nos, à latere Syriæ.

Vt quiſq; ramus intumuit,ſi uim ferri adhibeas,pauent.) Particula,ſi,non eſt in codice Budenſi.

Fulminis iactu arſiſſe.) Nos, fulminum.

Siue herbas tenues,aut flores.) Volumen Matthiæ Coruini habet, Siue herbarbas tenus aut flores.Lego, Siue herba tenus,aut flore.

Et Bellus amnis Iudaico mari illabitur.) C. Plinius hiſtoriȩ naturalis libro 36. cap.26.Pars eſt,inquit,Syriȩ quȩ Phœnice uocatur,finitima Iudȩȩ, intra montis Carmeli radices paludem habens, quȩ uocatur Candebœa. Ex ea creditur naſci

Belus amnis — Belus amnis, quinq; M. ſpacio in mare profluens iuxta Ptolemaidam coloniam.

Circa cuius os coniectȩ arenȩ admixto uitro in uitrum excoquũtur.) Pro uitro ſcripſimus nitro.Hanc excoquendi uitri rationem refert Plinius quem modo allegaui loco,de Belo fluuio loquẽs.Lentus hic,inquit,currit,inſalubris potu, ſed ceremonijs ſacer:limoſus;uado profundus, non niſi refuſo mari harenas fatetur. Fluctibus enim uolutatæ niteſcũt,detritis ſordibus. Nunc & à marino creduntur aſtringi morſu,nõ prius utiles. Quingentorum eſt paſſuum non amplius littoris ſpacium.Idq; tantũ multa per ſecula gignendo fuit uitro. Fama eſt appulſa naue mercatorum nitri, quum ſparſi per littus epulas pararent, nec eſſet cortinis attollendis lapidum occaſio, glebas nitri ſubdidiſſe.Quibus accenſis permixta harena littoris,translucentes nobilis liquoris fluxiſſe riuos, & hanc fuiſſe originem uitri. Ibidem Sidonem uocat officinis uitri nobilem.

Modicum id littus.) Nam ut ex Plinio modo rettuli,Quingentorum eſt paſſuum, non amplius.

Et egerentibus inexhauſtum.) Scripſi,ſed egerentibus inexhauſtum.nam ultima proxime prȩcedentis dictionis litera eſt, s.

Hieroſolyma gentis caput.) Nos, Hieroſolyma genti caput.

Dum Aſſyrios penes Medosq; & Perſas Oriens fuit, deſpectiſsima pars ſeruientium poſtquam Macedones prȩpotuere. Rex Antiochus demere ſuperſtitionem.) Diſtinximus,deſpectiſsima pars ſeruiẽtium. Poſtquam Macedones prȩpotuere, rex Antiochus.

Inde uulgatum, nullas intus deûm effigies.) Nos, Inde uulgatum, nulla intus deûm effigie,uacuam ſedem,& inania arcana.

Regnum ab Antonio Herodi datum uictor Auguſtus auxit.) Opinor ſcribendum, ſanxit.

Et comprimere reos ceptantem.) Codex Budenſis non habet reos ceptantem ſed receptantem.Caſtigaui,Et comprimere ceptantem. Comprimere pro opprimere.Sic libro prȩcedenti,Caninefatem tumultum compreſſurum.

Ac ſȩpius aduerſa excepere.) Illic,aduerſa excipere.

Inter duas ȩſtates.) Prȩpoſitionem inter ſubmouimus.Nam ſenſus eſt. Duas ȩſtates tenebat,hoc eſt,per duas ȩſtates.Mox eſt illic,prȩter Hieroſolymam.

Pace per Italiam parata.) Malim, pace per Italiam parta.

Nam duos colles immenſum editos.) Vſurpat immenſum aduerbialiter. Sic libro quinto.Nunciauere accolæ Euphraten nulla imbrium ui,ſponte & immenſum attolli.

Inter deuexa in centenos uicenosq; attollebantur.) Volumen Matthiȩ Coruini tantum habet, in centenosq;.

Prȩuiderant conditores ex diuerſitate morũ crebra bella.) Nos,Prouiderant.

Bargioras — Quem & Barbagioram uocabãt.) Lego,Bargioram.Hebraicum uocabulum eſt,ſignificans filium Gioræ.Cȩterum & Ioſippus Simonem uocat Giorȩ filium non Ioannem

Ducenta mil.fu.acce.) In Budẽſi uolumine, ſexcenta millia fuiſſe accepimus.

Cum prȩaltis paludibus arma equiq; haurirẽtur. Illic,arm equi.Forte,arma, equi,haurirentur.

Omiſſa

Omiſſa plerunq; fronte.) Liber manuſcriptus habet, diuerſa. Forte legẽdum, dimiſſa. Infra, Et dira omnia obuerſari. Forte, dira omina.

Præuidiſſe, campos madentes.) Illic, præuiſa. Fortaſſis, prouiſa. Quæ prouideri aſtu ducis oportuerit, prouiſa, campos madentes, & ipſis gnaros, paludes hoſtibus noxias.

Et Germanis ut eluderent laceſſentibus.) Emendaui, Et Germanis ut elicerent laceſſentibus.

Prælium exæquatur.) Illic, æquatur.

Sic uelut ablato amne.) Nos, abacto amne.

Et centum tredecim Treuirorum ſenatores.) Liber manuſcriptus pro tredecim habet XIII. & deeſt uocabulum ſenatores. Fortaſſe legendum, Centum alij Treuirorum.

Vt ipſe & Vera ſorore eius genitus.) Codex regius habet, Vt ipſe & Verax ſorore eius genitus.

Paucisq; militibus, Cæteri ſe munimentis defendere.) Illic, Paucisq; militibus eminẽtis defendere. Fortaſſe legend. Pauci è militibus ſe iumentis defendere, pro defendebant. Infra tantum eſt illic, hinc ipſi exercitui minor cura diſciplinæ.

Prætoriã triremem flumine Impio.) Liber regius, flumine impia. Reſtitui locum, flumine Luppia, Nã Bructeræ nationis erat Velleda, ac fines Bructerorum Luppia alluit. Meminit amnis Luppiæ lib. I. Ductũ, inquit, inde ágmẽ ad ultimos Bructerorũ. quantũq; Amiſiã & Luppiã amnes inter, uaſtatũ, haud procul Teutoburgienſi ſaltu.

Domũ Velledæ traxere.) Caſtigaui, donum Velledę traxere, Nam huic uirgini ſubinde dona miſsitabãtur. Vnde ſuperiore libro Mumium Lupercũ legatũ legionis inter dona miſſum Velledæ narrat Tacitus.

Complet quod biremiũ.) Addidi particulã, &, Complet & quod biremium.

Spacium uelut æquoris electũ.) Budenſe exemplar habet, ceptum pro electo. Lego, captum. Sicq; ſcripſi. Nam ſequitur quęq;.

Quo Moſæ fluminis amnem Rhenus Oceano affundit.) Illic, Vt Moſæ flu. Lego, Vbi Moſæ fluminis am. R. O. a. Proinde ſic caſtigaui.

Is flumine ſecundo.) Illic, Is flumen ſecundum. Scribo, ijs flumen ſecundum.

Sic prouecti.) Caſtigaui, Sic præuecti. Nam tranſiſſe ſignificat.

Cum interim fluxu autumni.) Repoſui, Quum interim flexu autũni. Flexus autumni eſt quum autumnus uergere incipit & inclinari. Sic flexum ętatis uocat Cicero.

Flexus autumni
Flexus ætatis

Vi fluminis deferebãtur.) Liber Matthiæ regis habet differebantur, hoc eſt in diuerſas partes ferebantur. Vtitur hoc uerbo Tacitus Annaliũ tertio, Nam quò pertinuit nudare corpus, & contrectandum uulgi oculis permittere, differriq; etiam per externos, tanquã ueneno interceptus eſſet? Rurſum libro quarto. Differtur per manipulos, Tacfarinatẽ omnes notũ tot prętijs cõſectẽtur.

Differri

Reſpicerent Rhætos Noricosq;, cæterorum onera ſociorum.) Inſeruimus particulam, &, & cęterorum onera ſociorum.

Sibi non tributa, ſed uirtutes & uiros indici.) Malim ſimpliciter: Sibi non tributa, ſed uiros indici. Niſi quis malit, ſed iuuentutem & uiros indici.

Scinditur Nabaliæ fluminis pons.) Volumen Budenſe, Scinditur flabalie fl. pons. Scripſerim, Vahalis fluminis pons. Tacitus libro ſecundo. Nam Rhenus, inquit, uno alueo continuus, aut modicas inſulas circumueniens, apud principium agri Bataui, uelut in duos amnes diuiditur, ſeruatq; nomen & uiolentiam curſus quâ Germaniam præuehitur, donec Oceano miſceatur: ad Gallicam ripam latior & placidior adfluens: uerſo cognomento Vahalem accolæ dicunt. mox id quoq; uocabulum mutat Moſa flumine, eiuſque immenſo ore eundem in Oceanum effunditur.

Vahalis fluminis pons

FINIS

P. CORNELII TACITI AB EXCESSV DIVI AVGVSTI ANNALIVM

LIBER XXI

EIVSDEM anni principio Cæſar Titus perdomandæ Iudææ delectus à patre, & priuatis utriuſq; rebus militia clarus, maiore tum ui famaq; agebat, certantibus prouinciarum & exercituum ſtudijs. atq; ipſe ut ſuperior ſui iam crederetur decorum ſe promptumq; in armis oſtendebat, comitate & alloquijs officia prouocans: ac plerunq; in opere, in agmine gregario militi mixtus, incorrupto ducis honore. Tres eum in Iudæa legiões, quinta & decima, & quintadecima, uetus Veſpaſiani miles excepere. Tradidit & Syria duodecimã, & adductos Alexandria duoetuiceſimanos tertianoſq;. Comitabantur uiginti ſociæ cohortes, octo equitum alæ: ſimul Agrippa Sohemuſq; reges, & auxilia regis Antiochi, ualidaq; & ſolito inter accolas odio infenſa Iudæis Arabum manus. *Solitum inter accolas odiũ* Multi quos urbe atq; Italia ſua quemq; ſpes acciuerat, occupandi principem adhuc uacuum. His cum copijs fines hoſtium ingreſſus, cõpoſito agmine, cuncta explorans, paratuſq; decernere, haud procul Hieroſolymis caſtra facit. Sed quia famoſæ urbis ſupremum diem tradituri ſumus, congruens uidetur primordia eius aperire.

IVDAEI

Iudæos Creta inſula profugos, nouiſsima Libyæ inſediſſe memorant, qua tempeſtate Saturnus ui Iouis pulſus, ceſſerit regnis. Argumentum è nomine petitur: Inclytum in Creta Idam montem. accolas, Idæos, aucto in Barbarum cognomento, Iudæos uocitari, quaſi Idæos: quidam regnante Iſide exundantem per Ægyptum multitudinem ducibus Hieroſolymo ac Iuda proximas in terras exoneratã. Pleriq; Æthiopum prolem, quos rege Cepheo metus atq; odium mutare ſedes perpulerit. Sunt qui tradant Aſſyrios conuenas, indigum agrorum populum, parte Ægypti potitos, ac mox proprias urbes Hebræáſq; terras, & propiora Syriæ coluiſſe. Clara alij Iudæorum initia: Solymos carminibus Homeri celebratam gentem, conditæ urbi Hieroſolymam nomen è ſuo feciſſe. *Hieroſolyma* Plurimi auctores conſentiunt, orta per Ægyptum tabe, quę corpora fœdaret, regem Bocchorim adito Hammonis oraculo remedium petentem, purgare regnum, & id genus hominum ut inuiſum deis alias in terras auehere iuſſum. Sic conquiſitum collectumq; uulgus poſtquã uaſtis locis relictũ ſit, cæteris per lachrymas torpentibus, Moſen unum exulum monuiſſe, ne quam deorum hominúmue opem expectarent, ab utriſq; deſerti, ſed ſibimet ut duci cœleſti crederent, *Moſes dux cœleſtis* primo cuius auxilio credentes, præſentes miſerias pepuliſſent. Aſſenſere atq; omnium ignari fortuitum iter incipiunt. Sed nihil ęque quàm inopia

aquæ

aquæ fatigabat. Iamq́; haud procul exitio totis campis procubuerāt, cum
grex aſinorum agreſtium è paſtu in rupem nemore opacam conceſſit. Se/
cutus Moſes, coniectura herbidi ſoli, largas aquarum uenas aperit. Id leua
men. & continuum ſex dierum iter emenſi, ſeptimo pulſis cultoribus, obti/
nuere terras in quibus urbs & templum dicata ſunt. Moſes quo ſibi in po/
ſterum gentem firmaret, nouos ritus contrarioſq́; cæteris mortalibus in/
didit. Profana illic omnia, quæ apud nos ſacra. Rurſum cōceſſa apud illos,
quæ nobis inceſta. Effigiem animalis quo monſtrāte errorem ſitimq́; de/
pulerant, penetrali ſacrauere, cæſo ariete uelut in contumeliam Hammo/
nis. Bos quoq; immolatur, quem Ægyptij Apin colūt. Sue abſtinent, me/
moria cladis, qua ipſos ſcabies quondam turpauerat, cui id animal obno/
xium. Longam olim famem crebris adhuc ieiunijs fatentur. Et raptarum
frugum argumentum, panis Iudaicus nullo fermento detinetur. Septimo *Panis Iu/*
die otium placuiſſe ferunt, quia is finem laborum tulerit: dein blandiente *daicus*
inertia ſeptimum quoq; annū ignauiæ datum. Alij honorem eum Satur/
no haberi: ſeu principia religionis tradentibus Iudæis, quos cum Saturno
pulſos, & conditores gentis accepimus: ſeu quod è ſeptem ſyderibus quis
mortales reguntur, altiſſimo orbe & præcipua potentia ſtella Saturni fe/ *Saturni ſtella.*
ratur. ac pleraq; cœleſtium ui ſua & curſu ſeptimos per numeros comme/ *Septenarius*
are. Hi ritus quoquo modo inducti, antiquitate defenduntur. cætera inſti/ *numerus*
tuta ſiniſtra, fœda prauitate ualuere. Nam peſſimus quiſq; ſpretis religio/
nibus patrijs, tributa & ſtipes illuc congerebant. Vnde auctæ Iudæorum *Apud Iudæos*
res: & quia apud ipſos fides obſtinata, miſericordia in promptu, ſed aduer *miſericordia*
ſus omnes alios hoſtile odiū. Separati epulis, diſcreti cubilibus, proiectiſſi/ *in promptu inter ipſos*
ma ad libidinem gens, alienarum concubitu abſtinent. Inter ſe nihil illici/
tum. Circūcidere genitalia inſtituere, ut diuerſitate noſcantur. Tranſgreſſi
in morem eorum idem uſurpant. nec quicquam prius imbuuntur, quàm
contemnere deos, exuere patriam: parētes, liberos, fratres uilia habere. Au/
gendæ tamen multitudini conſulitur. Nam & necare quenquam ex agna/
tis nefas, animaſq́; prælio aut ſupplicijs peremptorū æternas putant. Hinc
generandi amor, & moriendi contemptus. Corpora condere quàm crema
re, è more Ægyptio. Eademq́; cura, & de infernis perſuaſio. cœleſtium con
tra. Ægyptij pleraq; animalia effigieſq́; cōpoſitas uenerantur. Iudæi men/
te ſola, unumq́; numen intelligunt. Prophanos qui deûm imagines morta
libus materijs in ſpecies hominum effingant. Summum illud & æternum,
neq; mutabile, neq; interiturum. Igitur nulla ſimulachra urbibus ſuis, ne/
dum templis ſunt. Non regibus hæc adulatio, non Cæſaribus honor. Sed
quia ſacerdotes eorum tibia tympaniſq́; cōcinebant, hedera uinciebātur,
uitiſq́; aurea templo reperta, Liberum patrem coli domitorem Orientis *Vitis aurea*
quidam arbitrati ſunt, nequaquam cōgruentibus inſtitutis. quippe Liber
feſtos lætoſq́; ritus poſuit: Iudæorum mos abſurdus ſordiduſq́;. Terra fi/

Iudææ ſitus neſq; quà ad Orientem uergunt, Arabia terminãtur: à meridie Ægyptus
obiacet: ab occaſu Phœnices & mare: Septentrionem à latere Syriæ longe
proſpectant. Corpora hominum ſalubria, & ferentia laborũ. rari imbres.
Balſamum uber ſolum. Exuberãt fruges noſtrũ ad morem. prætereq; eas, Balſamũ &
Palmæ. palmetis proceritas & decor. Balſamum modica arbor. ut quiſque
ramus intumuit, ſi uim ferri adhibeas, pauent. uenæ fragmine lapidis aut
teſta aperiuntur. humor in uſu medentium eſt. Præcipuum montium Li-
Libanus mõs banum erigit, mirum dictu, tantos inter ardores opacũ fidumq; niuibus.
Iordanes Idem amnẽ Iordanem alit funditq;. Nec Iordanes pelago accipitur. Sed
unum atq; alterum lacum integer perfluit: tertio retinetur. Lacus immenſo
Lacus Aſphaltites ambitu ſpecie maris, ſapore corruptior, grauitate odoris accolis peſtifer,
neq; uento impellitur, neq; piſces aut ſuetas aquis uolucres patitur. incer-
tum unde. ſuperiacta ut ſolido feruntur, periti imperitiq; nandi, perinde
attollũtur. Certo anni tempore bitumẽ egerit: cuius legendi uſum, ut cæte-
ras artes, experiẽtia docuit. Ater ſuapte natura liquor, & ſparſo aceto cõcre-
tus, innatat. hunc manu captũ, quibus ea cura, in ſumma nauis trahũt. Inde
nullo iuuãte influit, oneratq; donec abſcindas. nec abſcindere ære ferróue
poſſis: fugit cruorem ueſtemq; infectam ſanguine, quo fœminæ per men-
ſes exoluuntur. Sic ueteres auctores. Sed gnari locorum tradunt undantes
bitumine moles pelli, manuq; trahi ad littus: mox ubi uapore terræ, ui ſo-
lis inaruerint, ſecuribus cuneiſq; ut trabes aut ſaxa diſcindi. Haud procul
inde campi, quos ferunt olim uberes, magniſq; urbibus habitatos, fulmi-
num iactu arſiſſe: & manere ueſtigia. terramq; ſpecie torridam, uim frugi-
feram perdidiſſe. Nam cuncta ſponte edita, aut manu ſata, ſiue herba te-
nus aut flore, ſeu ſolitam in ſpeciem adoleuere, atra & inania uelut in ci-
nerem uaneſcunt. Ego ſicut Iudaicas quondã urbes igne cœleſti flagraſſe
conceſſerim, ita halitu lacus infici terram, corrumpi ſuperfuſum ſpiritum,
eoq; fœtus ſegetum & autumni putreſcere reor, ſolo cœloq; iuxta graui.
Belus fl. quem Græci βῆλον uocant Et Belus amnis Iudaico mari illabitur, circa cuius os coniectę arenæ admi-
xto uitro in uitrum excoquuntur. modicum id littus, ſed egerentibus inex-
hauſtum. Magna pars Iudææ uicis diſpergitur. habent & oppida. Hiero-
Hieroſolyma ſolyma genti caput. illic immenſæ opulentiæ templũ, & primis munimen-
tis urbs deiugis, templum intimis clauſum. ad fores, tantum Iudæo aditus:
Vide Annot. limine præter ſacerdotes arcebant. Dum Aſſyrios penes Medoſq; & Per-
ſas Oriens fuit, deſpectiſsima pars ſeruientium. poſtquã Macedones præ-
potuere, rex Antiochus demere ſuperſtitionem, & mores Græcorum dare
adnixus, quo minus teterrimam gentem in melius mutaret, Parthorũ bel-
lo prohibitus eſt. nam ea tempeſtate Arſaces deſciuerat. Tum Iudæi Ma-
cedonibus inualidis, Parthis nondum adultis, & Romani procul aberant,
ſibi ipſi reges impoſuere. qui mobilitate uulgi expulſi, reſumpta per arma
dominatione, fugas ciuium, urbium euerſiones, fratrũ, coniugũ, parentum

ficere,aliaq́ʒ ſolita regibus auſi , ſuperſtitionem fouebāt:quia honor ſacer-
dotij,firmamentum potentiæ aſſumebatur.Romanorū primus Gn.Pom-
peius Iudæos domuit.templumq́ʒ iure uictoriæ ingreſſus eſt.Inde uulga-
tum,nulla intus deum effigie uacuam ſedem,& inania archana.Muri Hie-
roſolymorum diruti,delubrū manſit.Mox bello ciuili interno , poſtquam
in ditionem M.Antonij prouinciæ ceſſerant , rex Parthorum Pacorus Iu-
dæa potitus.interfectusq́ʒ à P.Ventidio,& Parthi trans Euphratem reda-
cti.Iudæos C.Soſius ſubegit.Regnum ab Antonio Herodi datum uictor *Herodes rex.*
Auguſtus ſanxit.Poſt mortem Herodis,nihil expectato Cæſare , Simon
quidam regium nomen inuaſerat . Is à Quintilio Varo obtinente Syriam
punitus . & gentē coërcitam liberi Herodis tripartito rexere. Sub Tiberio
quies . dein iuſſi à C.Cæſare effigiem eius in templo locare , arma potius
ſumpſere.quem motū Cæſaris mors diremit.Claudius defunctis regibus,
aut ad modicum redactis,Iudæam prouinciam equitibus Romanis aut li-
bertis permiſit. è quibus Antonius Felix per omnem ſæuitiā ac libidinem, *Ant.Felix*
ius regium ſeruili ingenio exercuit , Druſilla Cleopatræ & Antonij nepte
in matrimoniū accepta:ut eiuſdem Antonij, Felix progener, Claudius ne-
pos eſſet.durauit tamen patientia Iudæis uſq́ʒ ad Geſſium Florum procu-
ratorem.Sub eo bellum ortum.& comprimere cęptantē Ceſtium Gallum
Syriæ legatum,uaria prælia ac ſæpius aduerſa excepere . Qui ubi fato aut
tædio occidit, miſſu Neronis Veſpaſianus fortuna famaq́ʒ & egregijs mi- *Fl.Veſpaſian. in Iudæam à Nerone mittitur*
niſtris,intra duas æſtates,cuncta camporum, omnesq́ʒ præter Hieroſoly-
ma urbes , uictore exercitu tenebat. Proximus annus ciuili bello intentus,
quantum ad Iudæos per otium tranſijt.pace per Italiam parta, & externæ
curæ redière . Augebat iras , quod ſoli Iudæi non ceſſiſſent.Simul manere
apud exercitus Titum , ad omnes principatus noui euentus caſusúe utile
uidebatur.Igitur caſtris,uti diximus , ante mœnia Hieroſolymorum poſi- *Obſidiū Hieroſolymorum per Titum Cæſarem*
tis,inſtructas legiones oſtentauit . Iudæi ſub ipſos muros ſtruxere aciem,
rebus ſecundis longius auſuri , & ſi pellerentur parato perfugio. Miſſus in
eos eques cū expeditis cohortibus ambiguè certauit . Mox ceſſere hoſtes
& ſequentibus diebus crebra pro portis prælia ſerebant, donec aſſiduis
damnis intra mœnia pellerentur.Romani ad oppugnandum uerſi, neque
enim dignum uidebatur famem hoſtium opperiri . poſcebantq́ʒ pericula,
pars uirtute,multi ferocia & cupidine præmiorū.Ipſi Tito Roma , & opes,
uoluptatesq́ʒ ante oculos , ac ni ſtatim Hieroſolyma conciderent , morari
uidebantur.Sed urbem arduam ſitu,opera molesq́ʒ firmauerant,quîs uel
plana ſatis munirentur. Nam duos colles immenſum editos claudebāt mu
ri per artem obliqui, aut introrſus ſinuati , ut latera oppugnantiū ad ictus
pateſcerent.Extrema rupis abrupta.& turres ubi mons iuuiſſet,in ſexagin-
ta pedes , inter deuexa in centenos uicenosq́ʒ attollebantur, mira ſpecie,ac
procul intuentibus pares. Alia intus mœnia regiæ circūiecta . conſpicuoq́ʒ

Turris Antonia

faſtigio turris, Antonia in honorē M. Antonij ab Herode appellata. Templum in modum arcis, proprijſq; muri, labore & opere ante alios. ipſæ porticus quîs templum ambiebatur, egregium propugnaculum. Fons perennis aquæ. cauati ſub terra montes. & piſcinæ ciſternæq; ſeruandis hymbribus. prouiderant conditores ex diuerſitate morum crebra bella. inde cuncta quamuis aduerſus longū obſidium. & à Pompeio expugnatis, metus atq; uſus pleraq; monſtrauere. Atq; per auaritiam Claudianorum tempo

Ius muniendi

rum, empto iure muniendi, ſtruxere muros in pace, tanquā ad bellum, magna colluuie, & cæteratū urbium clade aucti. Nam peruicaciſſimus quiſq; illuc perfugerat, eoq; ſeditioſius agebant. Tres duces, totidem exercitus.

Simon
Iohannes
Eleazarus

Extrema & latiſſima mœnium Simon: mediam urbē Iohannes, quem & Barbagioram uocabant: templū Eleazarus firmauerat. Multitudine & armis Iohannes ac Simon, Eleazarus loco pollebat. Sed prælia, dolus, incendia inter ipſos, & magna uis frumenti ambuſta. Mox Iohannes miſſis per ſpeciem ſacrificandi, qui Eleazarum manumq; eius obtruncarent, templo potitur. ita in duas factiones ciuitas diſceſſit, donec propinquantibus Ro.

Bellū externū concordiā inter Iudæos pa rauit

bellum externum concordiam pareret. Euenerant prodigia quæ neq; hoſtijs, neque uotis piare fas habet gens, ſuperſtitioni obnoxia, religionibus aduerſa. Viſæ per cœlum concurrere acies, rutilantia arma, & ſubito nubium igne collucere templum. Expaſſæ repēte delubri fores, & audita maior

Prodigia

humana uox: excedere deos. Simul ingens motus excedentium. Quæ pauci in metū trahebant. Pluribus perſuaſio inerat, antiquis ſacerdotum literis contineri, eo ipſo tempore fore, ut ualeſceret Oriens, profectiq; Iudæa rerum potirentur. quæ ambages Veſpaſianum ac Titum prædixerant. Sed uulgus more humanæ cupidinis, ſibi tantam fatorum magnitudinem interpretati, ne aduerſis quidem ad uera mutabātur. Multitudinem obſeſſo

Obſeſſorū apud Hieroſolyma numerus

rum omnis ætatis, uirilis ac muliebris ſexus, ſexcenta millia fuiſſe accepimus. Arma cunctis, qui ferre poſſent: & plures quàm pro numero audebant. Obſtinatio uiris fœminiſq; par. Ac ſi transferre ſedes cogerētur, maior uitæ metus quàm mortis. Hanc aduerſus urbem gentemq; Cæſar Titus, quando impetū & ſubita belli locus abnueret, aggeribus uineiſq; certare ſtatuit. Diuiduntur legionibus munia, & quies præliorum fuit, donec cuncta expugnādis urbibus reperta apud ueteres, aut nouis ingenijs, ſtruerentur. At Ciuilis poſt malam in Treuiris pugnam, reparato per Ger

Vetera caſtra

maniam exercitu, apud Vetera caſtra conſedit, tutus loco, & ut memoria proſperarum illic rerum augeſcerent Barbarorū animi. Secutus eſt eodem Cerialis duplicatis copijs, aduentu ſecūdæ & XVI & XIIII legionum. Cohorteſq; & alæ iampridem accitæ poſt uictoriam properauerant. Neuter ducum cunctator. Sed arcebat latitudo camporū, ſuopte ingenio humentium. Addiderat Ciuilis obliquam in Rhenum molem, cuius obiectu reuolutus amnis, adiacētibus ſuperfunderetur. Ea loci forma incertis uadis ſub

dola

dola & nobis aduerſa. quippe miles Romanus armis grauis, & nandi pa-uidus: Germanos fluminibus ſuetos leuitas armorum, & proceritas corpo-rum attollit. Igitur laceſſentibus Batauis, ferociſſimo cuiq; noſtrorum cœ-ptum certamen. deinde orta trepidatio, cũ prçaltis paludibus arma equiq; haurirentur. Germani notis uadis perſultabant, omiſſa plerunq; fronte la-tera ac terga circumuenientes. neq; ut in pedeſtri acie cominus certabatur, ſed tanquã nauali pugna, uagi inter undas, aut ſi quid ſtabile occurrebat, totis illic corporibus nitentes, uulnerati cũ integris, periti nandi cum igna-ris, in mutuam perniciem implicabantur. minor tamen quàm pro tumultu cedes: quia non auſi egredi paludem Germani, in caſtra rediere. Eius præ-lij euentus utrunq; ducem diuerſis animi motibus ad maturandum ſum-mæ rei diſcrimen erexit. Ciuilis inſtare fortunæ, Cerialis abolere ignomi-niam: Germani proſperis feroces, Romanos pudor excitauerat. nox apud Barbaros cantu aut clamore, noſtris per iram & minas acta. Poſtera lu-ce Cerialis equite & auxiliarijs cohortibus frontem explet: in ſecunda acie legiones locatæ: dux ſibi delectos retinuerat ad improuiſa. Ciuilis haud porrecto agmine, ſed cuneis aſtitit. Bataui Cugerniq; in dextro, læua ac propiora fluminis Tranſrhenani tenuere. Exhortatio ducum, non mo-re concionis apud uniuerſos, ſed ut quoſq; eorum aduehebantur. Cerialis ueterem Ro. nominis gloriã, antiquas recẽteſq; uictorias: ut perfidũ, igna-uum, uictum hoſtem, in æternum excinderent, ultione magis quàm prçlio opus eſſe: Pauciores nuper cum pluribus certaſſe, attamen fuſos Germa-nos quod roboris fuerit: Supereſſe qui fugam animis, qui uulnera tergo, ferant. Proprios inde ſtimulos legionibus admouebat, domitores Britan-niæ quartadecimanos appellans. principem Galbam ſextę legionis aucto-ritate factum: illa primum acie Secundanos noua ſigna, nouamq; aqui-lam dicaturos. Hinc præuectus ad Germanicum exercitum manus tende-bat, ut ſuam ripam ſua caſtra ſanguine hoſtiũ recuperarent. Alacrior om-nium clamor, quis uel è lõga pace prçlij cupido, uel feſſis bello pacis amor, præmiaq; & quies in poſterum ſperabantur. Nec Ciuilis ſilentem ſtru-xit aciem, locum pugnæ teſtem uirtutis ciens: ſtare Germanos Batauoſq; ſuper ueſtigia gloriæ, cineres oſſaq; legionum calcantes: quocunq; oculos Romanus intenderet, captiuitatem, cladem q; & dira omnia obuerſari: ne terrerentur uario Treuirici prælij euentu: ſuam illic uictoriam Germanis obſtitiſſe, dum omiſſis telis, præda manus impediũt. ſed cuncta mox pro-ſpera & hoſti cõtraria eueniſſe. Quæ prouideri aſtu ducis oportuerit, pro-uidiſſe, campos madentes, & ipſis gnaros, paludes hoſtibus noxias: Rhe-num & Germaniæ deos in aſpectu, quorum numine capeſſerẽt pugnam, coniugum, parentum, patriæ memores: illum diem aut glorioſiſſimum in-ter maiores, aut ignominioſum apud poſteros fore. Vbi ſono armorũ tri-pudijsq; (ita illis mos) approbata ſunt dicta, ſaxis, glandibuſq; & cæteris miſſilib.

Bataui

Acies hinc Romanorũ, illinc Germanorũ dirig[untur]

Cerialis Romanos milites exhortatur

Quartadecimani domitores Britanniæ

Germanos pugnam capeſſituros alloquitur Ciuilis

miſſilibus prælium incipitur, neq; noſtro milite paludẽ ingrediẽte & Germanis ut elicerent laceſſentibus. Abſumptis quæ iaciũtur, & ardeſcente pugna, procurſum ab hoſte infeſtius, immenſis corporibus, & prælongis haſtis. Fluitantemq; militem eminus fodiebãt. ſimul è mole quam eductam in Rhenum rettulimus, Bructerorum cuneus tranſnatauit. turbata ibi res. & pellebatur ſociarum cohortium acies, cum legiones pugnam excipiunt, ſuppreſſaq; hoſtium ferocia, prælium exæquatur. Inter quæ perfuga Batauus adijt Cerialem, terga hoſtium promittens ſi extremo paludis eques mitteretur: ſolidum illâ, & Cugernos quibus cuſtodia obueniſſet, parum intentos. Duæ alæ cum perfuga miſſæ incauto hoſti circunfundũtur. quod ubi clamore cognitum, legiones à fronte incubuere, pulſiq; Germani Rhenum fuga petebant. Debellatum eo die foret, ſi Romana claſſis ſequi maturaſſet. Ne eques quidem inſtitit, repente fuſis hymbribus, & propinqua nocte. Poſtera die decimaquarta legio in ſuperiorem prouinciam Gallo Annio miſſa. Cerialis exercitum decima ex Hiſpania legio ſuppleuit. Ciuili Chaucorum auxilia uenere. non tamen auſus oppidum Batauorũ armis tueri, raptis quæ ferri poterant, cæteris iniecto igni in inſulã conceſſit: gnarus deeſſe naues efficiendo ponti, neq; exercitum Ro. aliter tranſmiſſurum. quin & diruit molem à Druſo Germanico factam, Rhenumq; prono alueo in Galliam ruentem disiectis quæ morabantur, effudit. Sic uelut abacto amne tenuis alueus, inſulam inter Germanosq;, continentium terrarum ſpeciem fecerat. Tranſiere Rhenum Tutor quoq; & Claſsicus, & centum tredecim Treuirorum ſenatores, in quibus fuit Alpinus Montanus, quem à Primo Antonio miſſum in Gallias ſuperius memorauimus. Comitabatur eum frater D. Alpinus. Simul cæteri miſeratione ac donis auxilia concibant, inter gentes periculorum auidas. Tantumq; belli ſuperfuit, ut præſidia cohortium, alarum, legionum modicis uicis quadripartita Ciuilis inuaſerit, Decimam legionem Arenaci, ſecundam Batauoduri, & Grinnes Vadamq; cohortium alarumq; caſtra: ita diuiſis copijs, ut ipſe & Verax ſorore eius genitus, Claſsicusq; ac Tutor ſuam quiſq; manum traherent: nec omnia patrandi fiducia, ſed multa auſis aliqua in parte fortunam affore: Simul Cerialem, neq; ſatis cautũ, & pluribus nuncijs huc illuc curſantem, poſſe medio intercipi. Quibus obuenerant caſtra decumanorum, oppugnationem legionis arduam rati, egreſſum militem & cędendis materijs operatum turbauere, occiſo præfecto caſtrorum & quinq; primoribus centurionum, paucisq; militibus. Cæteri ſe munimentis defendere. Et interim Germanorum manus Batauoduri irrumpere inchoatum pontem nitebantur. Ambiguum prælium nox diremit. Plus diſcriminis apud Grinnes Vadamq;: Vadam Ciuilis, Grinnes Claſsicus, oppugnabãt. nec ſiſti poterant, interfecto fortiſſimo quoq;: in quis Briganticus præfectus alæ ceciderat, quẽ fidum Romanis, & Ciuili auunculo infenſum diximus. Sed

Prælium

Bructeri

Cugerni

Arenacum

Batauodurũ

Vada

Grinnes

Sed ubi Cerialis cum delecta equitum manu ſubuenit,uerſa fortuna,præcipites Germani in amnem aguntur. Ciuilis dum fugientes retentat agnitus,petitusq; telis, relicto equo,tranſnatauit. Idem Germanis effugium. Tutorem Claſsicumq; appulſæ lintres uexere. Ne tum quidem Romana claſſis pugnæ affuit, ut iuſſum erat. Sed obſtitit formido & remiges per alia militiæ munia diſperſi.Sanè Cerialis parum temporis ad exequenda imperia dabat,ſubitus conſilijs,ſed euentu clarus. Aderat fortuna etiã ubi artes defuiſſent,hinc ipſi exercituiq; minor cura diſciplinæ.Et paucos poſt dies quanquàm periculum captiuitatis euaſiſſet,infamiã non uitauit.Profectus Noueſium Bonnamq; ad uiſenda caſtra, quæ hyematuris legionibus erigebãtur,nauibus remeabat,diſiecto agmine,incurioſis uigilijs.Animaduerſum id Germanis,& inſidias cõpoſuere. electa nox atra nubibus, & prono amne rapti, nullo prohibente uallum ineunt. Prima cædes aſtu adiuta:inciſis tabernaculorũ funibus, ſuiſmet corijs coopertos trucidabãt. Aliud agmen turbare claſſem,inijcere uincla,trahere puppes. Vtq; ad fallendum ſilentio,ita cœpta cæde,& quo plus terroris adderent, cuncta clamoribus miſcebant. Romani uulneribus exciti, quærunt arma,ruunt per uias,pauci ornati militariter, pleriq; circum brachia torta ueſte & ſtrictis mucronibus. dux ſemiſomnis ac propè intectus,errore hoſtium ſeruatur. Nanq; prætoriam nauem,uexillo inſignem,illic ducem rati,abripiunt. Cerialis alibi noctem egerat,ut pleriq; credidere,ob ſtuprum Claudiæ Sacratæ, mulieris Vbiæ. uigiles flagitiũ ſuum ducis dedecore excuſabant, tanq; iuſſi ſilere,ne quietẽ eius turbarent:ita intermiſſo ſigno,& uocibus, ſe quoque in ſomnum lapſos.Multa luce reuecti hoſtes captiuis nauibus, prætoriam triremem flumine Luppia donum Velledæ traxere. Ciuilem cupido inceſſit,naualem aciem oſtentandi.Complet quod biremium,quæq; ſimplici ordine agebãtur. Adiecta ingens lintriũ uis.tricenos quadragenosq; ſimul armamenta liburnicis olim,haud indecorè pro uelis iuuabant.Spacium uelut æquoris captum,ubi Moſæ fluminis amnem Rhenus Oceano affundit.Cauſa inſtruendæ claſſis,ſuper inſitam genti uanitatem, ut eo terrore commeatus Gallia aduentantes interciperent. Cerialis miraculo magis quàm metu direxit claſſem,numero imparem,uſu remigum,gubernatorum arte,nauium magnitudine potiorem.Is flumine ſecundo, illi uento agebantur.Sic præuecti,tentato telorum iactu,dirimũtur. Ciuilis nihil ultra auſus,trans Rhenum conceſſit.Cerialis inſulam Batauorum hoſtiliter populatus,agros uillasq; Ciuilis intactos,nota arte ducũ ſinebat,cum interim flexu autumni,& crebris pluuialibus hymbribus ſuperfuſus amnis paluſtrem humilemq; inſulam in faciem ſtagni oppleuit. nec claſsis aut commeatus aderant:caſtraq; in plano ſita,ui fluminis differebantur. Potuiſſe tunc opprimi legiones,& uoluiſſe Germanos,ſed dolo à ſe flexos,imputauit Ciuilis.Neq; abhorret uero, quando paucis poſt diebus deditio inſecuta

Cerialis fortunatus

Noueſium

Bonna

Velledæ uirgini prætoria nauis muneri miſſa

Ducum ars

Batauorum inſula

cuta

cuta eſt. Nam Cerialis per occultos nuncios Batauis pacē, Ciuili ueniam oſtentans, Velledā propinquosq; monebat, fortunā belli tot cladibus aduerſam, opportuno erga populū Ro. merito mutare: Cæſos Treuiros, receptos Vbios, ereptā Batauis patriā: neq; aliud Ciuilis amicitia peractū, quàm uulnera, fugas, luctus: exulem eum & extorrem, recipiētibus oneri: Et ſatis peccauiſſe, quod toties Rhenum tranſcenderint: ſi quid ultra moliantur, inde iniuriam & culpam, hinc ultionem & deos fore. Miſcebantur minis promiſſa. Et concuſſa Tranſrhenanorum fide, inter Batauos quoq; ſermones orti, non prorogandam ultro ruinam: nec poſſe ab una natione totius orbis ſeruitium depelli. quid perfectum cæde & incēdijs legionum, niſi ut plures ualidioresq; accirentur? Si Veſpaſiano bellum nauauerint, Veſpaſianum rerum potiri. ſin populum Romanū armis prouocent, quotam partem generis humani Batauos eſſe? reſpicerēt Rhætos Noricosq;, & cæterorum onera ſociorum: ſibi non tributa, ſed uirtutes & uiros indici: proximum id libertati: & ſi dominorū electio ſit, honeſtius principes Romanorum, quàm Germanorum fœminas tolerari. Hæc uulgus. Proceres, atrociore Ciuilis rabie ſemet in arma truſos: illum domeſticis malis, excidium gentis oppoſuiſſe: tunc infenſos Batauis deos, cum obſiderentur legiones, interficerentur legati, bellum uni neceſſarium, ferale ipſis ſumeretur. Ventum ad extrema ni reſipiſcere incipiant, & noxij capitis pœna pœnitentiam fateantur. Non fefellit Ciuilem ea inclinatio, & præuenire ſtatuit ſuper tædium malorū etiam ſpe uitæ, quæ plerunq; magnos animos infringit. Petito colloquio, ſcinditur Nabaliæ fluminis pons. In cuius abrupta progreſſi duces. Ciuilis ita cœpit. Si apud Vitellij legatum defenderer, neq; facto meo uenia, neq; dictis fides debebatur. Cuncta inter nos inimica, hoſtilia, ab illo cœpta, à me aucta erant. Erga Veſpaſianum uetus mihi obſeruantia, & cum priuatus eſſet, amici uocabamur: Hoc Primo Antonio notum, cuius epiſtolis ad bellum accitus ſum, ne Germanicæ legiones & Gallica iuuentus alpes tranſcenderet. Quæ Antonius abſens, Flaccus præſens mouebat, arma in Germania moui, quæ Mutianus in Syria, Aponius in Mœſia, Fabianus in Pannonia.

Velleda cum propinquis ſuis

Treuiri Vbij

Batauos rebellionis pœnitet

Rhæti Norici

BEATVS RHENANVS AD LECTOREM.

DENVO relegi hoc de Germanis opuſculū, quod anno 1519 contulerā cum exemplari non ſcripto,ſed impreſſo tantum. Id tum communicauit mihi Hieronymus Artolphus medicæ rei conſultus,& profuit locis non paucis. Addidi rurſum quędam ex annotationibus illis collati quondam codicis,de quibus hic ſtatim admonebitur lector. Nec in alijs ſententiam meam celabo. Fuiſſem autem paulo prolixior, ni iuuenis eruditus Andreas Althamerus hunc libellum proprijs commentariolis,ut audio,nuper illuſtraſſet.

Ergo obſeruandum hoc in primis,quod quum Tacitus tam exacte Germaniam deſcripſerit Germaniæꝗ populos,nuſquā tamen uel Francorum uel Toringorum facta mentione, ueriſimile ſit in Chaucis Francos, in Sueuis olim Toringos latuiſſe, nec tam inſigneis tum extitiſſe quàm fuerunt poſtea. Siquidem fieri non potuit,ut iſtos ignoraret Tacitus,quem ferunt Belgicam Galliam curaſſe,& in Germanijs prouincijs, hoc eſt prima & ſecunda fuiſſe conſtat, id quod ipſe de ſe teſtatur in hoc opuſculo, quum inquit, Vidimus ſub diuo Veſpaſiano Velledam diu apud pleroſꝗ numinis loco habitam. At in Bructeris habitabat Velleda ad amnem Luppiam. Porrò nobiliores tantum populos enumerat Tacitus, ut quum latiſſime patere Lygiorum nomen ſcribit in plures ciuitates diffuſum,ſubdit, Valentiſsimas nominaſſe ſufficiet. Et alibi inquit, Angriuarios & Chamauos à tergo Dulgibini & Chaſuari cludunt, aliæꝗ gentes haud perinde memoratæ. Sed de hijs in noſtris rerum Germanicarum libellis plura.

Latos ſinus & inſularum immenſa ſpacia complectens.) Hæ inſulæ & hij ſinus Francos nobis dedere & Saxones, aliasꝗ gentes quaſdam quæ ex litoralibus & inſularibus mediterraneæ factæ ſunt.

Montis Arnobæ.) Artolphi codex habet,Abnobæ,quemadmodū & Plinius uocat. Apud Martianum Capellam ad nouem legitur pro Abnobæ. De hoc diximus rerum Germanicarum libro tertio.

Quod unum apud illos memoriæ & annalium genus eſt.) Sic de Arminio Cheruſcorum principe Tacitus noſter in calce libri ſecūdi Annalium, Caniturꝗ adhuc,inquit,barbaras apud gentes,Græcorū annalibus ignotus,qui ſua tantum mirantur,Romanis haud perinde celebris,dum uetera extollimus, recentium incurioſi. Eginhardus de Carolo magno. Barbara,inquit, & antiquiſſima carmina, quibus ueterum regum actus & bella canebantur,ſcripſit,memoriæꝗ mandauit.

Carmina, hoc eſt cantiones apud Germanos

Tuiſtonem deum terra æditum & filium Mannum.) Aeditio uetus quā Artolphus mihi commodarat,habet,ei filium Mannum, Vt ſic legi diſtinguiꝗ uerba poſſint, Celebrant carminibus antiquis (quod unū apud illos memoriæ & annalium genus eſt) Tuiſtonem deum terra æditum. Ei filium Mannum originem gentis conditoremꝗ, Manno treis filios aſsignant.

E quorū nominibus proximi Oceano Ingæuones.) De hijs appellationibus multa diximus libro tertio rerum Germanicarū,in principio, decimumquartum Plinij caput è quarto uolumine explicantes. Mox exemplar cum quo pridē contuli,habebat, Quidam ut in licentia uetuſtatis.

Quorum relatu quem Baritum uocant, accendunt animos.) Barritus iſtius poſt Tacitum meminit Ammianus Marcellinus in deſcriptione pugnæ quā Iulianus Cæſar habuit cum Alemannis apud Argentoratum libro 16. Cornuti, inquit, & Brachati uſu præliorum diuturno firmati, eos iam geſta terrentes Barritum ciere uel maximum, qui clamor ipſo feruore certaminū identidem exoriens

paulatímq́; adoleſcens rítu extollitur fluctuum,cantibus íllíſorum. Vbi lego, eos iam geſturientes Barritum ciere. Subauditur Alemannos. Et mox, rítu extollitur fluctuum cautibus illiſorũ. Sed tamen Artolphi liber habebat, Barditum, Veluti ſit à uerbis quæ Germani uuort appellãt tractum uocabulũ. Niſi debet eſſe Blarritum. De cantu Germanorum prelium ineuntiũ Tacitus noſter libro x x, Vt uirorum,inquit,cantu,fœminarum ululatu ſonuit acies.

ἀσυπύργιον Ab illo conſtitutũ nominatumq́; ἀκρινίπριον.) In exemplari illo cum quo contuleram meum codicem, ſic ſcriptum erat, acriniprion. Lego,ἀσυπύργιον,hoc eſt aſtypyrgion. Vt Aſciburgium inde ſit deductum, una tantũ ſyllaba mutata,ceu uulgo facere mos eſt in nõ intellectis. Vrbem Græcis ἄσυ ſignificat, & πύργος turrim ſiue propugnaculum. Notũ eſt Aſtypalẹę uocabulũ diuerſis inſulis ac ciuitatibus tributum. Pyrgorum quoq; nomen notũ, ex Strabone, Stephano, Anto-

Burgum nino. Porrò non dubito quin Burgũ illud Germanis tam frequens in appellationibus oppidorum & arcium,παρὰ τὸ πύργος deſumptum ſit: quãdo maiores noſtri multa uocabula ſunt à Græcis mutuati,ut & nonnulla à Romanis, ac ab Hebręis paucula. nam omnes hodie linguæ mixtæ ſunt. Nec uero de Græcis dictionibus quas uſurpant in uernaculo ſermone Germani quiſquã mirabitur, qui proditum hoc à diuo Hieronymo meminerit in Traditionibus Hebraicis in Geneſim. Legamus,inquit, Varronis de antiquitatibus libros, & Aſinij Capitonis, & Græcum Phlegonta, cęteroſq; eruditiſſimos uiros,& uidebimus penè omnes inſulas,& totius orbis littora,terraſq; mari uicinas,Græcis accolis occupatas, qui,ut ſupra diximus, ab Amano & Tauro montibus,omnia maritima loca uſq; ad Oceanum poſſedere Britannicum.

Et tantum ad impetum ualida.) Scribit Iuſtinus Parthos intolerandos fore, ſi quantus hijs impetus eſt, uis tanta & perſeuerantia eſſet. Id etiam de Germanis dici poteſt,quantum ad perſeuerantiam attinet, præſertim quoties proprijs auſpicijs bella gerunt. Tradit Florus alpina corpora humenti cœlo educata habere ſimile quiddam niuibus ſuis, quæ mox ut caluere pugna, ſtatim in ſudorem eant, & leui motu quaſi ſole laxẽtur. Cęterum quod de Germanis hic prodit Tacitus, etiam Gallis Liuius tribuit, tanquam ſimilis ſit utriſq; gentibus corporum habitus. Nam apud hunc libro octauo quartæ dec. T. Quintius Cos. ad pugnam cum Gallis fortiter ineundã milites Romanos inflammans. Iam,inquit,uſu hoc cognitum eſt, ſi primum impetum quem feruido ingenio & cæca ira effundunt,ſuſtinueritis,fluunt ſudore & laſsitudine membra,labãt arma,mollia corpora, molles, ubi ira conſedit, animos ſol,puluis,ſitis, ut ferrum non admoueas, proſternunt. Rurſum Liuius libro quarto dec. eiuſdẽ. Labor & æſtus,inquit, emollida & fluida corpora Gallorum,& minime patientia ſitis,quum decedere pugna coegiſſet, in paucos reſtantes impetũ Romani fecerunt,fuſoſq; compulerunt in caſtra. Iterum libro quinto dec. eiuſdem. Sol,inquit,ingenti ardore torrebat minime patientia æſtus corpora Gallorum. Apparet igitur inter Gallos illos ueteres & Germanos mire conueniſſe quantũ ad naturam quum corporum tum animorũ attinet. Enimuero ſatis indicat Cæſar commentario ſexto,iam tum Gallos ob propinquitatem & tranſmarinarum rerum notitiam multa ad copiam atq; uſus largiẽtem, imbelliores redditos,ac paulatim aſſuefactos ſuperari,multiſq; uictos prælijs, ne ſe quidem ipſos cum Germanis uirtute comparare. Vnde Tacitus in uita Agricolæ Britannos cum Gallis comparans: In depoſcendis, inquit,periculis eadẽ audacia,& ubi aduenere,in detrectandis eadem formido. Quod tamẽ in uetuſtiſsimos illos Gallos minime competere poteſt, de quorum fortitudine poſt miſſas in Aſiam colonias apud Liuiũ libro octauo ſic loquitur T. Quintius Cos. in oratione quadam. Non me præterit milites, omnium,quæ Aſiam colunt, gentium

Gallos

Gallos fama belli præſtare. inter mitiſſimũ genus hominũ, ferox natio peruagata bello prope orbem terrarum, ſedem cepit. procera corpora, promiſſæ & rutilatæ comæ, uaſta ſcuta, prælongi gladij. ad hæc cantus ineuntium prælium, & ululatus, & tripudia, & quatientium ſcuta in patrium quendam morem horrendus armorum crepitus. omnia de induſtria compoſita ad terrorem. Hæc ille. Rutilarum comarum magnorumq́ artuum argumento Caledoniã Britanniæ habitantibus Germanicam originem uendicat Tacitus. Nanq́ rutilæ Calidoniam, inquit, habitantium comæ, magni artus Germanicam originem aſſeuerant. De cantu Germanorum quum pugnam ſunt conſerturi, habes apud Tacitum. Ituri, inquit, in prælia canunt. Et alibi. Vt uirorum cantu, fœminarum ululatu ſonuit acies. Ergo quis negabit Celtas illos uetuſtiſsimos Germanis ſimileis & uere Germanos fuiſſe: ut planè dubiũ ſit num ſicut Belgicas regiones, id quod Cæſar tradit, ita etiam Celtarũ terras olim ſuis Germani ſiue Teutones colonijs repleuerint. Nam propria Regulorum nomina, apud Liuiũ Lutarius, Dorolacus, Combolomarus, apud Cæſarem Litauicus, & Ambactorum uox pro clientibus Germanicam etymologiam habent. De Belgarum nominibus minus mirandũ. At dij boni quantam mutationẽ affert tempus, educatio, diſciplina. Gallos lõga pax adeo emollijt, ut dicas ſtirpem illam ueterum Celtarum prorſus exoletã eſſe. Id quod apud Germanos Saxonibus accidit præcipue & Germaniam ſecundam incolentibus nationibus, quæ tamen primum Francorum deinde Saxonum bellicoſiſsimarũ gentium ſoboles exiſtunt. Nihil uero pugnacius olim Saxonibus. Galli certe miteſcere ceperunt poſteaquam prouinciales facti ſunt. quia Romani præſidijs externorum militũ Gallias ex maiori parte tutabãtur, operam dantes ut ipſi prouinciales quieti & ocio per uoluptates aſſueſcerent. quod tam ſedulo factum eſt in Gallijs, ut non modo Romanorum mores induerint, ſed etiam linguã acceperint ſua faſtidita ac nomen. unde Lotharingi omnes hodieq́ ſe Romanos, ſuamq́ linguam Romanam uelut à Romanis acceptam appellant. Hanc artem mitigandi ſubiugandiq́ populos qua Romani ſuum in prouincijs diuerſis imperium ſtabiliendo ſunt uſi, prodit Tacitus in uita Agricolę de Britannis agens, quos is laudãdo caſtigandoq́ eò adduxerit, ut qui modo linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiſcerent. Inde etiam, inquit, habitus noſtri honor, & frequens toga, paulatimq́ diſceſſum ad delinimenta uitiorum, porticus & balnea & conuiuiorum elegantiam. Idq́ apud imperitos humanitas uocabatur, quum pars ſeruitutis eſſet. Hactenus ille. Quod nos de Gallis diximus, idẽ Tacitus in uita Agricolæ docet hijs uerbis. Gallos quoq́ in bellis, inquit, floruiſſe accepimus. mox ſegnitia cum ocio intrauit, amiſſa uirtute pariter ac libertate. Hæc illic. Magnam itaq́ mutationem in Gallis factam uidemus, quorum imperiũ poſt Romanos Franci inclyta Germanorum gens potiſſimum occupauere. At Germani ſui ſimiliores permanſerũt. & quanquam poſt illam infelicem apud Tolbiacum pugnam, quo tempore diuiſa in duas factiones Germania Franci oſtijs Rheni, Alemanni fonti eiuſdem amnis propinquiores uelut duo proci de Gallia contenderũt, uictoribus Francis aliquandiu parere coacti fuimus, tamen quum & Carlingorum ſtirps exoleuiſſet, qui poſt Merouingos in Gallia regnarunt originis Germanicæ, iamq́ Pariſiorum comes Hugo Capetus inuaſiſſet principatũ, reſpirauimus paulatim, & in priſtinam nos libertatem ipſi uendicauimus. Nec uero eſt quur Gallos iſtius mutationis pœnitere debeat, quando optimas leges, diſciplinã ac ciuilitatem à Romanis acceperunt. adeo nocuerunt deuictis à ſe populis quũ magnus Alexander tum Romani. Nos auitæ ferociæ pluſculum retinemus.

Cœlo ſoloue aſſueuerunt.) Suetonius Paulinus Othonianarum dux partium quo nemo illa tempeſtate militaris rei callidior habebatur, apud Tacitũ noſtrum

N 2 libro

libro 18, ſpacium ac moras trahendi belli ſuadens, Germanos ait, quod genus militum apud hoſtes atrociſsimum ſit, tracto in æſtatem bello, fluxis corporibus mutationem ſoli cœliq; haud toleraturos. Ac uidemus Italos, Hiſpanos, ac etiam hodie Gallos in alienis terris commode habere, noſtrateis contra ad omnē plerunq; externi cœli afflatum langueſcere.

Eæq; ſolæ & gratiſſimæ opes ſunt.) Sic & de Geryone Hiſpanorū rege ſcribit Iuſtinus. Armēta, inquit, Geryonis quæ illis temporibus ſolę opes habebātur.

Serratos Bigatosq;.) Nota argenti, inquit Plinius libro 33. cap. 3. fuere bigæ atq; quadrigę, & deinde Bigati Quadrigatiq; dicti. Porrò argēti bigati ex Gallis Boijs, item ex Liguribus Romam allati ſæpe fit mentio Liuio. Nec aliter apparet Serratos ab impreſſa ſerræ nota appellatos.

Vix uni alteriue caſſis aut galeę.) Nihil ambigo quin eſſe debeat, galea. proinde & ſic emendauimus. Occaſionem errato dedit mox ſequens uocabulū quod incipit ab e litera. Paulopoſt. Centeni ex ſingulis pagis. Illic legitur, Centum.

Conſilij quàm formidinis arbitrantur.) Locutio Tacito familiaris, de qua ante admonuimus in caſtigationibus Annalium, & in eius operis initio.

Nec illę numerare, nec exigere plagas pauent.) Reſtituimus, exugere, noſtrū ſecuti iudiciū. Quia uero particula, nec, non erat in codice cum quo contulimus, arbitror ſcriptum fuiſſe, Nec illæ numerare, exugereue plagas pauent.

Ineſſe quinetiam ſanctum aliquid & prouidum putant.) Hoc etiam Romanis uiſum. Nam autor eſt Suetonius Aul. Vitellium Catthę mulieri uelut oraculo acquieſcere ſolitum. Proinde quum illa uaticinata fuiſſet, ita demum firmiter ac diutiſſime imperaturum, ſi ſuperſtes parenti extitiſſet, creditur Vitellius matri cibum dari prohibuiſſe. Fieri poteſt ut Aurinia fuerit, quam ille Romanarum legionum in inferiori Germania præfectum agens, aliquando conſuluerit, aut certe iam potitus rerum poſtea conſulendam curarit. Nam Velleda Bructera fuit.

Vidimus ſub diuo Veſpaſiano Velledā.) Hæc uirgo Bructeræ nationis erat, ad quam non facile quiſquam admittebatur. Habitabat enim in ædita turre. & delectus è propinquis conſulta reſponſaq; ut internuncius numinis portabat. Sic enim eum Taciti locum libro 20. caſtigauimus.

Lucos ac nemora conſecrant, deorumq; nominibus appellant.) Quando uero deorum maxime Mercurium colebant, ut mox dictum eſt, & prodit Paulus Diaconus à Langobardis Vuodam appellatū Mercuriū, cogitādum an Odonis ſylua der Odenuualdt à Mercurio nomen habeat, ut à Marte Martianum nemus der Schuuartzuualdt.

Nec iuſſi conueniunt.) In Artolphi codice legitur, nec iniuſſi cōueniunt. Vt ſit ſenſus, Sæpius uocandos priuſquam ueniant. quod ab illis ſuapte ſponte non fiat. Mox eſt illic, Quibus tamen coercendi ius eſt.

Sin placuit, frameas concutiunt.) Sic Tacitus noſter libr. 21. de Germanis Batauisq; Cl. Ciuilis orationem ſibi placuiſſe demonſtrātibus, Vbi, inquit, ſono armorum tripudijsq;, ita illis mos, approbata ſunt dicta.

Tanquā ſcelera oſtendi oporteat dum puniūtur, flagitia abſcondi.) Sic apud Liuium libro nono quartæ dec. Sp. Poſthumius Albinus Cos. populū alloquens, Minus tamen, inquit, eſſet, ſi flagitijs tantum effœminati forent, (ipſorum id magna ex parte dedecus erat) à facinoribus manus, mentē à fraudibus abſtinuiſſent. Et mox, Illorum eum, cum quibus in omne flagitium & facinus coniurauit, non ſuum iudicet. Rurſum infra. Illo uno collega caſtigare ſe noua flagitia, & priſcos reuocare mores poſſe.

Tum eum in ipſo concilio uel principum aliquis, uel pater, uel propinquus.) Exemplar illud ſic habebat, Tum in ipſo concilio uel principum aliquis, uel ipſi

uel

uel propinqui. Scribendum arbitror, Tum in ipſo concilio uel principum aliquis, uel ipſi propinqui ſcuto frameaq́ꝫ iuuenẽ ornant. Itaq́ꝫ pronomẽ eũ expunximus.

Pleriq́ꝫ nobilium adoleſcentium petũt ultro eas nationes quæ tum bellum aliquod gerunt.) Apud Liuium libro ſecundo quartę dec. Philippus Macedonum rex obijcit Aetolorũ principi Alexandro, in colloquio, quod Aetoli pro lege hũc morem antiquitus ſeruent, ut aduerſus ſocios ipſi ſuos publica tantum autoritate dempta, iuuentutem ſuam militare ſinant, & contrariæ perſæpe acies in utraq́ꝫ parte Aetolica auxilia habeant. Quoties autem hodieq́ꝫ contingere uidemus ut in contrarijs aciebus ab utraq́ꝫ parte Germanica auxilia conſpiciantur?

Et ut facilius inter ancipitia clareſcant, magnumq́ꝫ comitatum non niſi ui belloq́ꝫ tueare.) Repoſuimus indidem, ut particula deleta, pro clareſcant, clareſcũt, & pro tueare, tueantur. Et facilius inter ancipitia clareſcunt, magnumq́ꝫ comitatum non niſi ui belloq́ꝫ tueantur.

Nam epulæ & conuictus quanquã incompti, largi tamen apparatus.) Suſtulimus dictionem conuictus, quę in eo codice nõ erat. Nam integer ſenſus eſt ſi legas. Nam epulæ, & quanquã incompti largi tamen apparatus, pro ſtipendio cedunt. Paulopoſt eſt illic. Ipſi hebent mira diuerſitate naturæ.

Mos eſt ciuitatibus ultro ac uiritim conferre principibus.) Pro ac uiritim ex priori collatione reperi ſcriptum in margine uoluminis mei, ſed literis pene fugientibus exoleſcentibusq́ꝫ, acuirium ſiue ecuirium. Dubito num potius germana ſit lectio, equitium, hoc modo, Mos eſt ciuitatibus ultro equitium conferre principibus. Nam mox inter dona primum equi locum habent. Electi, inquit, equi. Porrò dignum inprimis principe hoc honorarium donum eſt. Significat autem equitium, equorum armentum. Nunc apte ſequitur de cæteris pecoribus, quæ præcipue ad eſum ſpectant. Vel armẽtorum uel frugum, quod pro honore acceptum, etiam neceſſitatibus ſubuenit. Expone, quod armentorum uel frugum, niſi libeat ſubaudire, pronomen id, aut aliquid. *Equitium*

Nullas Germanorũ populis urbes habitari ſatis notum eſt.) Diutius retinuere Germani priſcam illam & rudem ſimplicitatẽ. Nam & Athenienſes pagatim olim habitaſſe priuſquam in unam urbem contribuerẽtur, Liuius autor eſt. Et ex Trogo refert Iuſtinus, Gallos à Maſſilienſibus Græcis, uſum uitę cultioris depoſita & manſuefacta barbarie, & agrorum cultus, & urbes mœnibus cingere didiciſſe. Tunc, inquit, & legibus nõ armis uiuere, tunc & uitem putare, tunc oliuam ſerere conſueuerunt. Adeoq́ꝫ magnus & hominibus & rebus impoſitus eſt nitor, ut non Græcia in Galliam emigraſſe, ſed Gallia in Græciam translata uideretur. Hactenus ille. Verũ Germanis nihil tale contigit, quia mediterranei ſunt, & Oceanus ille Germanicus nauigatu periculoſus, ac ignotus, raris ab Italia Græciaq́ꝫ nauibus aditur. Et Galliæ quidem poſteaquam in numerum Romanarum prouinciarum uenerũt, cultiores factæ ſunt. at de Germania in prouinciam redigenda cogitauit quidẽ Auguſtus, & tentauit aliquid Druſus Germanicus, poſterioribusq́ꝫ ſeculis Poſthumus, & alij quidam Germaniæ particulam quæ eſt inter Menum, Nicrum, & Rhenum aliquandiu poſſederunt, uerũ res ſucceſſu caruit, amiſſa ſtrenue recuperantibus Germanis. Deinde poſt ingentẽ illam cladem ad Tolbiacum uicum Vbiorum acceptam, ita preſſere nos Franci, ut reſpirare non licuerit, donec exoleta ſtirpe ueterum Francorum, auſpicijs primũ Othonis Saxoniæ Ducis & Chuonradi Oſtrofranci atque Henrici Saxonis, mox Magni illius Othonis qui inter Imperatores Germanicos primum obtinet locum, in priſtinam libertatem nos ipſi uindicauimus. Tum urbes in prouincijs quum ad Rhenum tum ad Danubium iam olim occupatis ſitæ, amplificari paulatim, & uici ueteris Germaniæ, de quibus Tacitus loquitur, mœnibus cingi cœperunt. Iudæã quoq́ꝫ

uícis abundaſſe, Tacitus autor eſt, quũ inquit li. 21. Magna pars Iudęæ uícis diſ-(pergitur.

Colunt diſcreti ac diuerſi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit.) Hinc crebræ locorum appellationes à bach, feld, & holtz.

Fibula, aut ſi deſit, ſpina conſertum.) Sic Carolum illum Magnũ tradit Eginhardus feſtis diebus uſum fibula aurea ſagum aſtringente. Erat autem Germanici cultus is princeps longe retinentiſsimus.

Hoc paratus equus, hoc data arma denunciant.) Illic manifeſte ſcriptum erat, renunciant, quod ego certe non mutaſſem. Nam renunciare etiam declarare eſt. Renunciantur conſules, quum declarãtur. Hoc docet nos Plinius Cæcilius in Panegyrico quum inquit. Tuo iudicio conſules facti, tua uoce renunciati ſumus: ut idem honoribus noſtris ſuffragator in curia, in campo declarator exiſteres. Neq; uero re ſemper iterationem ſignificat in compoſitis.

Renunciare

Sic uiuendum, ſic pereundum.) Diuerſam lectionem ex annotatiunculis reperio, nempe hanc, Sic uiuentes, ſic parientes accipere ſe. Tum legerim, reddant, atq; ſic diſtinxerim. Hoc iuncti boues, hoc paratus equus, hoc data arma renunciant: ſic uiuẽtes, ſic parientes, accipere ſe quæ liberis inuiolata, ac digna reddant, quæ nurus accipiant. Vt referatur ad uxores. nam & boues pariunt. Et pluratiue ſequitur, agunt, nullis conuiuiorum illecebris corruptæ.

Nemo enim illic uitia ridet, nec corrumpere & corrumpi ſeculum uocatur.) Quanto ſanctiores fuere nobis ethnici? Nam quotus quiſq; hodie uel uitia non ridet, uel quantumuis enormibus flagitijs non prætexit illud. Sic ſeculum eſt. Si quis aliena matrimonia contaminantem aut puellis illudentẽ damnet, ſtatim audit, Sic ſeculum eſt. Si bonus uir peſſimam iſtam potandi conſuetudinem reprehendat, mox adeſt qui excuſet quod ſic hodie ſeculum ſit. Si quis improbet morem quo iuuenes in militiam temere proficiſcuntur ad nullum non ſcelus patrandum erudiendi, huic mox dicetur, Sic ſeculum eſt. Si quis miretur ſacerdotum in parandis præbendis inſatiabilitatem, audit, ſic ſeculum eſt. Si quis immodicum mortalium ſtudium in parandis diuitijs, queſtum illicitum, atq; contractuum iniquitatem deteſtetur, huic tanquam neſcienti allegabitur, Sic nunc ſeculum eſt. In ſumma, nullis non erratis, nequitijs, criminibus, obtendimus, Sic ſeculũ eſt. Diſsimiles igitur maioribus noſtris uitia ridemus nobiſq; blandimur, & corrumpentes ac corrupti, decipientes alios ac circumſcribentes culpam in ſeculũ reijcimus. Codex alter habebat, uocantur.

Nec ulla orbitatis pretia.) Apud Germanos non erant qui ſenes orbos captarent, qualeis multos Romæ fuiſſe produnt autores. Hij ſic ambiebant ac colebant eos qui liberis caruiſſent, ut nihil eſſet tam ſeruile quod ſpe hæreditatis aut legati potiundi non paterentur. Vnde de corruptis urbis Romæ moribus diſſerens Ammianus Marcellinus refert ſuo ſeculo uile exiſtimatum, quicquid extra urbis pomerium natum fuiſſet, præter orbos & cœlibes: nec credi poſſe qua obſequiorum diuerſitate colantur homines ſine liberis Romæ, ut his qui patres ſunt, tanquam in capita mendicorum acerbius cœlibes dominentur. Captatorem notat in Paradoxis Cicero quum inquit. Quem nutum locupletis orbi ſenis non obſeruat? loquitur ad uoluntatem. quicquid denunciatũ ſit, facit. aſſentatur, aſſidet, miratur. Indicat Auſonius Burdegalenſis eum cui non ſit hæres, captatoribus obnoxium exiſtere, quum canit, Et captatoris præda eſt, hæredis egenus.

Plinius Iunior quadam ad Caluiſium epiſtola, M. Regulum tanquam impudentem ac ſceleratum captatorẽ depingit, talium uulturũ aſtutiam ſatis exprimens. Tacitus noſter Annalium libro 14. de Pomponio Syluano: Valuitq; pecunioſa orbitate & ſenecta, quam ultra eorum uitam produxit quorum ambitu euaſerat. Itaq; Romæ erat aliquod orbitatis pretium, quum ſic colerentur ab hæredipetis

orbi

orbi ſenes opulentiq;. Verum integritas Germanorum neſcia fuci, nihil tale ad/ (mittebat.

Crebræ ut inter uinolentos rixæ.) Hoc de Germanis qui Rheno propiores ſunt accipiendũ. Sic Annalium libro primo de Marſis. Ac ne pax quidem niſi languida & ſoluta inter temulentos. Alioqui legere malim, ut inter uiolentos. nam interiores Germani uino carebant. Et cædes & uulnera uiolentiam (conſequũtur.

Sed de recõciliatis inuicem inimicitijs.) Scripſimus, Sed & de reconciliandis inuicem inimicis. Et paulopoſt. Exercitatio artem parauit.

Et prata ſeparent.) Niſi fallunt annotatiunculæ quondam exceptæ, legitur illic, Et prata ſepiant. Moxq; non peroperoſum honorem, ſed tantum, operoſum.

Et grauem defunctis, aſpernantur.) Caſtigauimus, ut grauem defun. aſpern.

Summus autorum diuus Iulius tradit.) Eius uerba ſunt Commentario ſexto. Ac fuit, inquit, antea tempus quum Germanos Galli uirtute ſuperarent, & ultro bella inferrent, ac propter hominum multitudinẽ, agriq; inopiam trans Rhenum colonias mitterent. Et ſubdit paulopoſt. Nunc quod in eadem inopia, egeſtate, patientiaq; Germani permanent, eodem uictu & cultu corporis utuntur, Gallis autem propinquitas & tranſmarinarum rerum notitia, multa ad copiam atq; uſus largitur, paulatim aſſuefacti ſuperari, multisq; uicti prælijs, ne ſe quidem ipſi cum illis uirtute comparant.

Eoq; credibile eſt, etiam Gallos in Germaniam tranſgreſſos.) Sane T. Liuius libro quinto primæ decad. aperte tradit, quum Ambigatus Biturix rex Celtarum magno natu ipſe regnum prægrauante multitudine exonerare cupiens quæ iam uix regi uidebatur poſſe, Belloueſum ac Sigoueſum ſororis filios impigros iuuenes, miſſurum ſe eſſe in quas dij dediſſent augurijs ſedes oſtendiſſet, Sigoueſo ſortibus datos Hercynios ſaltus. Cæterum quos Gallorum populos ſecum eduxerit, non commemorat nominatim propter inſtitutam de primum tranſcenſis alpibus narrationem, id quod à Belloueſo factum. At mihi fit probabile è Celtis Sigoueſum habuiſſe & Andegauos, quando horum nomẽ hodieq; extat in Hercynio ſaltu quâ Galliam aſpectat. Siquidem amœniſſimã uallem illam quę eſt oppidulo Noppenaugiæ uicina, ſubiecta Cniebiſo monaſteriolo Benedictinæ factionis, uernacula Germanorum lingua Andegaſt appellat. In cuius extremo thermæ repertæ ſunt ętate patrum noſtrorum, recentibus uulneribus ſanandis mirũ in modum conducibiles. Quod ſi liqueret Belouacos quoq; è Belgis unà cum illo tranſiiſſe Rhenum, tribueremus illis uicinam uallem quam uulgus Voluacenſem uocat, quaſi dicas Beluacenſem, à Voluaco ſeu fluuio, ſeu oppidulo, hoc eſt Belouaco, Vt Senonibus Gallis proximam Hercynij ſaltus partem quam hæc ætas Simonis nemus cognominat. Porrò de Tectoſagibus Gallis, qui trans Rhenum coloniam miſerint, teſtatur hijs uerbis Iulius Cæſar commẽtario ſexto. Itaq; ea, quæ fertiliſsima ſunt Germaniæ loca circum Hercyniam ſyluam (quam Eratoſtheni & quibuſdam Græcis fama notam eſſe uideo, quã illi Orcyniam appellãt) uulgo Tectoſages occuparunt, atq; ibi conſederunt. Hæc ille. Cæterum penitioribus illos, cultioribusq; locis habitaſſe ad Nicrum fluuium argumẽto Decenſis arcis, in noſtris rerum Germanicarum libris annotauimus. Atq; hic obſeruandum, ab idoneis eſſe relatum autoribus, inde nomen Alpium ortum, quod ſua lingua montes Galli uocent Albas. Itaq; montis qui Nicro fluuio uicinus eſt, & haud procul Rutelinga aſcenditur, illa longe lateq; patens planicies, tritici inprimis ferax, indubie etiamnum Albæ nomen à cultoribus olim Gallis retinet. Suſpicorq; montẽ hunc à Flauio Vopiſco deſignatum, quũ ſcribit in uita Probi Imp. cæſis Alemannorum in Gallia multis millibus, reliquias ultra Nicrum, ſic enim illic legimus, non Nigrum, & Albam fuiſſe remotas. Significat enim Probũ eos qui ex Alemannis ſupererant, in ulteriorem Germaniæ regionem, & tranſnicrinam ſiue ut hodie lo/

Andegauica uallis in Hercynio ſaltu Andegaſt.

Andegauicæ thermæ.

Beluacenſis uallis, Vuolſâcher tal.

Senonũ ſaltus

Tectoſages

Alba mons ad Hercynium ſaltum

Fl. Vopiſci locus

quimur tranſnecaranam atq; tranſalbanam Ducatus Vuirtenbergenſis partem ſubmouiſſe,uerſus Danubium,cui propter ſecuritatem Galliarum præſtabat illos eſſe uiciniores quam Rheno. Et Rhætiæ prouinciæ ſteriliori minus erat periculi à Germanis. Siquidem de Albi inclyto flumine non uidetur accipiendum, quem à recentioribus Albiam uocari haud ignoro. Sub Auguſto certe ſemel contigit ut Albis eſſet limes imperij Romani,qui mox Varo Quintilio occiſo uix in Rheno ſtetit. Et Tacitus notum olim fuiſſe dicit,ſed nunc, inquit,tantum auditur. Neq; enim poeticæ laudes Claudiani Panegyriſtæ ad hiſtoriæ ueritatē ubiq; ſunt trahendæ. Quanquam uero Probus ipſe in epiſtola ad ſenatum gloriatur ſubactam eſſe omnem quâ tenditur late Germaniam, nouemq; reges gentium diuerſarum ad ſuos pedes ſtratos iacuiſſe: arbitror tamen quod de ſubmotis reliquijs indicat Vopiſcus,accipiendum de Alemannis potius quàm Germanis inferioribus:cum quibus & Francis aliter interuenire pax potuit,nempe per fœdus aut certas conditiones. Igitur de numero fertiliſſimorum Germaniæ locorum circum Hercynium ſaltum,in quibus Tectoſages ſeu cæteri Galli conſederunt,iſta Alba eſt,pars poſtea Martianarum ſyluarū, ſic enim pluratiue Marcellinus appellat,indicans per has Iulianum Aug. tranſiſſe,quum Danubium ex Rauracis adiret nauigaturus in Illyricum.

Manet adhuc Boiemi nomē.) Velleius Paterculus Boiohemum uocat. Heimum ſiue heim Germanica dictio patriam ſignificat & domiciliū, unde nuſquā non obuiæ locorum appellationes in Germania. Deprauatum Pauli Diaconi codicem,in quo ſic legitur hiſtoriæ Langobardorum libro primo capite decimotertio:Dicuntur poſthæc Anthaib & Banthaib, pari modo Nurgundaib per annos aliquot poſſediſſe:tu ſic emenda. Dicuntur poſthæc Anthaim & Banthaim, pari modo Burgundhaim per annos aliquot poſſediſſe. Hoc eſt, Antarum, Vandilorum,ut ſit Banthaim pro Vandhaim,atq; Burgundionum regiones. Loquitur de Langobardis è Scandinauia progreſſis. Quemadmodū enim Tacitus hic Boiemum dixit,ſic poſſemus iuxta Latinam inflexionem, Anthemum & Burgundhemum uſurpare. Sunt autem hæ ueteres Burgundionum ſedes priuſquā per Germaniam in Sequanos commigrarunt. Sic etiam reſtituenda ſunt illa locorum nomina,quorum fit in lege Salica mentio circa principium,ubi mendoſe ſcriptū eſt à librarijs Gallicis,in loco cognominato Salechamne,Bodecamne,& Vuidocamne:quū debeat eſſe,Salinghaim,Bodinghaim,& Vuidinghaim: ut intelligas Salingorum,Bodingorum,& Vuidingorum uicos ſiue tractus. Nam Franci quum germaniſsimi Germani fuerint huiuſmodi appellationibus inferioris Germaniæ loca,in quam primū tranſgreſſi ſunt,inſigniuere. Nec aliud eſt ibidem Salegaſte ſiue Vuidagaſte quàm Salingorū ſiue Vuidingorū præfectus. Sed de hijs in noſtris rerum Germanicarum libellis amplius. hic tantum lectorem admonere uoluimus per occaſionem.

Nam nec tributis contemnuntur.) Suſpicor à Tacito ſcriptum, condemnantur. Nam damnare Liuius etiā pro multare uſurpat, ut libro quinto dec. quartæ, Multos pecuarios damnarunt. Niſi quis malit, comminuuntur.

Non numeramus.) Repoſuimus ex autoritate uetuſtioris illius æditionis, Non numerauerim.

Eos qui Decumates agros exercent.) Hij agri indicari certe non poſſunt. Sed tamen fuere propinqui Rheno,argumento Gallorum occupantium. Mihi, quod ante dixi, non contigit inſpicere codicem uetuſtum manuſcriptum, qui nos hic adiuuaret. Nam fieri poteſt ut pro Deuinates aliquis ſcripſerit Deumates, quod poſtea uerſum ſit in Decumates. Vt fortaſſe Deuinam accipiamus pro Dauentria. Deuonam uocat Ptolemęus in illa confuſa Germaniæ oppidorum nomenclatura

clatura. Sed hic te fruſtra torqueas, niſi anſam cogitãdi prębeat ſcriptura uetuſta. Adiuuare quoq; poterit, quod addit, Sinus imperij. Ergo Rhenus, ut uidetur, illic ſinũ facit. Sed & immenſorũ lacuũ prope Friſios infra faciet mentionẽ Tacitus. Paulopoſt, ubi nos habemus, intelligere occaſiones, illic erat neceſſitates. Tacitus libro 1. Annaliũ. Iuſſoſq; dicta cũ ſilentio accipere, tẽporis ac neceſſitatis monet.

Et alijs Germanorum populis uſurpatũ, rara & priuata cuiuſq; audentia apud Cattos in conſenſum uertit.) Hæc clauſula ſic recte diſtinguitur. Hoc tamen at- *In conſenſum uertit* tendendum, rara & priuata audentia, ſeptimo caſu dictum eſſe, id eſt, per raram & priuatam audentiam. nam uertit hic abſolute protulit Tacitus, ut quum Annalium libro undecimo dixit. Ac ni cędẽ eius Narciſſus properauiſſet, uerterat per- *Verto abſolute* nicies in accuſatorem. Sic enim illic legendum docuimus ex manuſcripto codice, non perniciem. Et eodem libro paulo ante, Seu forte lapſa uox in prælagium uertit. & multis alijs in locis. Sic & Liuius ſubinde loquitur. Emenda lectionem Liuianam, libro decimo tertiæ Decadis, ubi uulgatæ æditiones in hunc modũ habent. Et induratus præter ſpem reſiſtendo timor hoſtium, ac ne uertatur in audaciam periculũ eſt. Et ſcribe, ac ne uertat in audaciam, periculũ eſt. Porrò facit ad hunc locum de crine apud Cattos ſummittendo, quod Tacitus noſter libro 20. ſcribit. Ciuilis, inquit, barbaro uoto, poſt cœpta aduerſus Romanos arma propexum rutilatumq; crinem patrata demum cæde legionũ depoſuit. Erat autem Ciuilis ille natione Batauus. & Cattorum pars quondam Batauí fuere.

Proximi Cattis certum iam alueo Rhenum, q.t.e.f. Vſipij ac Tencteri colũt.) Hæ nationes omnes in ditionem poſtea ac nomen Francorũ conceſſere, ceu Gręcorum prouincias hodie Turciam uocamus. Sub inclinationem enim Romani imperij regnarunt in Germania potenter Saxones cum Toringis, Franci ac Alemanni, qui & Sueui, proprijs adhuc ſubiectarum aut fœderatarum nationum appellationibus diſcreti. Nam Francorum quibus Anſibarijs nomen fuerit, quibus item Salijs, meminit Am. Marcellinus. Liber qui formulam Romani imperij in Occidente continet, oſtendit Ampſiuarios aliquando militaſſe intra Gallias, ſub Magiſtro peditum in præſenti. Sicut & Bructeros. Dubito num Angriuarij ſint.

Nunc Chamauos & Angriuarios immigraſſe, narratur.) Chamaui, ſicut Briſigaui. Chamauorum cohortem XI, agentem Peami, ſub duce Thebaidos militaſſe liber indicat de præfecturis Romanis. Auſonius in Moſella,

Accedent uires, quas Francia, quaſq; Chamaues, Germaniq; tremant.

Angriuarios iuxta Germaniæ linguæ etymon interpretari licet, aggreſſores. Archiepiſcopus Agrippinenſis Coloniæ quæ in Vbijs eſt, ſe Ducem Angeriæ ſcribit, quaſi dicas Angriuariæ.

Aliæq; gentes haud perinde memoratæ.) Huiuſmodi gentium haud perinde memoratarum una fuere Franci. qui circumiectarum nationum aucti primũ imperio, deinde una cum Alemannis ſuperiorem tenentibus Rheni ripam, quum ipſi inferiorem poſſiderent, tranſgreſſi in Gallias, ut nulla fides regni ſocijs, ad Tolbiacum memorabili prælio quo de ſumma rerum decernebatur, copias Alemannorum deleuerunt, duce Ludouico, quem uulgus Clodoueum appellat. Tandem etiam deuictis Saxonibus, nullo uſquã reſiſtente populo, totius propè Occidentis potiti ſunt ditione. Poterunt Romani qui, ceu Iuſtinus ſcribit, finitimis populis armis ſubiectis primum Italiæ, mox orbis imperium quęſiuere, & hactenus eſſe nobis exemplo Turcę, quorum item initio neq; obſcurius quicquam, neque incertius: ſi modo licet citra piaculum, noſtratem optimeq; meritam de Chriſtiana pietate gentem, cum truculentiſſimis hoſtibus noſtris cõferre: cum quibus nuper, quod bene ac feliciter uertat, iuſtũ piũq; bellũ ſuſcepimus, auſpicijs & ductu Caroli Auguſti atq; Ferdinandi Cæſaris.

Eundem

Eundem Germaniæ ſinum proximi Oceano Cimbri tenent.) Eundem intelligecum Chaucis. Et quia ſupra dixit, In Septentrionem ingenti flexu redit: ac ſequitur, Vtraq; ripa caſtra ac ſpacia: minus placet quod in annotatiunculis reperi quondam collati codicis, Eundem Germaniæ ſitum.

Ne Parthi quidē ſæpius admonuere.) Arbitror Tacitū admouere ſimpliciter uſurpaſſe, quod Liuius dicere ſolet, admouere exercitū, & admouere caſtra. Sanè quum ueterem Germaniam à Danubio prouinciæ Romanæ, duæ Rhætiæ, Noricum & duæ Pannoniæ: à Rheno contigerint, Sequanicus tractus qui Heluetios & Rauricos complectebatur, Tractus Argentoratenſis, in quo Argentoratum & Seleſtadium ueteris Elcebi colonia, unde Elſatiæ uernaculum nomen, ac Germaniæ duæ, nihil mirum ſi ſubinde admouerunt Germani, non tam propulſantes pericula Romanis impugnantibus, quàm prædarum dulcedine prouincias Romanas incurſantes.

Ac ſæpe in ipſo ſolo uertice ligant.) Ablatiuus ipſo non erat in Artolphi libro, meliusq; expunxeris. ſed pro ligant erat, religatur. Et pro, ut hoſtium oculis ornantur, Et hoſtium oculis armantur.

Contra Langobardis paucitas, nobilitas: quod.) Scripſimus, nobilitasq; quod plur. Mox pro Reudigni uidebatur eſſe, Vendigni. Item, Suarines. *Vendigni*

Quæcunq; aduentu hoſpitioq; dignatur.) Sic in huius libri initio dixit, minimeq; aliarum gentium aduentibus & hoſpitijs mixtos. Illic legebatur, quęcunq;. ſubaudi locum. Cogitandum an pro aduentu ſcribendum ſit, aduectu. qua uoce etiam utitur Annalium libro 20. Hæc, inquit, de origine & aduectu dei, celeberrima. Sic enim & illic legendum pro aduentu, quemadmodum nos caſtigauimus. Adiuuat hic indubiam coniecturam quod præcedit, Inuehi populis arbitrantur.

Atque in ſplendidiſſima Rhætiæ prouinciæ colonia.) Putatur eſſe Auguſta quam uulgo Vindelicorum appellant, quod Vindelicię ſit proxima, ſed tamen in Rhætia prima. Notum etiam è recentioribus chronographis Licum amnem ſeparare Baioarios à Sueuis, poſtquam uidelicet Germanici iuris factæ ſunt prouinciæ, quum ſub Romanis idem fluuius Rhætiam primam à ſecunda quæ eadem Vindelicia fuit, indubie diſterminaret. Ex hoc uero cognoſcere potes quàm late diffuſa fuerit Hermundurorum natio, plurimum occupās ſoli. Paulopoſt. Et Tudri genus, legebatur, Et Trudi. Proximis ſanè ſeculis Trutonis & Trutomanni nomen apud maiores noſtros auditum eſt. teſtimonio ſunt ueteres donationum & contractuum tabellæ. Hincq; heroinarum Germanicarum uocabula Adeltrudis & Gertrudis, à ſincero uidelicet amore fideq;. *Trudys*

Ac deinde Marcomani & Quadi agunt.) Liber qui continet formulam imperij in Occidente, docet poſtea Marcomannos Seniores & Iuniores intra Italiam ſub Magiſtro peditū in pręſenti, Marcomannos equites intra Aphricam ſub Comite & Magiſtro equitum pręſentali, Alam uero primam Quadorū in Oaſi minore militaſſe, ſub Duce Thebaidos.

Lygiorū nomen.) Quod ex Cornelio Nepote tradit Plinius, Q. Metello Celeri tum Galliæ proconſuli, Indos à rege Sueuorū dono datos, affirmat eruditiſsimus candidiſsimusq; uir Hermolaus Barbarus in quodā Pomponij Melæ codice eandem rem narrantis legiſſe, non à rege Sueuorum, ſed Lydorum. Quid ſi quis à rege Ligorum ſcripſiſſe Melam putet? nam Sueuorum nomen generalius eſt etiam Ligios complectens. ut autor uterq; recte ſcripſerit.

Elyſios.) Cogitandum an Seliſios aut Sleſios fortaſſis hic potius ſcribendum ſit. Nam hæ gentes mihi uidētur ad Danubium uergere. Eſt autem hodie Sleſiorum populus inſignis, unde nobis C. Vrſinus Velius prodijt Muſarum alumnus, & alij compluſculi literarum ſtudijs celebres.

Trans

Trans Ligios Gothones regnant.) Inter mediterraneas aut littorales gentes, quum Langobardos tum Gothones annumerat Tacitus. Sed mirũ an ab hijs inſulares olim, an ab inſularibus hij ante prodierint.

Suionum hinc ciuitates, ipſe in Oceano.) Forte melius legatur, Suionũ hinc ciuitates ſitæ in Oceano. Eginhardus in uita Caroli Magni Suecones recẽtiori uocabulo Nortmannos oſtendit appellari, quum ait, Sinus quidam ab Oceano Orientem uerſus porrigitur, longitudinis quidem incompertæ, latitudinis uero quæ nuſquam centum millia paſſuum excedat, quum in multis locis contractior inueniatur. Hunc multæ circumſident nationes. Dani ſiquidẽ & Suecones quos Nortmannos uocamus, & Septentrionale littus, & omnes in eo inſulas tenent.

Efluorum gentes.) Repoſuimus Aeſtyorum gentes. Putauerim Aeſtyôs eſſe qui Eginhardo Aiſti modo citato loco dicuntur. Nam ipſe pergens in narratione, At littus, inquit, auſtrale Sclaui, & Aiſti, & aliæ diuerſæ incolunt nationes. Apparet autem in archetypo fuiſſe, Aeſtuorum pro Aeſtyorum. ex quo alius fecerit, Efluorum. nam u pro y ueteres librarij ponebant.

Peucinorum, Venedorumq; & Femiorum nationes.) Caſtigauimus, & Fennorum nationes. Venedorum mentio quoq; fit Plinio.

Procerum connubijs mixtis.) Conijcio ſic fuiſſe ſcriptum. Sordes omnium ac torpor. Cęterum connubijs mixtis, nonnihil in Sarmatarum habitum fœdantur.

Fennis mira paupertas.) Apud Iornandem inuolutum atq; mendoſum ſcriptorem Finni inter mitiores Scanziæ cultores enumerantur. Finni, inquit, mitiſsimi. Quãdo uero libellus hic à Tacito Germanis dicatus eſt, propter ſtudioſos antiquitatis Germanicæ non poſſum omittere quin Pauli Diaconi locum explicem huc pertinentem. Is ſtatim in hiſtoriæ Langobardicæ exordio, Scritofinnos inſulæ Scandinauiæ uicinos facit. quanquam illic mendoſe ſcriptum eſt Scritobini. Sunt autem hæc illius uerba. Huic, inquit, loco Scritofinni, ſic enim gens illa nominatur, uicini ſunt. qui etiam ęſtatis tempore niuibus non carent, nec aliud, utpote feris ipſis ratione non diſpares, quàm crudis animantium carnibus ueſcuntur. de quorum etiam hirtis pellibus ſibi indumenta coaptant. Hi à ſaliendo, iuxta linguam barbaram, etymologiam ducunt. ſaltibus enim utentes, arte quadam, ligno incuruo ad arcus ſimilitudinem feras aſſequuntur. Hactenus ille. Non diſſentiunt hęc cum hijs quę Tacitus ſcribit, quum inquit, Sola in ſagittis ſpes. Idemq; uenatus uiros pariter ac fœminas alit. Quod uero dicit de barbaro nominis etymo, facile eſt intelligere Finnis iſtis à faciendo paſſu contigiſſe appellationem. nam ſchriten Germanis eſt paſſum facere. Emenda prodigioſe corruptum locum apud Iornandem non longe à principio Gotthicæ hiſtoriæ, ubi ſic habetur in uulgatis ęditionibus. Aliç uero ibi gentes tres Creſennæ. tu ſcribe, Aliç uero ibi gentes Scritofennę, quę frumentorum non quæritant uictum, ſed carnibus ferarum atq; auium uiuunt. Vbi tanta paludibus fœtura ponitur, ut & augmentum pręſtent generi, & ſatietatem ac copiam genti.

Scritofinni

Scritofinni uñ de ſic dicti

Vt illis ne uoto quidem opus eſſet.) Scripſimus, opus ſit. Nam uetus æditio cum qua noſtram conferebamus, manifeſte habebat, ut. Quid ſi Tacitus ſcripſit, ut illis ne uoto quidem opus. Sed cætera iam fabuloſa.

FINIS

P. CORNELII TACITI EQ. RO.

DE SITV, MORIBVS ET POPVLIS GERMANIAE LIBELLVS.

GERMANIA omnis à Gallis Rhætijsq́ꝫ & Pannonijs, Rheno & Danubio fluminibus, à Sarmatis Dacisq́ꝫ mutuo metu aut montibus ſeparatur. Cætera Oceanus ambit, latos ſinus & inſularum immenſa ſpacia complectens, nuper cognitis quibuſdam gentibus, ac regibus, quos bellum aperuit.

Rhenus

Rhenus Rhęticarum alpium inacceſſo ac præcipiti uertice ortus, modico flexu in Occidentem uerſus, ſeptentrionali Oceano miſcetur.

Danubius

Danubius molli & clementer edito montis Abnobæ iugo effuſus, plures populos adit, donec in Ponticum mare ſex meatibus erumpat. ſeptimum enim os paludibus hauritur.

Germani indigenæ

Ipſos Germanos indigenas crediderim, minimeq́ꝫ aliarũ gentium aduentibus & hoſpitijs mixtos: quia nec terra olim, ſed claſſibus aduehebantur qui mutare ſedes quærebant: & immenſus ultra, utq́ꝫ ſic dixerim, aduerſus Oceanus raris ab orbe noſtro nauibus aditur. Quis porrò præter periculũ horridi & ignoti maris, Aſia, aut Africa, aut Italia relicta, Germaniam peteret? informem terris, aſperam cœlo, triſtem cultu aſpectuq́ꝫ, niſi ſi patria ſit.

Tuitſch. commune Germanorum omniũ uocabulum à Tuiſtone
Mannus
Ingæuones
Herminones
Iſtæuones
Marſi
Gambriuij
Vandali
Germani

Celebrant carminibus antiquis (quod unum apud illos memorię & annalium genus eſt) Tuiſtonem deum terra editum & filium Mannum, originẽ gentis conditoresq́ꝫ. Manno tris filios aſſignant, è quorum nominibus proximi Oceano Ingæuones, medij Herminones, cæteri Iſtæuones uocentur. Quidam autem licentia uetuſtatis plureis deo ortos, pluresq́ꝫ gentis appellationes, Marſos, Gambriuios, Sueuos, Vandalios affirmant: eaq́ꝫ uera & antiqua nomina. Cæterum Germaniæ uocabulum recens, & nuper additum: quoniam qui primi Rhenũ tranſgreſſi Gallos expulerint, nunc Tungri, nũc Germani uocati ſint: ita nationis nomen, non gentis eualuiſſe paulatim, ut omnes primũ à uictore ob metum, mox à ſeipſis inuento nomine Germani uocarentur. Fuiſſe apud eos & Herculem memorant. Primumq́ꝫ omnium uirorum fortium ituri in prælia canunt. Sunt illis hęc quoq; carmina, quorum relatu quem Baritum uocant, accendunt animos, futuræq́ꝫ pugnæ fortunam ipſo cantu augurantur. terrent enim, trepidantúe, prout ſonuit, acies. Nec tam uocis ille quàm uirtutis concentus uidetur. affectatur præcipue aſperitas ſoni, & fractum murmur obiectis ad os ſcutis, quo plenior & grauior uox repercuſſu intumeſcat. Cæterum & Vlixem quidam opinantur longo illo & fabuloſo errore in hunc Oceanum delatum, adiſſe Germanię terras, Aſciburgiumq́ꝫ, quod in ripa Rheni ſitum hodieq́ꝫ incolitur, ab illo conſtitutum, nominatumq́ꝫ

tumq; ἀσυπύργιον. Aram quinetiam Vlixi conſecratam adiecto Laertæ
patris nomine, eodem loco olim repertam: monumentáque, & tumulos
quoſdam Græcis literis inſcriptos in cõfinio Germaniæ Rhætiæq; adhuc
extare. quæ neq; confirmare argumentis, neq; refellere in animo eſt. ex in/
genio ſuo quiſque demat, uel addat fidem. Ipſe eorum opinionibus ac/
cedo, qui Germaniæ populos nullis alijs aliarum nationum connubijs in/
fectos, propriam & ſynceram & tantum ſui ſimilem gentem extitiſſe arbi/
trantur.

Germani indigenæ

Vnde habitus quoque corporum, quanquam in tanto hominum
numero, idem omnibus: truces & cærulei oculi, rutilæ comæ, magna corpo
ra, & tantum ad impetum ualida. laboris atq; operum non eadem patien/
tia: minimeq; ſitim æſtumq; tolerare, frigora atque inediam cœlo ſoloúe
aſſueuerunt.

Corporũ habitus

Terra & ſi aliquanto ſpecie differt, in uniuerſum tamẽ aut
ſyluis horrida, aut paludibus fœda: humidior quâ Gallias, uentoſior quâ
Noricum ac Pannoniam aſpicit: ſatis ferax, frugiferarum arborum impa/
tiens, pecorum fœcunda. ſed plerunq; improcera. ne armentis quidem ſuus
honor, aut gloria frontis. numero gaudent. eæq; ſolæ & gratiſſimæ opes
ſunt.

Terra

Fertilitas

Pecora

Argentum & aurum propitij an irati dij negauerint, dubito. Nec
tamen affirmauerim, nullam Germaniæ uenam argentum aurumúe gi/
gnere. quis enim ſcrutatus eſt? poſſeſſióe & uſu haud perinde afficiuntur.
Eſt uidere apud illos argentea uaſa, legatis & principibus eorũ muneri da/
ta, non in alia uilitate, quàm quę humo finguntur: quanquam proximi ob
uſum commerciorum aurum & argentũ in precio habent, formasq; quaſ/
dam noſtræ pecuniæ agnoſcunt, atq; eligunt: interiores ſimplicius & anti/
quius permutatione mercium utuntur. Pecuniam probant ueterem & diu
notam, Serratos, Bigatosq;. Argentũ quoq; magis quàm aurum ſequun/
tur, nulla affectatione animi, ſed quia numerus argenteorum facilior uſui
eſt promiſcua ac uilia mercantibus.

Contemptus auri & argenti

Ne ferrum quidem ſupereſt, ſicut ex
genere telorum colligitur. Rari gladijs, aut maioribus lanceis utuntur. ha/
ſtas, uel ipſorum uocabulo frameas gerunt anguſto & breui ferro, ſed ita
acri & ad uſum habili, ut eodẽ telo, prout ratio poſcit, uel cominus uel emi/
nus pugnent. & eques quidem ſcuto frameaq; cõtentus eſt. pedites & miſ/
ſilia ſpargunt, pluraq; ſinguli, atq; in immenſum uibrant, nudi aut ſagulo
leues. nulla cultus iactatio. Scuta tantum lectiſſimis coloribus diſtinguunt.
paucis loricæ: uix uni alteriúe caſſis aut galea. Equi non forma, non uelo/
citate conſpicui. ſed nec uariare gyros in morem noſtrum docentur. In re/
ctum aut uno flexu dextros agunt, ita coniuncto orbe, ut nemo poſterior
ſit.

Hinc forſan ſtilus ille qui cultellis adhæret germanicè eyn pfriẽ uocatur quod frameam referat

Armorum ſpecies

In uniuerſum æſtimanti plus penes peditem roboris: eoq; mixti præ/
liantur, apta & congruente ad equeſtrem pugnam uelocitate peditũ, quos
ex omni iuuentute delectos ante aciem locant. Definitur & numerus: cen/
teni ex ſingulis pagis ſunt: idq; ipſum inter ſuos uocantur. & quod primo
numerus fuit, iam nomen & honor eſt. Acies per cuneos componitur.

Penes peditẽ plus roboris apud Germanos

O Cedere

Cedere loco, dummodo rurſus inſtes, conſilij quàm formidinis arbitrantur. Corpora ſuorum etiam in dubijs prælijs referunt. Scutum reliquiſſe præcipuum flagitium. nec aut ſacris adeſſe, aut concilium inire ignominioſo fas. multiq; ſuperſtites bellorum infamiam laqueo finierunt. Reges ex nobilitate, duces ex uirtute ſumunt. Nec regibus infinita aut libera poteſtas, & duces exemplo potius quàm imperio, ſi prompti, ſi conſpicui, ſi ante aciem agant admiratione præſunt: Cæterum neq; animaduertere, neq; uincire, neq; uerberare quidem niſi ſacerdotibus permiſſum: non quaſi in pœnam nec ducis iuſſu, ſed uelut deo imperante, quem adeſſe bellantibus credunt: effigiesq;, & ſigna quædam detracta lucis in præliũ ferũt. Quódque præcipuum fortitudinis incitamentum eſt, non caſus, nec fortuita conglobatio turmam, aut cuneum facit, ſed familię & propinquitates. & in proximo pignora: unde fœminarum ululatus audiri, unde uagitus infantium. hi cuiq; ſanctiſſimi teſtes, hi maximi laudatores. Ad matres, ad coniuges uulnera ferunt: nec illæ numerare, aut exugere plagas pauent. Ciboſq; & hortamina pugnantibus geſtant. Memoriæ proditur, quaſdam acies inclinatas iam & labantes à fœminis reſtitutas conſtantia precum & obiectu pectorũ, & monſtrata cominus captiuitate, quam longe impatientius fœminarum ſuarum nomine timent: adeo ut efficacius obligentur animi ciuitatum, quibus inter obſides puellæ quoq; nobiles imperantur. Ineſſe quinetiam ſanctum aliquid, & prouidum putant: nec aut conſilia earum aſpernantur, aut reſponſa negligunt. Vidimus ſub diuo Veſpaſiano Velledam diu apud pleroſq; numinis loco habitam. Sed & olim Auriniam, & complureis alias uenerati ſunt, non adulatione, nec tanquam facerent deas.

Reges *Duces* — *Sacerdotes in bello lictorum uice* — *Cunei conſtituuntur ex propinquis* — *Fœminæ Germanorum* — *Velleda* *Aurinia*

Deorum maximè Mercurium colunt, cui certis diebus, humanis quoq; hoſtijs litare fas habent. Herculem ac Martem conceſſis animalibus placant. Pars Sueuorum & Iſidi ſacrificat. Vnde cauſa & origo peregrino ſacro, parum comperi, niſi quod ſignum ipſum in modum liburnæ figuratum, docet aduectam religionem. Cæterum nec cohibere parietibus deos, neq; in ullam humani oris ſpeciem aſſimilare, ex magnitudine cœleſtium arbitrantur: lucos ac nemora conſecrant, deorumq; nominibus appellant ſecretum illud, quod ſola reuerentia uident. Auſpicia, ſortesq; ut qui maximè obſeruant. Sortium cõſuetudo ſimplex. uirgam frugiferæ arbori deciſam, in ſurculos amputant, eosq; notis quibuſdam diſcretos ſuper candidam ueſtem temere ac fortuito ſpargunt. mox ſi publicè conſulatur, ſacerdos ciuitatis, ſin priuatim, ipſe pater familiæ precatus deos, cœlumq; ſuſpiciens, ter ſingulos tollit, ſublatos ſecundum impreſſam antè notam interpretatur. Si prohibuerunt, nulla de eadem re in eundem diem conſultatio. Sin permiſſum, auſpiciorum adhuc fides exigitur. & illud quidem etiam hic notum, auium uoces, uolatusq; interrogare. Propriũ gentis, equorum quoq; præſagia ac monitus experiri. publice aluntur ijſdem nemoribus ac lucis

Dij Germanorum *Mercurius* *Hercules* *Mars* *Iſis* — *Sortes* — *Auſpicia*

lucis,candidi & nullo mortali opere contacti, quos preſſos ſacro curru ſa-
cerdos ac rex uel princeps ciuitatis comitantur, hinnitusq́ꝫ ac fremitus ob-
ſeruant. Nec ulli auſpicio maior fides non ſolum apud plebem, ſed apud
proceres, apud ſacerdotes. Se enim miniſtros deorum, illos conſcios pu-
tant. Eſt & alia obſeruatio auſpiciorum, qua grauium bellorum euentus
explorant. Eius gentis cum qua bellum eſt, captiuũ quoquo modo inter-
ceptum, cum electo popularium ſuorum, patrijs quemque armis commit-
tunt. uictoria huius uel illius, pro preiudicio accipitur. De minoribus re-
bus principes conſultant, de maioribus omnes: ita tamen ut ea quoq́ꝫ quo
rum penes plebem arbitrium eſt, apud principes pertractentur. Coeunt, *Conſultatio*
niſi quid fortuitum & ſubitum inciderit, certis diebus, cum aut incohatur lu
na aut impletur. nam agendis rebus hoc auſpicatiſſimum initium credunt.
Nec dierum numerum ut nos, ſed noctium computant. Sic conſtituunt, *Tempus*
ſic condicunt. nox ducere diem uidetur. Illud ex libertate uitium, quod nõ *Comitiorũ*
ſimul, nec iuſſi conueniunt, ſed & alter, & tertius dies cunctatione coeun-
tium abſumitur. Vt turbæ placuit, conſidunt armati. Silentium per ſacer-
dotes, quibus tum & coercendi ius eſt, imperatur. Mox rex uel princeps, *Rex uel prin-*
prout ætas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facun- *ceps in conci-*
dia eſt, audiuntur, auctoritate ſuadendi magis quàm iubendi poteſtate. Si *lio loquitur*
diſplicuit ſententia, fremitu aſpernantur: ſin placuit, frameas cõcutiunt. Ho *Refutationis modus, appro*
noratiſſimum aſſenſus genus eſt armis laudare. Licet apud conciliũ accu *bationis mo-*
ſare quoque & diſcrimen capitis intendere. Diſtinctio pœnarum ex deli- *dus*
cto. proditores & transfugas, arboribus ſuſpendunt. ignauos, & imbelles
& corpore infames, cœno ac palude, iniecta inſuper crate, mergunt. Diuer- *Supplicia*
ſitas ſupplicij illuc reſpicit, tanquam ſcelera oſtendi oporteat dum puniun-
tur, flagitia abſcondi. Sed & leuioribus delictis pro modo pœnarũ, equo- *Pœnæ*
rum pecorumq́ꝫ numero conuicti mulctantur. pars multæ regi uel ciuita-
ti, pars ipſi qui uindicatur uel propinquis eius exoluitur. Eliguntur in ijſ- *Principes eli-*
dem concilijs & principes, qui iura per pagos uicosq́ꝫ reddunt. Centeni ſin *guntur*
gulis ex plebe comites, conſilium ſimul & auctoritas, adſunt. Nihil au- *C. comites*
tem neq́ꝫ publicæ neq́ꝫ priuatæ rei, niſi armati agunt. Sed arma ſumere nõ
ante cuiquam moris, quàm ciuitas ſuffecturum probauerit. Tum in ipſo *Armati ſemp*
concilio uel principum aliquis, uel pater, uel propinquus ſcuto frameáque *Arma ſumun*
iuuenem ornant. hæc apud illos toga, hic primus iuuentæ honos. ante hoc *tur iudicio*
domus pars uidentur, mox reipublicæ. Inſignis nobilitas aut magna pa- *ciuitatis*
trum merita, principis dignationem etiam adoleſcentulis aſſignant. Cæte-
ris robuſtioribus ac iampridem probatis aggregantur. nec rubor inter co-
mites aſpici. Gradus quinetiam & ipſe comitatus habet, iudicio eius quem
ſectantur. Magnaq́ꝫ & comitum æmulatio, quibus primus apud princi-
pem ſuum locus: & principum, cui plurimi & acerrimi comites. Hæc digni-
tas, hæ uires, magno ſemper electorum iuuenum globo circundari, in pace

decus, in bello præſidium. Nec ſolum in ſua gente cuique, ſed apud finiti-mas quoque ciuitates id nomen, ea gloria eſt, ſi numero ac uirtute comita-tus emineat. expetuntur enim legationibus, & muneribus ornantur, & ipſa plerunque fama bella profligant. Cum uentum in aciem, turpe principi uirtute uinci, turpe comitatui uirtutem principis non adæquare. Iam uero infame in omnem uitam ac probroſum, ſuperſtitem principi ſuo ex acie re ceſſiſſe. Illum defendere, tueri, ſua quoque fortia facta gloriæ eius aſſigna-re, præcipuum ſacramentum eſt. Principes pro uictoria pugnant: comites pro principe. Si ciuitas in qua orti ſunt longa pace & otio torpeat, plerique nobilium adoleſcentium petunt ultro eas nationes, quæ tum bellum ali-quod gerunt. quia & ingrata genti quies, & facilius inter ancipitia clareſ-cunt: magnumq́ comitatum non niſi ui bellóque tueantur. exigunt enim principis ſui liberalitate illum bellatorem equũ, illam cruentam uictricém-que frameam. Nam epulæ, & quanquam incompti largi tamen appara-tus, pro ſtipendio cedunt. Materia munificentiæ per bella, & raptus.

Amor belli

Nec arare terram, aut expectare annum, tam facile perſuaſeris, quàm uocare ho ſtes & uulnera mereri. pigrum quinimmo & iners uidetur ſudore acquire-re, quod poſſis ſanguine parare. Quotiens bella non ineunt, non multum

Ocium

uenatibus, plus per otium tranſigunt, dediti ſomno, cibóque. Fortiſſimus quiſq; ac bellicoſiſſimus nihil agens, delegata domus & penatium & agro rum cura, fœminis ſenibusq́ & infirmiſſimo cuiq; ex familia. Ipſi habent miram diuerſitatem naturæ, cum ijdem homines ſic ament inertiam & oderint quietem.

Liberalitas ciuitatum in principes

Mos eſt ciuitatibus ultro ac uiritim conferre principi-bus uel armentorum uel frugum, quod pro honore acceptum, etiam ne-ceſſitatibus ſubuenit. Gaudent præcipue finitimarum gentium donis, quæ nõ modo à ſingulis, ſed publice mittuntur: electi equi, magna arma, phale-ræ, torquéſque. Iam & pecuniam accipere docuimus.

Vrbibus carent

Habitant diſcreti

Vici Germanorum quales

Nullas Germano rum populis urbes habitari ſatis notũ eſt, ne pati quidem inter ſe iunctas ſedes. Colunt diſcreti ac diuerſi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit. Vi-cos locant non in noſtrum morem connexis & cohęrentibus ædificijs. Su-am quiſq; domum ſpacio circumdat, ſiue aduerſus caſus ignis remedium, ſiue inſcitia ædificandi. Ne cementorum quidem apud illos aut ant tegula rum uſus. Materia ad omnia utuntur informi, & citra ſpeciem aut delecta-tionem. Quædã loca diligentius illinunt terra ita pura ac ſplendente, ut pi-

Specus ſubterranei. Hypocauſtorum origo quas ſtubas uocant

cturam ac liniamenta colorum inuitet. Solent & ſubterraneos ſpecus ape-rire, eosq́ multo inſuper fimo onerant, ſuffugium hyemi & receptaculum frugibus: quia rigorem frigorum eiuſmodi locis molliunt: & ſi quando ho ſtis aduenit, aperta populatur. abdita autem & defoſſa, aut ignorantur, aut eo ipſo fallunt, quod quærenda ſunt.

Cultus uirorũ

Tegumen omnibus ſagum, fibula, aut ſi deſit, ſpina conſertum. Cætera intecti, totos dies iuxta focum atque ignem agunt. Locupletiſſimi ueſte diſtinguuntur, nõ fluitante, ſicut Sarma

tæ ac

ta ac Parthi, ſed ſtricta & ſingulos artus exprimente. Gerunt & ferarum pelles, proximi ripæ negligēter, ulteriores exquiſitius, ut quibus nullus per commercia cultus. Eligunt feras, & detracta uelamina ſpargunt maculis, pellibusq́ꝫ belluarum, quas exterior Oceanus, atq; ignotum mare gignit. Nec alius fœminis q́ꝫ uiris habitus, niſi quod fœminæ ſæpius lineis amictibus uelantur, eosq́ꝫ purpura uariāt, partemq; ueſtitus ſuperioris in manicas nō extendunt, nudæ brachia ac lacertos. ſed & proxima pars pectoris patet. Quanq́ꝫ ſeuera illic matrimonia. Nec ullam morum partem magis laudaueris. nam prope ſoli barbarorum ſingulis uxoribus contenti ſunt, exceptis admodū paucis, qui non libidine, ſed ob nobilitatē plurimis nuptijs ambiuntur. Dotem non uxor marito, ſed uxori maritus offert. Interſunt parētes & propinqui, ac munera probāt: munera nō ad delitias muliebres quæſita, nec quibus noua nupta comatur, ſed boues & frenatū equū, & ſcutū cum framea, gladioq́ꝫ. In hęc munera uxor accipitur. atq; inuicem ipſa armorum aliquid uiro affert. hoc maximum uinculum, hæc arcana ſacra, hos cōiugales deos arbitrātur. Ne ſe mulier extra uirtutum cogitationes, extraq́ꝫ bellorum caſus putet, ipſis incipientis matrimonij auſpicijs admonetur, uenire ſe laborum periculorumq́ꝫ ſociam, idem in pace, idem in prælio paſſurā auſuramq́ꝫ. hoc iuncti boues, hoc paratus equus, hoc data arma denunciant. Sic uiuendum, ſic pereundum. accipere ſe quæ liberis inuiolata ac digna reddat quæ nurus accipiant, rurſusq́ꝫ ad nepotes referant. Ergo ſepta pudicitia agunt, nullis ſpectaculorum illecebris, nullis conuiuiorum irritationibus corruptæ. Literarum ſecreta uiri pariter ac fœminæ ignorant. Paucisſima in tam numeroſa gente adulteria, quorum pœna præſens, & maritis permiſſa. Acciſis crinibus nudatā corām propinquis expellit domo maritus, ac per omnē uicum uerbere agit. publicatæ enim pudicitiæ nulla uenia. non forma, non ætate, non opibus maritum inuenerit. Nemo enim illic uitia ridet. nec corrūpere & corrumpi, ſeculū uocatur. Melius quidem adhuc eæ ciuitates, in quibus tantū uirgines nubūt, & cum ſpe uotoq́ꝫ uxoris ſemel tranſigitur. Sic unum accipiunt maritum quo modo unum corpus, unamq́ꝫ uitam, ne ulla cogitatio ultra, ne lōgior cupiditas, ne tanq́ꝫ maritum, ſed tanq́ꝫ matrimonium ament. Numerum liberorum finire, aut quenq́ꝫ ex agnatis necare flagitium habetur. plusq́ꝫ ibi boni mores ualēt, quàm alibi bonæ leges. In omni domo nudi ac ſordidi, in hos artus, in hæc corpora, quæ miramur excreſcunt. Sua quemq; mater uberibus alit, nec ancillis ac nutricibus delegantur. Dominum ac ſeruum nullis educationis delicijs dignoſcas. Inter eadem pecora in eadem humo degūt, donec ætas ſeparet ingenuos, uirtus agnoſcat. Sera iuuenum Venus, eoq́ꝫ inexhauſta pubertas. nec uirgines feſtinantur. eadem iuuenta, ſimilis proceritas. pares ualidæq́ꝫ miſcētur. ac robora parentū liberi referūt.

Pelles

Fœminarum cultus

Matrimonia ſeuera

Dos maritalis

Myſterium dotis

Pudicitia

Literarum inſcitia

Adulterij pœna

Virgines tātū nubunt apud quoſdam Germanos

Educatio

Matrimonium ſerius

Sororum filijs idem apud auunculū, qui apud patrē honor. Quidam

ſanctiorem arctioremq́ꝫ hunc nexum ſanguinis arbitrantur,& in accipien
dis obſidibus magis exigũt, tanq̃ꝫ ij & animum firmius & domum latius
Hæredes teneant. Hæredes tamen ſucceſſoresq́ꝫ ſui cuiqꝫ liberi:& nullũ teſtamen
tum. Si liberi nõ ſunt, proximus gradus in poſſeſſione fratres, patrui, auun
culi. Quãto plus propinquorum, quo maior affinium numerus, tanto gra-
Inimicitiæ tioſior ſenectus. nec ulla orbitatis precia. Suſcipere tam inimicitias ſeu
patris ſeu propinqui, q̃ꝫ amicitias neceſſe eſt. Nec implacabiles durãt. lui-
tur enim etiã homicidium certo armentorum ac pecorũ numero, recipit q́ꝫ
ſatisfactionẽ uniuerſa domus, utiliter in publicũ, quia periculoſiores ſunt
Hoſpitalitas inimicitiæ iuxta libertatem. Conuictibus & hoſpitijs nõ alia gens effu
ſius indulget. Quemcunqꝫ mortaliũ arcere tecto nefas habetur. pro fortu
na quiſqꝫ apparatis epulis excipit. Cũ defecère, qui modo hoſpes fuerat,
monſtrator hoſpitij & comes, proximam domũ non inuitati adeunt. nec
intereſt. pari humanitate accipiuntur. Notum ignotumq́ꝫ quãtum ad ius
hoſpitis, nemo diſcernit. Abeunti ſi quid popoſceris, cõcedere moris:& po
ſcendi inuicẽ eadem facilitas. Gaudent muneribus. ſed nec data imputant,
Victus nec acceptis obligantur. Victus inter hoſpites comis. Statim è ſomno
quem plerunqꝫ in diem extrahunt, lauantur, ſæpius calida, ut apud quos
plurimum hyems occupat. Lauti, cibum capiũt. ſeparatæ ſingulis ſedes,&
Armati ad ſua cuiqꝫ menſa. Tum ad negotia, nec minus ſæpe ad conuiuia procedunt
conuiuia armati. Diem noctemq́ꝫ continuare potando nulli probrum. Crebræ ut
Potatores inter uinolentos rixæ, raro conuitijs, ſæpius cæde & uulneribus tranſigun-
Rixæ ſan tur. Sed & de reconciliandis inuicẽ inimicis, & iungendis affinitatibus,&
guinariæ adſciſcendis principibus, de pace deniqꝫ ac bello, plerunqꝫ in cõuiuijs con
In cõuiuijs ſultant:tanq̃ꝫ nullo magis tẽpore aut ad ſimplices cogitationes pateat ani
conſultant mus, aut ad magnas incaleſcat. Gens non aſtuta nec callida, aperit adhuc
ſecreta pectoris, licẽtia ioci. Ergo detecta & nuda omniũ mens poſtera die
Retractatio retractatur, & ſalua utriuſqꝫ temporis ratio eſt. Deliberant, dum fingere
cõſilij inter neſciunt:conſtituunt, dum errare non poſſunt. Potui humor ex ordeo
ſobrios aut frumento in quandam ſimilitudinem uini corruptus. Proximi ripæ &
Potus uinum mercãtur. Cibi ſimplices, agreſtia poma, recens fera, aut lac con
cretum. Sine apparatu, ſine blandimentis expellũt famem. aduerſus ſitim
non eadem temperantia. Si indulſeris ebrietati ſuggerendo quantum con
Spectaculorũ cupiſcunt, haud minus facile uitijs q̃ꝫ armis uincẽtur. Genus ſpectacu-
genus unũ a- lorum unum atqꝫ in omni cœtu idem. Nudi iuuenes, quibus id ludicrũ eſt,
pud German. inter gladios ſe atqꝫ infeſtas frameas ſaltu iaciunt. Exercitatio artem para
uit, ars decorem. non in quæſtum tamen aut mercedem. quamuis audacis
laſciuiæ preciũ eſt, uoluptas ſpectantium. Aleam (quod mirere) ſobrij
inter ſeria exercent, tanta lucrandi perdendi ue temeritate, ut cum omnia
defecerunt, extremo ac nouiſsimo iactu de libertate ac de corpore conten
dant. Victus uoluntariã ſeruitutẽ adit. Quamuis iunior, quãuis robuſtior
alligari

alligari ſe ac uenire patitur. Ea eſt in re praua peruicacia: ipſi fidem uocant. Seruos cõditionis huius per cõmercia tradunt, ut ſe quoq; pudore uictoriæ exoluant. Cæteris ſeruis non in noſtrũ morem deſcriptis per familiam miniſterijs utũtur. Suã quiſq; ſedẽ, ſuos penates regit. Frumenti modum dominus, aut pecoris, aut ueſtis, ut colono iniungit, & ſeruus hactenus paret. Cætera domus officia uxor ac liberi exequuntur. Verberare ſeruum, ac uinculis & opere coercere, rarum. Occidere ſolent non diſciplina & ſeueritate, ſed impetu & ira, ut inimicũ, niſi quod impune. Liberti nõ multum ſupra ſeruos ſunt, raro aliquod momentum in domo, nunq; in ciuitate, exceptis duntaxat ijs gentibus, quæ regnantur. Ibi enim & ſuper ingenuos & ſuper nobiles aſcendunt. Apud cæteros impares libertini libertatis argumẽtũ ſunt. Fœnus agitare & in uſuras extẽdere ignotũ: ideoq; magis ſeruatur quàm ſi uetitum eſſet. Agri pro numero cultorum ab uniuerſis per uices occupantur, quos mox inter ſe ſecundum dignationem partiuntur. facilitatem partiendi camporum ſpacia præſtant. Arua per annos mutant, & ſupereſt ager. nec enim cum ubertate & amplitudine ſoli labore cõtendunt, ut pomaria cõſerant, & prata ſepiant, & hortos rigent: ſola terræ ſeges imperatur. Vnde annum quoq; ipſum non in totidem digerunt ſpecies. Hyems & uer & æſtas intellectum ac uocabula habent: autumni perinde nomen ac bona ignorantur. Funerum nulla ambitio. Id ſolum obſeruatur, ut corpora clarorum uirorum certis lignis crementur. Struem rogi, nec ueſtibus, nec odoribus cumulant. ſua cuique arma, quorundam igni & equus adijcitur. Sepulchrũ ceſpes erigit. Monumentorum arduum & operoſum honorem, ut grauem defunctis, aſpernantur. Lamenta ac lachrymas cito, dolorem & triſtitiam tarde ponunt. Fœminis lugere honeſtum eſt: Viris meminiſſe. Hæc in cõmune de omniũ Germanorum origine ac moribus accepimus. Nunc ſingularum gentium inſtituta, ritusq; quatenus differant: quæ nationes è Germania in Gallias commigrauerint, expediam. Validiores olim Gallorum res fuiſſe ſummus auctorum diuus Iulius tradit. eoq; credibile eſt, etiam Gallos in Germaniam tranſgreſſos. Quantulum enim amnis obſtabat, quo minus, ut quæq; gens eualuerat, occuparet permutaretq; ſedes, promiſcuas adhuc, & nulla regnorũ potentia diuiſas? Igitur inter Hercyniam ſyluam, Rhenũq; & Mœnim amnes, Heluetij, ulteriora Boij, Gallica utraq; gens, tenuere. Manet adhuc Boiemi nomẽ, ſignificatq; loci ueterem memoriã, quãuis mutatis cultoribus. Sed utrum Arauiſci in Pannoniã ab Oſis Germanorũ natione, an Oſi ab Arauiſcis in Germaniam cõmigrauerint, cum eodem adhuc ſermone, inſtitutis, moribus utantur, incertum eſt: quia pari olim inopia ac libertate eadẽ utriuſq; ripæ bona malaq; erant. Treuiri & Neruij circa affectationẽ Germanicæ originis ultro ambitioſi ſunt, tanq; per hanc gloriam ſanguinis, à ſimilitudine & inertia Gallorũ ſeparentur.

Serui — *Liberti* — *Fœnus ignorant* — *Agros per uices mutant* — *Annũ in tria tantum tempora diuidũt* — *Funerãdi modus* — *Sepultura* — *Luctus* — *Galli* — *Galli in Germaniam* — *Hercynia ſylua* — *Rhenus* — *Mœnis* — *Heluetij. Boij* — *Boihemum* — *Arauiſci. Oſi* — *Treuiri* — *Neruij*

Vangiones Treboci Nemetes Vbij Agrippineſes Batavi Cattorum populus

Ipſam Rheni ripam haud dubiè Germanorum populi colunt, Vangiones, Treboci, Nemetes. Vbij quidem, quãquam Romana colonia eſſe meruerint, ac libentius Agrippinenſes cõditoris ſui nomine uocentur, origine erubeſcunt, tranſgreſſi olim, & experimento fidei ſuper ipſam Rheni ripam collocati, ut arcerent non ut cuſtodirentur. Omnium harũ gentium uirtute præcipui Bataui, non multum ex ripa, ſed inſulam Rheni amnis colunt, Cattorum quondam populus, & ſeditione domeſtica in eas ſedes tranſgreſſus, in quibus pars Romani imperij fierent. Manet honos, & antiquæ ſocietatis inſigne. nam nec tributis contemnuntur, nec publicanus atterit. exempti oneribus & collationibus, & tantum in uſum præliorum ſepoſiti, uelut tela atq; arma, bellis reſeruantur. Eſt in eodem obſequio & Mattiacorum gens. Protulit enim magnitudo populi Romani ultra Rhenum, ultraq; ueteres terminos imperij reuerentiam. Ita ſede finibusq; in ſua ripa, mente animoq; nobiſcum agunt, cætera ſimiles Batauis niſi quod ipſo adhuc terræ ſuæ ſolo & cœlo acrius animantur. Non numerauerim inter Germaniæ populos, quanquam trans Rhenum Danubiumq; conſederint, eos qui Decumates agros exercent. Leuiſſimus quiſque Gallorũ, & inopia audax, dubiæ poſſeſſionis ſolũ occupauere. Mox limite acto promotisq; præſidijs, ſinus imperij, & pars prouinciæ habentur. Vltra hos Catti initium ſedis ab Hercynio ſaltu inchoant, non ita effuſis ac paluſtribus locis, ut cæteræ ciuitates, in quas Germania pateſcit. durant ſiquidem colles, paulatimq; rareſcunt: & Cattos ſuos ſaltus Hercynius proſequitur ſimul atq; deponit. Duriora genti corpora, ſtricti artus, minax uultus, & maior animi uigor. Multum (ut inter Germanos) rationis ac ſolertiæ: præponere electos, audire præpoſitos, noſſe ordines, intelligere occaſiones, differre impetus, diſponere diem, uallare noctem, fortunam inter dubia, uirtutem inter certa numerare: quodq; rariſſimum, nec niſi ratione diſciplinæ conceſſum, plus reponere in duce quàm in exercitu. omne robur in pedite, quem ſuper arma ferramentis quoq; & copijs conerant. Alios ad prælium ire uideas, Cattos ad bellum. rari excurſus & fortuita pugna. Equeſtrium ſanè uirium id proprium, cito parare uictoriam, cito cedere. Velocitas iuxta formidinẽ, cunctatio propior cõſtantiæ eſt. Et alijs Germanorũ populis uſurpatũ, rara & priuata cuiuſq; audẽtia, apud Cattos in cõſenſum uertit, ut primũ adoleuerint crinem barbamq; ſummittere, nec niſi hoſte cæſo exuere uotiuum obligatumq; uirtuti, oris habitum. Super ſanguinem & ſpolia, reuelant frontem, ſeq; tum demum precia naſcendi retuliſſe, dignosq; patria ac parentibus ferunt. Ignauis & imbellibus manet ſqualor. Fortiſſimus quiſq; ferreum inſuper annulum, ignominioſum id genti, uelut uinculũ geſtat, donec ſe cæde hoſtis abſoluat. Plurimis Cattorum hic placet habitus. Iam que canent inſignes & hoſtibus ſimul, ſuisq; monſtrati. omnium penes hos initia pugnarũ. hæc prima

Mattiaci

Decumates agri

Catti

Crinem aut barbã alunt adoleſcentes donec hoſtẽ confecerint

Annulum ferreum geſtant

prima ſemper acies, uiſu noua. Nam ne in pace quidē uultu mitiore manſueſcunt. Nulli domus, aut ager, aut aliqua cura, prout ad quemq; uenere aluntur, prodigi alieni, contemptores ſui, donec exanguis ſenectus tam duræ uirtuti impares faciat. Proximi Cattis certū iam alueo Rhenū, quiq; terminus eſſe ſufficiat, Vſipij ac Tencteri colunt. Tencteri ſuper ſolitum bellorum decus, equeſtris diſciplinæ arte præcellunt. Nec maior apud Cattos peditum laus, quàm Tencteris equitum. Sic inſtituere maiores, poſteri imitantur. Hi luſus infantium, hæc iuuenum æmulatio, perſeuerant ſenes. inter familiam, & penates, & iura ſucceſſionū, equi traduntur: excipit filius, nō ut cætera maximus natu, ſed prout ferox bello & melior. Iuxta Tencteros Bructeri olim occurrebant: nunc Chamauos & Angriuarios immigraſſe, narratur, pulſis Bructeris ac penitus excíſis, uicinarum conſenſu nationum, ſeu ſuperbiæ odio, ſeu prædæ dulcedine, ſeu fauore quodam erga nos deorum. nam ne ſpectaculo quidem prælij inuidere. ſuper lx. milia nō armis teliſq; Romanis, ſed quod magnificentius eſt, oblectationi oculiſq; ceciderunt. Maneat quæſo, duretq; gentibus ſi non amor noſtri, at certe odium ſui: quando urgentibus imperij fatis nihil iam præſtare fortuna maius poteſt, quàm hoſtium diſcordiam. Angriuarios & Chamauos à tergo Dulgibini, & Chaſuari cludūt, aliæq; gentes haud perinde memoratæ. à fronte Friſij excipiūt. Maioribus minoribusq; Friſijs uocabulū eſt, ex modo uiriū: utræq; nationes uſq; ad Oceanū Rheno prætexunt, ambiuntq; immenſos inſuper lacus, & Romanis claſſibus nauigatos. Ipſum quinetiā Oceanū illà tētauimus. & ſupereſſe adhuc Herculis columnas fama uulgauit: ſiue adijt Hercules, ſeu quicquid ubiq; magnificū eſt, in claritatem eius referre conſenſimus. Nec defuit audentia Druſo Germanico, ſed obſtitit Oceanus in ſe ſimul atq; in Herculem inquiri. Mox nemo tentauit: ſanctiuſq; ac reuerentius uiſum, de actis deorum credere, quàm ſcire. Hactenus in Occidentem, Germaniam nouimus. In ſeptentrionem ingenti flexu redit. Ac primo ſtatim Chaucorum gens, quanquam incipiat à Friſijs, ac partem littoris occupet, omnium quas expoſui gentium lateribus obtenditur, donec in Cattos uſque ſinuetur. tam immenſum terrarum ſpacium nō tenent tantum Chauci, ſed & implent: populus inter Germanos nobiliſſimus, quiq; magnitudinē ſuam malit iuſtitia tueri. ſine cupiditate, ſine impotentia, quieti ſecretiq;, nulla prouocant bella, nullis raptibus aut latrocinijs populantur. Id præcipuum uirtutis ac uirium argumentum eſt, quod ut ſuperiores agant, non per iniurias aſſequuntur. Prompta tamen omnibus arma, ac ſi res poſcat exercitus. plurimum uirorum equorúmque, & quieſcentibus eadem fama. In latere Chaucorum, Cattorúmque, Cheruſci nimiam ac marcentem diu pacem illaceſſiti nutrierunt. idq; iocundius quàm tutius fuit. quia inter impotentes & ualidos, falſò quieſcas: ubi manu agitur, modeſtia ac probitas nomina ſuperioris ſunt.

Vſipij
Tencteri
Chamaui
Angriuarij
Bructeri excíſi
Dulgibini
Chaſuari
Friſij
Herculis columnæ
Druſus Germanicus
Chauci

Ita qui olim boni æquiq; Cheruſci,nunc inertes ac ſtulti uocantur.Chattis uictoribus fortuna in ſapientiam ceſſit. Tacti ruina Cheruſcorum & Foſi contermina gens, aduerſarum rerum ex æquo ſocij ſunt, cum in ſecundis minores fuiſſent. Eundem Germaniæ ſinum proximi Oceano Cimbri tenent,parua nũc ciuitas,ſed gloria ingens.ueteriſq; famæ late ueſtigia manent utraq; ripa caſtra ac ſpacia,quorum ambitu nunc quoq; metiaris molem manuſq; gentis, & tam magni exitus fidem. Sexcenteſimum & quadrageſimum annum urbs noſtra agebat,cum primum Cimbrorum audita ſunt arma, Cæcilio Metello ac Papirio Carbone c o s s. Ex quo ſi ad alterum imperatoris Traiani conſulatum computemus, ducenti fermè & decem anni colliguntur. tandiu Germania uincitur. Medio tam longi æui ſpacio multa inuicem damna.non Samnis,non Pœni,non Hiſpaniæ,Galliæúe, ne Parthi quidem ſæpius admonuere. quippe regno Arſacis acrior eſt Germanorum libertas. Quid enim aliud nobis quàm cædem Craſſi, amiſſo & ipſe Pacoro infra Ventidium deiectus Oriens obiecerit? At Germani Carbone & Caſſio,& Scauro Aurelio,& Seruilio Cepione,M.quoque Manlio fuſis uel captis,quinq; ſimul conſulareis exercitus Populo Romano, Varum treſq; cum eo legiones etiam Cæſari abſtulerunt. nec impune C.Marius in Italia,diuus Iulius in Gallia,Druſus ac Nero & Germanicus in ſuis eos ſedibus perculerunt.Mox ingentes C.Cæſaris minæ in ludibrium uerſæ. Inde otium, donec occaſione diſcordiæ noſtræ & ciuilium armorum,expugnatis legionũ hybernis,etiam Gallias affectauere: ac rurſus pulſi inde,proximis temporibus triumphati magis quàm uicti ſunt.

Foſi

Cimbri

Libertas ueterum Germanorum

Germani in Gallias

Sueui

Nunc de Sueuis dicendum eſt, quorum non una ut Cattorum Tencterorumúe gens:maiorem enim Germaniæ partem obtinẽt, proprijs adhuc nationibus nominibuſq; diſcreti, quanquam in commune Sueui uocentur.Inſigne gentis,obliquare crinem,nodoq; ſubſtringere. Sic Sueui à cæteris Germanis: ſic Sueuorum ingenui à ſeruis ſeparantur:Sic in alijs gentibus ſeu cognatione aliqua Sueuorum,ſeu(quod ſæpe accidit)imitatione, rarum & intra iuuentę ſpacium:apud Sueuos uſq; ad canitiem horrentem capillum retro ſequuntur,ac ſæpe in ipſo ſolo uertice religant. principes & ornatiorem habent. Ea cura formæ, ſed innoxiæ. Neque enim ut ament amenturúe: in altitudinem quandam & terrorem adituri bella compti,ut hoſtium oculis, ornantur. Vetuſtiſſimos ſe nobiliſſimoſq; Sueuorum Semnones memorant.Fides antiquitatis,religione firmatur. Stato tempore in ſyluam augurijs patrum & priſca formidine ſacram, omnes eiuſdem ſanguinis populi legationibus coeunt, cæſoq; publice homine celebrant barbari ritus horrenda primordia. Eſt & alia luco reuerentia. Nemo niſi uinculo ligatus ingreditur, ut minor,& poteſtatem numinis præ ſe ferens. ſi forte prolapſus eſt,attolli & inſurgere haud licitum. per humũ euoluuntur.eoq; omnis ſuperſtitio reſpicit,tanquam inde initia gentis,ibi regnator

Semnones

omnium

omnium deus, cætera ſubiecta atq; parentia. Adijcit auctoritatem fortuna Semnonum. centum pagis habitatur. magnóque corpore efficitur, ut ſe Sueuorum caput credant. Contra Langobardis paucitas, nobilitasq; quod plurimis ac ualentiſſimis nationibus cincti, non per obſequium, ſed prçlijs & periclitando tuti ſunt. Reudigni deinde & Auiones, & Angli, & Varini, & Eudoſes, & Suardones, & Nuithones fluminibus aut ſyluis muniuntur. nec quicq; notabile in ſingulis, niſi quod in cõmune Herthum, id eſt, Terram matrem colunt, eamq; interuenire rebus hominum, inuehi populis arbitrantur. Eſt in inſula Oceani Caſtum nemus, dicatum in eo uehiculum ueſte contectum, attingere uni ſacerdoti conceſſum. Is adeſſe penetrali deam intelligit, uectamq; bubus fœminis multa cũ ueneratione proſequitur. Læti tunc dies, feſta loca, quæcunq; aduentu hoſpitióque dignatur. Non bella ineunt, non arma ſumunt, clauſum omne ferrum. pax & quies tunc tantum nota, tunc tantũ amata, donec idem ſacerdos ſatiatam conuerſatione mortalium deam templo reddat. mox uehiculum & ueſtes, & ſi credere uelis, numẽ ipſum ſecreto lacu abluitur. Serui miniſtrant, quos ſtatim idẽ lacus haurit. Arcanus hinc terror, ſanctaq; ignorantia, quid ſit illud quod tantũ perituri uident. Et hæc quidẽ pars Sueuorũ in ſecretiora Germaniæ porrigitur. Propior (ut quo modo paulo ante Rhenum, ſic nunc Danubium ſequar) Hermundurorũ ciuitas, fida Romanis, eoq; ſolis Germanorum nõ in ripa commercium, ſed penitus, atq; in ſplendidiſſima Rhetiæ prouinciæ colonia paſſim ſine cuſtode tranſeunt. & cum cæteris gentibus arma modo caſtraq; noſtra oſtendamus, his domos, uillasq; patefecimus, non concupiſcentibus. In Hermunduris Albis oritur flumen inclytum & notum olim: nunc, tantum auditur. Iuxta Hermunduros Nariſci, ac deinde Marcomani & Quadi agunt. Prçcipua Marcomanorum gloria uiresq;, atque ipſa etiam ſedes pulſis olim Boijs uirtute parta. Nec Nariſci Quadiúe degenerant. Eáque Germanię uelut frons eſt, quatenus Danubio pergitur. Marcomanis, Quadisúe uſque ad noſtram memoriam reges manſerunt ex gente ipſorum, nobile Marobodui & Tudri genus. iam & externos patiuntur. Sed uis & potentia regibus ex auctoritate Romana. raro armis noſtris, ſæpius pecunia iuuantur. Nec minus ualent retro Marſigni, Gothini, Oſi, Burij: terga Marcomanorum, Quadorumq; claudunt. è quibus Marſigni, & Burij ſermone cultuq; Sueuos referunt. Gothinos Gallica, Oſos Pannonica lingua coarguit nõ eſſe Germanos: & quod tributa patiuntur. partem tributorum Sarmatæ, partem Quadi ut alienigenis imponunt. Gothini, quo magis pudeat, & ferrum effodiunt. omnesq; hi populi pauca campeſtrium, cæterum ſaltus & uertices montium iugúmque inſederunt. Dirimit enim ſcinditq; Sueuiam continuum montium iugum, ultra quod plurimæ gentes agunt. ex quibus latiſſimè patet Lygiorum nomẽ in plures ciuitates diffuſum. Valentiſſimas nominaſſe ſufficiet,

Langobardi
Hermunduri
Auguſta Rhetiæ
Albis fl.
Marcomani
Nariſci
Quadi
Maroboduus
Tudrus
Marſigni
Burij
Gothini
Oſi

Arios

Arij *Heluecones* *Manimi* *Elyſij* *Naharuali* Arios, Helueconas, Manimos, Elyſios, Naharualos. Apud Naharualos antiquæ religionis lucus oſtenditur. Præſidet ſacerdos muliebri ornatu, ſed deos interpretatione Romani Caſtorem Pollucemq; memorant. Eius numinis nomen Alcis. nulla ſimulachra, nullum peregrinæ ſuperſtitionis ueſtigium. ut fratres tamen, ut iuuenes uenerantur. Cæterũ Arij ſuper uires, quibus enumeratos paulo ante populos antecedunt, truces, inſitæ feritati arte ac tempore lenocinantur. nigra ſcuta, tincta corpora, atras ad prælia noctes legunt. ipſaq; formidine atq; umbra feralis exercitus terrorem inferunt, nullo hoſtium ſuſtinente nouum ac uelut infernum aſpectum. nam primi in omnibus prælijs oculi uincuntur. *Gothones* Trans Lygios Gothones regnant, paulo iam addictius quàm cæteræ Germanorum gentes, nondum tamen ſupra libertatem. Protinus deinde ab Oceano Rugij, & Lemouij: omniumq; harũ gentiũ inſigne, rotunda ſcuta, breues gladij, & erga reges obſequium. *Suiones* Suionũ hinc ciuitates, ipſo in Oceano, præter uiros armaq; claſſibus ualent. forma nauiũ eo differt, quod utrinq; prora paratam ſemper appulſui frontem agit. nec uelis miniſtrantur, nec remos in ordinem lateribus adiungunt. Solutum ut in quibuſdam fluminũ, & mutabile, ut res poſcit, hinc uel illinc remigium. Eſt apud illos & opibus honos. eoq; unus imperitat, nullis iam exceptionibus, non precario iure parendi. nec arma ut apud cæteros Germanos in promiſcuo, ſed clauſa ſub cuſtode & quidẽ ſeruo: quia ſubitos hoſtium incurſus prohibet Oceanus. ocioſa porrò armatorum manus facile laſciuiũt. enim uero neq; nobilem, neq; ingenuum, ne libertinum quidem armis præponere regia utilitas eſt. Trans Suionas aliud mare pigrum, ac prope immotum, quo cingi cludiq; terrarum orbem hinc fides: *Mare pigrũ & immotũ* quod extremus cadentis iam ſolis fulgor in ortus edurat, adeo clarus, ut ſydera hebetet. Sonum inſuper emergentis audiri, formáſque deorum, & radios capitis aſpici perſuaſio adijcit. Illuc uſq;, & fama uera, tantum natura. Ergo iam dextro Sueuici maris littore Aeſtyorũ gentes alluuntur: quibus ritus habitusq; Sueuorum, lingua Britannicæ propior. Matrem deũm uenerantur. inſigne ſuperſtitionis, formas Aprorum geſtant. Id pro armis omniumq; tutela, ſecurũ deæ cultorem etiam inter hoſtes præſtat. Rarus ferri, frequens fuſtium uſus. Frumenta cæteroſq; fructus patientius quàm pro ſolita Germanorum inertia laborãt. Sed & mare ſcrutantur. ac ſoli omnium ſuccinum, quod ipſi Gleſum uocant, inter uada atq; in ipſo littore legunt. Nec quæ natura quæúe ratio gignat, ut Barbaris, quæſitũ compertumúe. diu quinetiam inter cætera eiectamenta maris iacebat, donec luxuria noſtra dedit nomen. ipſis in nullo uſu, rude legitur. informe perfertur. preciumq; mirantes accipiunt. Succum tamen arborum eſſe intelligas: quia terrena quædam atq; etiam uolucria animalia plerunque interlucent, quæ implicata humore, mox dureſcente materia, cluduntur. Fœcũdiora igitur nemora lucoſq;, ſicut Orientis ſecretis, ubi thura balſamaq;

Id hodie Germani agſtein appellãt, olim gleſum, quod inſtar uitri pelluceat, dictũ: nam Germani uitrum glas appellãt

balſamaq; ſudantur, ita Occidentis inſulis terriſq; ineſſe crediderim, quæ uicini ſolis radijs expreſſa atq; liquētia in proximum mare labuntur, ac ui tempeſtatū in aduerſa littora exundāt. Si naturā ſuccini admoto igne ten tes, in modū tædæ accenditur. alitq; flammam pinguem & olentem: mox ut in picem reſinamue lenteſcit. Suionibus Sitonum gentes continuan *Peucini* tur. Cætera ſimiles, uno differunt, quod fœmina dominatur: in tātum non *Baſtarnæ* modo à libertate, ſed etiam à ſeruitute degenerant. hic Sueuiæ finis.

Peucinorum, Venedorumq;, & Fennorum nationes Germanis an Sar matis aſcribam dubito: quanquam Peucini, quos quidam Baſtarnas uo/ *Venedi* cant, ſermone, cultu, ſede, ac domicilijs, ut Germani agunt. ſordes omnium ac torpor. procerum connubijs mixtis nonnihil in Sarmatarum habitum fœdatur. Venedi multum ex moribus traxerunt. Nam quicquid inter Peucinos Fennoſq; ſyluarum ac montium erigitur, latrocinijs pererrant. hi tamen inter Germanos potius referuntur, quia & domos fingunt, & *Sarmatæ* ſcuta geſtant, & peditum uſu ac pernicitate gaudent. quæ omnia diuerſa *hamaxobij* Sarmatis ſunt in plauſtro equoq; uiuentibus. Fennis mira feritas, fœ/ *Fenni* da paupertas. non arma, non equi, non penates. uictui herba, ueſtitui pel/ les, cubile humus. ſola in ſagittis ſpes, quas inopia ferri oſſibus aſperant. Idemq; uenatus uiros pariter ac fœminas alit. Paſsim enim comitantur, partemq; prædæ petunt. Nec aliud infantibus ferarum hymbriumq; ſuf/ fugium, quàm ut in aliquo ramorum nexu contegantur. huc redeunt iu/ uenes, hoc ſenum receptaculum. Id beatius arbitrantur, quàm ingemere agris, illaborare domibus, ſuas alienaſq; fortunas ſpe metuq; uerſare. Se/ curi aduerſus homines, ſecuri aduerſus deos, rem difficillimam aſſecuti ſunt, ut illis ne uoto quidem opus ſit. Cætera iam fabuloſa. Helluſios & Oxionas ora hominum uultuſq;, corpora atq; artus ferarum gerere. quod ego ut incompertum, in medium relinquam.

FINIS

BEATVS RHENANVS LECTORI S.

HVNC dialogum uix crediderim eſſe Taciti, quanquam autor quiſ/ quis fuit eius eruditiſsimi ſeculi, teſtatur ſe diſertiſsimorum homi/ num ſermonem repetere, quem iuuenis admodū audiuerit, ijſdem numeris ac ijſdē orationibus, ut potius loqui illos ipſos lector debeat imaginari q̃ eum qui cōſcripſit. Sanè fit hic anni ſexti mētio Veſpa ſiani principatus, quo tempore iuuenis fuit admodum Tacitus. Fit & mētio Mu tiani, ſenatorumq; eloquentium Eprij Marcelli ac Criſpi Vibij, quorum Tacitus quoque meminit in libris Annalium. Nec Iuſtus Fabius cui inſcribitur opuſcu/ lum ex Plinij Cæcilij epiſtolis ignotus eſt. Sed haud me latet quædam etiā apud ueteres tam apte conſcripta, ut antiquiora uideri queant quàm ſunt. Suſpicor Iu/ lium iſtum Secundū & M. Aprum, Maternumq; Gallos fuiſſe è Gallia Togata quæ Italis Ciſalpina eſt. Nam ſic alicubi dicit Aper, Quotus quiſq; quum ex Hi ſpania uel Aſia, ne quid de Gallis noſtris loquamur, in Vrbem uenit, Saleium

P Baſſum

Baſſum requirit: Paulopoſt idem Aper affirmat in Britannia fuiſſe ſeſe. Cæte/rum dolendum eſt hunc libellum tam eſſe corruptum. Quem dum percurro, lu/ctatus ſum obiter cum mendis. Verum alicubi ſucceſsit res, alicubi nihil diuinan do cõſequi potui. neq; enim erat exemplar aliquod uetuſtius cũ quo conferrem. Coniecturas quaſdam hic ſubdidi.

Et in quem ſatis erat profluens.) Lego, & inquantum ſatis erat profl.

Et Aper cum eruditione imbutus.) Scribendum puto, Et Aper communi eru ditione imbutus, contemnebat potius literas quàm neſciebat.

Quo minus offenſas.) Videtur legendum, offendas, aut offenſes. Mox, An ideo librum iſtum deprehendiſti. Malim apprehendiſti.

Et ego cui deſidiam aduocamur.) Forte, cui deſidiæ notamur. Cui ſcilicet tibi, id eſt à quo.

Sed & ipſum ſolum apud nos arguam.) Lego. Sed idipſum. Mox, omittit ſtu dium, pro amittit.

Non hercule loricæ gladius in acie firmius munimentum.) Poſſet etiam legi, Non hercule lorica aut gladius.

Et adiutorium extruit.) Emendaui, Et auditorium extruit. De hoc ambitioſo recitandi more, multa apud Plinium in epiſtolis.

Quod cum natura tua in ipſam artem eloquẽtiæ ferat.) Scripſimus, in ipſam arcem eloquentiæ.

Tum Vrbanus.) Caſtigaui, quum Vrbanus. Paulo poſt, & eruditiones. Ma lim, & eruditionem. Mox ſcripſimus pluriũ eiuſmodi librorum, pro plurimum.

Quia uideo etiã Græcis accidiſſe, ut longius abſit Aeſchines & Demoſthenes ſacerdos iſte enitet.) Tres poſtremæ dictiones indubiè portenta ſunt menda/rum. Quid ſi legas, ut longius abſit Aeſchine ac Demoſthene Doſitheus, & ſi quis alius Eph. uel Mityl. conten. ſ. cl. quatit. Nam fieri poteſt ut Doſitheus ali/quis orator apud Græcos eo tempore uixerit quo conditum eſt hoc opuſculum. Comparat itaq; ueterem Aeſchinem & recentem Doſitheum, ſi uera cõiectura eſt, aut ſimilem alium. nam huius mihi in mentem uenit, ſyllabas iſtarum dictio/num rimãti. Id tamen exempli cauſa putetur dictũ. Quod ſequitur, quàm Afer. intellige Domitium Afrum præſtantiſsimum oratorem ſed tum recentem.

Isq; annus horum nos uocamus.) Lego, Isq; annus horum quos uocamus ann. x. complectitur, incipit Dem.

Et ipſorum quoq; Oratorum pauciſsima præcepta.) Emendaui, pauciſsimi. nam ſequitur cognouerant.

Nec magis præfert.) Repoſui perfert.

Et hiatus compoſitio.) Caſtigaui, & hians compoſitio. Mox ſequitur, niſi qui pro niſi quis. Sic & Tullius uſurpat.

Nullum ſit uerbum uel rubigine infeſtum.) Scripſi infectum.

Porrò ne in corpore quidem ualitudinem medici probãt, quæ animi anxietati confixit. Opinor legendũ, quæ animi anxietate conſiſtit. Mox, lætiſsima quæq; antiquorum, Malim lectiſsima.

Omnes tamen eandem ſanctitatem eloquentiæ ferunt.) Repoſui ſanitatem.

Quamuis in diuerſis ingenijs eſſe quandã iudicij ac uoluminis ſimilitudinem & cognationem.) Scribe luminis.

Vnde oritur illa fœda & præpoſtera, ſed tamen frequens ſicut his clam & ex/clamatio.) Has quatuor particulas, ſicut is clam &, in unam confla dictionem, nempe quibuſdam, & ſic lege: ſed tamen frequens quibuſdam exclamatio. Pau/lopoſt, Ipſis etiam quibus utimur armis, legi poſsit, utitur.

Miratus, iratus anteq; te Aper.) Expunximus, iratus.

Omnis

Omnis cuiuſdam familiæ ſoboles committeretur.) Reſtituimus, cuiuſpiam familiæ.

Notus eſt nobis utiq; Ciceronis liber.) Scripſi uobis.

Ex multa eruditione & pluribus partibus.) Caſtigaui, ex multa eruditione ex pluribus artibus ex omnium rerum ſcientia exundat. Mox, pro non rhetorum ſcholis, ſcripſi, non ut rhe. ſ.

Pleriſq; autẽ in quibus hæc quoq; ſciẽtia requiruntur.) Lego, Pleræq; autem in quibus hæ quoq; ſcientiæ requiruntur.

Niſi eum qui tanquam in aciem omnibus armis inſtructus ſit, in forum.) Tu repone, Niſi eum qui tanquam in aciem omnibus armis inſtructus, ſic in forum omnibus artibus armatus exierit.

Vt in actionibus eorum uix quoq; cottidiani ſermonis.) Caſtigaui, [illegible] quoque cottidiani ſermonis.

Sed longe magis facultate & eloquentia contineri.) Legendum, facultate eloquentiam contineri.

Non multo ætatem antecedẽs.) Scribe, ætate antecedens. Mox pro deducuntur in ſcena ſcholaſticorum, ſcripſi, in ſcenas.

Tanto plus aut principeps gratiæ.) Caſtigaui, apud principes.

Non minus rubore quàm præmijs ſtipulabantur.) repoſui, ſtimulabantur.

Item, Neſcio an uenerint in manus noſtras.) emendaui, ueſtra[illegible]

Ita cum acciderent, ingentem eloquentiæ materiam ſubminiſtrabant.) Nam præceſsit: Hijs accedebat ſplendor rerum, & magnitudo cauſarum.

More hominum agit, quorum ea natura eſt, ut ſecura uelint.) Lego, nolint.

Quæ & ſi nunc aptior eſt.) Repone, arctior eſt.

Et municipiorum, & legationes.) Scripſi, Et municipiorum legationes, ac partes Italiæ periclitantibus aſsiſterent. Item paulopoſt, abſtinuerint.

Noſtra quoq; ciuitas donec errauit.) Hoc eſt, fluctuauit. Ni malis certauit.

Cum optima cito conſentiant.) Hoc eſt, optimę ſententiæ. Poterat alioqui legi, & optimi, ſi quis ad perſonam uelit referre.

Neque illos modus & temp. defuiſſet.) Scripſimus, Neque illis.

FINIS

P. CORNELII TACITI EQ. RO.

DIALOGVS, AN SVI SECVLI ORATORES antiquioribus, & quare concedant.

Oratores

SAEPE ex me requiris Iuſte Fabi, cur cum priora ſecula tot eminentium oratorum ingenijs gloriaqꝫ effloruerint, noſtra potiſsimum ætas deſerta & laude orbata, uix nomen ipſum oratoris retineat. neqꝫ enim ita appellamus niſi antiquos.

Cauſidici Aduocati Patroni

Horum aūt temporum diſerti, cauſidici, & aduocati, & patroni, & quiduis potius quàm oratores uocantur. Cui percunctationi tuæ reſpondere, & tam magnæ quæſtionis pondus excipere, ut aut de ingenijs noſtris male exiſtimandum, ſi idem aſſequi non poſſumus, aut de iudicijs, ſi nolumus, uix hercule auderem, ſi mea ſententia proferenda, ac non diſertiſsimorum noſtris temporibus hominū ſermo repetendus eſſet, quos eandem hanc quæſtionem pertractantes, iuuenis admodum audiui. Ita nō ingenio, ſed memoria ac recordatione opus eſt, ut quæ à præſtantiſsimis uiris & excogitata ſubtiliter, & dicta grauiter accepi, cum ſinguli diuerſas uel eaſdem, ſed probabiles cauſas afferrēt, dum formam ſui quiſqꝫ & animi, & ingenij redderet, ijſdem nunc numeris, ijſdemqꝫ orationibus perſequar, ſeruato ordine diſputationis. neqꝫ enim defuit, qui diuerſam quoqꝫ partem ſuſciperet, ac multum uexata & irriſa uetuſtate, noſtrorū temporum eloquentiam antiquorum ingenijs anteferret.

Cato, Tragœdiæ nomen

Nam poſtero die quàm accuratius Maternus Catonem recitauerat, cum offendiſſe potentium animos diceretur, tanquam in eo tragœdiæ argumento ſui oblitus, tantū Catonem cogitaſſet, eaqꝫ de re per urbem frequēs ſermo haberetur, uenerunt ad eum

M. Aper Iul. Secūdus

M. Aper & Iulius Secūdus, celeberrima tum ingenia fori noſtri, quos ego in iudicijs non utroſqꝫ modo ſtudioſe audiebam, ſed domi quoqꝫ & in publico aſſectabar mira ſtudiorū cupiditate, & quodam ardore iuuenili, ut fabulas quoqꝫ eorum & diſputationes, & arcana ſemotæ dictionis penitus exciperem: quanuis malignè pleriqꝫ opinarentur, nec Secundo promptum eſſe ſermonem, & Aprum ingenio potius & ui naturæ, quàm inſtitutione & literis famam eloquentiæ cōſecutum. Nam & Secundo purus, & preſſus, & in quem ſatis erat profluens, ſermo non defuit. Et Aper cum eruditione imbutus cōtemnebat potius literas quàm neſciebat, tanq̄ꝫ maiorem induſtriæ & laboris gloriam habiturus, ſi ingenium eius nullis alienarum artiū adminiculis inniti uideretur. Igitur ut intrauimus cubiculum Materni, ſedentem ipſum, quem pridie recitauerat librum intra manus habentem, deprehendimus. Tum Secūdus. Nil'ne te, inquit, Materne fabulæ malignorum terrēt, quo minus offenſas Catonis tui aures? An ideo librum

librum iſtum deprehendiſti, ut diligentius retractares, & ſublatis ſi quæ prauam interpretandi materiam dederunt, emitteres Catonem non quidem meliorem, ſed tamen ſecuriorem? Tum ille, leges tu quidem ſi uolueris & agnoſces quæ audiſti. quod ſi qua omiſit Cato, ſequenti tractatione Thyeſtes dicet. Hanc enim tragœdiam diſpoſui iam, & intra me ipſe formaui. Atque ideo maturare libri huius editionem feſtino, ut dimiſſa priore cura, nouæ cogitationi toto pectore incumbam. Adeo te tragœdiæ iſtæ non ſatiant (inquit Aper) quo minus omiſsis orationum & curarum ſtudijs omne tempus modo circa Medeam, ecce nũc circa Thyeſtem conſumas? cum tot amicorum cauſæ, tot coloniarum & municipiorum clientelæ in forum uocent, quibus uix ſufficeres, etiam ſi non nouum tibi ipſe negotium importaſſes, Domitium & Catonem: id eſt, noſtras quoq; hiſtorias & Romana nomina, Græcorum fabulis aggregares. Et Maternus: perturbarer hac tua ſeueritate, niſi frequens ac aſsidua nobis contentio iam propè in conſuetudinẽ uertiſſet. Nam nec tu agitare & inſequi poetas intermittis, & ego cui deſidiam aduocamur quotidianum hoc patrocinium defendens aduerſus te, poetice exerceo. Quo lætor magis oblatum nobis iudicem qui me uel in futurũ uetet uerſus facere, uel quod iam pridem opto, ſua quoq; autoritate compellat, ut omiſsis forenſium Muſarum anguſtijs, in quibus ſatis mihi ſuperq; ſudatũ eſt, ſanctiorem iſtam & auguſtiorem eloquentiam colam. Ego uero, inquit Secundus, antequàm me iudicẽ Aper recuſet, faciã quod probi & modeſti iudices ſolent, ut in his cognitionibus excuſent, in quibus manifeſtum eſt, alteram apud eos partem gratia præualere. Quis enim neſcit, neminem mihi cõiunctiorem eſſe & uſu amicitiæ, & aſsiduitate cõtubernij quàm Saleium Baſſum, cum optimum uirum tum abſolutiſsimum poetam? porrò ſi poetica accuſatur non alium uideo reum locupletiorem. Securus ſit, inquit Aper, & Saleius Baſſus, & quiſquis alius ſtudium poeticæ & carminũ gloriam fouet, cum cauſas agere non poſsit. & ego enim quatenus arbitrium litis huius inueniri non patiar, Maternum ſolicite plurimum defendi. ſed & ipſum ſolum apud eos arguam, quod natus ad eloquẽtiam uirilem & oratoriam, qua parare ſimul & tueri amicitias, adſciſcere nationes, complecti prouincias poſsit, amittit ſtudium, quo non aliud in ciuitate noſtra uel ad utilitatem fructuoſius, uel ad dignitatem amplius, uel ad urbis famam pulchrius, uel ad totius imperij atque omnium gentium notitiam illuſtrius excogitari poteſt. Nam ſi ad utilitatem uitæ omnia conſilia, facta noſtra dirigenda ſunt, quid erit tutius quàm eam exercere artẽ, qua ſemper armatus præſidium amicis, opem alienis, ſalutem periclitantibus, inuidis uero & inimicis metum & terrorem ultro ferat, ipſe ſecurus & uelut quadam perpetua potentia ac poteſtate munitus. cuius uis & utilitas rebus propè fluentibus aliorum, præſidio & tutela intelligitur. ſin proprium periculum ir

Thyeſtes, altera tragœdia

Forenſes Muſæ

Quæ cognitiones modeſtis iudicib. ingratæ

Eloquentiæ oratoriæ & forenſis utilitas

repat,non hercule lorica aut gladius in acie firmius munimentũ,quàm reo
& periclitanti eloquentia præſidium ſimul & telum, quo propugnare pa-
riter & inceſſere, uel in iudicio, ſiue in ſenatu, ſiue apud principem poſsis.
Eprius Marcellus Quid aliud infeſtis patribus nuper Eprius Marcellus,quàm eloquentiam
ſuam oppoſuit? qui accinctus & minax diſertã quidem ſed inexercitatam
Heluidius Priſcus & eiuſmodi certaminũ rudem Heluidij ſapiẽtiam eluſit. Plura de utilitate
non dico,cum præſertim minime contradicturum Maternum meum arbi-
Voluptas oratoriæ eloquentiæ trer. Ad uoluptatem oratoriæ eloquentiæ tranſeo, cuius iucunditas non
uno alio ue momẽto, ſed omnibus propè diebus & propè omnibus horis
contingit. Quid enim dulcius libero & ingenuo animo, & ad uoluptates
honeſtas nato, quàm uidere plenam ſemper & frequentem domum con-
curſu ſplendidiſsimorum hominum,idq; ſcire,non pecuniæ,non orbitati,
neq; officijs alicuius adminiſtrandis, ſed ſibijpſi dari? illos quinimmo or-
bos & locupletes uenire plerunq; ad iuuenẽ & pauperem, ut aut ſua aut
amicorum diſcrimina commẽdent. Vlla ne tanta ingentium opum ac ma-
gnæ potẽtiæ uoluptas, quàm ſpectare homines ueteres,& ſenes,& totius
orbis gratia ſubnixos, in ſumma omnium rerum abundantia confitentes
id quod optimum ſit ſe non habere? Iam uero qui togatorum comitatus
& egreſſus? quæ in publico ſpecies? quæ in iudicijs ueneratio? quod gau-
dium conſurgendi aſsiſtendiq; inter tacentes,in unum conuerſos,coire po-
pulum & circunfundi coràm, & accipere affectum quacunq; orator indu-
xerit? Vulgata dicentium gaudia & imperitorum quoq; oculis expoſita
parua cenſeo. Illa ſecretiora, & tantum ipſis orantibus nota, maiora ſunt.
Siue accuratam meditatamq; affert orationem, eſt quoddam ſicut ipſius
dictionis,ita gaudij pondus & conſtantia:ſiue nouam & recentem curam
non ſine aliqua trepidatione animus attulerit,ipſa ſolicitudo commendat
euentum,& lenocinatur uoluptati. Sed extemporalis audaciæ,atq; ipſius
temeritatis uel præcipua iucunditas eſt.Nam ingenio quoq; ſicut in agro,
quanq; alia diu ſerantur atq; elaborentur,gratiora tamen quæ ſua ſponte
naſcuntur.Equidem ut de me ipſo fatear, nõ eum diem lætiorem egi,quo
Latus clauus mihi latus clauus oblatus eſt, uel quo homo nouus & in ciuitate minime
fauorabili nactus quæſturam, aut tribunatum, aut præturã accepi,quàm
eos quibus mihi pro mediocritate huius quantulæcunq; in dicendo facul-
tatis,aut reum proſpere defendere,aut apud Centũuiros cauſam aliquam
feliciter orare,aut apud principẽ ipſos illos libertos & procuratores princi-
pum tueri & defendere datur.Tum mihi ſupra tribunatus & præturas &
conſulatus aſcendere uideor,tum abire:quod ſi nõ in alio oritur,nec in co-
dicillis datur,nec cum gratia uenit. quid fama & laus cuiuſuis artis cũ ora-
torum gloria comparanda eſt,qui non illuſtres in urbe ſolum apud nego-
tioſos & rebus intẽtos,ſed etiam apud iuuenes & adoleſcentes,quibus mo-
rum & indoles eſt & bona ſpes ſui? Quorũ nomina prius parentes liberis

ſuis

ſuis ingerunt? quos ſæpius uulgus imperitum & tunicatus hic populus tranſeunteis nomine uocat & digito demonſtrat? Aduenæ quoq; & peregrini iam in municipijs & colonijs ſuis auditos cum primum urbem attigerunt requirũt,ac uultus agnoſcere cõcupiſcunt. Auſim cõtendere Marcellum hunc Eprium de quo modo locutus ſum,& Criſpum Vibium (libentius enim nouis & recentibus quàm remotis & obliteratis exemplis utor) non minus eſſe in extremis partibus terrarum, quàm Capuæ aut Vercellis,ubi nati dicuntur. nec hoc illis alterius ter millies ſeſtertium præſtat, quanquã ad has ipſas opes poſſunt uideri eloquentiæ beneficio ueniſſe. Ipſa eloquentia cuius numen & cœleſtis uis multa quidem omnibus ſeculis exempla edidit,ad quantam uſq; fortunã homines ingenij uiribus peruenerint. Sed habet, ut ſupra dixi, propria & quæ non cognoſcenda, ſed oculis expectanda habemus. Nam quo ſordidius & abiectius nati ſunt, quoq; notabilior paupertas & anguſtia rerum naſcentes eos circumſteterunt,eo clariora & ad demonſtrãdam oratoriæ eloquentiæ utilitatem illuſtriora exempla ſunt, quod ſine cõmendatione natalium, ſine ſubſtãtia facultatum,neuter moribus egregius,alter habitu quoq; corporis contemptus, per multos iam annos potentiſſimi, ac donec libuit principes fori, nunc principes in Cæſaris amicitia agunt ferũtq; cuncta,atq; ab ipſo principe cum quadam reuerentia diliguntur. Quia Veſpaſianus uenerabilis ſenex & patientiſſimus uir bene intelligit,cæteros quidem amicos ſuos niti, quæ ab ipſo acceperint quæq; ipſis accumulare,& in alios cõgerere promptum eſt. Marcellum autem & Criſpum attuliſſe ad amicitiam ſuã quod non à principe acceperint,nec accipi poſſit. Minimum inter tot ac tanta locum obtinent imagines Attali & ſtatuæ,quæ neq; ipſa tamen negligũtur tam hercule quàm diuitiæ & opes, quas facilius inuenies qui uituperet quàm faſtidiat. His igitur & honoribus & ornamentis, & facultatibus refertas domos eorum uidemus, qui ſe ab ineunte adoleſcentia cauſis forenſibus & oratorio ſtudio dederunt. Nam carmina & uerſus quibus totam uitã Maternus inſumere optat (inde enim omnis fluxit oratio) neq; dignitatẽ ullam auctoribus ſuis cõciliant,neq; utilitates alunt. Voluptatẽ aũt breuem, laudem inanẽ & infructuoſam cõſequuntur: licet hæc ipſa & quæ deinde dicturus ſum,aures tuæ ô Materne reſpuant. Crebro etſi apud te Agamemnon aut Iaſon diſerte loquit̃,quis ideo domũ defenſus,& tibi obligatus redit? Quis Saleiũ noſtrũ egregiũ poetã uel (ſi hoc honorificẽtius eſt) præclariſſimũ uatẽ deducit,aut ſalutat,aut proſequit̃? Nempe ſi amicus,ſi propinquus,ſi deniq; aliquis in aliquod negociũ inciderit,ad hunc Secundum recurret,non ad te Materne, quia poeta es,neq; ut pro eo uerſus facias. hi enim Baſſo domi naſcuntur, pulchri quidẽ & iucundi. quorum tamẽ hic exitus eſt,ut cum toto anno,per omnes dies, magna noctiũ parte, unũ librũ extulit & lucubrauit, rogare ultro & ambire cogatur, ut ſint qui

Eprius Marcellus, Vibius Criſpus

Eloquentia forenſi parãtur opes dignitas & principũ fauor

dignentur audire & ne id quidem gratis: nam & domum mutuatur & auditorium extruit, & ſubſellia conducit, & libellos diſpergit. ut beatiſſimus recitationē eius euentus proſequatur, omnis illa laus intra unum aut alterum diem uelut in herba uel flore percepta, ad nullam certā & ſolidam peruenit frugem: nec aut amicitiam inde refert, aut clientelam, aut manſurum in animo cuiuſquam beneficium, ſed clamorem uagum, & uoces inanes, & gaudiū uolucre. Laudauimus nuper ut miram & eximiam Veſpaſiani liberalitatem, quod quingenta ſeſtertia Baſſo donaſſet. Pulchrum id quidem, indulgentiam principis ingenio mereri, quanto tamen pulchrius, ſi ita res familiaris exigat, ſe ipſum colere, ſuam experiri libertatem? Adijce quod poetis ſi modo dignum aliquid elaborare & efficere uelint, relinquenda conuerſatio amicorum, & iucunditas urbis, deſerenda cætera officia, utq; ipſi dicunt, in nemora & lucos, id eſt, in ſolitudinē recedendū eſt. Nec opinio quidem & fama cui ſoli ſeruiunt, & quod unum eſſe precium omnis ſui laboris fatētur, æque poetas quàm oratores ſequitur, quoniam mediocreis poetas nemo nouit, bonos pauci. Quādo enim rariſſimarum recitationum fama in totam urbem penetrat metrum, ut per tot prouincias innoteſcat? quotus quiſq; cum ex Hiſpania uel Aſia, ne quid de Gallis noſtris loquamur, in urbem uenit, Saleium Baſſum requirit? atq; adeo ſi quis requirit & ſemel uidit, tranſit & contentus eſt, ut ſi picturam aliquam uel ſtatuam uidiſſet. Neq; hunc meum ſermonem ſic accipi uolo, tanquam eos quibus natura ſua oratorū ingenium denegauit, deterream à carminibus, ſi modo in hac ſtudiorū parte oblectare otium & nomen inſerere poſſunt famæ. Ego uero omnē eloquentiam omnesq; eius partes ſacras & uenerabiles puto. Nec ſolum cothurnum noſtrum, aut heroici carminis ſonum, ſed lyricorum quoque iucunditatem, & elegorum laſciuias, & iamborum amaritudinem, epigrammatum luſus, & quamcunque aliam ſpeciem eloquentia habeat, anteponendam cæteris aliarum artium ſtudijs credo. ſed tecum mihi Materne res eſt, quod cum natura tua in ipſam arcem eloquentiæ ferat, errare mauis, & ſumma adeptus, in leuioribus ſubſiſtis. Vt ſi in Græcia natus eſſes, ubi ludicras quoq; artis exercere honeſtum eſt, tibi Nicoſtrati robur ac uires dij dediſſent, non paterer immanes illos & ad pugnam natos lacertos, leuitate iaculi aut iactu diſci uaneſcere: ſic nunc te ab auditorijs, & theatris, in forum, & ad cauſas, & ad uera prælia uoco: cum præſertim ne ad id quidem cōfugere poſſis, quod pleriſque patrocinatur, tanquam minus obnoxium ſit offenſis poetarum quàm oratorum ſtudium. Efferueſcit enim uis pulcherrimæ naturæ tuæ, nec pro amico aliquo, ſed quod periculoſius eſt, pro Catone offendis. nec excuſatur offenſa neceſſitudine officij, aut fide aduocationis, aut fortuitæ & ſubitæ dictionis impetu. At tu meditatus uideris elegiſſe perſonā notabilē & cum auctoritate dicturā. Sentio quid reſpōderi poſſit, hinc ingētis

ex

Poetæ recitabant olim carmina ſua

Poetarum merces

Peotæ ſolitudine opus habent

Opinio & fama

Mediocreis poetas nemo nouit, bonos pauci

Loquitur de Catone Materni tragœdia

ex his aſſenſus,hinc in ipſis auditorijs præcipue laudari & mox omnium
ſermonibus ferri. Tolle igitur quietis & ſecuritatis excuſationem,cum tibi
ſumas aduerſarium ſuperiorem.nobis ſatis ſit priuatas & noſtri ſeculi cō/
trouerſias tueri, in quibus expreſſis ſi quando neceſſe ſit pro periclitante
amico potentiorum aures offendere,& probata ſit fides & libertas excu/
ſata. Quæ cum dixiſſet Aper acrius,ut ſolebat, & intento ore,remiſſus
& ſubridens Maternus, Paraui inquit, me non minus diu accuſare ora/
tores quàm Aper laudat. Fore enim arbitrabar ut à laudatione eorum di
greſſus detractaret poetas, atq; carminū ſtudium proſterneret: arte qua/
dam mitigauit concedendo his qui cauſas agere non poſſent,ut uerſus fa
cerent.Ego autem ſicut in cauſis agendis niti fortaſſe poſſum,ita recitatio/ *Pro poetica*
ne tragœdiarū,& ingredi,& efficere famam auſpicatus ſum, tum quidem *aduerſus elo/*
cum in Nerone improbam & ſtudiorum quoq; ſacra prophanantem ua/ *quentiam fo/ renſem*
ticinij potentiam fregi. hodie ſi quid in nobis notitiæ ac nominis eſt,ma/
gis arbitror carminum quàm orationum gloria partum. ac me deiungere
à forenſi labore conſtitui. nec comitatus iſtos & egreſſus aut frequētiam
ſalutationum concupiſco, non magis q̄ æra & imagines quæ etiam iam
me nolente in domum meam irruperunt. Nam ſtatum cuiuſq; ad ſecuri/
tatem melius innocentia tueor quàm eloquentia. nec uereor, ne mihi un/
quam uerba in ſenatu niſi pro alterius diſcrimine facienda ſint. Nemora *Poetarum*
uero,& luci, & ſecretum ipſum quod Aper increpabat,tantam mihi affe/ *ſecretum*
runt uoluptatem, ut inter præcipuos carminum fructus numerem, quod
nec in ſtrepitu, nec ſedente ante oſtium litigatore, nec inter ſordes ac la/
chrymas reorum componūtur, ſed ſecedit animus in loca pura atq; inno/
centia,fruiturq; ſedibus ſacris. Hæc eloquentiæ primordia, hæc penetra/
lia.hæc primum habitu cultuq; commoda mortalibus,in illa caſta & nul/
lis contacta uitijs pectora influxit.ſic oracula loquebantur. Nam lucroſæ *Lūcroſa ac*
huius & ſanguinātis eloquentiæ uſus,recens,& malis moribus natus,atq; *ſanguinans*
ut tu dicebas Aper,in locum teli repertus.Cæterum felix illud & ut more *eloquentia*
noſtro loquar, aureum ſeculum & oratorum & criminum impos, poetis
& uatibus abundat,qui benefacta canerent,nō qui male admiſſa defende *Poetis aureū*
rent,ne aut illud clamore aut anguſtiæ honor primū apud deos,quo/ *ſeculum abun*
rum proferre reſponſa & intereſſe epulis ferebantur. Deinde quod apud *dabat,care/*
illos dijs genitos ſacroſq; reges,inter quos neminem cauſidicorū,ſed Or/ *bat oratorib.*
phea ac Linū, ac ſi introſpicere altius uelis ipſum Apollinē accepimus. uel
ſi hæc fabuloſa nimis & cōpoſita uidentur, illud certe mihi cōcedis Aper,
non minorem honorē Homero quàm Demoſtheni apud poſteros. nec *Homerus non*
anguſtioribus terminis famam Euripidis, aut Sophoclis, quàm Lyſiæ *minor Demo/*
aut Hyperidis includi. plures hodie reperies qui Ciceronis gloriam, q̄ *ſthene*
Virgilij detractent. Nec ullus Aſinij aut Meſſalæ liber tam illuſtris eſt,
quàm Medea Ouidij,aut Varij Thyeſtes.Ac ne fortunam quidē uatum,

& illud

& illud felix contubernium comparare timuerim cum inquieta & anxia oratorum uita. licet illos agitent certamina & pericula ſua & controuerſiæ, malo ſecurũ & ſecretum VIRGILII ſeceſſum, in quo tamen neq; apud diuum Auguſtum gratia caruit, neq; apud Populũ Romanũ notitia. Teſtes Auguſti epiſtolæ, teſtis ipſe populus, qui auditis in theatro uerſibus Virgilij, ſurrexit uniuerſus, & forte præſentem ſpectantemq; Virgilium ueneratus eſt, ſic quaſi Auguſtum. Ne noſtris quidem temporibus Secundus Pomponius Aphro Domitio uel dignitate uitæ uel perpetuitate famæ ceſſerit. Nam Criſpus & Marcellus ad quorum exempla me uocas, quid habent in hac præſenti fortuna concupiſcendum? an quod timent, an quod timentur? quod cum quotidie aliquid rogentur, hi quibus præſtant indignantur? quod alligati cum adulatione, nec imperantibus unquam ſatis ſerui uidentur, nec nobis ſatis liberi? Quæ hæc ſumma rerum potentia eſt? tantum poſſe liberti ſolent. Me uero dulces (ut Virgilius ait) Muſæ remotum à ſollicitudinibus, & curis, & neceſſitate quotidie aliquid contra animum faciendi, in illa ſacra illosq; fontes ferant: nec inſanum ultra & lubricum forum famamq; pallentem trepidus experiar: Non me fremitus ſalutantium, nec anhelans libertus excitet. nec incertus futuri, teſtamentum pro pignore ſcribam. nec plus habeam quàm quod poſſim cui uelim relinquere quandocunq; fatalis & meus dies ueniet. ſtatuarq; tumulo non mœſtus & atrox, ſed hilaris & coronatus. & pro memoria mei, nec conſulat quiſquam nec roget. Vix dum finierat Maternus concitatus & uelut inſtinctus, cum Vrbanus Meſſala cubiculum eius ingreſſus eſt, ſuſpicatusq; ex ipſa intentione ſingulorum altiorem inter eos eſſe ſermonem: Num parum tempeſtiuus inquit, interueni, ſecretum conſilium & cauſæ alicuius meditationem tractantibus? Minime minime, inquit Secũdus, atq; adeo uellẽ maturius interueniſſes. delectaſſet enim te & Apri noſtri accuratiſſimus ſermo, cum Maternũ ut omne ingenium ac ſtudium ſuum ad cauſas agendas conuerteret, exhortatus eſt: & Materni pro carminibus ſuis læta, utq; poetas defendi decebat audenter, & poetarum quàm oratorũ ſimilior oratio. Me uero inquit, & ſermo ipſe infinita uoluptate affeciſſet, atq; id ipſum delectat quod uos uiri optimi & tẽporũ noſtrorũ oratores, non forẽſibus tantum negotijs, & declamatorio ſtudio ingenia ueſtra exercetis, ſed eiuſmodi etiam diſputationes adiũgitis, quæ & ingenium alunt & eruditionem, & litterarũ iucundiſſimũ oblectamẽtum cum uobis qui illa diſputatis, afferunt, tum etiam his ad quorum aures peruenerint. Itaq; hercule non minus probari uideo in te Secunde quod Iulij Aſiatici uitam componendo, ſpem hominibus feciſti plurium eiuſmodi librorum, quàm in Apro quod nondum à ſcholaſticis cõtrouerſijs receſſit, & otium ſuum mauult nouorum rhetorum more quàm ueterum oratorum conſumere. Tum Aper, non deſinis Meſſala uetera tantum & antiqua

Secund. Pomponius poeta Domitius Apher orator

Liberti

Vrb. Meſſala

Forenſia negotia

Declamatorium ſtudiũ

Iul. Aſiatici uitam compoſuit Secũdus

antiqua mirari, noſtrorum aūt temporū ſtudia irridere atq; contemnere? Nam hunc tuum ſermonem ſæpe excepi, cum oblitus & tuæ & fratris tui eloquentiæ, noſtro hoc tempore oratorem contendere antiquis, eſſe credis audacius : quo malignitatis opinionem non uerebaris, cum eam gloriam quam tibi alij concedunt ipſi tibi denegares. Neque illius inquit ſermonis mei pœnitentiam ago, neq; aut Secundum aut Maternum aut teipſum Aper (quanquam interdum in contrarium diſputes) aliter ſentire credo. Ac uelim impetratum ab aliquo ueſtrum, ut cauſas huius infinitæ differentiæ ſcrutetur ac reddat, quas mecum ipſe plerunq; conquiro: & quod quibuſdam ſolatio eſt, mihi auget quæſtionem, quia uideo etiam Graijs accidiſſe, ut longius abſit Aeſchines & Demoſthenes ſacerdos iſte enitet, & ſi quis alius Epheſum uel Mitylenas contentus ſcholaſticorum clamoribus quatit, quàm Afer aut Africanus aut uos ipſi à Cicerone aut Aſinio receſsiſtis. Magnā inquit Secundus & dignam tractatu quæſtionem mouiſtis: ſed quis eam iuſtius explicauerit quàm tu, ad cuius ſummā eruditionem & præſtantiſsimū ingenium cura quoq; & meditatio acceſſit? Et Meſſala, aperiam inquit cogitationes meas, ſi illud à uobis ante impetrauero, ut uos quoq; ſermonem hunc noſtrum adiuuetis. Pro duobus inquit Maternus promitto. nam & ego & Secundus exequemur partes quas intellexerimus te non tam omiſiſſe q̄ꝫ nobis reliquiſſe. Aprum enim ſolere diſſentire, & tu paulo ante dixiſti, & ipſe ſatis manifeſtus eſt iamdudum in contrarium accingi, nec æquo animo perferre hanc noſtrā pro antiquorum laude concordiam. Non enim, inquit Aper, inauditum & indefenſum ſeculum noſtrum patiar hac ueſtra cōſpiratione damnari. Sed hoc primum interrogabo, quos uocetis antiquos, quam oratorū ætatem ſignatione iſta determinetis? Ego enim cum audio antiquos, quoſdā ueteres & olim natos intelligo, ac mihi uerſantur ante oculos Vlyſſes & Neſtor quorum ætas mille ferè & cc. annis ſeculum noſtrum antecedit: uos autem Demoſthenem & Hyperidem percipitis, quos ſatis conſtat Philippi & Alexandri temporibus floruiſſe, ita tamen ut utriq; ſuperſtites eſſent. Ex quo apparet non multo plures q̄ꝫ ccc. annos intereſſe inter noſtram & Demoſthenis ætatē. quod ſpaciū temporis, ſi ad infirmitatē corporum noſtrorū referas, fortaſſe longū uideatur: ſi ad naturā ſeculorū & reſpectū huius immenſi æui, perquā breue, & in proximo eſt. Nam ſi, ſicut Cicero in Hortenſio ſcribit, is eſt magnus & uerus annus, quo eadem poſitio cœli ſyderūq;, quę cum maxime eſt rurſum exiſtet, isq; annus horum quos uocamus annorum xij.dccccliiij. cōplectitur, incipit Demoſthenes ueſter quē uos ueterē & antiquū fingitis, non ſolū anno quo nos, ſed ferè eodē menſe extitiſſe. Sed tranſeo ad Latinos oratores, in quibus non Meneniū ut puto Agrippā qui poteſt uideri antiquus, noſtrorū tēporum diſertis anteponere ſoleus, ſed Ciceronē, & Cæſarē, & Cæliū, & Caluum, & Bru-

Antiqui
Vlyſſes
Neſtor
Demoſthenes
Hyperides
Annus magnus
Menenius Agrippa
Cicero
Cæſar
Cælius
Caluus

Brutus Aſinius Meſſala

& Brutum, & Aſinium, & Meſſalam, quos quidem cur antiquis temporibus potius aſcribatis quàm noſtris, non uideo. nam ut de Cicerone ipſo loquar, Hirtio nempe & Panſa conſulibus, ut Tyro libertus eius ſcripſit, vij Idus occiſus eſt, quo anno diuus Auguſtus in locum Panſæ & Hirtij ſe & Q. Pedium coss. ſuffecit. ſtatue viij & l annos, quibus mox diuus Auguſtus Remp. rexit: adijce Tiberij tres & uiginti, & propè quadriennium Cai, ac bis quaternosdenos Claudij & Neronis annos, atq; unum Galbæ & Othonis, & Vitellij unum annum, ac ſextam iam felicis huius principatus ſtationem, qua Veſpaſianus Remp. fouet, c & xx anni ab interitu Ciceronis in hunc diem colligũtur, unius hominis ætas. Nam ipſe ego in Britannia uidi ſenem, qui ſe fateretur & pugnæ interfuiſſe, qua Cæſarem inferentem arma Britanniæ, arcere littoribus, & pellere aggreſſi ſunt. Ita ſi eum qui armatus C. Cæſari reſtitit, uel captiuitas uel uolũtas, uel fatum aliquod in urbem pertraxiſſet, idem Cæſarem ipſum & Ciceronem audire potuit, & noſtris quoq; auctoribus intereſſe. Proximo quidem congiario ipſi uidiſtis pleroſq; ſenes, qui ſe à diuo quoq; Auguſto ſemel atq; iterum accepiſſe congiariũ narrabant. ex quo colligi poteſt, & Coruinum ab illis & Aſinium audiri potuiſſe. Nam Coruinus in medium uſq; Auguſti principatum, Aſinius penè ad extremum durauit. Nec diuidatis ſeculum & antiquos, ac ueteres uocetis oratores, quos eorũdem hominum aures agnoſcere ac uelut coniungere & copulare potuerũt. Hæc ideo prædixi, ut ſi qua & horum oratorum, fama, gloriaq;, ac laus temporibus adquiritur, eandem docerem in medio ſitam, & propiorẽ nobis quàm Ser. Galbæ, Caio Carboni, quoſq; alios antiquos merito uocaremus. Sunt enim horridi, & impoliti, & rudes, & informes, & quos utinam imitatus nõ eſſet Caluus ueſter aut Cælius, aut ipſe Cicero. Agere enĩ fortius iam & audentius uolo, ſi illud ante prædixero, mutari cum temporibus formas & genera dicendi, Sicut Catoni ſeni comparatus C. Gracchus, plenior & uberior: ſic Graccho politior & ornatior, Craſſus: ſic utroq; diſtinctior & urbanior & altior, Cicero: Cicerone mitior Coruinus & dulcior, & in uerbis magis elaboratus. Nec quæro quis diſertiſſimus. Hoc interim probaſſe contentus ſum, non eſſe unum eloquentiæ uultum, ſed in illis quoq; quos uocatis antiquos, plures ſpecies deprehendi: nec ſtatim deterius eſſe quod diuerſum eſt: uitio autẽ malignitatis humanæ uetera ſemper in laude, præſentia in faſtidio eſſe. Nam non dubitamus inuẽtos qui pro Catone Appium Cæcum magis mirarentur. Satis conſtat nec Ciceroni quidem obtrectatores defuiſſe, quibus inflatus, & tumens, nec ſatis preſſus, ſupra modũ exultans & ſuperfluens & parũ antiquus uideret. Legiſti utiq; & Calui, & Bruti, ad Ciceronem miſſas epiſtolas. ex quibus facile eſt deprehẽdere, Caluũ quidem Ciceroni uiſum exanguẽ, ac tritum, Brutum autem otioſum atq; diſiunctum, Rurſumq; Ciceronem à Caluo quidem

C. & xx anni, unius hominis ætas

Congiarium

Mutãtur cum tẽporibus formæ & genera dicendi

Non eſt unus eloquẽtiæ uultus

Appius Cæcus

quidem male audiuiſſe tanquam ſolutum & eneruem: à Bruto autem, ut ipſius uerbis utar, tanquam fractum atq; elumbem. Si me interroges, omnes mihi uideri uerum dixiſſe. ſed mox ad ſingulos ueniam, nec mihi cum uniuerſis negotium eſt. Nam quatenus antiquorũ admiratores hunc uelut terminum antiquitatis conſtituere ſolent, quem uſq; ad Caſſium Seuerum faciunt, quem primum affirmant flexiſſe ab illa uetere, atq; dicendi uia directa, non infirmitate ingenij, nec inſcitia litterarum tranſtuliſſe ſe ad id dicendi genus contendo, ſed iudicio & intellectu. Vidit namq; ut paulo ante dicebam, conditionẽ temporum & diuerſitates auctorum, formam quoq; ac ſpeciem orationis remutãdam. Facile perferebat prior iſte populus, ut imperitus & rudis, imperitiſſimarum orationum ſpatia: atq; idipſum laudabat, ſi dicendo quis diem eximeret. Ita uero longa principiorum præparatio, & narrationis altè repetita ſeries, & multarũ diuiſionum oſtentatio, & mille argumentorũ genera, & quicquid aliud aridiſſimis Hermagoræ, & Apollodori libris præcipitur, in honore erat: & ſi quis odoratus philoſophiam, atq; ex ea locum aliquem orationi ſuæ inſereret, in cœlum laudibus ferebatur. Nec mirum, erant enim hæc noua & incognita: & ipſorum quoq; oratorum pauciſsimi præcepta & rhetorum aut philoſophorum placita cognouerant. At hercule peruulgatis iam omnibus, cum uix in cortina quiſquam aſſiſtat, qui elementis ſtudiorũ & ſi non inſtructus, at certe imbutus ſit, nouis & exquiſitis eloquentiæ itineribus opus eſt, per quæ orator faſtidium aurium effugiat, utiq; apud eos iudices qui ui & poteſtate non iure & legibus cognoſcũt, & nec accipiunt tempora ſed conſtituunt, nec expectandum habent oratorem dum illi libeat de ipſo negotio dicere, ſed ſæpe ultro admonent, atq; aliò tranſgredientem reuocant & feſtinare ſe teſtantur. Quis nunc ferat oratorem de infirmitate ualetudinis ſuæ præfantem? qualia ſunt ferè principia Coruini. Quis quinq; in Verrem libros expectauerit? Quis de exceptione & formula perpetietur illa immenſa uolumina, quæ pro M. Tullio, aut A. Cæcina legimus? Præcurrit hoc tempore iudex dicentẽ, & niſi aut curſu argumentorum, aut colore ſententiarũ, aut nitore & cultu deſcriptionum inuitatus & corruptus eſt, auerſatur dicẽtem. Vulgus quoq; aſsiſtentium & affluens & uagus auditor aſſueuit iam exigere lætitiam & pulchritudinem orationis, nec magis perfert in iudicijs triſtem & impexam antiquitatem, quàm ſi quis in ſcena Roſcij, aut Turpionis aut Ambiuij exprimere geſtus uelit. Iam uero iuuenes, & ipſa ſtudiorum incude poſiti, qui profectus ſui cauſa oratores ſectãtur, non ſolum audire, ſed etiam referre domum aliquid illuſtre & dignum memoria uolunt: Traduntq; inuicem, ac ſæpe in colonias ac prouincias ſuas ſcribunt, ſiue in ſuis aliquis arguta & breui ſententia effulſit, ſiue locus exquiſito & poetico cultu enituit. exercetur enim iam ab oratore etiam poeticus decor, non Actij aut Pacuuij

Caſſius Seuerus

Populus olim rudis

Aridiſſimi Hermagoræ & Apollodori libri

In cortina aſſiſtens

Triſtis & impexa antiquitas

ueterno inquinatus,ſed ex Oratij,& Virgilij, & Lucani ſacrario prolatus. Horum igitur auribus,& iudicijs obtemperãs, noſtrorũ oratorũ ætas pulchrior & ornatior extitit. Neq; ideo minus efficaces ſunt oratiões noſtræ, quia ad aures iudicantium cum uoluptate perueniunt. Quid enim ſi infirmiora horum temporũ templa credas,quia nõ rudi cemento, & informibus tegulis extruuntur,ſed marmore nitent & auro radiantur? Equidẽ fateor uobis ſimpliciter,me in quibuſdam antiquorum uix riſum,in quibuſdam aũt uix ſomnum tenere,nec unum de populo.Canuti aut Ariũ Furnio & Toranio,quiq; alios in eodem ualetudinario hæc oſſa & hanc maciem probant. Ipſe mihi Caluus cum unum & uiginti, ut puto libros reliquerit, uix in una aut altera oratiuncula ſatis facit.nec diſſentire cæteros ab hoc meo iudicio uideo.quotus enim quiſq; Calui in Aſitium aut in Druſum legit?at hercule in hominũ ſtudioſorũ manibus uerſantur accuſationes quæ in Vatinium conſcribuntur,ac præcipue ſecunda ex his oratio.eſt enim uerbis ornata, & ſentẽtijs auribus iudicũ accõmodata:ut ſcias ipſum quoq; Caluũ intellexiſſe quid melius eſſet: nec uoluntatẽ quin ſublimius & cultius diceret,ſed ingenium ac uires defuiſſe. Quid ex Cælianis orationibus? nempe hæ placẽt ſiue in uniuerſa parte factum, in quibus nitorem & altitudinem horũ temporum agnoſcimus. Sordes aũt uerborũ,& hians compoſitio & inconditi ſenſus redolent antiquitatẽ. nec quenquam adeo antiquarium puto,ut Cælium ex ea parte laudet,qua antiquus eſt.Concedamus ſanè C. Cæſari ut propter magnitudinem cognitionis, & occupationes rerum, minus eloquẽtia effecerit, quàm diuinum eius ingenium poſtulabat,tam hercule quàm Brutum philoſophiæ ſuæ relinquamus.Nam in orationibus minorẽ eſſe fama ſua etiam admiratores eius fatentur, niſi forte quiſquam aut Cæſaris pro Decio Samnite, aut Bruti pro Deiotaro Rege, cæteroſq; cuiuſdam lenti luminis ac temporis libros legit, niſi qui & carmina eorundem miratur. fecerunt enim & carmina, in Bibliothecas rettulerunt, non melius quàm Cicero, at felicius, quia illos feciſſe pauciores ſciunt. Aſinius quoq; quanq; propioribus temporibus natus ſit,uidetur mihi inter Menenios & Appios ſtuduiſſe.Pacuuium certe, & Actium non ſolum tragœdijs, ſed etiam orationibus ſuis expreſſit, adeo durus & ſiccus.Oratio aũt ſicut corpus hominis ea demum pulchra eſt, in qua non eminent uenæ,nec oſſa numerantur, ſed temperatus ac bonus ſanguis implet membra & exurgit toris, ipſos quoq; neruos robur tegit, & decor cõmendat. Nolo Coruinum inſequi, quia non per ipſum ſtetit quo minus lætitiam nitoremq; noſtrorum temporũ exprimeret. Viderimus inquam iudicio eius uis aut animi aut ingenij ſufficeret. Ad Ciceronem uenio cui eadem pugna cum æqualibus ſuis fuit,quæ mihi uobiſcũ eſt. Illi enim antiquos mirabantur, ipſe ſuorũ temporum eloquentiam anteponebat. nec ulla re magis eiuſdẽ ætatis oratores præcurrit quàm iudicio. Primus enim excoluit

Marginal notes: *In eodẽ ualetudinario* — *Calui in Vatinium accuſationes* — *Cælianæ orationes* — *C. Iul. Cæſar* — *Brutus* — *Aſinius* — *Oratio pulchra* — *Meſſala Coruinus* — *Cicero* — *Ciceronis iudicium*

excoluit orationem, primus & uerbis delectum adhibuit, & compoſitioni
artem: locosq́ altiores attentauit, & quaſdam ſententias inuenit: utiq; in
his orationibus quas ſenior iam & iuxta finem uitæ cõpoſuit, id eſt, poſt-
quam magis profecerat, uſuq; & experimentis didicerat, quod optimum
dicendi genus eſt. Nam priores eius orationes nõ carent uitijs antiquita- *Orationes quas ſenior ſcripſit, meliores*
tis: lentus eſt in principijs, longus in narrationibus, otioſus circa exceſſus:
tarde commouetur, raro incaleſcit: pauci ſenſus opt. & cum quodam lu-
mine terminatur: nihil ex tempore referre poſſis: & uelut in rudi ædifi-
cio, firmus ſanè paries & duraturus, ſed non ſatis expolitus & ſplendens.
Ego autem oratorem ſicut locupletem ac laudatum patrem familiæ non *Priores orationes*
eo tantum uolo tecto tegi, quod hymbrem ac uentum arceat, ſed etiam *Orator qualis*
quod uiſum & oculos delectet: non ea ſolum inſtrui ſupellectile quæ ne-
ceſſarijs uſibus ſufficiat, ſed etiam ſit in apparatu eius, & aurũ, & gemmæ,
ut ſumere in manus aut aſpicere ſæpius liceat: quædam uero procul arcen
tur ut iam obliterata & olentia: nullum ſit uerbum uelut rubigine infe-
ctum, nulli ſenſus tarda & inerti ſtructura in morem Annalium compo- *Annales priſci*
nantur: fugiat fœdam & inſulſam ſcurrilitatem, uariet cõpoſitionem, nec
omnes clauſulas uno & eodem modo determinet. Nolo irridere rotam
fortunæ, & ius Verrinum, & illud tertio quoq; ſenſu in omnibus pro ſen
tentia poſitum, eſſe uideatur. Nam & hoc inuitus rettuli & plura omiſi, *Eſſe uideatur clauſula apud Ciceronẽ frequens*
quæ tamen ſola mirantur atq; exprimunt, hi qui ſe antiquos oratores uo
cabant. neminem nominabo, genus hominum ſignaſſe contentus, ſed uo
bis utiq; uerſantur ante oculos qui Lucilliũ pro Oratio, & Lucretium pro
Virgilio legũt: quibus eloquẽtia tui Aufidij Baſſi, aut Seruilij Noniani ex
comparatione Siſenæ aut Varronis ſordet, qui rhetorum noſtrorũ com-
mentarios faſtidiunt, oderunt, Calui mirantur: quos more priſco apud iu
dicem fabulantes auditores ſequuntur, non populus audit, uix deniq; liti-
gator perpetitur, adeo mœſti & inculti illam ipſam quam iactant ſanita-
tem, ſed ieiunio conſequuntur. Porrò ne in corpore quidem ualetudinem *Sanitatẽ orationis, ieiunio rerũ conſequi*
medici probant, quæ animi anxietati confinis ſit. parum eſt ægrum non
eſſe, fortem & lætum & alacrem uolo. propè abeſt ab infirmitate in quo
ſola ſanitas laudatur. Vos ergo diſertiſſimi, ut poteſtis, ut facitis, illuſtrate
ſeculum noſtrum pulcherrimo genere dicendi. Nam & te Meſſala uideo
lætiſsima quæq; antiquorum imitantem. Et uos Materne ac Secunde ita
grauitati ſummum nitorem & cultum uerborum miſcetis, ea electio inuen
tionis, is ordo rerum, & quotiens cauſa poſcit, ubertas, ea (quotiens per-
mittitur) breuitas, is compoſitionis decor, ſententiarum planitas: ſic expri-
mitis affectus, ſic libertatem temperatis, ut etiam ſi noſtra iudicia maligni
tas & inuidia tardauerit, uerum de uobis daturi ſint poſteri noſtri. Quæ
cum Aper dixiſſet, Agnoſcitis ne inquit Maternus, uim & ardorem Apri
noſtri? quo torrente, quo impetu ſæculum noſtrum defendit? q̃ copioſe,

ac uarie uexauit antiquos? quanto nō ſolum ingenio ac ſpiritu, ſed etiam eruditione & arte ab ipſis mutuatus eſt, per quæ mox ipſos inceſſeret? Tuum tamen Meſſala promiſſum ita mutaſſe non debes. neq; enim defenſores antiquorum exigimus, nec quenq̃ noſtrorum, quanquam modo laudati ſumus, his quos inſectatus eſt Aper cōparamus. ac ne ipſe quidem ita ſentit, ſed more ueteri & alijs ueſtris philoſophis ſæpe celebrato ſumpſit ſibi contradicendi partes. Exprime nobis non laudationem antiquorum (ſatis enim illos fama ſua laudat) ſed cauſas cur in tantum ab eloquentia eorum receſſerimus, cum præſertim centum & xx annos ab interitu Ciceronis in hunc diem effici ratio temporum collegerit. Tum Meſſala: ſequar à te præſcriptam formam Materne. neq; enim diu contradicendum eſt Apro, qui primū, ut opinor, non mouit, tanq̃ parum proprie antiqui uocarentur, quos ſatis conſtat ante centum annos fuiſſe. Mihi autē de uocabulo pugna non eſt, ſiue illos antiquos, ſiue maiores, ſiue quo alio mauult nomine appellet, dummodo in cōfeſſo ſit, eminentiorem illorum temporū eloquentiam fuiſſe. Ne illi quidem parti ſermonis eius repugno, ſi quo minus fatetur plures formas dicendi etiam ijſdem ſæculis, nedū diuerſis extitiſſe. Sed quomodo inter Atticos oratores Demoſtheni tribuerit, proximū aūt locum Aeſchines & Hyperides & Lyſias & Lycurgus obtinent, omnium aūt conſenſu hæc oratorū ætas maxime probatur: ſic apud nos Cicero quidem cæteros eorundem temporum diſertos anteceſsit. Caluus autem & Aſinius & Cæſar & Cælius & Brutus ſic iure & prioribus & ſequentibus anteponūtur. nec refert qui inter ſe ſpecie differāt, cum genere conſentiāt. at triſtior Caluus, numeroſior Aſinius, ſplendidior Cæſar, amarior Cælius, grauior Brutus, uehementior & plenior & ualentior Cicero, omnes tamen eandem ſanitatem eloquentiæ ferunt: ut ſi omnium pariter libros in manum ſumpſeris, quamuis in diuerſis ingenijs, eſſe quādam iudicij ac uoluminis ſimilitudinem & cognationē. Nam quod inuicem ſe obtrectauerunt, & ſuperſunt aliqua epiſtolis eorum inſerta, ex quibus mutua malignitas detegitur, non eſt oratorum uitium, ſed hominum. Nam & Caluum & Aſinium & ipſum Ciceronem credo ſolitos & inuidere, & liuere; & cæteris humanæ infirmitatis uitijs affici. ſolum inter hos arbitror Brutum non malignitate nec inuidia, ſed ſimpliciter & ingenue iudicium animi ſui detexiſſe. an inuideret Ciceroni, qui mihi uidetur ne Cæſari quidem inuidiſſe? Quod ad Ser. Galbam & C. Lelium attinet, & ſi quos alios antiquorū agitare non deſiſtit, nō exigit defenſorem, cum fatear quædam eloquentiæ eorum, ut naſcenti adhuc nec ſatis adultæ defuiſſe. Cæterum ſi omiſſo optimo illo, & perfectiſsimo genere eloquentiæ, eligenda ſit forma dicendi, malim hercule C. Gracchi impetum, aut L. Craſſi maturitatem, q̃ calamiſtros Mecenatis, aut tinnitus Gallionis: adeo melius oratorem, uel hirta toga induere, q̃ fucatis & meretricijs ueſtibus

Antiqui ſiue maiores

Eminētior Ciceroniani ſeculi eloquētia

Cicero cæteros corūdem temporū diſertos antecellit

Mutua malignitas ueterū

Eloquētia naſcēs nec ſatis adulta

ueſtibus inſignire. Neq; enim oratorius iſte, immo hercule ne uirilis qui/
dem cultus eſt,quo pleriq; ipſorũ noſtrorũ actores ita utuntur,ut laſciuia
uerborũ & leuitate ſententiarũ, & licentia cõpoſitionis, hiſtrionales mo/ *Hiſtrionales modi*
dos exprimant. quodq; uix auditu fas eſſe debeat, laudis & gloriæ & in/
genij loco pleriq; iactant,cantari ſaltariq; commentarios ſuos. Vnde ori/ *Cantari ſaltariq; commentarios*
tur illa fœda & præpoſtera, ſed tamen frequens quibuſdam exclamatio,
ut oratores noſtri temerè dicere,hiſtriones diſertè ſaltare dicantur. Equi/ *Oratores temere dicunt*
dem non negauerim Caſsium Seuerum,quem ſolum Aper noſter nomi *Hiſtriones diſerte ſaltant*
nare auſus eſt,ſi his comparetur qui poſtea fuerunt,poſſe oratorem uoca
ri, quanquã in magna parte librorum ſuorũ plus uis habeat quàm ſangui *Caſs. Seuerus*
nis. Primus enim contempto ordine rerũ,omiſſa modeſtia,ac pudore uer
borũ, ipſis etiam quibus utimur armis incõpoſitus, & ſtudio feriendi ple
runq; deiectus non pugnat, ſed rixatur. Cæterũ,ut dixi,ſequentibus com
paratus,& uarietate eruditionis, & lepore urbanitatis & ipſarũ uirium ro/
bore,multum cæteros ſuperat,Quorum neminem Aper nominare & ue/
lut in aciem educere ſuſtinuit.Ego autem expectabam, ut Bruto, Aſinio,
& Cælio & Caluo,aliud nobis agmen produceret, pluriſq; uel certe toti/
dem nominaret, ex quibus alium Ciceroni, aliũ Cæſari, ſingulis demum
ſingulos opponeremus. Nunc detrectaſſe nominatim antiquos oratores
contentus,neminem ſequentium laudare auſus eſt, niſi in publicum & in
cõmune.ueritum credo ne multos offenderet,ſi paucos excerpſiſſet.quo/
tus enim quiſq; ſcholaſticorum non hac ſua perſuaſione fruitur,ut ſe ante
Ciceronem numeret,ſed planè poſt Gabinianũ? At ego non uerebor no
minare ſingulos,quo facilius propoſitis exemplis appareat quibus gradi
bus fracta ſit & diminuta eloquentia.Appropera inquit Maternus,& po
tius exolue promiſſum: neque enim hoc colligi deſideramus, diſertiores
eſſe antiquos,quod apud me equidem in confeſſo eſt. Sed cauſas exqui/
rimus,quas te ſolitũ tractare,pauloante, plane mitiore eloquentia & tem/
porum noſtrorũ, miratus, anteq̃ te Aper offenderet maiores tuos laceſ/
ſendo.Nõ ſum,inquit,offenſus à prima diſputatione,nec uos offendi de/
cebit,ſi quid forte aures ueſtras perſtringit, cum ſciatis hanc eſſe eiuſmo/
di ſermonum legem,iudicium animi citra damnum affectus proferre.Per
ge inquit Maternus, de antiquis loquaris. utere antiqua libertate,qua uel
magis degenerauimus q̃ ab eloquentia. Et Meſſala,nõ reconditas Ma
terne cauſas requiris, nec aut tibiipſi,aut huic Secũdo,uel huic Apro igno
tas,& iam mihi partes aſsignatis proferendi in mediũ quæ omnes. Quis
enim ignorat & eloquentiam & cæteras artes deſciuiſſe ab iſta uetere glo
ria, non inopia hominum ſed deſidia iuuentutis, & negligentia paren/
tum, & inſcientia præcipientium, & obliuione moris antiqui? quæ mala
primum in urbe nata, mox per Italiam fuſa iam in prouincias manant:
quanquam noſtra nobis notiora ſunt. Ego de urbe & his proprijs ac uer/

naculis uitijs loquar, quæ natos ſtatim excipiunt, & per ſingulos ætatis
gradus cumulantur, ſi prius de ſeueritate ac diſciplina maiorum circa edu-
» candos firmandosq́; liberos pauca prædixero. Iamprimum ſuus cuiq;
» filius ex caſta parente natus, nõ in cella emptæ nutricis, ſed gremio ac ſinu
» matris educabatur, cuius præcipua laus erat, tueri domum, & inſeruire libe
» ris. Eligebatur autẽ aliqua maior natu propinqua, cuius probatis ſpecta-
» tisq́; moribus, omnis cuiuſpiam familiæ ſoboles cõmitteretur, coram qua
» neq; dicere fas erat quod turpe dictu, neq; facere quod inhoneſtũ factu
» uideretur. Ac nõ ſtudia moresq́;, ſed remiſsiones etiã luſusq́; puerorum,
» ſanctitate quadam ac uerecũdia temperabat. Sic Corneliã Gracchorum,
» ſic Aureliam Cæſaris, ſic Actiam Auguſti matrem præfuiſſe educationi-
» bus, ac produxiſſe principes liberos accepimus. quæ diſciplina ac ſeueritas
» eò pertinebat, ut ſincera & integra & nullis prauitatibus detorta uniuſcu-
» iuſq; natura, toto ſtatim pectore arriperet artes honeſtas: & ſiue ad rem
» militarem, ſiue ad iuris ſcientiam, ſiue ad eloquentiæ ſtudiũ inclinaſſet, id
» ſolum ageret, id uniuerſum hauriret. At nunc natus infans delegatur Græ
» culæ alicui ancillæ, cui adiungitur unus aut alter ex omnibus ſeruis ple-
» runq; uiliſsimus, nec cuiquam ſerio miniſter accommodatus. horum fabu
» lis & erroribus teneri ſtatim & rudes animi imbuuntur. Nec quiſquam in
» tota domo penſi habet, quid coram infante domino, aut dicat, aut faciat:
» quando etiam ipſi parentes nec probitati neq; modeſtiæ paruulos aſſue-
» faciunt, ſed laſciuiæ & libertati. per quæ paulatim impudentia irrepit &
» ſui contemptus. Ideo uero propria & peculiaria huius urbis uitia
» penè in utero matris concipi mihi uidentur, hiſtrionalis fauor & gladiato-
» rum equorumq́; ſtudia. quibus occupatus & obſeſſus animus quantu-
» lum loci bonis artibus relinquit? quotũ quemq; inueneris qui domi quic-
» quam aliud loquatur? quos alios aduleſcentulorum ſermones excipimus,
» ſi quando auditoria intrauimus? Nec præceptores quidem ullas crebrio-
» res cum auditoribus ſuis fabulas habent? colligunt enim diſcipulos non
» ſeueritate diſciplinæ, nec ingenij experimẽto, ſed ambitione ſalutantium,

Prima diſcentium elemẽta
Autores cognoſcendi
Euoluenda antiquitas
Notitia rerũ hominũ, temporum
Ciceronis Brutus

ſed illecebris adulationis. Tranſeo prima diſcentium elementa, in quibus
& ipſis parum elaboratur. nec in auctoribus cognoſcendis, nec in euol-
uenda antiquitate, nec in notitiam uel rerum uel hominũ, uel temporum
ſatis operæ inſumitur. ſed expectantur quos rhetoras uocant, quorum
profeſſio quando primum in hanc urbem introducta ſit, quamq́; nul-
lam apud maiores noſtros auctoritatẽ habuit, ſtatim de curijs. Referam
neceſſe eſt animum ad eam diſciplinam qua uſos eſſe eos oratores acce-
pimus, quorũ infinitus labor & quotidiana meditatio, & in omni genere
ſtudiorũ exercitationes ipſorum etiam cõtinentur libris. Notus eſt uobis
utiq; Ciceronis liber qui Brutus inſcribit', in cuius extrema parte (nã prior
cõmemorationẽ ueterum oratorũ habet) ſua initia, ſuos gradus, ſuæ elo-
quentiæ

quentiæ uelut quãdam educationem refert. ſe apud Q. Mutium ius ciuile didiciſſe, apud Philonem Academicum, apud Diodorum Stoicũ omnis philoſophiæ partes penitus hauſiſſe: neq; his doctoribus cõtentum, quorum ei copia in urbe contigerat, Achaiam quoq; & Aſiam peragraſſe, ut omnem omnium artium uarietatem complecteretur. Itaq; hercule in libris Ciceronis deprehẽdere licet, non Geometriæ, non Muſicæ, nõ grammaticæ, non deniq; ullius ingenuæ artis ſciẽtiam ei defuiſſe. Ille dialecticæ ſubtilitatem, ille moralis partis utilitatem, ille rerũ motus cauſasq; cognouit. ita enim eſt, optimi uiri, ita, ex multa eruditione, ex pluribus artibus, ex omnium rerum ſcientia, exundat & exuberat illa admirabilis eloquentia. neq; oratoris uis & facultas, ſicut cæterarũ rerum, anguſtis & breuibus terminis cluditur: ſed is eſt orator, qui de omni quæſtione pulchrè & ornatè & ad perſuadendum apte dicere, pro dignitate rerum, ad utilitatem temporum, cum uoluptate audiẽtium poſsit. Hæc ſibi illi ueteres perſuadebãt. ad hæc efficienda intelligebant opus eſſe, non ut rhetorum ſcholis declamarent, nec ut fictis nec ullo modo ad ueritatem accedẽtibus cõtrouerſijs linguam modo & uocem exercerent, ſed ut his artibus pectus implerent, in quibus de bonis ac malis, de honeſto ac turpi, de iuſto & iniuſto diſputatur. Hæc enim eſt oratoris ſubiecta ad dicendum materia. Nam in iudicijs ferè de æquitate, in deliberationibus de honeſtate dicimus, ita ut plerunq; hæc ipſa inuicem miſceantur. de quibus copioſe & uarie & ornate nemo dicere poteſt, niſi qui cognouit naturã humanam, & uim uirtutum, prauitatemq; uitiorum, & intellectum eorum, quæ nec in uirtutibus neq; in uitijs numerantur. Ex his fontibus etiam illa profluunt, ut facilius iram iudicis uel inſtiget uel leniat, qui ſcit quid iræ promptius: & miſerationem impellat, qui ſcit quid ſit miſericordia, & quibus animi motibus concitetur. In his artibus exercitationibusq; uerſatus orator, ſiue apud infeſtos ſiue apud cupidos, ſiue apud inuidentes, ſiue apud triſtes, ſiue apud timentes dicendum habuerit, tenebit habenas animorum: & prout cuiuſq; natura poſtulabit, adhibebit manum & temperabit orationem, parato omni inſtrumento, & ad omnem uſum repoſito. Sunt apud quos adſtrictum, & collectum, & ſingula ſtatim argumenta concludens dicendi genus plus fidei meretur. apud hos dediſſe operam dialecticæ proficiet. Alios fuſa, & æqualis, & ex omnibus ducta ſermonibus oratio, magis delectat. ad hos permouẽdos mutuabimur aliquid à Peripateticis: hi aptos & in omnẽ diſputationem paratos iam locos dabunt, Academici pugnacitatem, Plato altitudinem, Xenophon iucunditatem: ne Epicuri quidem & Metrodori honeſtas quaſdam exclamationes aſſumere, hiſq; prout res poſcit, uti, alienum erit oratori. neq; enim ſapientem informamus, neq; Stoicorũ ciuitatem, ſed eum qui non quaſdam artes audire, ſed omnes liberaliter debet. Ideoq; & iuris ciuilis ſcientiam ueteres oratores comprehendebant,

Abſolutißima Ciceronis eruditio

Oratoris uis & facultas

Oratoris ad dicendũ ſubiecta materia

Aequitas Honeſtas

Aſtrictum dicendi genus

Fuſa oratio

Stoicorum ciuitas

& grãmatica,muſica,& geometria imbuebantur.Incidunt enim cauſæ plurimæ quidem ac penè omnes,quibus iuris notitia deſideratur:pleræq; autem in quibus hæ quoq; ſcietiæ requirũtur.Nec quiſq; reſpondeat:ſufficit ut ad tempus ſimplex quiddã & informe doceamus. Primum enim aliter utimur proprijs, aliter cõmodatis:longeq; intereſſe manifeſtum eſt,poſsideat quis quæ profert,an mutuetur. Deinde ipſa multarum artium ſciētia etiã aliud agẽtes nos ornat,atq; ubi minime credas,eminet & excellit.Idq; non doctus modo & prudens auditor,ſed etiam populus intelligit:ac ſtatim ita laude proſequitur, ut legitimè ſtuduiſſe,ut per omnes eloquentiæ numeros iſſe,ut deniq; oratorem etiam fateatur. quem nõ poſſe aliter exiſtere,nec extitiſſe unquam cõfirmo, niſi eum qui tanq; in aciem omnibus armis inſtructus,ſic in forum omnibus artibus armatus exierit.quod adeo negligitur ab horum tẽporum diſertis, ut in actionibus eorum fex quoq; quotidiani ſermonis fœda ac pudẽda uitia deprehendãtur,ut ignorent leges,non teneant S. C. ius ciuitatis ultro derideant: ſapientiæ uero ſtudium & præcepta prudentium penitus reformident: in paucisſimos ſenſus & anguſtas ſententias detrudant eloquentiam, uelut expulſam regno: ut quæ olim omnium artium domina pulcherrimo comitatu pectora implebat,nunc circunciſa & amputata ſine apparatu,ſine honore,penè dixerim ſine ingenuitate,quaſi una ex ſordidisſimis artificijs diſcatur.Ego hanc primam & præcipuam cauſam arbitror,cur tantũ ab eloquentia antiquorum oratorum receſſerimus. Si teſtes deſiderantur, quos potiores nominabo quàm apud Græcos Demoſthenem? quem ſtudioſisſimum Platonis auditorem fuiſſe memoriæ proditum eſt. Et Cicero his (ut opinor) uerbis, quicquid in eloquentia effecerit, id ſe nõ rhetorum,ſed Academiæ ſpacio conſecutũ.Sũt aliæ cauſæ magnæ & graues,quas à uobis aperiri æquũ eſt, quoniã quidem ego iam meum munus expleui,& quod in conſuetudine eſt,ſatis multos offendi:qui ſi forte hoc audirent,certum habeo dicturos, me dum iuris & philoſophiæ ſcientiam, tanq; oratori neceſſariam laudo, ineptijs meis placuiſſe. Et Maternus,Mihi quidẽ,inquit,ſuſceptum à te munus adeo peregiſſe nõdum uideris,ut incohaſſe tantũ, & uelut ueſtigia ac líniamenta quædam oſtendiſſe uidearis. Nam quibus inſtrui ueteres oratores ſoliti ſint,dixiſti,differẽtiamq; noſtræ deſidiæ & inſciētiæ aduerſus acerrima & fœcundisſima eorũ ſtudia demonſtraſti.Cætera expecto, ut quemadmodũ ex te didici quid aut illi ſcirẽt,aut nos neſciamus,ita hoc quoq; cognoſcam,quibus exercitationibus iuuenes iam & forum ingresſi confirmare & alere ingenia ſua ſoliti ſint.neq; enim arte & ſcientia,ſed longe magis facultate eloquentiam cõtineri, nec tu puto abnues,& hi ſignificare uultu uidentur. Deinde cum Aper & Secundus idem annuiſſent, Meſſala quaſi rurſus incipiens:Quoniam initia & ſemina ueteris eloquentiæ ſatis demonſtraſſe uideor, docendo quibus artibus antiqui oratores inſtitui

Iuris ciui. ſcientia

Scientia multarum artium

Eloquētia artium omnium domina

Sine ingenuitate

Demoſthenes Platonis auditor Cicero fuit Academic.

inſtitui erudiriq́ſ ſoliti ſint, perſequar nunc exercitationem eorum: quan/quam ipſis artibus ineſt exercitatio, nec quiſquam percipere tot recōditas aut tam uarias res poteſt, niſi ut ſcientiæ meditatio, meditationi facultas, facultati uis eloquentiæ accedat.per quæ colligitur eandem eſſe rationem, & percipiendi quæ proferas,& proferendi quæ perceperis.ſed ſi cui obſcuriora hæc uidentur, isq́ſ ſcientiam ab exercitatione ſeparat,id certe concedet,inſtructum & plenum his artibus animum longe paratum ad eas exercitationes uenturum,quæ propriæ circa oratoriam uidentur. Ergo apud maiores noſtros iuuenis ille,qui foro & eloquentiæ parabatur,imbutus iam domeſtica diſciplina,refertus honeſtis ſtudijs, deducebatur à patre,uel à propinquis,ad eum oratorem qui principem locum in ciuitate tenebat. hunc ſectari,hunc proſequi, huius omnibus dictionibus intereſſe, utq́ſ ſic dixerim,pugnare in prælio diſcere. magnus ex hoc uſus,multum conſtantiæ, plurimum iudicij iuuenibus ſtatim contingebat,in media luce ſtudentibus atqſ inter ipſa diſcrimina,ubi nemo impune ſtultè aliquid,aut contrariè dicit, quod & iudex reſpuat, & aduerſarius exprobret,ipſi denique aduocati aſpernentur.igitur uera ſtatim & incorrupta eloquentia imbuebantur: & quanquam unum ſequerentur,tamen omnes eiuſdem ætatis patronos in plurimis & cauſis & iudicijs cognoſcebant: habebantq́ſ ipſius Populi diuerſiſsimarum aurium copiam, ex qua facile deprehendebatur quid in quoqſ uel probaretur uel diſpliceret. Ita nec præceptor deerat optimus quidem & electiſsimus,qui faciem eloquentiæ non imaginem præſtaret: nec aduerſarij & æmuli ferro non ſudibus dimicantes: ſed auditorium ſemper plenum, ſemper nouum ex inuidis & fauentibus, ut nec bene dicta diſsimularentur. Scitis enim magnam illam & duraturam eloquentiæ famam non minus in diuerſis ſubſellijs parari quàm ſuis, quin immo conſtantius ſurgere ibi, fidelius corroborari.Atqſ hercule ſub eiuſmodi præceptionibus iuuenis ille de quo loquimur,oratorum diſcipulus,fori auditor,ſectator iudiciorum, eruditus & aſſuefactus alienis experimentis, cui quotidie audienti notæ leges,non noui iudicum uultus,frequens in oculis conſuetudo concionum, ſæpe cognitæ populi aures,ſiue accuſationem ſuſceperat, ſiue defenſionē, ſolus ſtatim unicuiqſ cauſæ par erat. Nonodecimo ætatis anno L. Craſſus C. Carbonem,uno & uigeſimo Cæſar Dolobellam, altero & xx Aſinius Pollio Catonem,non multo ætatem antecedēs Caluus Vatinium,ijs orationibus inſecuti ſunt,quas hodieq́ſ cum admiratione legimus.At nunc adoleſcētuli noſtri deducuntur in ſcenas ſcholaſticorum,qui rhetores uocantur:quos paulo ante Ciceronis tēpora extitiſſe, nec placuiſſe maioribus noſtris ex eo manifeſtum eſt, quod Marco Craſſo & Domitio cenſoribus cludere (ut ait Cicero) ludum impudentiæ iuſsi ſunt. Sed ut dicere inſtitueram deducimur in ſcholas, quibus non facile dixerim utrum ne locus ipſe, an condiſcipuli, an genus

Scientia
Meditatio
Facultas
Eloquentiæ uis

Iuuenis foro & eloquētiæ deſtinatus qd primo faceret

Quo ætatis anno orare in iudicijs cœperint,
L. Craßus
Cæſar
Aſinius
Caluus

an genus ſtudiorum plus mali ingenijs afferāt. Nam in loco nihil reuerentiæ, ſed in quem nemo niſi imperitus æque intrat. In condiſcipulis nihil profectus, cum pueri inter pueros, & adoleſcentuli in adoleſcentulos pari ſecuritate dicāt & audiātur. Ipſæ uero exercitationes magna ex parte contrariæ. Nempe enim duo genera materiarum apud rhetoras tractantur, ſuaſoriæ & controuerſiæ, robuſtioribus aſsignantur, quales perfidiæ, & quàm incredibiliter compoſitæ. Sequitur autem ut materiæ abhorrenti à ueritate declamatio quoq; adhibeatur. Sic fit ut tyrannicidarum præmia, aut uitiatarum electiones, aut peſtilētiæ remedia, aut inceſta matrum, aut quicquid in ſchola quotidie agitur, in foro uel raro uel nunquam, ingentibus uerbis perſequātur, cum ad ueros iudices uentū eſt rem cogitare, nihil humile, nihil abiectum eloqui poterat. Magna eloquētia, ſicut flamma materia alitur, & motibus excitatur, & urendo clareſcit. Eadem ratio in noſtra quoq; ciuitate antiquorum eloquentiam peruexit, Nam & ſi horum quoq; temporum oratores ea cōſecuti ſunt, quæ compoſita & quieta & beata Rep. imbui fas erat, tamen iſta perturbatione ac licentia pleraq; ſibi aſſequi uidebantur: cum mixtis omnibus & moderatore uno carentibus tantum quiſq; orator ſaperet, quantum erranti populo perſuaderi poterat. Hinc leges aſsiduæ, populare nomen, hinc cōciones migrantium, ac penè pernoctantium in roſtris, hinc accuſationes potentium reorum, & aſsignatæ etiam domibus inimicitiæ, hinc procerum & aſsidua ſenatus aduerſus plebē certamina: quæ ſingula & ſi diſtrahebant Rempublicam, exercebant tamen illorum temporū eloquētiam, & magis cumulare præmijs uidebantur. Quia quanto quiſq; plus dicendo poterat, tanto facilius honores aſſequebatur, tanto magis in ipſis honoribus collegas ſuos anteibat, tanto plus apud principes gratiæ, plus autoritatis apud patres, plus notitiæ ac nominis apud plebem probabat. hi clientelis etiam exterarum nationum redundabant. hos ituri in prouincias magiſtratus reuerebantur, hos reuerſuri colebant. hi & præturæ & conſulatui uacare ultro uidebantur, hi ne priuati quidem ſine poteſtate erant, cum & populum & ſenatum conſilio & autoritate regerent. quinimmo ſibi ipſi perſuaſerant, neminem ſine eloquentia aut aſſequi poſſe in ciuitate, aut tueri cōſpicuum & eminentem locum: nec mirum, cum etiam inuiti ad populum producerentur, cum parum eſſet in ſenatu breuiter cenſere, niſi qui ingenio & eloquentia ſententiam ſuam tueretur, cum in aliquam inuidiam aut crimen uocati, ſua uoce reſpondendum haberent, cum teſtimonia quoq; in publicis non abſentes nec per tabellam dare, ſed coram & præſentes dicere cogerentur. Ita ad ſumma eloquentiæ præmia, magna etiam neceſsitas accedebat, & commoda. Diſertū haberi pulchrū & glorioſum, ſed contra, mutum & elinguem uideri, deforme habebatur. nō minus rubore q̄ præmijs ſtimulabantur, ne clientulorū loco potiuſquam patronorū numerarentur, ne tra-

Suaſoriæ
Controuerſiæ
Declamatio

ne traditæ à maioribus neceſsitudines ad alios tranſiſſent:ne tanq̃ inertes
& non ſuffecturi honoribus aut non impetrarent, aut impetratos male
tuerentur. Neſcio an uenerint in manus ueſtras hæc uetera, quæ & anti-
quorum bibliothecis adhuc manent,& nunc maxime à Mutiano contra-
huntur:ac iam undecim (ut opinor) actorum libris,& tribus epiſtolarum *Actorum undecim libri*
compoſita,& edita ſunt.Ex his intelligi poteſt Gn. Pompeiũ & Marcum
Craſſum non uiribus modo & armis,ſed ingenio quoq; & oratione ualu
iſſe:Lentulos,& Metellos,& Lucullos,& Curiones, & cæteram procerum *Nemo olim apud Ro. magnam potẽtiã ſine eloquẽtia cõſecutus eſt*
manum,multum in his ſtudijs operæ curæq; poſuiſſe:nec quenquam illis
temporibus magnam potentiam ſine eloquentia cõſecutum. His accede-
bat ſplẽdor rerum,& magnitudo cauſarũ, quæ & ipſa plurimum eloquen
tiæ præſtant.Nam multum intereſt utrum ne de furto,aut formula,& in-
terdicto dicendum habeas, an de ambitu comitiorum, expilatis ſocijs,&
ciuibus trucidatis. quæ mala ſicut non accidere melius eſt,isq; optimus ci
uitatis ſtatus habendus eſt, quo nihil tale patimur:ita cum acciderent in-
gentem eloquentiæ materiam ſubminiſtrabant.Creſcit enim cum ampli-
tudine rerum uis ingenij, nec quiſquam claram & illuſtrem orationẽ effi- *Illuſtris cauſa facit orationẽ illuſtrem*
cere poteſt, niſi qui cauſam parem inuenit. Non opinor Demoſthenem
orationes illuſtrant,quas aduerſus tutores ſuos cõpoſuit:nec Ciceronem,
magnum oratorem P. Quintius defenſus aut Licinius Archias poeta fa-
ciũt:Catilina,& Milo,& Verres,& Antonius,hanc illi famã circũdederũt:
non quia tanti fuit R. P. malos ferre ciues,ut uberem ad dicendum mate-
riam oratores haberent:ſed, ut ſubinde admoneo, quæſtionis memineri-
mus,ſciamusq; nos de ea re loqui, quæ facilius turbidis & inquietis tẽpo-
ribus extitit. Quis ignorat utilius ac melius eſſe frui pace,q̃ bello uexari?
Plures tamen bonos præliatores bella q̃ pax ferũt.Similis eloquẽtiæ con
ditio.Nam quo ſæpius ſteterit tanq̃ in acie,quoq; plures & intulerit ictus
& exceperit,quo maior aduerſarius, eo acrior qui pugnas ſibi aſperas de-
ſumpſerit,tanto altior & excelſior & illis nobilitatus criminibus,more ho-
minũ agit,quorũ ea natura eſt ut ſecura nolint. Tranſeo ad formam & *Forma & conſuetudo ueterũ iudiciorũ*
conſuetudinẽ ueterũ iudiciorũ:quæ & ſi nunc aptior eſt,ita erit eloquẽtia,
tanto illud forum magis exercebat,in quo nemo intra pauciſsimas horas
perorare cogebatur, & liberæ cõperendinationes erant,& modum dicẽdi *Liberæ cõperendinationes*
ſibi quiſq; ſumebat, & numerus neq; dierum neq; patronorũ cauebatur.
Primus tertio conſulatu Cn.Pompeius aſtrinxit impoſuitq; ueluti frenos
eloquẽtiæ,ita tamen ut omnia in foro,omnia in legibus,omnia apud præ
tores gererentur: apud quos quanto maiora negocia olim exerceri ſolita
ſunt,quod maius argumentum eſt, quàm quod cauſæ cẽtumuirales quæ *Centũuirales cauſæ*
nunc primum obtinent locũ,adeo ſplendore aliorum iudiciorũ obrueban
tur,ut neq; Ciceronis,neq; Cæſaris,neq; Bruti,neq; Cælij,neq; Calui,nõ
deniq; ullius magni oratoris liber apud centumuiros dictus legatur, exce

ptis

ptis orationibus Aſinij, quæ pro hæredibus Ironiæ inſcribuntur, ab ipſo tamen Pollione medijs diui Auguſti temporibus habitæ, poſtquam longa temporum quies, & continuum populi otium, & aſsidua ſenatus tranquillitas, & maximi principis diſciplina, ipſam quoq; eloquentiam ſicut omnia alia pacauerat? Paruum & ridiculum fortaſſe uidetur quod dicturus ſum, dicam tamen uel ideo ut rideatur. Quãtum humilitatis putamus eloquẽtiæ attuliſſe penulas iſtas, quibus aſtricti & uelut incluſi cum iudicibus fabulamur? quantum uirium detraxiſſe orationi auditoria & tabularia credimus, in quibus iam ferè plurimæ cauſæ explicãtur? Nam quomodo nobiles equos curſus & ſpacia probãt, ſic latus oratorum campus, per quem niſi liberi & ſoluti ferantur, debilitatur ac frangitur eloquentia. Ipſam quinimmo curam & diligentem ſtili anxietatem contrariam experimur: quia ſæpe interrogat iudex quando incipias, & ex interrogatione eius incipiendum eſt. frequenter probationibus & teſtibus, ſilentium patronus indicit: unus inter hæc dicẽti ac alter aſsiſtit, & res uelut in ſolitudine agitur.

Oratori, theatro opus

Oratori autem clamore plauſuq; opus eſt, & uelut quodam theatro. qualia quotidie antiquis oratoribus cõtingebant: cum tot pariter ac tam nobiles forum coarctarent: cum clientelæ quoq;, & tribus, & municipiorum legationes, ac partes Italiæ periclitantibus aſsiſterẽt: cum in pleriſq; iudicijs crederet Populus Ro. ſua intereſſe quid iudicaretur.

Apud Romanos olim tota ciuitas cõcurrebat, quum agerẽtur cauſæ

Satis conſtat C. Cornelium, & M. Scaurum, & T. Milonem, & L. Beſtiam, & P. Vatinium, concurſu totius ciuitatis & accuſatos & defenſos: ut frigidiſsimos quoq; oratores ipſa certãtis populi ſtudia excitare & incẽdere potuerint. Itaq; hercule eiuſmodi libri extant, ut ipſi quoq; qui egerũt nõ alijs magis orationibus cenſeantur. Iam uero conciones aſsiduæ, & datũ ius quoq; potentiſsimum quemq; uexãdi, atq; ipſa inimicitiarum gloria, cum ſe plurimi diſertorum, ne à P. quidem Scipione, aut Sylla, aut Gn. Pompeio abſtinuerint, & ad incendendos principes uiros, ut eſt natura inuidiæ, populi quoq; hiſtriones auribus uterentur, quantum ardorem ingenijs, quas oratoribus faces admouebãt? Nõ de otioſa & quieta re loquimur, & quæ probitate & modeſtia gaudeat:

Eloquẽtia magna iſta ac notabilis, mala res eſt

ſed eſt magna iſta & notabilis eloquẽtia alumna licentiæ, quam ſtulti libertatem uocabant, comes ſeditionum, effrenati populi incitamentum, ſine obſequio, ſine ſeruitute, contumax, temeraria, arrogans, quæ in bene conſtitutis ciuitatibus non oritur. Quem enim oratorem Lacedæmonium, quem Cretenſem accipimus? quarum ciuitatũ ſeueriſsima diſciplina, & ſeueriſsimæ leges traduntur. Nec Macedonum quidem ac Perſarum, ac ullius gentis, quæ certo imperio contenta fuerit, eloquẽtiam nouimus. Rhodij quidam, Athenienſes plurimi oratores extiterunt: apud quos omnia populus, omnia imperiti, omnia (ut ſic dixerim) omnes poterant. Noſtra quoq; ciuitas donec errauit, donec ſe partibus, & diſſenſionibus, & diſcordijs confecit, donec nulla fuit in foro pax, nulla ſuperiorum

reueren

reuerentia, nullus magiſtratuum modus, tulit ſine dubio ualentiorem eloquentiam, ſicuti indomitus ager habet quaſdam herbas lætiores. Sed nec tanti Reipublicæ Gracchorum eloquentia fuit, ut pateretur & leges: nec bonæ formam eloquentiæ Cicero tali exitu penſauit. Sic quoq; quod ſupereſt antiquis oratoribus, forum non emendare, nec uſquã ad uotum compoſitæ ciuitatis argumentum eſt quidem, quod nemo nos aduocat, niſi aut nocens aut miſer. quod municipium in ciuitatẽ noſtram uenit, niſi quod aut uicinus populus, aut domeſtica diſcordia agitat? quam prouinciam tuemur, niſi ſpoliatam, uexatamq́;? Atqui melius fuiſſet nõ queri q̃ iudicari. Quod ſi inueniretur aliqua ciuitas in qua nemo peccaret, ſuperuacuus eſſet inter innocentes orator, ſicut inter ſanos medicus. Quomodo tamen minimũ uſus minimũq́; profectus, ars medẽtis habet in his gẽtibus, quæ firmiſſima ualetudine ac ſaluberrimis corporibus utuntur: ſic minor oratorum obſcuriorq́; gloria eſt inter bonos mores & in obſequium regentis paratos. Quid enim opus eſt longis in ſenatu ſententijs, cum optimi cito conſentiant? Quid multis apud populũ contionibus, cum de republica non imperiti & multi deliberẽt, ſed ſapientiſſimus & unus? Quid uoluntarijs accuſationibus, cum tam raro & tam parce peccetur? Quid inuidioſis & excedentibus modũ defenſionibus, cum clementia cognoſcentis obuiam periclitantibus eat? Credite optimi & in quantũ opus eſt diſertiſſimi uiri: ſi aut uos prioribus ſeculis, aut iſti quos miramur his nati eſſent, ac deus aliquis uitas ueſtras, ueſtra tẽpora repente mutaſſet, nec uobis ſumma illa laus & gloria in eloquẽtia, neq; illis modus & tẽperamentum defuiſſet. Nunc quoniã nemo eodẽ tẽpore aſſequi poteſt magnam famam & magnam quietem, bonis ſeculi ſui quiſq;, citra obtrectationem alterius, utatur. Finierat Maternus: Tum Meſſala, Erant quibus cõtradicerem, erant de quibus plura dici uellem, niſi iam dies eſſet exactus. Fiet, inquit Maternus, poſtea arbitratu tuo, & ſi qua tibi obſcura in hoc meo ſermone uiſa ſunt, de his rurſus cõferemus. Ac ſimul aſſurgens & Aprũ complexus, Ego inquit te poetis, Meſſala antiquarijs criminabimur. At ego uos rhetoribus & ſcholaſticis inquit. Cum adriſiſſent, diſceſſimus.

DIALOGI FINIS.

BEATVS RHENANVS LECTORI S.

NVNC libellũ quo ſoceri ſui Iulij Agricolæ uitam poſteritati tradidit, nõ eſſe ſubditítiũ ipſa phraſis eſt argumento uerè Lydius lapis, quod dicitur, in hoc probandi genere. Scripſit aũt ſenex. Nobis defuit exẽplar uetus ad q̃d conferremus. Itaq; uulgatã æditionẽ, quando aliud nõ dabatur, diligẽter percurri, meoq; Marte quædã errata deprehendi. Mutaui nõnulla, quædã tantũ indico, lectori iudiciũ relinquẽs: id fit in ambiguis. Sunt & quæ exponũtur, obſcuriora uidelicet.

Quã non petiſſem ni curſaturus tam ſæua & in u.t.) Hic in primis pro ni cur ſaturus ſcribe incurſaturus,& clauſulã aut quæſitiuè ſic lege, quã non petiſſem, incurſaturus tam ſæua & infeſta uirtutibus tẽpora? Aut, quod mihi ſimplicius uidetur, hoc modo,quã nõ petiſſem,ni incurſaturus tam ſæua & infeſta uirtutibus tẽpora.Nunc aptè cohærent quæ ſequuntur, legimus quũ Arul. ſenſus eſt, non petiſſem ueniã,ni cogerer incidere in Domitiani tẽpora,ac referre quæ illius tyranni principatu contigere,quum omnis honeſtas exularet Roma.

Legimus quũ Aruleno Ruſtico,Pætus Thraſ.Herennio Senecioni Priſc.Heluidius laudati eſſent.) Hoc eſt ab Aruleno Ruſtico, & Herennio Senecione. Optimus ſenator fuit Pætus Thraſea liberrimæq; linguæ. Vitã huius cõſcripſit Iun.Arulenus Ruſticus,pulſus in exiliũ ea de cauſa.Heluidius Priſc. Tacito noſtro non uulgariter laudatus in initio uigeſimi libri hiſtoriæ Auguſtæ, gener Thraſeæ extitit,ob cuius laudationẽ Herennius Senecio capitis pœnã luit ſub Domitiano,libris utrorumq; exuſtis. Eius Senecionis in fine quoq; huius libelli mentionem facit. Vbi plura dicemus.

Expulſis inſuper ſapientiæ profeſſoribus.) Nam propter Pætũ Thraſeam & Heluidium Priſcum laudatos,iſtius criminis occaſione philoſophos omnes urbe Italiaq; ſummouit Domitianus,autore Suetonio.

Pauci & uti dixerim.) Lego pauci,ut ita dixerim.

Memoriam prioris ſenectutis.) Intelligit primam ſenectutẽ,hoc eſt, crudam & uiridem.Nam præcedit,propè ad ipſos exactæ ætatis terminos p.ſ.uenimus. Ergo ſenex hunc libellum conſcripſit.

Et cõmeatus.) Hoc eſt ut poſſet abeſſe & uagari. Mox, nihil appetere iactatione.Forte leg.nihil appetere iactatione.Infra,quiete et otio trãſit,malim trãſijt.

Ad dona temporũ recognoſcẽda.) Reſtituimus,ad dona tẽplorũ recognoſc.

Nullam ultra poteſtatis perſonã,triſtitiam & arrog.) Conijcio ſcribendũ,ubi officio ſatisfactũ nulla ultra poteſtatis perſonã triſtitia. Et arrogantiã. Niſi quis malit ultra aduerbialiter accipere pro ulterius, nulla ultra poteſtatis perſona, Triſtitiam, & arrog.& auarit.Mox lego,oſtentanda uirtute pro oſtentandam.

Haud ſemper errat fama,aliquãdo & elegit.) Opinor ſcribi debere,eligit.Niſi q̃s ſuſpicet̃ fuiſſe,ferit,ut ſit trãslatio à ſagittarijs.Ibid.ꝑ collauit ſcripſi collocauit

Vnde & uniuerſum fama eſt transgreſſis.) Lego,unde & in uniuerſum fama, è tranſgreſſis.Q.D.Sic narrant qui tranſgreſſi ſunt.

Tunc primum.) Quemadmodũ Liuius & Ruſticus referunt. Alioqui legerem,quum primum.

Quã hactenus nix & hyems appetebat.) Scribo,abdebat,hoc eſt, occultabat.

Et poſita contra Hiſpa.) Indubie fuit,poſitu.id eſt,poſitione.Sic Annaliũ primo de numero legionũ. Quæ poſitu regionis,à tergo illis, ac ſi repẽtinũ auxiliũ Italia poſceret,haud procul accirentur.Rurſum libro 5.Ille poſitus ſiderũ,ac ſpacia dimenſus,hærere primo. Expone poſitu, hoc eſt propter poſitũ ſiue poſitionem.Hoc magis arridet,quàm ut legatur, poſiti.

Nec concidere & exurgere.) Caſtigaui,nec occidere & exurgere. Infra malim,ut uires rebellibus miniſtrantẽ.Item alterius manus centuriones.

Et flumine.) Rhenum intelligit.

Amiſit ira & uictoria.) Repoſui,Omiſit ira & uictoria.

Locorumq; difficultates.) Arbitror ſic habuiſſe ſinceram lectionẽ,ſuper uirtutem hoſtium,locorũ quoq; difficultates eluctatus.Sic Annalium libro 19 dixit, niues eluctantibus.

Vt quibus bellũ uolentibus erat.) Elegantiſſima locutio. Hoc eſt qui bellum uellent,Græca figura eſt de qua in ueſtibulo operis admonuimus, & ſuis præterea

rea locis. Sic apud Tacitũ noſtrũ Annaliũ primo, ut quibuſq; bellũ inuitis aut cu pientibus erat. libro 15. Hæc atque talia plebi uolenti fuere. Sicq; libro xix. ubi uulgo legebatur, cæteriſq; remanere, & in uerba Veſpaſiani adigi uolentibus liberum fuit. nos fidem manu ſcripti codicis ſecuti, diſpuncto uocabulo liberum ſcripſimus. Et in uerba Veſpaſiani adigi uolentibus fuit. Eodem mox libro, repoſuimus, Mutiano uolenti reſcripſere, ubi ante legebat̃ uolẽtia. Cæterũ quod hic mox ſequit̃, probare exemplũ, id eſt probabat, ſubaudi prouincia, ac operiri id eſt operiebatur animum recentis legati.

Tum Agricola quanquam tranſuecta æſtas.) Lego, tranſacta æſtas.

Sparſi per prouinciam numeri.) Loquitur de numeris militaribus.

Cuius poſſeſſione reuocatũ Paulinũ.) Hoc eſt à qua poſſidenda.

Nec laureatis quidẽ geſta proſecutus eſt.) Sic ſcribit de L. Vitellio lib. 19. Annalium, Ipſe lauream, inquit, proſpere geſtæ rei ad fratrem miſit.

Cæterũ animorũ prouinciæ prudẽs.) Hoc eſt noſcẽs animos prouincialium.

Cauſas bellorũ ſtatuit excidere.) Siue excidere pro recidere legas, ſiue excindere parum refert.

Nihil per libertos ſeruoſq; publicæ rei.) Subauditur agere id eſt agebat.

Officijs & adminiſtrationibus potius non peccaturos.) Subaudi ducebat uel (cenſebat.

Frumenti ac tributorũ auctionẽ.) Malim exactionem.

Circumciſis in quæſtum reperta, quæ ipſo trib.) Emendauimus, circumciſis quæ in quæſtum reperta, ipſo trib. g. tolerabantur.

Nanq; per ludibriũ aſſide.) Senſus eſt, Milites Romani cogebant in ſumma annonæ uilitate prouinciales emere frumenta, quæ mox ulterioribus uenderẽt, clauſis horreis publicis ueluti in ſumma charitate, quæ res ludibrio non carebat. In cauſa erat Procuratorum auaritia.

Quæ uel incuria intolerantia.) Lego, quæ uel incuria, uel tolerãtia priorum.

Contracto exercitu multũ in agm.) Poſſet ſic quoq; legi, imò ſic legendum eſt, Contracto exercitu, militum in agmine laudare modeſtiam.

Eoq; in bello faciles.) Scribendũ, eoq; in bellũ faciles. Aut potius eoq; bello faciles. Sic enim Annaliũ libro primo ſeditioni promptũ dixit: libro ſecundo, prælio paratã. Libro quarto, offenſioni proniores. Eodẽ, Agrippina Neroni prõptior

Medio inter Britanniã atq; Hiſpaniã ſita.) Medio Ablatiuus eſt, pro in medio. Sic in Annalibus dixit, Medio temporis.

Haud multũ à Britãnia differt, in melius aditus portuſq;.) Prodigioſe corruptus locus eſt. Lego differunt. Eius aditus portuſq; per commercia & neg. cogniti. Eius. ſ. inſulæ Hyberniæ.

Portus claſſe explorauit.) Opinor ſcribendum, prius claſſe explorauit. Mox mallem legere, impelleretur. nam ſequitur, attollerent, & cõpararentur. Illic expones, & lætitia ſua quiſq; facta, id eſt per lætitiã. Paulo poſt, oppugnaſſe ultro caſtella adorti, malim oppugnare.

Specie ignari prudentiũ admonebãt.) Specie referendũ eſt ad genitiuũ prudentum. Ignaui ſpecie prudentium admonebant.

Aduerſa cũ imputant̃.) Non dubito quin Tacitus, aduerſa uni imputantur. Eſtq; grauiſſima ſententia nec minus uera. iniquiſſima hæc bellorũ conditio eſt, proſpera omnes ſibi uendicãt, aduerſa uni imputant̃. Hoc eſt duci. Sic lib. uigeſimo Annaliũ Tacitus narrat Herenniũ Gallũ exercitus Romani legatũ à militibus uerberatũ, quos tum Germani profligauerãt. Victi, inquit, quod tum in morem uerterat, non ſuam ignauiam, ſed perfidiam legati culpabant.

Et arte ducis rati.) Opinor legendũ, & arte ducis irati, nihil ex arrogantia remittere, id eſt remittebant.

Eo ad extremum inopiæ uenere.) Ad extremũ id eſt poſtremo, ſic etiam alibi loquitur. Idem uſurpatur Liuio.

Primum à Sueuis.) Sueuici maris meminit autor noſter in libello de ſitu moribusq; Germanorum, & tradit ex Cornelio Nepote Plinius, Q. Metello Celeri tum Galliæ proconſuli, Indos à rege Sueuorũ dono datos, qui ex India cõmercij cauſa nauigãtes, tẽpeſtatibus eſſent in Germaniã abrepti. Cæterũ eas Sueuorũ ſedes hodie Saxones tenent: nam horũ annalibus proditur ex inſulis in Toringorum terrã eos primũ applicuiſſe. Et Sueui ſunt Saxonib. hodieq; Toringi, quanquam ex litoralibus mediterranei facti.

Et in noſtram uſq; ripam.) Intelligit ſiniſtrã Rheni ripam, nam dextram Germani tenebant. Sic libro xx Annalium, forte nauem, inquit, haud procul caſtris frumẽto grauem, cum per uada hæſiſſet, Germani in ſuam ripam trahebãt. Hoc eſt in ripam Rheni dextram.

A contractu dominationis.) Lege, contactu dominationis.

Nos terrarum ac libertatis extremos.) Plerunq; conſtructionẽ amat genitiui, quod alius dixiſſet, terris ac libertate extremos. Sed de hoc ſupra monuimus. Mox pro famæ poſſet etiam ſcribi fama, auferendi caſu, id eſt per famam defendit. Item pro Atque, nihil ſit incommodi ſi quis Atqui legat, ut pro, & inferiores Romani, eo infeſtiores Romani.

Poſtquam cunctis uaſtantibus.) Scribo, poſtquã cuncta uaſtantibus defuere terræ, & mare ſcrutantur. Mox. Soli omnium opes atq; inopiam.

Bona fortuna quæ in tributũ egerat annus, in frumentũ, corpora ipſa ac manus, ſyluis ac paludibus uerbera emuniendis inter hac contumelias conterunt.) Legendũ apparet, bona fortunasq; in tributũ egerũt, in annonã frumentum, corpora ipſa ac manus, ſyluis & paludibus emuniendis uerbera inter ac cõtumelias conterũt. Nã Tacito ſolẽne eſt tranſponere præpoſitiones. Sic & hic, uerbera inter ac cõtumelias, pro inter uerbera ac contumelias.

Neq; enim arma nobis aut metalla.) Arma non potuerũt illis deeſſe qui iam in procinctu erant. Itaq; legendũ, arua, hoc eſt agri quibus adiuuẽtur cõmeatus.

Brigãtes fœmina duce.) Hæc fuit Voadica regij generis fœmina, de qua ſupra.

Et in libertatem non in præſentiã laturi.) Reor ſynceram lectionẽ eſſe huiuſmodi, & libertatem non in præſentia inlaturi pro illaturi. Significat prius ipſis libertatem fuiſſe, pro qua adipiſcenda non erat opus pugnare, ſed conſeruanda. In præſentia dixit de futuro.

Vnde oſtentamus.) Malim unde oſtendamus, ſicut mox diſſenſionibus pro diſceſſionibus. Tametſi me non latet quid ſit diſceſſio populi.

Nullæ Romanos coniuges accedunt.) Emendaui, accendunt.

Alij nobis tradiderunt.) Hoc eſt priores Britanni.

Senum coloniæ.) Intelligit colonias ueteranorũ.

Quas in æternũ proferre.) Hoc de Romanis dictũ eſt. Aut ſtatim Vlciſci, hoc (de Britannis.

Coercitum militẽ adhuc ratus.) Conijcio legendũ, alloquendũ adhuc ratus. Mox pro ſupereſſe ſcripſimus, ſuperaſſe.

Item fugientibus periculoſiſſima.) Lego, ita fugientibus, ut ſtet comparatio.

Nouiſſime id & extremo metu.) Tu repone, nouiſſime, id eſt extremo metu. Sequitur, defixere aciem, nõ dixit cõſtituere ſiue direxere, ſed defixere, quod ſtupidis præ metu, conuenit.

Tranſigite cum expeditionibus.) Id eſt finite expeditiones, exponit, quum dicit, Imponite quinq. ann. m. d.

Aut cauſas rebellandi.) Id de Britannis accipiendum.

Et breuibus cetris miſſilia noſtrorum uitare uel excutere.) Liuius eleganter

cetratos

cetratos uocat cetris inſtructos, ſcuti ſpecies eſt, lib. primo dec. quartæ. Nocte cetratos, inquit, quos Peltaſtas uocant, loco opportuno inter bina caſtra in inſidijs abdiderat. lib. 7. Cetratis immixtos auxiliares Eumenis tria millia ferme peditum æquata frõte inſtruxit. Et paulopoſt, & tria millia cetratorũ, Piſidæ hij erãt.

Minimeq́; equeſtres. Ea enim pugnæ facies erat, cũ ægra diu aut ſtante.) Corruptus locus eſt. Ego ſic legerim & diſtinxerim, minimeq́; equeſtris ea pugnæ facies erat, quũ in gradu ſtantes, ſimul equorũ corporibus impellerentur.

Trutulenſem portũ.) Suſpicor ſcribendũ, Rutupenſem portũ. Hic aduerſus Bononiam ſitus eſt ſiue Geſſoriacũ. Apud Ammianũ lib. xx. perperã Bonna legitur pro Bononia. Mox aptius legas exierat.

Epiſtolis Agricolæ actum, ut Domitiano moris erat.) Scribendũ opinor aut relatũ, aut ſignificatũ, aut lectũ. Cogitandumq́; num ſic quoq́; lectio ſtare queat, epiſtolis Agricolæ relatũ Domitiano, ut moris erat. Vt hæc poſtrema clauſula teſtetur cõſuetudinẽ, qua res in prouincijs geſtæ Cæſaribus ſignificabãtur. Paulopoſt, ac nunc, non abſurde legas, at nunc. Ibi pro tot militibus hoſtium, ſcripſimus, tot millibus.

Quærerent famam.) Poſſet etiam legi, quærerent tamen. Inferius aliquanto: Non tam obſcuri ſuadentes ſimul, emendaui, non iam obſcuri.

Et hic alius agens populus.) Caſtigauimus, & hic aliud agens pop.

Vobis nihil comperti.) Quũ toto libello neminẽ alloquatur tanq́; ad quem ſcripſerit, mutaui uobis, in nobis. Mox pro conſtabant repoſuimus conſtabat. Nunciata conſtabat.

Per diſpoſitos curſores.) Apparet Domitianũ non fuiſſe tum Romæ ſed in Albana uilla, aut alibi.

Teſtimonio Agricolæ.) Intellige honorifica uerba de Domitiano Cæſare teſtamento inſerta.

Quod augurio uotisq́;.) Expũximus pronomen quod, ut cohæreat ſentẽtia.

Et eadem ſtrage tot Conſulariũ cædes.) Nempe Ciuicæ Cerealis, Saluidieni Orphiti, Acilij Glabrionis, Aelij Lamiæ, Saluij Cocceiani, Metij Pompoſiani, & Salluſtij Luculli. Suetonius autor.

Vna adhuc uictoria charus nuncius.) Emendaui, Carus Metius. Hic è numero delatorũ unus fuit apud Domitianũ ſed omniũ ſceleratiſſimus. Eius meminit Plinius nepos epiſtola quinta libri primi, item epiſtola libri ſeptimi, cuius initium. Angit me Fanniæ ualetudo. Rurſum epiſtola poſt hãc octaua, Carum ipſi calumniã ſtruxiſſe teſtat̃, hijs uerbis: nihil notabile ſecutũ, inquit, niſi forte quod non fui reus, futurus, ſi Domitianus, ſub quo hæc acciderũt, diutius uixiſſet: nam in ſcrinio eius datus à Caro de me libellus, inuentus eſt. Cari mentionem faciunt Iuuenalis & Martialis. Cæterũ quænam fuerit iſta prima uictoria, & aduerſus quem, nondum reperi. Id quoq́; non omittendũ, uerbum cenſebatur hic elegantiſsime poſitum eſſe pro æſtimabatur, ſiue exiſtimationem nactus erat, quemadmodum & alibi Tacitus uſurpat.

Et intra Albanã arcem uilam ſentẽtia Meſſalini ſtrepebat.) Reſtitui in hunc modum, & intra Albanã uillam ſententia Meſſalini ſtrepebat. Nam mihi doctus quiſpiã accuſatiuũ arcem adieciſſe uidetur, cui nõ placebat uilla. At ſolitus fuit Domitianus patres aliquando in Albanã uillã in conſiliũ cõuocare. Eo loco Corneliam Veſtalẽ inceſti damnatã refert Plinius epiſtola cui initiũ: audiſti ne Valerium Licinianũ, libro quarto. Nam quũ Corneliam, inquit, ueſtaliũ maximam defodere uiuam concupiſceet ut qui illuſtrari ſeculũ ſuum eiuſmodi exemplo arbitraretur, Pontificis Maximi uice, ſeu potius immanitate tyranni, licentia domini, reliquos Pontifices nõ in regiam, ſed in Albanam uillam cõuocauit. Hactenus

Plinius. Seceſſum Albanũ Suetonius appellat, & alij. porrò Meſſalinus cuius hic fit mẽtio Tacito, delationes apud Domitianũ factitauit, adulationis & calumniarum nomine principi gratiſſimus. Eum graphice & ſuis uerè coloribus depingit Plinius Nepos epiſtola cuius initiũ, interfui principis optimi cognitioni, lib. 4. Incidit, inquit, ſermo de Catulo Meſſalino, qui luminibus captus, ingenio ſæuo mala cæcitatis addiderat, nõ uerebatur, nõ erubeſcebat, nõ miſerebatur, quo ſæpius à Domitiano nõ ſecus ac tela quæ & ipſa cæca & improuida feruntur, in optimũ quenq; cõtorquebatur. Hæc ille. Hunc Catullũ Meſſalinũ à Iuuenale notari putant eruditi ſatyra viij. & rurſum xiij. Nam illum exagitabant occiſorũ manes, nec uſquã quieſcere ſinebant. Quod aũt hic dicit Tacitus, intra Albanã uillam ſententia Meſſalini ſtrepebat, innuit dum adiuieret Agricola nec permiſiſſe Domitianũ neq; Meſſalinũ auſum fuiſſe publice quenquã accuſare, quod poſtea fecit, ſed tum ſecretius, nempe in Albano ſeceſſu.

Mox noſtræ duxere Heluidiũ in carcerẽ manus.) Intelligit Heluidiũ filium Heluidij Priſci illius à Veſpaſiano primũ relegati quod imperatoriã maieſtatem cõtemnere uideretur, deinde occiſi. Rem prolixe narrat Suetonius. Fuit alioqui uir ſanctiſſimus, ſed nimiæ propemodũ libertatis, quæ exitiũ illi attulit. Celebrat eum longis ſed indubie ueris laudibus Tacitus noſter lib. Annalium uiceſimo circa principiũ. Nec arbitror à paternis uirtutibus degeneraſſe filium, quẽ abunde teſtatur bonũ uirũ fuiſſe, quod à Domitiano ſit interfectus. Prætexebatur cauſa quod quaſi ſcenico exodio ſub perſona Paridis & Oenones diuortium Domitiani cum uxore tractaſſet. autor Suetonius.

Nos Maurici Ruſticiq; uiſus.) Iunius Mauricus in exiliũ actus fuit. Vir teſte Plinio nepote, grauis, prudẽs, multis experimentis eruditus, & qui futura poſſet ex præteritis prouidere. Frater huius Iun. Arulenus Ruſticus damnatus capitis ſub Domitiano quod philoſophiã ſectaretur, & quod Pætum Thraſeam laudaſſet. Meminit eius Plinius epiſtola quinta primi libri. Interemit, inquit Suetonius in Domitiano, Iunium Ruſticum quod Pæti Thraſeæ & Heluidij Priſci laudes ædidiſſet, appellaretq; eos ſanctiſſimos uiros.

Nos innocenti ſanguine Senecio perfudit.) Herennius Senecio occiſus eſt à Domitiano accuſante Metio Caro quod poſt quæſturã nullum magiſtratũ petiſſet, & Heluidij Priſci uitam cõpoſuiſſet laudans uirum. Plinius nepos epiſtola quinta libri primi, de Marco Regulo delatore, lacerat, inquit, Herenniũ Senecionem tam intemperãter quidẽ, ut dixerit ei Metius Carus, quid tibi cum meis mortuis? Lege de hac re epiſtolam Plinij cuius initiũ, angit me Fannię ualetudo, libro ſeptimo. Meminit quũ Iunij Auruleni Ruſtici tum Senecionis Tacitus noſter in præfatiuncula quã huic libello præmiſit. Libet aſcribere Plinij nepotis uerba ex epiſtola undecima tertij libri quæ faciũt ad hunc locum. Atq; hæc feci, inquit, quum ſeptem amicis meis aut occiſis aut relegatis, occiſis Senecione, Ruſtico, Heluidio: relegatis, Maurico, Gratilla, Arria, Fannia.

A quo ſe cõtra pudorẽ muniebat.) Videtur ſic dictum, ut Liuianũ illud lib. octauo quartæ dec. Et ab eadem ſuperbia non uenire ad cauſam dicendã arguerent, qua iudicium & tribunos plebis & concionẽ reliquiſſet. Item illud libro primo dec. eiuſdem, Tamen quia ab ſatisfaciendi quoq; cura imperata enixe facere uidet, ex præſenti eos potius quàm ex præterito æſtimat habitu. Rurſum illud libro ſexto primæ dec. Criminabantur eum infeſtiorẽ agrum ab nobilitate eſſe, quàm à Volſcis fuerit.

Sed mihi filioq; eius.) Scripſimus filiæq; eius. Nam Agricola filium pridem amiſerat. Et ſequitur, id filiæ quoq; uxoriq; præceperim.

FINIS.

IVLII AGRICOLAE VITA PER CORNELIVM TACITVM EIVS GENERVM CASTISSIME COMPOSITA.

CLARORVM uirorum facta moresq́; poſteris
tradere, antiquitus uſitatum, ne noſtris quidem
temporibus,quanquã incurioſa ſuorũ ætas omi/
ſit,quotiens magna aliqua ac nobilis uirtus uicit
ac ſupergreſſa eſt uitium paruis magniſq́; ciuita/
tibus cõmune,ignorantiã recti & inuidiam.Sed
apud priores ut agere memoratu digna pronũ,
magisq́; in aperto erat:ita celeberrimus quiſque
ingenio ad prodendã uirtutis memoriam ſine gratia aut ambitione, bo/
næ tantum conſcientiæ precio ducebatur.Ac pleriq; ſuam ipſi uitam nar/
rare,fiduciam potius morum ꝙ arrogantiam arbitrati ſunt.nec id Rutilio
& Scauro citra fidem,aut obtrectationi fuit.adeo uirtutes ijſdem tempo/
ribus optimè æſtimantur,quibus facillime gignuntur . At mihi nunc nar/
raturo uitam defuncti hominis, uenia opus fuit.quã non petiſſem,ni in/
curſaturus tam ſæua & infeſta uirtutibus tẽpora. Legimus cum Aruleno
Ruſtico Pætus Thraſea, Herennio Senecioni Priſcus Heluidius laudati
eſſent,capitale fuiſſe:neq; in ipſos modo auctores,ſed in libros quoq; eo/
rum ſæuitũ,delegato triumuiris miniſterio,ut monumenta clariſſimorum
ingeniorũ in comitio ac foro urerentur. Scilicet illo igne uocem Po.Ro.&
libertatem Senatus,& conſcientiã generis humani aboleri arbitrabantur,
expulſis inſuper ſapientiæ profeſſoribus, atq; omni bona arte in exilium
acta,ne quid uſquã honeſtũ occurreret. Dedimus profecto grãde patien
tiæ documentũ, ut ſicut uetus ætas uidit quid ultimũ in libertate eſſet, ita
nos quid in ſeruitute, adempto per inquiſitiones & loquendi audiendiq́;
cõmercio . Memoriã quoq; ipſam cum uoce perdidiſſemus, ſi tam in no/
ſtra poteſtate eſſet obliuiſci ꝙ tacere. Nunc demũ redit animus, & quan/
quã primo ſtatim beatiſſimi ſæculi ortu Nerua Cæſar,res olim diſſociabi
les miſcuerit principatũ ac libertatẽ, augeatq́; quotidie facilitatẽ Imperij
Nerua Traianus,nec ſpem modo ac uotũ ſecuritas publica,ſed ipſius uoti
fiduciã,ac robur aſſumpſerit,natura tamen infirmitatis humanæ,tardiora
ſunt remedia ꝙ mala:& ut corpora lente augeſcũt, cito extinguunt̃,ſic in/ “
genia ſtudiaq́; opreſſeris facilius ꝙ reuocaueris . Subit quippe etiã ipſius “
inertiæ dulcedo:& inuiſa primo deſidia, poſtremo amat̃. Quid ſi ꝑ quin/ “
decim annos,grãde mortalis æui ſpaciũ, multis fortuitis caſibus prõptiſſi/ “
mus quiſq; ſæuitia principis interciderũt? Pauci & (ut ita dixerim) nõ mõ
aliorũ ſed etiã noſtri ſupſtites ſumus,exẽptis è media uita tot annis,quib.
iuuenes ad ſenectutẽ, ſenes ꝓpè ad ipſos exactæ ætatis terminos ꝑ ſilẽtiũ

uenimus. non tamen pigebit uel incondita ac rudi uoce memoriam prio/ris ſenectutis, ac teſtimonium præſentium bonorum compoſuiſſe. Hic in/terim liber honori Agricolæ ſoceri mei deſtinatus, profeſſione pietatis, aut laudatus erit, aut excuſatus.

CNeus Iulius Agricola uetere & illuſtri Foroiulienſium colonia ortus, utrunq; auum procuratorem Cæſarum habuit: quæ equeſtris nobi/litas eſt. pater Iulij Iulius Græcinus ſenatorij ordinis, ſtudio eloquẽtiæ ſa/pientiæq́; notus, ijſq́; uirtutibus iram Caij Cæſaris meritus. nanq; Mar/cum Sillanum accuſare iuſſus, & quia abnuerat interfectus eſt. Mater Iu/lia Procilla fuit, raræ caſtitatis. in huius ſinu indulgentiaq́; educatus, per omnem honeſtarũ artium cultum pueritiam adoleſcentiamq́; tranſegit. Arcebat eum ab illecebris peccantium præter ipſius bonam integramq́; naturam, quod ſtatim paruulus ſedem ac magiſtram ſtudiorum Maſſi/liam habuerit, locum Græca comitate & prouinciali parſimonia miſtum, ac bene compoſitum. Memoria teneo, ſolitum ipſum narrare, ſe in prima iuuenta ſtudium philoſophiæ acrius, ultra quàm conceſſum Ro. ac ſena/tori hauſiſſe, ni prudentia matris incenſum ac flagrantem animum coer/cuiſſet. ſcilicet ſublime & rectum ingenium pulchritudinem ac ſpeciem ex/celſæ magnæq́; gloriæ uehementius quàm caute appetebat: mox miti/gauit ratio & ætas. retinuitq́;, quod eſt difficillimũ, ex ſapientia modum. Prima caſtrorum rudimenta in Britannia Suetonio Paulino diligenti ac moderato duci approbauit, electus, quem cõtubernio æſtimaret. Nec Agricola licenter more iuuenum, qui militiam in laſciuiam uertunt, ne/que ſegniter ad uoluptates & commeatus, titulum tribunatus & inſcitiam rettulit: ſed noſcere prouinciam, noſci exercitui, diſcere à peritis, ſequi op/timos, nihil appetere iactationem, nihil ob formidinem recuſare, ſimulq́; anxius & intentus agere. Non ſanè aliàs exercitatior magisq́; in ambiguo Britãnia fuit. trucidati ueterani, incenſæ coloniæ, intercepti exercitus. tum de ſalute, mox de uictoria certauere. Quæ cuncta & ſi conſilijs ductuq́; alterius agebantur, ac ſumma rerum & recuperatæ prouinciæ gloria in ducem ceſſit, artem & uſum & ſtimulos addidere iuueni: intrauitq́; ani/mum militaris gloriæ cupido, ingrata temporibus, quibus, ſiniſtra erga eminentes interpretatio, nec minus periculum ex magna fama, quàm ex mala. Hinc ad capeſſendos magiſtratus in urbem digreſſus, Domi/tiam Decidianam ſplendidis natalibus ortam ſibi iunxit. idq; matrimo/nium ad maiora nitenti, decus ac robur fuit. uixeruntq́; mira concordia, per mutuam charitatem, & inuicem ſe anteponendo, niſi quod in bona uxore tanto maior laus, quanto in mala plus culpæ eſt. Sors quæſturæ prouinciam Aſiam, proconſulem Saluium Titianum dedit, quorũ neutro corruptus eſt: quanq́; & prouincia diues ac parata peccantibus, & procon/ſul in omnem auiditatem pronus, quãtalibet facilitate redempturus eſſet

Iulius Græ/cinus

Iulia Procilla

Maßilia

Philoſophiæ ſtudium

Ex ſapientia modum reti/nuit

Domitiã De/cidianam du/xit uxorem

Fit Quæſtor Aſiæ.

Saluius Titia/nus proconſul

mutuam diſſimulationem mali. Auctus eſt ibi filia in ſubſidium & ſolacium ſimul. nam filium ante ſublatū, breui amiſit. Mox inter quæſturam, ac tribunatum plebis, atq; etiam ipſum tribunatus annum quiete & otio tranſit gnarus ſub Nerone temporum, quibus inertia pro ſapientia fuit. Idem præturæ tenor, & ſilentium. nec enim iuriſdictio obuenerat. Ludos & inania honoris, modo rationis atq; abundantiæ duxit, uti longe a luxuria, ita famæ propior. Tum electus à Galba ad dona templorū recognoſcenda, diligentiſſima cōquiſitione fecit, ne cuius alterius ſacrilegium reſp. quàm Neronis ſenſiſſet. Sequens annus graui uulnere animū domumq; eius afflixit. nam claſſis Othoniana licenter uaga dum in Templo, Liguriæ pars eſt, hoſtiliter populatur, matrem Agricolæ in prædijs ſuis interfecit: prædiaq; ipſa, & magnam patrimonij partem diripuit, quæ cauſa cædis fuerat. Igitur ad ſolemnia pietatis profectus Agricola, nuncio affectati à Veſpaſiano imperij deprehenſus, ac ſtatim in partes tranſgreſſus eſt. Initia principatus ac ſtatum urbis Mutianus regebat admodum iuuene Domitiano, & ex paterna fortuna tantum licentiam uſurpāte. Is miſſum ad delectus agendos Agricolam integreq; ac ſtrenue uerſatum uiceſimæ legioni tardè ad ſacramentum tranſgreſſæ præpoſuit, ubi deceſſor ſeditioſe agere narrabatur: quippe legatis quoq; conſularibus nimia ac formidoloſa erat. Nec legatus prætorius ad cohibendum potens, incertum ſuo an militum ingenio: ita ſucceſſor ſimul & ultor electus, rariſſima moderatione maluit uideri inueniſſe bonos quàm feciſſe. Præerat tunc Britāniæ Vectius Volanus placidius quàm feroci prouincia dignum eſt. temperauit Agricola uim ſuam, ardoremq; cōpeſcuit, ne increſceret, peritus obſequi, eruditusq; utilia honeſtis miſcere. Breui deinde Britannia conſularem Petilium Cerealem accepit. Habuerunt uirtutes ſpacium exemplorum. Sed primo Cerealis, modo labores & diſcrimina, mox & gloriam communicabat: ſæpe parti exercitus in experimentum, aliquando maioribus copijs ex euentu præfecit. nec Agricola unquam in ſuam famā geſtis exultauit, ad auctorem & ducem, ut miniſter fortunam referebat: ita uirtute in obſequendo, uerecundia in prædicando, extra inuidiam, nec extra gloriā erat. Reuertentem ab legatione legionis diuus Veſpaſianus inter patricios aſciuit, ac deinde prouinciæ Aquitaniæ præpoſuit ſplendidæ in primis dignitatis adminiſtratione, ac ſpe conſulatus cui deſtinarat. Credunt pleriq; militaribus ingenijs ſubtilitatem deeſſe, quia caſtrenſis iuriſdictio ſecura & obtuſior, ac plura manu agens calliditatem fori non exerceat. Agricola naturali prudentia quāuis inter togatos facile iuſteq; agebat. Iam uero tempora curarum remiſſionumq; diuiſa, ubi conuentus ac iudicia poſcerent, grauis, intentus, ſeuerus, & ſæpius miſericors: ubi officio ſatisfactum, nulla ultra poteſtatis perſona, triſtitiam & arrogantiam, & auaritiam exuerat: nec illi, quod eſt rariſſimum, aut facilitas auctoritatē, aut ſeueritas amorem

Quies & otiū ul. Agricolæ

Sub Nerone inertia pro ſapientia

Claſſis Othoniana

Solennia pietatis. Ita appellat parentalia

Fit legatus legionis uiceſimæ

Vectius Volanus

Petilius Cerealis Britanniæ Cōſularis

Aquitaniæ rector.

Caſtrenſis iuriſdictio

Naturalis prudentia Agricolæ

amorem diminuit. Integritatem atq; abſtinentiam in tanto uiro referre
iniuria uirtutum fuerit. Ne famam quidem cui etiam ſæpe boni indulgēt,
oſtentandā uirtute, aut per artem quæſiuit: procul ab æmulatione aduer/
ſus collegas, procul à contentione aduerſus Procuratores, & uincere inglo
rium, & atteri ſordidum arbitrabatur. Minus trienniū in ea legatione de/
tentus, ac ſtatim ad ſpem Conſulatus reuocatus eſt, comitante opinione
Britāniam ei prouinciam dari, nullis in hoc ſuis ſermonibus, ſed quia par
uidebatur. haud ſemper errat fama, aliquando & eligit. Conſul, egregiæ
tum ſpei filiā iuueni mihi deſpondit, ac poſt conſulatū collocauit, & ſtatim
Britanniæ Britanniæ præpoſitus eſt, adiecto pontificatus ſacerdotio. Britanniæ ſi/
deſcriptio tum populoſq́ multis ſcriptoribus memoratos, non in cōparationem cu
ræ ingeniiúe referam, ſed quia tum primū perdomita eſt: itaq; quæ prio/
res nondum comperta, eloquentia percoluere, rerū fide tradentur. Bri/
tannia inſularum quas Romana notitia complectitur maxima, ſpacio ac
cœlo in orientem Germaniæ, in occidentem Hiſpaniæ obtenditur: Gallis
in meridiem etiam inſpicitur. Septentrionalia eius, nullis contra terris, ua/
ſto atq; aperto mari pulſantur. Formam totius Britāniæ Liuius ueterum,
Fabius Ruſticus recentium, eloquentiſſimi auctores, oblongæ ſcutulæ uel
Caledonia bipēni aſſimulauere. & eſt ea facies citra Caledoniā, unde & in uniuerſum
fama eſt tranſgreſſa. ſed immenſum & enorme ſpaciū procurrentiū extre/
mo iam littore terrarum uelut in cuneum tenuatur. Hanc oram nouiſſimi
maris tunc primum Romana claſſis circumuecta, inſulam eſſe Britāniam
Orcades affirmauit, ac ſimul incognitas ad id tempus inſulas, quas Orcadas uocāt
Thule inuenit domuitq́. diſpecta eſt & Thyle, quā hactenus nix, & hyems ab/
debat. ſed mare pigrum & graue remigantibus perhibent. ne uentis qui/
dem proinde attolli: credo quod rariores terræ monteſq́, cauſa ac mate/
ria tempeſtatum, & profunda moles continui maris, tardius impellitur.
Naturam Oceani atq; æſtus neq; quærere huius operis eſt, ac multi rettu
lere. unum addiderim, nuſquā latius dominari mare, multum fluminum
huc atq; illuc ferre, nec littore tenus accreſcere aut reſorberi, ſed influere pe
nitus atq; ambire, etiam iugis atq; montibus inſeri uelut in ſuo. Cæterum
Britanniā qui mortales initio coluerint, indigenæ an aduecti, ut inter Bar
baros, parum compertum. Habitus corporum uarij: atq; ex eo argumen/
Caledonij ta. nanq; rutilæ Caledoniam habitantium comæ, magni artus, Germani/
Silyres cam originem aſſeuerant. Silurum colorati uultus, & torti plerunq; crines,
& poſita contra Hiſpaniam, Iberos ueteres traieciſſe, eaſq́ ſedes occupaſ/
ſe fidem faciunt. proximi Gallis, & ſimiles ſunt: ſeu durante originis ui:
ſeu procurrentibus in diuerſa terris, poſitio cœli corporibus habitū dedit.
in uniuerſum tamen æſtimāti, Gallos uicinū ſolū occupaſſe, credibile eſt.
Eorū ſacra deprehendas ſuperſtitionū perſuaſione. Sermo haud multum
diuerſus. in depoſcendis periculis eadē audacia, & ubi aduenere, in detre/
ctandis

ctandis eadem formido . plus tamen ferociæ Britanni præferunt,ut quos
nondum longa pax emollierit . nam Gallos quoq; in bellis floruiſſe acce-
pimus. mox ſegnitia cum otio intrauit, amiſſa uirtute pariter ac libertate.
quod Britannorũ olim uictis euenit, cæteri manent quales Galli fuerunt.
In pedite robur,quædam nationes & curru præliantur. honeſtior auriga,
clientes propugnant.olim regibus parebant, nunc per principes factioni-
bus & ſtudijs trahũtur. nec aliud aduerſus ualidiſsimas gentes pro nobis
utilius, quàm quod in commune non conſulunt. Rarus duabus tribuſq; *In commune*
ciuitatibus, ad propulſandum commune periculum cõuentus:ita dum ſin *nõ conſulunt*
guli pugnant,uniuerſi uincuntur. Cœlum crebris hymbribus ac nebulis *Cœlum ne-*
fœdum.aſperitas frigorum abeſt. Dierum ſpacia ultra noſtri orbis men- *buloſum*
ſuram,& nox clara,& extrema Britanniæ parte breuis,ut finem atque ini- *Dies lõgiores*
tium lucis exiguo diſcrimine internoſcas.Quod ſi nubes nõ officiãt,aſpici *Nox breuis*
per noctẽ ſolis fulgorẽ, nec occidere & exurgere, ſed tranſire affirmant:ſci
licet extrema & plana terrarum humili umbra non erigunt tenebras, in-
fraq; cœlum & ſydera nox cadit. Solum præter oleam uitemq; & cætera
calidioribus terris oriri ſueta, patiens frugum, fœcũdum. tarde miteſcunt,
cito proueniunt. eademq; utriuſq; rei cauſa, multus humor terrarum,cœ-
liq;.Fert Britannia aurum & argentum & alia metalla , precium uictoriæ. *Aurum*
gignit & Oceanus margarita,ſed ſubfuſca ac liuẽtia. Quidã artẽ abeſſe le- *Argẽtum*
gentibus arbitrãtur. nam in rubro mari uiua ac ſpirantia ſaxis auelli,in Bri *Metalla* *Margarita*
tannia prout expulſa ſint colligi . ego facilius crediderim naturam marga-
ritis deeſſe,quàm nobis auaritiam . Ipſi Britãni delectum,ac tributa,& in-
iuncta imperij munera impigrè obeũt,ſi iniuriæ abſint:has ægre tolerant,
iam domiti ut pareant,nondũ ut ſeruiant.Igitur primus omniũ Romano- *D.Iulius*
rum D.Iulius cũ exercitu Britanniã ingreſſus,quanq; proſpera pugna ter
ruerit incolas,ac littore potitus ſit, poteſt uideri oſtendiſſe poſteris nõ tra-
didiſſe. Mox bella ciuilia , & in rempublicam uerſa principum arma,
ac longa obliuio Britanniæ etiam in pace . Conſilium id diuus Augu- *D.Auguſtus*
ſtus uocabat ,Tiberius præcipue . Agitaſſe C . Cæſarem de intranda Bri *Tiberius*
tannia ſatis conſtat, ni uelox ingenio , mobilis pœnitentia, & ingentes *C . Cæſar*
aduerſus Germaniam conatus fruſtra fuiſſent . Diuus Claudius auctor *D.Claudius*
operis,tranſuectis legionibus auxilijſq;, & aſſumpto in partẽ rerũ Veſpa *Veſpaſianus*
ſiano.quod initiũ uenturæ mox fortunæ fuit,domitæ gẽtes, capti reges,&
monſtratus fatis Veſpaſianus.Conſulariũ primus Aulus Plautius præpo
ſitus , ac ſubinde Oſtorius Scapula , uterque bello egregius : redactaq;
paulatim in formam prouinciæ proxima pars Britanniæ . addita inſuper
ueteranorum colonia . quædam ciuitates Cogiduno regi donatæ . is ad
noſtram uſque memoriam fidiſsimus manſit , uetere ac iam pridem rece-
pta populi Romani conſuetudine,ut haberet inſtrumenta ſeruitutis & re-
ges.Mox Didius Gallus parta à prioribus continuit, paucis admodum
caſtellis

caſtellis in ulteriora promotis, per quæ fama aucti officij quæreretur. Di/
Veranius dium Veranius excepit, iſq; intra annum extinctus eſt. Suetonius hinc
Paulinus biẽnio proſperas res habuit, ſubactis nationibus firmatiſq; præ
Mona inſula ſidijs: quorum fiducia Monam inſulam ut uires rebellibus miniſtrantem
aggreſſus, terga occaſioni patefecit. Nanque abſentia legati remoto metu,
Britannorum querelæ de Romanis Britanni agitare inter ſe mala ſeruitutis, conferre iniurias, & interpretando
accẽdere: nihil profici patientia, niſi ut grauiora tanq̃ ex facili tolerãtibus
imperentur: ſingulos ſibi olim reges fuiſſe, nunc binos imponi, è quibus le
gatus in ſanguinem, procurator in bona ſæuiret: æque diſcordiam præpo/
ſitorum, æque concordiã ſubiectis exitioſam: alterius manus centuriones,
alterius uim & contumelias miſcere: nihil iam cupiditati, nihil libidini exce
ptum: in prælio fortiorem eſſe qui ſpoliet, nunc ab ignauis plerunq; & im/
bellibus eripi domos, abſtrahi liberos, iniungi delectus, tanq̃ mori tantũ
pro patria neſcientibus: quantum enim tranſiſſe militum, ſi ſeſe Britanni
numerent? ſic Germanias excuſsiſſe iugum, & flumine nõ Oceano defen
di: ſibi patriam, coniuges, parentes: illis auaritiam & luxuriam cauſas belli
eſſe: receſſuros ut diuus Iulius receſsiſſet, modo uirtutes maiorum ſuorum
æmularentur: neue prælij unius aut alterius euentu paueſcerent: plus impe
tus, maiorem conſtantiam penes miſeros eſſe: iam Britannorũ etiam deos
miſereri, qui Romanũ ducem abſentem, qui relegatum in alia inſula exer/
citum detinerent: iam ipſos, quod difficillimum fuerit, deliberare: porrò in
eiuſmodi conſilijs periculoſius eſſe deprehendi, q̃ audere. His atq; ta/
Voadica libus inuicem inſtincti, Voadica generis regij fœmina duce, neq; enim ſe/
Sexum in imperijs non diſcernunt xum in imperijs diſcernunt, ſumpſere uniuerſi bellũ: ac ſparſos per caſtella
milites cõſectati, expugnatis præſidijs, ipſam coloniam inuaſere, ut ſedem
ſeruitutis. nec ullũ in barbaris ſæuitiæ genus omiſit ira & uictoria. Quod
Suet. Paulinus duriter in deditos cõſulit niſi Paulinus, eo cognito prouinciæ motu, properè ſubueniſſet, amiſſa Bri
tannia foret: quam unius prælij fortuna, ueteri patiẽtiæ reſtituit, tenẽtibus
arma pleriſq;, quos conſciẽtia defectionis, & proprius ex legato timor agi
tabat. Hic cum egregius cætera, arrogãter in deditos, & ut ſuæ quoq; iniu/
Petronius Turpilianus riæ ultor, durius conſuleret, miſſus Petronius Turpilianus tanq̃ exorabi/
lior, & delictis hoſtium nouus, eoq; pœnitentiæ mitior, compoſitis prio/
Trebellius Maximus ribus nihil ultra auſus, Trebellio Maximo prouinciã tradidit. Trebellius
ſegnior & nullis caſtrorum experimentis, comitate quadam curandi pro/
uinciam tenuit. Didicere iam barbari quoq; ignoſcere uitijs blandiẽtibus.
& interuentus ciuilium armorum præbuit iuſtam ſegnitiæ excuſationem.
ſed diſcordia laboratũ, cum aſſuetus expeditionibus miles otio laſciuiret.
Trebellius fuga ac latebris uitata exercitus ira, indecorus atq; humilis, pre
cariò mox præfuit: ac uelut pacti, exercitus licentiam, dux ſalutem. hæc ſe/
ditio ſine ſanguine ſtetit. Nec Vectius Volanus manentibus adhuc ciui/
libus bellis agitauit Britanniam diſciplina. eadẽ inertia erga hoſtes, ſimilis

petulantia

petulantia caſtrorum:niſi quod innocens Volanus, & nullis delictis inui/
ſus charitatem parauerat loco autoritatis. Sed ubi cum cætero orbe Veſpa
ſianus & Britanniam recuperauit, magni duces, egregij exercitus, minuta
hoſtium ſpes: & terrorem ſtatim intulit Petilius Cerealis, Brigãtum ciuita
tem, quæ numeroſiſsima prouinciæ totius perhibetur, aggreſſus. multa
prælia, & aliquando non incruenta: magnamq́ʒ Brigantum partem aut ui
ctoria amplexus, aut bello. Et cum Cerealis quidem alterius ſucceſſoris cu
ram famamq́ʒ obruiſſet, ſuſtinuit quoqʒ molem Iulius Frontinus uir ma/
gnus quantum licebat, ualidamq́ʒ & pugnacem Silurum gentem armis
ſubegit, ſuper uirtutem hoſtium locorum quoqʒ difficultates eluctatus.

Brigantum ciuitas

Hunc Britanniæ ſtatum has bellorum uices media iam æſtate tranſgreſ/
ſus Agricola inuenit, cum & milites uelut omiſſa expeditione ad ſecurita/
tem, & hoſtes ad occaſionem uerterẽtur. Ordouicum ciuitas haud multo
ante aduentum eius, alam in finibus ſuis agentem, prope uniuerſam obtri
uerat: eoq́ʒ initio erecta prouincia, ut quibus bellum uolentibus erat, pro/
bare exemplum, aut recẽtis legati animum operiri. Tum Agricola (quanq́ʒ
tranſacta æſtas, ſparſi per prouinciam numeri, præſumpta apud militem
illius anni quies tarda & contraria bellum incohaturo, & pleriſqʒ cuſtodiri
ſuſpecta potius uidebatur, ire obuiam diſcrimini ſtatuit: cõtractiſqʒ legio/
num uexillis & modica auxiliorũ manu, quia in æquum digredi Ordoui/
ces non audebant, ipſe ante agmen quo cæteris par animus ſimili periculo
eſſet, erexit aciem: cæſaq́ʒ propè uniuerſa gente non ignarus inſtandum fa
mæ, ac pròut prima ceſsiſſent fore uniuerſa, Monam inſulã cuius poſſeſ/
ſione reuocatum Paulinum rebellione totius Britanniæ ſupra memoraui,
redigere in poteſtatem animo intendit. Sed ut in dubijs conſilijs, naues
deerant, ratio & conſtantia ducis tranſuexit: depoſitis omnibus ſarcinis, le
ctiſsimos auxiliarium, quibus nota uada, & patrius nandi uſus quo ſimul
ſeq́ʒ & arma & equos regunt, ita repente immiſit, ut obſtupefacti hoſtes
qui claſſem, qui naues, qui mare expectabant, nihil arduum aut inuictum
crediderint ſic ad bellum uenientibus. Ita petita pace, ac dedita inſula, cla/
rus ac magnus haberi Agricola: quippe cui ingredienti prouinciam quod
tempus alij per oſtentationem aut officiorum ambitum tranſigunt, labor
& periculũ placuiſſet. Nec Agricola proſperitate rerum in uanitatem uſus,
expeditionem aut uictoriam uocabat, uictos continuiſſe: ne laureatis qui/
dem geſta proſecutus eſt, ſed ipſa diſsimulatione famæ famam auxit, æſti
mantibus quãta futuri ſpe tam magna tacuiſſet.

Agricola in Britanniam

Ordouices debellat Agri.

Monam inſulam capit

Diſsimulatione famæ famam auxit

Cæterum animorum
prouinciæ prudens, ſimulq́ʒ doctus per aliena experimẽta parum profici
armis ſi iniuriæ ſequerentur, cauſas bellorum ſtatuit excidere, à ſe ſuiſq́ʒ
orſus. primam domum ſuam coercuit, quod pleriſqʒ haud minus arduum
eſt, quàm prouinciam regere: nihil per libertos ſeruoſq́ʒ publicæ rei: non
ſtudijs priuatis, nec ex commendatione aut precibus centurionum milites

aſcire,ſed optimum quenq; fideliſsimum putare: omnia ſcire,non omnia exequi:paruis peccatis ueniam,magnis ſeueritatem commodare: nec pœna ſemper, ſed ſæpius pœnitentia contentus eſſe:officijs & adminiſtrationibus potius non peccaturos,quàm damnare cum peccaſſent. Frumenti & tributorum auctionem æqualitate munerum mollire, circumciſis quæ in quæſtũ reperta,ipſo tributo grauius tolerabantur.nanq; per ludibrium aſsidere clauſis horreis, & emere ultro frumenta, ac uendere pretio cogebantur.diuortia itinerum & longinquitas regionum indicebatur,ut ciuitates à proximis hybernis in remota & auia deferrẽt, donec quod omnibus in promptu erat,paucis lucroſum fieret. Hæc primo ſtatim anno comprimendo egregiã famam paci circũdedit,quæ uel incuria uel tolerantia priorum haud minus quàm bellum timebatur. Sed ubi æſtas aduenit,contracto exercitu multũ in agmine laudare modeſtiam, diſiectos coercere: loca caſtris ipſe capere, æſtuaria ac ſiluas ipſe prætentare: & nihil interim apud hoſtes quietum pati,quo minus ſubitis excurſibus popularetur:atq; ubi ſatis terruerat, parcendo, rurſus irritamenta pacis oſtentare. Quibus rebus multæ ciuitates quæ in illum diem ex æquo egerãt,datis obſidibus iram poſuere, & præſidijs caſtelliſq; circundatæ, tanta ratione curaq;, ut nulla ante Britanniæ noua pars illaceſsita tranſierit. Sequens hyems ſaluberrimis conſilijs abſumpta. nanq; ut homines diſperſi ac rudes,eoq; bello faciles,quieti & otio per uoluptates aſſueſcerẽt,hortari priuatim,adiuuare publice,ut tẽpla,fora,domus extruerent,laudãdo promptos, & caſtigando ſegnes.ita honoris æmulatio,pro neceſsitate erat.Iam uero principum filios liberalibus artibus erudire, & ingenia Britannorum ſtudijs Gallorum anteferre,ut qui modo linguã Romanam abnuebant,eloquentiam concupiſcerent. inde etiam habitus noſtri honor, & frequens toga. paulatimq; diſceſſum ad delinimenta uitiorum,porticus,& balnea,& conuiuiorum elegantiam. idq; apud imperitos humanitas uocabatur, cum pars ſeruitutis eſſet. Tertius expeditionum annus nouas gẽtes aperuit uaſtatis uſque ad Taum(æſtuario nomen eſt)nationibus. qua formidine territi hoſtes quanquam conflictatum ſæuis tempeſtatibus exercitum,laceſſere non auſi.ponendiſq; inſuper caſtellis ſpatium fuit.Adnotabant periti,nõ alium ducem opportunitates locorum ſapiẽtius legiſſe, nullum ab Agricola poſitum caſtellum aut ui hoſtium expugnatum,aut pactione ac fuga deſertum.crebræ eruptiones.nam aduerſus moras obſidionis annuis copijs firmabãtur.ita intrepida ibi hyems,& ſibi quiſq; præſidio, irritis hoſtibus, eoq; deſperantibus, quia ſoliti plerunq; damna æſtatis hybernis euentibus penſare,tum æſtate atq; hyeme iuxta pellebantur. Nec Agricola unquam per alios geſta auidus intercepit,ſeu cẽturio,ſeu præfectus, incorruptum facti teſtem habebat. Apud quoſdam acerbior in conuitijs narrabatur, ut bonis comis, ita aduerſus malos iniucundus.cæterum

Agricolæ modeſtia

ex ira-

ex iracundia nihil ſuper erat. ſecretum & ſilentium, eius non timeres. hone ſtius putabat, offendere, quàm odiſſe. Quarta æſtas obtinēdis quæ per currerat inſumpta, ac ſi uirtus exercituum & Romani nominis gloria pate retur, inuentus in ipſa Britannia terminus. Nam Glota & Bodotria diuer ſi maris æſtus per immenſum reuecti, anguſto terrarum ſpacio dirimun tur, quod tum præſidijs firmabatur: atq; omnis propior ſinus tenebatur, ſummotis uelut in aliam inſulā hoſtibus. Quinto expeditionum anno naue prima tranſgreſſus ignotas ad id tempus gentes crebris ſimul ac pro ſperis prælijs domuit: eamq́; partem Britanniæ quæ Hyberniam aſpicit, copijs inſtruxit, in ſpem magis quàm ob formidinem. ſiquidem Hyber nia medio inter Britanniam atq; Hiſpaniā ſita, & Gallico quoq; mari op portuna, ualentiſſimam imperij partem, magnis inuicem uſibus miſcuerit. Spacium eius ſi Britanniæ comparetur anguſtius, noſtri maris inſulas ſu perat. Solum cœlumq́; & ingenia cultusq́; hominū haud multum à Bri tannia differunt. melius aditus portusq́; per cōmercia & negociatores co gniti. Agricola expulſum ſeditione domeſtica unum ex regulis gentis ex ceperat, ac ſpecie amicitiæ in occaſionem retinebat. Sæpe ex eo audiui, le gione una & modicis auxilijs debellari, obtineriq́; Hyberniā poſſe. Idq́; etiam aduerſus Britanniam profuturum, ſi Romana ubiq; arma, & uelut è conſpectu libertas tolleretur. Cæterum æſtate qua ſextum officij an num inchoabat, amplas ciuitates trans Bodotriam ſitas, quia motus uni uerſarum ultra gentium, & infeſta hoſtili exercitu itinera timebantur, por tus claſſe explorauit: quæ ab Agricola primum aſſumpta in partē uirium, ſequebatur egregia ſpecie, cum ſimul terra ſimul mari bellum impellere tur: ac ſæpe ijſdem caſtris pedes equesq́; & nauticus miles mixti copijs & lætitia ſua quiſq; facta ſuos caſus attollerent: ac modo ſiluarum & mon tium profunda, modo tempeſtatum ac fluctuū aduerſa, hinc terra & ho ſtis, hinc auctus Oceanus militari iactantia cōpararentur. Britannos quo que, ut ex captiuis audiebatur, uiſa claſſis obſtupefaciebat, tanquam aper to maris ſui ſecreto ultimum uictis perfugium clauderetur. Ad manus & arma conuerſi Caledoniam incolentes populi paratu magno, maiore fa ma, uti mos eſt de ignotis, oppugnaſſe ultro caſtella adorti, metum ut pro uocantes addiderant: regrediendumq́; citra Bodotriam, & excedendum potius quàm pellerentur, ſpecie ignaui prudentium admonebant, cum in terim cognoſcit, hoſtes pluribus agminibus irrupturos. Ac ne ſuperante numero, & peritia locorum, circumiretur, diuiſo & ipſe in tres partes exer citu inceſſit. Quod ubi cognitum hoſti, mutato repente conſilio uniuerſi nonam legionem ut maxime inualidam, nocte aggreſſi inter ſomnum ac trepidationem cæſis uigilibus irrupere. Iamq́; in ipſis caſtris pugnabant, cum Agricola iter hoſtium ab exploratoribus edoctus, & ueſtigijs inſecu tus, uelociſſimos equitum peditumq́; aſſultare tergis pugnantium iubet,

An. IIII

Glota

Bodotria

An. V

Hybernia

Spacium inſulæ

An. VI

Maior fama de ignotis

Metus ex prouocante

Nonam legionem aggrediuntur Calidonij

mox ab uniuerſis adiici clamorē.& propinqua luce fulſere ſigna.ita anci-piti malo territi Britanni:& Romanis redit animus, ac ſecuri pro ſalute,de gloria certabāt.ultro quin etiam irrupere.& fuit atrox in ipſis portarū an-guſtiis prælium,donec pulſi hoſtes, utroq; exercitu certante, his ut tuliſſe opem,illis ne eguiſſe auxilio uiderentur.quod niſi paludes & ſiluæ fugien tes texiſſent, debellatum illa uictoria foret. Cuius conſtantia ac fama ferox exercitus:nihil uirtuti ſuæ inuium,penetrandam Caledoniam,inue-niendumq; tandem Britanniæ terminum cōtinuo præliorū curſu freme-bant:atq; illi modo cauti ac ſapientes, prompti poſt euentum ac magnilo qui erant.Iniquiſſima hæc bellorum cōditio eſt,proſpera omnes ſibi uen-dicant,aduerſa uni imputantur. At Britanni non uirtute ſed occaſione & arte ducis rati,nihil ex arrogātia remittere, quo minus iuuentutem arma-rent,coniuges ac liberos in loca tuta transferrent, cœtibus ac ſacrificiis con ſpirationem ciuitatum ſancirent.atq; ita irritatis utrinq; animis diſceſſum.

Vſipiorum cohors arreptis nauibus Britanniam prædantur

Eadem æſtate cohors Vſipiorum per Germanias conſcripta, in Bri-tanniam tranſmiſſa,magnum ac memorabile facinus auſa eſt. Occiſo cen turione ac militibus, qui ad tradendā diſciplinā immixti manipulis exem-plum & rectores habebantur,tres liburnicas adactis per uim gubernato-ribus aſcendere:& uno remigrante,ſuſpectis duobus eoq; interfectis, nō-dum uulgato rumore ut miraculum prouehebantur: mox hac atque illa rapti,& cum pleriſque Britannorum ſua defenſantium prælio congreſſi, ac ſæpe uictores, aliquando pulſi, eò ad extremum inopiæ uenere, ut in-firmiſſimos ſuorum, mox ſorte ductos ueſcerentur: atque ita circunuecti Britanniam,amiſſis per inſcitiam regendi nauibus, pro prædonibus habi ti,primum à Sueuis, mox à Friſiis intercepti ſunt. ac fuere, quos per com-mercia uenundatos,& in noſtram uſq; ripam mutatione ementium addu ctos,indicium tanti caſus illuſtrauit. Initio æſtatis Agricola domeſtico uulnere ictus, anno ante natum filium amiſit. Quem caſum neq; ut ple-rique fortium uirorum ambitioſe, neq; per lamenta rurſus ac mœrorem muliebriter tulit.& in luctu bellum inter remedia erat. Igitur præmiſſa claſſe quæ pluribus locis prædata,magnum & incertum terrorem faceret, expedito exercitu cui ex Britannis fortiſſimos & longa pace exploratos

Grampius mons

Concordia

addiderat, ad montem Grampium peruenit, quē iam hoſtes inſederant. Nam Britanni nihil fracti pugnæ prioris euentu, & ultionē aut ſeruitium expectantes,tandemq; docti commune periculum concordia propulſan dum,legationibus & fœderibus omnium ciuitatū uires exciuerant.Iamq; ſuper triginta milia armatorum aſpiciebantur, & adhuc affluebat omnis iuuentus,& quibus cruda ac uiridis ſenectus, clari bello, ac ſua quiſq; de-cora geſtantes,cum inter plures duces uirtute & genere præſtans nomine Galgacus,apud contractam multitudinem prælium poſcentem, in hunc modum locutus fertur. » Quotiens cauſas belli & neceſſitatem noſtram

intueor

intueor,magnus mihi animus eſt,hodiernum diem,cõſenſumq; ueſtrum, «
initium libertatis totius Britanniæ fore. Nam & uniuerſi ſeruitutis exper/ «
tes:& nullæ ultra terræ,ac ne mare quidem ſecurũ imminente nobis claſſe «
Romana.ita prælium atq; arma quæ fortibus honeſta,eadem etiam igna «
uis tutiſsima ſunt.Priores pugnæ quibus aduerſus Romanos uaria fortu/ «
na certatum eſt,ſpem ac ſubſidium in noſtris manibus habebant:quia no «
biliſsimi totius Britanniæ,eoq; in ipſis penetralibus ſiti, nec ſeruientiũ lit/ «
tora aſpicientes, oculos quoq; à contactu dominationis inuiolatos habe/ «
bamus. Nos terrarum ac libertatis extremos, receſſus ipſe ac ſinus famæ «
in hunc diem defendit.nunc terminus Britanniæ patet. atque omne igno/ «
tum pro magnifico eſt.Sed nulla iam ultra gens,nihil niſi fluctus & ſaxa. «
& inferiores Romani, quorum ſuperbiam fruſtra per obſequium & mo/ «
deſtiam effugeris: raptores orbis, poſtquam cuncta uaſtantibus defuere «
terræ,& mare ſcrutantur: ſi locuples hoſtis eſt, auari: ſi pauper,ambitioſi, «
quos non Oriens,non Occidens,ſatiauerit: ſoli omnium opes atq; inopi/ «
am pari affectu concupiſcunt: auferre, trucidare, rapere falſis nominibus «
imperium,atq; ubi ſolitudinem faciunt,pacem appellant.Liberos cuiq; ac «
propinquos ſuos natura chariſsimos eſſe uoluit: hi per delectus alibi ſer/ «
uituri auferuntur. Coniuges ſororesq; & ſi hoſtilem libidinem effugiant, «
nomine amicorum atq; hoſpitum polluuntur. Bona fortunasq; in tribu/ «
tum egerunt,in annonam frumentum:corpora ipſa ac manus,ſiluis ac pa/ «
ludibus emuniendis uerbera inter ac contumelias conterunt. Nata ſerui/ «
tuti mancipia ſemel ueneunt,atq; ultro à dominis aluntur:Britannia ſerui/ «
tutem ſuam quotidie emit,quotidie paſcit. Ac ſicut in familia recẽtiſsimus «
quiſq; ſeruorum & conſeruis ludibrio eſt: ſic in hoc orbis terrarum uetere «
famulatu, noui nos & uiles in excidium petimur. Neq; enim arua nobis, «
aut metalla,aut portus ſunt, quibus exercendis reſeruemur. Virtus porrò «
ac ferocia ſubiectorum ingrata imperantibus.& longinquitas ac ſecretum «
ipſum,quo tutius,eo ſuſpectius.Ita ſublata ſpe ueniæ,tandem ſumite ani/ «
mum,tam quibus ſalus,quàm quibus gloria chariſsima eſt. Brigantes,fœ «
mina duce,exurere coloniam,expugnare caſtra, ac niſi felicitas in ſocordi/ «
am uertiſſet, exuere iugum potuere: nos integri & indomiti & liberta/ «
tem non in præſentia laturi, primo ſtatim congreſſu unde oſtendamus «
quos ſibi Caledonia uiros ſepoſuerit. An eandem Romanis in bello uir/ «
tutem,quam in pace laſciuiam adeſſe creditis?Noſtris illi diſceſſionibus ac «
diſcordijs clari,uitia hoſtium in gloriam exercitus ſui uertunt: quem con/ «
tractum ex diuerſiſsimis gentibus ut ſecundæ res tenent, ita aduerſæ diſ/ «
ſoluent:niſi ſi Gallos,& Germanos,& (pudet dictu) Britannorũ pleroſq; «
dominationi alienæ ſanguinem cõmodantes,diutius tamen hoſtes q̃ ſer/ «
uos,fide & affectu teneri putatis:metus & terror eſt, infirma uincula cha/ «
ritatis.quæ ubi remoueris,qui timere deſierint odiſſe incipiẽt. Omnia ui/ «

ctoriæ incitamenta pro nobis ſunt: nullæ Romanos coniuges accendunt: nulli parentes fugam exprobraturi ſunt: aut nulla pleriſq; patria, aut alia eſt. paucos numero circum trepidos ignorantia, cœlum ipſum ac mare & ſiluas ignota omnia circumſpectantes, clauſos quodãmodo ac uictos alij nobis tradiderunt. Ne terreat uanus aſpectus, & auri fulgor atq; argenti, quod neq; tegit neq; uulnerat. In ipſa hoſtiũ acie inueniemus noſtras manus. agnoſcent Britanni ſuam cauſam. recordabuntur Galli priorem libertatem. deſerent illos cæteri Germani, tanquam nuper Vſipij reliquerunt. Nec quicquam ultra formidinis, uacua caſtella, ſenum coloniæ, inter male parentes & iniuſte imperantes ægra municipia & diſcordantia. hic dux, hic exercitus. ibi tributa & metalla & cæteræ ſeruientium pœnæ, quas in æternum proferre, aut ſtatim ulciſci, in hoc campo eſt. Proinde ituri in aciem & maioreis ueſtros & poſteros cogitate.

Excepere orationem alacres, & barbari moris cantu & fremitu clamoribuſq; diſſonis. Iamq; agmina, & armorum fulgores audentiſsimi cuiuſq; procurſu, ſimul inſtruebantur acies, cum Agricola quanquam lætum & uix monitis coercitum militem adhuc ratus, ita diſſeruit.

Octauus annus eſt, cõmilitones, ex quo uirtute & auſpicijs Imperij Ro. fide atq; opera ueſtra Britanniam uiciſtis, tot expeditionibus, tot prælijs ſeu fortitudine aduerſus hoſtes, ſeu patientia ac labore penè aduerſus ipſam rerum naturam opus fuit. Neq; me militum, neq; uos ducis pœnituit. Ergo egreſſi, ego ueterum legatorum, uos priorum exercituum terminos; finem Britanniæ non fama nec rumore, ſed caſtris & armis tenemus. Inuenta Britannia & ſubacta. Equidem in agmine cum uos paludes montéſue & flumina fatigarent, fortiſsimi cuiuſq; uocem audiebam, quando dabitur hoſtis, quando acies? Veniunt, è latebris ſuis extruſi. & uota uirtuſq; in aperto, omniaq; prona uictoribus, atque eadem uictis aduerſa. Nam ut ſuperaſſe tantum itineris, ſiluas euaſiſſe, tranſiſſe æſtuaria, pulchrum ac decorum in frontem, ita fugientibus periculoſiſſima quæ hodie proſperrima ſunt. Neq; enim nobis aut locorum eadem notitia aut commeatuum eadem abundantia: ſed manus, & arma, & in his omnia. Quod ad me attinet, iam pridem mihi decretum eſt, neq; exercitus neq; ducis terga tuta eſſe. Proinde & honeſta mors turpi uita potior, & incolumitas ac decus eodem loco ſita ſunt. nec inglorium fuerit, in ipſo terrarum ac naturæ fine cecidiſſe. Si nouæ gentes atq; ignota acies conſtitiſſet, aliorum exercituum exemplis uos hortarer: nunc ueſtra decora recenſete, ueſtros oculos interrogate. Ii ſunt quos proximo anno unam legionem furto noctis aggreſſos, clamore debellaſtis: ij cæterorum Britannorũ fugaciſsimi, ideoq; tamdiu ſuperſtites. Quomodo ſiluas ſaltuſq; penetrantibus fortiſsimum quodq; animal robore, pauida & inertia ipſo agminis ſono pellũtur: ſic acerrimi Britannorũ iam pridẽ ceciderunt: reliquus eſt numerus ignauorũ & metuentiũ. quos quod tandẽ inue-

niſtis, non reſtiterunt, ſed deprehenſi ſunt nouiſsimi, & extremo metu corpora defixere in his ueſtigijs, in quibus pulchram & ſpectabilem uictoriam ederetis. Tranſigite cum expeditionibus, imponite quinquaginta annis magnū diem: approbate Reip. nunquam exercitui imputari potuiſſe aut moras belli, aut cauſas debellandi. Et alloquente adhuc Agricola militum ardor eminebat, & finem orationis ingens alacritas conſecuta eſt, ſtatimq́ ad arma diſcurſum. inſtinctos ruenteſq́ ita diſpoſuit, ut peditum auxilia quæ octo milia erāt, mediā aciem firmarent: equitū tria milia, cornibus affunderentur. legiones pro uallo ſtetere, ingens uictoriæ decus citra Romanū ſanguinem bellanti, & auxiliū ſi pellerentur. Britannorum acies in ſpeciem ſimul ac terrorē editioribus locis conſtiterant: ita ut primū agmen æquo, cæteri per accliue iugū connexi uelut inſurgerēt: media campi Couinarius & eques ſtrepitu ac diſcurſu cōplebat. Tum Agricola ſuperante hoſtiū multitudine ueritus, ne ſimul in frontem, ſimul & latera ſuorum pugnaretur, diductis ordinibus, quanq́ porrectior acies futura erat, & arceſſendas pleriq́ legiones admonebāt, promptior in ſpem, & firmus aduerſis, dimiſſo equo pedes ante uexilla conſtitit. Ac primo congreſſu eminus certabatur. ſimul conſtantia, ſimul arte, Britanni ingentibus gladijs, & breuibus cetris miſſilia noſtrorū uitare, uel excutere, atq́ ipſi magnam uim telorū ſuperfundere: donec Agricola tres Batauorū cohortes ac Tungrorum duas cohortatus eſt, ut rem ad mucrones ac manus adducerent. quod & ipſis uetuſtate militiæ exercitatū, & hoſtibus inhabile parua ſcuta & enormes gladios gerentibus. nam Britannorū gladij ſine mucrone complexum armorum, & in aperto pugnā non tolerabant. Igitur ut Bataui miſcere ictus, ferire umbonibus, ora fœdare, & tractis qui in æquo obſtiterant, erigere in colles aciem cœpere, cæteræ cohortes æmulatione & impetu commiſtæ proximos quoſq́ cædere: ac pleriq́ ſemineces aut integri feſtinatione uictoriæ relinquebantur. Interim equitum turmæ fugêre, couinarij peditum ſe prælio miſcuere: & quanq́ recentem terrorem intulerant, denſis tamen hoſtium agminibus & inæqualibus locis hærebant: minimeq́ equeſtris ea pugnæ facies erat, cum in gradu ſtantes ſimul equorum corporibus impellerentur. ac ſæpe uagi currus, exterriti ſine rectoribus equi, ut quemq́ formido tulerat, tranſuerſos aut obuios incurſabant. Et Britanni qui adhuc pugnæ expertes ſumma collium inſederant, & paucitatem noſtrorū uacui ſpernebāt, digredi paulatim & circumire terga uincentium cœperant: ni idipſum ueritus Agricola quatuor equitum alas, ad ſubita belli retentas, uenientibus oppoſuiſſet, quantoq́ ferocius accurrerant tanto acrius pulſos in fugā diſieciſſet. Ita conſiliū Britannorum in ipſos uerſum. tranſuectæq́ præcepto ducis à fronte pugnantium alæ, auerſam hoſtiū aciem inuaſere. Tum uero patētibus locis grande & atrox ſpectaculū: ſequi, uulnerare, capere, atq́ eoſdem oblatis alijs trucidare. Iam

Couinarius

Prælium

dare.Iam hoſtium,prout cuiq; ingenium erat, cateruę armatorum paucio
ribus terga præſtare,quidā inermes ultro ruere,ac ſe morti offerre. Paſſim
arma,& corpora,& laceri artus, & cruenta humus . & aliquando etiam ui/
ctis ira uirtusq;:poſtquam ſiluis appropinquarūt,collecti, primos ſequen
tium incautos & locorū ignaros circumueniebant.Quod ni frequens ubi/
que Agricola,ualidas & expeditas cohortes indaginis modo, & ſicubi ar/
ctiora erant,partem equitū dimiſſis equis,ſimul rariores ſiluas equitē per/
ſultare iuſſiſſet,acceptum aliquod uulnus per nimiam fiduciam foret.Cæ/
terum ubi compoſitos firmis ordinibus ſequi rurſus uidere , in fugam uer/
ſi,non agminibus ut prius,nec alius alium reſpectantes, rari, & uitabundi
inuicem,longinqua atq; auia petiere.finis ſequendi nox & ſatietas fuit.cæ
Numerus oc/ciſorum ſa hoſtium ad decem milia . noſtrorum trecenti quadraginta cecidere , in
quis Aulus Atticus præfectus cohortis,iuuenili ardore & ferocia equi ho/
A.Atticus ſtibus illatus.Et nox quidē gaudio prædaq; læta uictoribus: Britanni pa/
lantes mixtoq; uirorum mulierumq; ploratu , trahere uulneratos, uocare
integros:deſerere domos , ac per iram ultro incendere : eligere latebras, &
ſtatim relinquere:miſcere inuicem conſilia aliqua,dein ſperare: aliquando
frangi aſpectu pignorum ſuorū, ſępius concitari.ſatiſq; conſtabat ſæuiſſe
quoſdam in coniuges ac liberos,tanq; miſererētur. Proximus dies faciem
uictoriæ latius aperuit.uaſtum ubiq; ſilentium,ſecreti colles. fumātia pro/
cul tecta, nemo exploratoribus obuius . quibus in omnē partem dimiſſis,
ubi incerta fugæ ueſtigia,neq; uſquā cōglobari hoſtes compertum, & ex/
Horeſti acta iam æſtate ſpargi bellum nequibat , in fines Horeſtorum exercitum
deducit.Ibi acceptis obſidibus,præfecto claſſis circūuehi Britanniam præ/
cepit.datæ ad id uires,& præceſſerat terror. ipſe peditem atq; equites len/
to itinere,quo nouarum gentium animi ipſa tranſitus mora terrerentur,in
Secunda tem/peſtas hybernis locauit.Et ſimul claſſis ſecūda tempeſtate ac fama Trutulenſem
Trutulenſis portus portū tenuit,unde proximo latere Britanniæ lecto omni redierat. Hunc
rerum curſum,quanq; nulla uerborū iactantia,epiſtolis Agricolæ actum,
Domitianus imperator ut Domitiano moris erat,fronte lætus,pectore anxius excepit.Inerat con/
ſciētia,deriſui fuiſſe nuper falſum è Germania triumphū,emptis per com/
Domitiani falſus è Germa/nia triūphus mercia , quorum habitus & crines in captiuorum ſpeciem formarentur:at
nunc ueram magnamq; uictoriā,tot millibus hoſtium cæſis,ingenti fama
celebrari . Id ſibi maxime formidoloſum , priuati hominis nomen ſupra
principis attolli:fruſtra ſtudia fori,& ciuilium artium decus in ſilentium a/
cta,ſi militarem gloriā alius occuparet : & cætera utcunq; facilius diſsimu/
Secretū Domitiani lari,ducis boni imperatoriā uirtutem eſſe:Talibus curis exercitus, quodq;
ſæuæ cogitationis indicium erat,ſecreto ſuo ſatiatus , optimum in præſen/
tia ſtatuit reponere odium , donec impetus famæ & fauor exercitus lan/
gueſceret.nam etiā tum Agricola Britanniā obtinebat. Igitur triumphalia
ornamenta,& illuſtris ſtatuæ honorem,& quicquid pro triumpho datur,

multo

multo uerborum honore cumulata, decerni in ſenatu iubet: addidítq; inſuper opinionem, Syriam prouinciam Agricolæ deſtinari, uacuã tum morte Atilij Rufi conſularis,& maioribus reſeruatã. Credidere pleriq; libertum ex ſecretioribus miniſterijs miſſum ad Agricolam, codicillos quibus ei Syria dabatur tuliſſe,cum præcepto,ut ſi in Britannia foret, traderētur: eumq́; libertũ in ipſo freto Oceani obuiũ Agricolæ,ne appellato quidem eo ad Domitianum remeaſſe: ſiue uerum iſtud, ſiue ex ingenio principis fictum ac cõpoſitum eſt.

Triumphalia ornamēta Agricolæ decernuntur

Tradiderat interim Agricola ſucceſſori ſuo prouinciam quietam tutamq́;. Ac ne notabilis celebritate & frequentia occurrentium introitus eſſet, uitato amicorũ officio, noctu in urbem, noctu in palatium,ita ut præceptũ erat,uenit: exceptusq́; breui oſculo & nullo ſermone,turbæ ſeruientium immixtus eſt.

Agricola uenit Romã ex Britannia

Cæterum ut militare nomen,graue inter otioſos,alijs uirtutibus temperaret,tranquillitatem atq; otium penitus auxit,cultu modicus,ſermone facilis,uno aut altero amicorum comitatus:adeo ut pleriq;,quibus magnos uiros per ambitionē æſtimare mos eſt,uiſo aſpectoq́; Agricola,quærerent famã,pauci interpretarentur.

Agricolæ reducis modeſtia

Crebro per eos dies apud Domitianũ abſens accuſatus,abſens abſolutus eſt. cauſa periculi non crimen ullum,aut querela læſi cuiuſquam, ſed infenſus uirtutibus princeps,& gloria uiri,ac peſſimũ inimicorũ genus, laudantes.

Apud malum principē, peſſimum inimicorum genus, qui laudant

Et ea inſecuta ſunt reipublicæ tempora, quæ ſileri Agricolam non ſinerēt: tot exercitus in Myſia Daciaq́;,& Germania Pannoniaq́;,temeritate aut per ignauiam ducum amiſſi: tot militares uiri cum tot cohortibus expugnati & capti.nec iam de limite imperij & ripa, ſed de hybernis legionum & poſſeſſione dubitatum. Ita cum damna damnis cõtinuarentur, atq; omnis annus funeribus & cladibus inſigniretur, poſcebatur ore uulgi dux Agricola:comparantibus cunctis uigorem,conſtantiam, & expertũ bellis animum,cum inertia & formidine eorũ.

Agricola dux poſcitur ore uulgi

Quibus ſermonibus ſatis conſtat Domitiani quoq; aures uerberatas, dum optimus quiſq; libertorũ amore & fide, peſſimi malignitate & liuore, pronum deterioribus principem extimulabant.

Liberti

Sic Agricola ſimul ſuis uirtutibus, ſimul uitijs aliorum,in ipſam gloriam præceps agebatur. Aderat iam annus quo Procõſulatum Aſiæ & Africæ ſortiretur, & occiſo Ciuica nuper, nec Agricolæ conſilium deerat,nec Domitiano exemplum. Acceſſere quidam cogitationum principis periti,qui iturus ne eſſet in prouinciam, ultro Agricolam interrogarent. ac primo occultius quietem & otium laudare, mox operam ſuam in approbanda excuſatione offerre: poſtremo non iam obſcuri, ſuadentes ſimul terrentesq́;, pertraxere ad Domitianũ. qui paratus ſimulatione, in arrogantiam compoſitus,& audijt preces excuſantis,& cum annuiſſet,agi ſibi gratias paſſus eſt:nec erubuit beneficij inuidia:

Proconſulatũ Aſiæ & Africæ remuit

ſalariũ tamen Proconſulari ſolitum offerri,& quibuſdã à ſeipſo cõceſſum, Agricolæ nõ dedit:ſiue offenſus nõ petitũ, ſiue ex cõſcientia, ne quod uetuerat uideret̃ emiſſe.

Salarium

Proprium

Domitianus Proprium humani ingenij eſt, odiſſe quem læſeris: Domitiani uero natu-ra præceps in iram, & quo obſcurior eo irreuocabilior, moderatione ta-men prudentiaq́; Agricolæ leniebatur: quia nõ contumacia, neq; inani ia-ctatione libertatis famam fatumq́; prouocabat. Sciant quibus moris illi-cita mirari, poſſe etiam ſub malis principibus magnos uiros eſſe: obſe-quiumq́; ac modeſtiã, ſi induſtria ac uigor adſint, eò laudis excedere, quò pleriq; per abrupta, ſed in nullũ rei poſt uſum, ambitioſa morte inclarue-runt. Finis uitæ eius nobis luctuoſus, amicis triſtis, extraneis etiã igno-tisq́; non ſine cura fuit. Vulgus quoq;, & hic aliud agens populus, & uen titauere ad domum, & per fora & circulos locuti ſunt: nec quiſquã audita

Agricola moritur morte Agricolę, aut lætatus eſt, aut ſtatim oblitus eſt. Augebat miſeratio nem conſtans rumor, ueneno interceptum. Nobis nihil comperti, affirma re auſim. cæterum per omnem ualitudinem eius, crebrius quàm ex more principatus per nuncios uiſentis, & libertorum primi, & medicorũ intimi uenere: ſiue cura illud, ſiue inquiſitio erat. Supremo quidem die mométa deficientis per diſpoſitos curſores nunciata conſtabat, nullo credente ſic accelerari, quæ triſtis audiret. Speciem tamen doloris animo uultuq́; præ ſe tulit, ſecurus iam odij, & qui facilius diſſimularet gaudiũ quàm metum.

Teſtamentũ Agricolæ Satis conſtabat lecto teſtimonio Agricolæ, quo cohæredẽ optimæ uxo-ri & pijſſimę filiæ Domitianũ ſcripſit, lætatũ eum, uelut honore iudicioq́;: tam cæca & corrupta mens aſſiduis adulationibus erat, ut neſciret à bono patre nõ ſcribi hæredem niſi malũ principẽ. Natus erat Agricola Caio Cæſare ter conſ. idibus Iunijs: exceſſit ſexto & quinquageſimo anno, deci-

Habitus corporis mo Kalend. Septẽbres Collega Priſcoq́; COSS. Quod ſi habitũ quoq; eius poſteri noſcere uelint, decentior quàm ſublimior fuit. nihil metus in uultu. gratia oris ſupererat. bonum uirũ facile crederes, magnum libenter. Et ipſe quidem, quanq́; medio in ſpacio integræ ætatis ereptus, quantum ad gloriam longiſſimũ æuum peregit. Quippe & uera bona, quæ in uirtu-tibus ſita ſunt, impleuerat, & Conſularibus ac Triumphalibus ornamen-tis prædito, quid aliud adſtruere fortuna poterat? Opibus nimijs nõ gau debat, ſpecioſæ contigerant. filia atque uxore ſuperſtitibus, poteſt uideri etiam beatus incolumi dignitate, florẽte fama, ſaluis affinitatibus & ami-citijs futura effugiſſe. Nã ſicuti durare in hac beatiſſimi ſeculi luce, ac prin-cipem Traianum uidere, augurio uotisq́; apud noſtras aures ominaba-tur: ita feſtinatæ mortis grande ſolatium tulit, euaſiſſe poſtremũ illud tem pus, quo Domitianus non iam per interualla ac ſpiramenta temporum, ſed continuo & uelut uno ictu rempublicam exhauſit. Non uidit Agri-cola obſeſſam Curiam, & clauſum armis ſenatum, & eadem ſtrage tot Conſularium cædes, tot nobiliſſimarum fœminarum exilia & fugas. Vna adhuc uictoria Carus Metius cenſebatur, & intra Albanam uil-lam ſententia Meſſalini ſtrepebat, & Maſſa Bebius iam tum reus erat.

Mox

Mox noſtræ duxere Heluidium in carcerem manus. Nos Maurici, Ruſticiq́ uiſus, nos innocenti ſanguine Senecio perfudit. Nero tamen ſubtraxit oculos, iuſſitq́ ſcelera, non ſpectauit. præcipua ſub Domitiano miſeriarum pars erat, uidere & aſpici: cum ſuſpiria noſtra ſubſcriberentur: cum denotandis tot hominum palloribus ſufficeret ſæuus ille uultus & rubor, à quo ſe contra pudorem muniebat. Tu uero felix Agricola non uitæ tantum claritate, ſed etiã opportunitate mortis. ut perhibent qui interfuerunt nouiſſimis ſermonibus tuis, conſtans & libens fatum excepiſti, tanquam pro uirili portione innocentiam principi donares. Sed mihi filiæ que præter acerbitatem parentis erepti auget mœſtitiam, quod aſſidere ualitudini, fouere deficientem, ſatiari uultu, complexu, non contigit. excepiſſem certe mandata uocesq́, quas penitus animo figeremus. noſter hic dolor noſtrum uulnus. nobis tam longæ abſentiæ conditione ante quadriennium amiſſus es. Omnia ſine dubio, optima parentum aſſidente amantiſſima uxore, ſuperfuere honori tuo. paucioribus tamen lachrymis compoſitus es, & nouiſſima in luce deſiderauere aliquid oculi tui. Si quis piorum manibus locus, ſi ut ſapientibus placet, non cum corpore extinguuntur magnæ animæ, placidè quieſcas, nosq́ domum tuam ab infirmo deſiderio, & muliebribus lamentis ad contemplationem uirtutũ tuarum uoces, quas neq́ lugeri, neq́ plangi fas eſt: admiratione te potius temporalibus laudibus, & ſi natura ſuppeditet, militum decoramus. Is uerus honos, ea cõiunctiſſimi cuiuſq́ pietas. Id filiæ quoq́ uxoriq́ præceperim, ſic patris, ſic mariti memoriam uenerari, ut omnia facta dictaq́ eius ſecum reuoluant, famamq́ ac figuram animi magis quàm corporis complectantur: non quia intercedendum putem imaginibus quæ marmore aut ære finguntur, ſed ut uultus hominum, ita ſimulachra uultus imbecilla ac mortalia ſunt, forma mentis æterna, quã tenere & exprimere non per alienam materiã & artem, ſed tuis ipſe moribus poſſis. Quicquid ex Agricola amauimus, quicquid mirati ſumus, manet manſurũq́ eſt in animis hominũ, in æternitate temporũ, fama rerum. Nam multos ueterũ uelut inglorios & ignobiles obliuio obruet, Agricola poſteritati narratus & traditus, ſuperſtes erit.

Domitiani rubor

Pro uirili portione

Iulia Procilla

CN. IVLII AGRICOLAE VITAE, PER P. CORNELIVM TACITVM EQ. RO. COMPOSITAE, FINIS.

ANDREAS ALCIATVS IVRISCONS.

GALEACIO VICECOMITI V. C. ET EQ. S. P. D.

Hiſtoria

MAXIMA ſemper apud ueteres fuit hiſtoriæ au/
ctoritas,eoq; omnibus tēporibus in honore ha/
bita,ut cum plurima uariarū rerum ſtudia & qui
dem nobiliſſima haberētur, rerum tamen geſta
rum ſcriptores ſemper primas partes ſibi uendi/
carent.Proſit corporibus medicina,publicè inter
ſit plurimos eſſe iuriſcōſultos, ſummo ſe in faſti
gio poſitos credant philoſophi, de gradu deijci
non ſinat ſe militaris gloria,cedūt hæc tamen ceſſereq; omnia hiſtoriæ au
ctoribus. cumq; nulla nō artiū aliquo tempore male audiuerit,ſolā hanc
profeſſionem extra alcam eſſe, ſemper exiſtimatum eſt. Eiecti urbe Ro/
Philoſophi ma pluries philoſophi & rhetores fuere,ſenatuſconſultis quoq; diffamati
Rhetores mathematici,nec medici niſi poſt ſexcenteſimum & eo amplius annū con
Mathematici ditæ urbis admiſſi,cum tamen interim Gn.Piſo, Fab.Pictor, cæteriq; an/
Medici nalium ſcriptores,ſummam dignitatem nanciſcerentur. Si enim id genus
profeſſores cur tantopere ſuis ſtudijs incumbant, diligenter animaduerte
rimus, non aliud certe cauſæ erit, quàm pecuniæ cupiditas. quid enim æs
medicis parat, niſi abominatiōe digniſſimus morbus, maliq; aliqua lues?
Quid militibus,niſi humani generis diſcordia,rapacitasq;? quid aliud no
ſtrorum temporum philoſophia reſpicit? at ſola gloriæ cupiditate ſcribi/
tur hiſtoria,non mercenario obnoxia ſtipendio,ſed quæ ſola ſibi ipſi pul/
cherrimum præmium ſit.Hinc non à uiliſſimo quoq; tentata, ſed in prin/
cipum ferè & illuſtrium uirorum exercitamentis fuit. ut Cæſarem Augu/
Principes & uiri illuſtres hiſtoria ſcri bēda ſe exer cuerunt ſtumq; mittamus,Claudiæ gentis imperatores uel à ſe,uel à potentiſſimis
quondam populis geſtas res,cōmentarijs ſuis cōponere minime dedigna
ti ſunt. patrum quoq; noſtrorū memoria Turcarū regis frater Zyzymus
gentis ſuæ fortia facta, tametſi exul & maximis oppreſſus curis, comple/
Zyzymus Turca xus eſt:exemplo fortaſſe Thucydidis exiſtimauit, qui magnorum exerci
tuū ductor relegatus eſſet,fore ut hiſtoriæ ſcriptor reuocaret. Sicut enim
militaris ars plerunq; ſuis legionibus tribuniſq; pernicioſa eſt, quæ uideli
cet lubrico fortunæ ictui ſubiaceat:ita omnibus utilis hiſtoria firmiſſimo
pedamento nititur:quippe quæ omnia moralibus in diſciplinis à pruden/
tioribus diſputata ante oculos proponit,& quæ ſimplici ammonitione ab
illis ſint tradita,facta eſſe exemplis docet, ut quanto magis humanā men
Hiſtoria philoſophiā præcellit tem exempla præceptis mouent,tanto philoſophiæ ipſa præcellat.Explo
ratiſſimū id habuere ueteres. quapropter non alia ratione Saturnum co/
lentes,in templorum eius ianuis Tritonū imagunculas ſtatuebant, quàm
Tritōes in ianuis tēplorū ut ab eo cepiſſe hiſtoriam, æternitatemq; illis debere deos oſtenderent,
quorum

quorum præconio fuiſſent celebrati: ut merito non parum Plinij Secundi ſententiam damnãdam opiner, potiorem hiſtoria Aſtronomiæ curam exiſtimantis, cũ puræ putæ ea ſit ſuperſtitionis ars, incertaq́ꝫ, & plerunqꝫ falſa, quæ ſolis curioſorũ auribus feliciter excipiatur, cum cõtra bonorum ingentibus præmijs, legũ in ſceleſtos digna ſeueritate, bene beateq́ꝫ uiuẽdi exemplis, hiſtoriæ lectione admoneamur. quæ ſola profecto certiſsima philoſophia uidetur nobis eſſe. Adde quod etiã tantũ ex ſe iucunda eſt, lectoriſq́ꝫ gratiam ſic aucupatur, ut quoquo modo ſcripta ſit, lectio eius plurimum delectet. & ſicut facta dictis priora ſunt, ita res ipſas ſumma auiditate ut plurimum percurrimus, uerborumq́ꝫ & ſtructuræ rationem in poſtremis ducendam arbitramur. Qua propter qui ornatiſsimis uerbis diſsidentes ueritati res proſequuti ſunt, ſophiſtarum infami nomine dignos tantũ dijudico. quorũ nemini non celebratus Herodotus, quem hiſtoriæ, ſi dijs placet, parentẽ uocant, princeps eſt. Sequitur Diodorus, Philinus, Ariſtides, alijq́ꝫ plures, in quibus ueritatem deſideres, elegantiam dicendi nõ requiras. Grauiores Latini ſunt, magiſq́ꝫ ſynceri animi. idq́ꝫ potiſsimũ in eis deprendas, quo politiore ſtilo maioreq́ꝫ doctrina ſunt, eo etiam ueriora prodidiſſe. quod omnium conſenſus oſtẽdit, eaſdẽ res poſteris tradentiũ. Qua tamen in re ut cæterorum laudi detrahere nihil auſim, ita Corneliũ Tacitum nulli cedere conſtãter affirmauero. Nõ probet in Liuio Patauinitatem Aſinius, exprobret Criſpo mendicata de antiquarijs uocabula Lenæus, defendat Iulij Cæſaris breuitatem titulus operis, notẽt incuriæ Trogum, eiuſdemq́ꝫ ſemper coloris Q. Curtium critici, Tacito certe nihil horũ ſine cauillo obiceris. certat ſermonis grauitas cum elegantia, mauultq́ꝫ aliqua animo lectoris cogitanda relinquere, quàm longis eum narrationibus oneratum dimittere. qua ratione fit, ut tametſi delicatioris ſtomachi lectorem, eius nunq́ꝫ ſatietas capiat, cum huiuſmodi uiris etiam lactea Liuij ubertas plerunqꝫ faſtidio ſit: ut ſicut illi nõ niſi ineptè aliquid addideris, ita huic nõ niſi temere quicq́ꝫ detraxeris. Sed grauior Tacitus, inflaturq́ꝫ magis, ſiue quod rerum dignitas hoc expoſtulet, ſiue quod ſub Veſpaſianis id dicẽdi genus magis placuerit. At Liuio Criſpoq́ꝫ uti ætate maioribus, ita etiam dignatione cedere Tacitum ut æquum ducam, illud certe recti iudicij nemo diffitebitur, longe lectu digniora eſſe, quæ hic ſcripſerit. Bella, tribunitiæ ſeditiones, armorum ſtrepitus, optimatum conſpirationes, minimum ad bonos mores exemplo conducunt, quamuis & hæc quoqꝫ Tacitus exequatur: at ſenatorum uarias ſententias, ingentes quorundam etiam inſtante fato ſpiritus, rerum geſtarum conſilia, principum uarios motus, & pacis tempore neceſſarias artes apud alios nõ æquè offendas. Sed & nobis præ Tacito ſordeſcet Liuius, cum ille clarorum uirorum exemplo plurimis nos præceptis inſtructos dimittit, quemadmodũ in caput autorum ſcelera uertãtur, quantum nominis ex conſtantia animiq́ꝫ fortitudine nobis quæramus, quam caute

Aſtronomia

Sophiſtæ ĩter rhetoricos

Latini

Cor. Tacitus

Vtilis Taciti lectio

cum malis principibus agendum, quàm modeſtos cum omnibus eſſe con-
ueniat: niſi magis mortalibus prodeſſe longas prodigiorũ narrationes ali-
quis credat, procurataq; à Pontificibus portenta, tum fuſius explicatos an-
nuos magiſtratus, quorum nomenclatura uel diem dicendo eximere quis
poſſet. Eò temeritatis progredi nequaq; auſim, tantũ uirũ uel in leuiſsima
re ut damnare uelim. Sed cum utrunq; ſummopere & probem & admirer,
P. An. Taci- alterius tamen in delectu iudicium præpono. Merito igitur tanti à P. An-
tus Auguſtus nio Tacito imperatore habitus eſt, ut eius effigiẽ omnibus in bibliothecis
poni edicto mandauerit, libroſq; tanta cura adſeruari, ut ſingulis annis de-
curiones ciuitatum eius hiſtoriã deſcribendam nouis exemplaribus curare
iuſsi ſint, in publiciſq; archiuis ſeruare, ne aliquo unq; tempore deperiret.
Quanq; tantũ boni inuidentibus humano generi fatis, magna quoq; pars
etiamnum deſideretur, eſſetq; adhuc ἀκέφαλος TACITVS, niſi Chri-
ſtiani orbis Max. Põtifex Leo X. priores quinq; libros de barbaris redem
ptos, poſtliminio ut tandẽ reuerterẽtur effeciſſet. quo nomine tantũ illi ſtu
dioſi omnes debent, quantum parenti eius Laurentio bonæ literæ, qui eas
ferè ſolus in Italia à cæteris deſertas curauit, ſuſtinuit, tutatus eſt. Cæterum
& quamuis à doctiſsimis uiris emẽdata uolumina in lucem uenerant, ſub-
terfugerunt tamen eorum limam errata quædã, quæ accuratum lectorem
merito poſſent remorari. Erant & aliqua quæ tametſi caſtigatione nõ indi
gerent, propria tamen obſcuritate ſtudioſis incognita, operã noſtram deſi
Galeacius derare potuiſſent. Ea omnia ut tibi doctiſsime nobiliſſimeq; eques Galeaci
Vicecomes morem gererem, in arctiſsimũ libellum collecta, ad te eo animo deſtinaui,
ut mei erga te amoris perpetuũ monumentum eſſent: cum enim affinitate
iungamur, cum & Græcis Latiniſq; literis pari cura operã dederimus, cũ &
tu mihi ſtudiorũ hortator impulſorq; extiteris, ingratiſsimus certe eſſem,
niſi ſingulari te quodam amore proſequerer. qua ratione etiam de me im-
petrare id potes, ut ſupra uires nihil non aggredi te auriga moderatoreq;
non dubitem. Quamuis enim noui exempli eſſe penes noſtrates uiros co-
gnoſcerem, ut iuriſconſultus etiam hiſtoricos pertractaret, tua tamen auto
ritas præualuit, præſertim quod in hoc ueteres me imitaturum tu quoque
aſſerebas, quorum Modeſtinus etiam periochen in Virgilium compo-
ſuit, idemq; Græce diſertauit. Antiſtius quoque Labeo non iuris ſcientiæ
ſolum, ſed & alijs ſtudijs tantum operæ dedit, ut in eis etiam peritiſsimus
haberetur: quo in albo & Seruium Sulpitium oratorem celeberrimum
eruditi omnes ponunt, Iabolenumq;, quorum reſponſis ceu gemmulis Di
geſtorum libri creberrime reſperguntur. Iure igitur clientibus horulas pau
cas ſubtraxi, ſucciſiuiſq; temporibus quantum per frequentes aduocatio-
num occupationes licuit, in amœna hæc Taciti uireta diuerti, tum animi
cauſa, tum ut id quantulumcunq; officij eſt, eius memoriæ impenderem,
quo clarior, intellectuq; facilior per docta hominum ora uolitaret. Qua

in re ſi tibi ſatisfacio, ſummum deſiderij mei fructum fero: ſin minus, quod túte intriſti, tibi, ut in prouerbio, exedundum eſt, qui me ad intermiſſa grauioribus negotijs ſtudia pauliſper regredi coegiſti, in quibus id potuerim, quod canis in balneo. Vale.

EX LIBRO PRIMO.

Legata non ultra ciuilem modum, niſi quod populo & plebi ccccLxxxv) Præſcriptos hoſce numeros Tranquillus quadringenties item tricies quinquies ſignificare oſtendit. Subaudiuntur autē ex conſuetudine loquendi cētena millia, quod infra ex Liuio demonſtraturus ſum. Extant adhuc argentea numiſmata cum denarij nota x. quorum octo unam unciam pendunt, ut inde cōſtet noſtris aſsibus nouem ualuiſſe denariū, hincq; nummi quoq; ualorem cognoſcamus, quorum quatuor denarius complectitur. idem autem eſt nummus quod ſeſtertius æris. at mille nummis argenti ſeſtertium neutro genere æſtimatur: qua ratione uiginti quinq; coronatos noſtros æquabit. Igitur quadringenties cētena millia nummorū, quadringētíes centena ſeſtertiorū argenteorum ſunt, hoc eſt monetæ noſtræ coronatorū decies centena millia, quibus ſi addas tricies quinquies, hoc eſt, octagies ſepties millies coronatorum cum quingentis, totum legatum quod Tacitus coniunctim, Tranquillus ſeparatim retulit, cōfeceris: & cum tribus po. Ro. xxxv. eſſent ſequitur centena ſeſtertia unicuiq; legata. Nummus

Denis in diem aſsibus animam & corpus æſtimari) Oſtendit hic locus denarium decem aſſes æris eſſe, quod diurnum ſtipēdium erat militi. quam ſummam etiam Germani pedites in præſentiarum accipiunt, treis uidelicet coronatos ſingulis menſibus, hoc eſt, imperatorias libras xiij. aſſes x.

Germanicus agendo Galliarum cenſui intentus.) Quæ regiones ius ciuitatis Romanæ non habebant grauioribus tributis uexabātur. cenſuali enim lege profiteri cogebātur, quot capita eſſent in qualibet familia, quot iugera terræ, quot ſeruos quis haberet. ſed & de lacubus piſcatorijs cenſus ſoluendus erat Vlpiano Pauloq; iureconſ. Vt hic ſimpliciter accipiendus non ſit cenſus, cum numerus ciuium defertur, unde agnoſci poſsit qui militiæ nomina dare debeāt. Hinc cenſiti, & cenſitores dicti. Cenſus Cenſiti Cēſitores

Dum Mecœnati obtemperat effuſo in amorē Batylli.) Fuiſſe hūc hiſtrionem oſtendit quoque Iuuen. molli ſaltante Batyllo. Horatius à Mecœnate dilectum quoque, eſt autor, dum ad Anacreontis puerum cui ſtatuam erexit Polycrates Samius etiam Apuleio id prodente, uidetur alluſiſſe: Batyllus

Non aliter Samio dicunt arſiſſe Batyllo
Anacreonta Teium. ſubſeqturq; ad Mecœnatem ſcribēs: ureris ipſe miſer.

Tranq. autor eſt Auguſtum pro ſtulto Baceolum dixiſſe. ipſe Bacelum probo, quod βάκηλος eunuchus fuerit procerus quidem ſtatura, ſed inſipiēs, ut in prouerbium ceſſerit Suidæ. ſed & Batalus odioſus quidam alius & turpis eodem autore fuit. de quo alij multa: hinc Verg. Batale cygnæas repetamus carmine uoces. Quas dictiones hic congeſsi, ut Acronis, Porphyrioniſq; in Horat. Sabellici in Tranq. incuriam detegerem. Bacelus Batalus

Aquilæ figi limoſa humo nō poterāt.) Dion loculum paruū eſſe tradit, in quo aquila aurea collocetur: cum longiſsimo conto præfixum in exercitu à ſigniferis geſtari: qui ut facilius impingi terræ poſsit, in acutam cuſpidem deſinere.

Orantibus Florentinis ne Clanis ſolito alueo &c.) Feſulam quam φαισύλην Theon appellat, ex Hyadibus unam Feſulæ ciuitati nomen dediſſe recētiores ſcripſere. ea à Gothis diruta, conceſsiſſe ciues in proximam planiciem, & urbem habuiſſe quæ à flore ſibi Caroli Magni munificentia pro inſignijs donato, nomen Florentia

 Florentiæ

Florentiæ ſumpſerit. quæ falſa eſſe nedũ hic Taciti locus, ſed & alij autores oſtendunt. Procopius à Totylla nõ potuiſſe expugnari autor eſt. Sed & in fragmentis Frontini de colonijs ita legitur: C. Cæſ. & Ant. & Lepid. IIIVIR. colonia Florentina deducta à III Viris. adſignata L. Iulia centuriæ Cæſarianæ in iugera cc. per cardines & decumanos, termini rotundi pedales diſtant à ſe in pedes cccc. Meminit & Ptolemæus, ut dubio procul antiquã nobilemq; coloniã extitiſſe credendũ ſit, Francorũ beneficio minime conditã. celebrat eã et Plin. 14. cap. 3. & in ſcholijs Græcis φλωρεντία. quapropter heleboro indigere arbitror qui fluentiã dicunt.

Florentia

EX LIBRO SECVNDO

Vigiliæ noctis quatuor

Tertia fermè uigilia inſultatum eſt caſtris.) Hoc eſt, à 6. hora noctis. Suidas in dictione προφυλακή, quatuor eſſe uigilias ſeu φυλακὰς tradit in nocte, quarũ unaquæq; treis horas habet. de his Verg. & noctem cuſtodia ducit.

Serica ueſtis

Ne ueſtis ſerica uiros fœdaret.) Maximi precij fuiſſe hanc ueſtem illud argumento eſt, quod Alexan. imp. nunq̃ holoſericam induit. Procopius ex Indis Romanos mercatores ſericum emere ſolitos tradit, unde ueſtis conficiatur, quæ olim Medica dicebatur. Celebratur & à Paulo iuriſconſulto νῆμα σηρικὸν tanquam Indica ſpecies. Arcadij principis cõſtitutione ſericobaptæ uſus priuatis hominibus prohibitus eſt, ut ferè ſuſpicer ſericas ueſtes non eſſe quibus uulgo utimur.

Medica

Libero Liberæq; & Cereri ædes dedicauit.) Pro Libera Proſerpinam accipiendam arbitror. Diodorus in iiij. autor eſt, ex Ioue Cererem, Liberum genuiſſe. in antiquis ſpectationibus legitur huiuſmodi epitaphium,

FAB. ACCONIAE PAVLINAE CF. ACONII CATVLINI V. C. EX PRAEF. CONSVL. ORD. VXORI VECTI PRAETEXTATI. V. C. PRAEF. ET CONS. DES. SACRATAE APVD ELEVSINAM DEO BACCHO CERERI ET CORAE SACRATAE APVD LAERNAM DEO LIBERO CERERI ET CORAE SACRATAE APVD AEGINAM DEABVS TAVROBOLIAE ET HIEROPHANTRIAE.

Coronati compotabant.

In cõuiuio coronæ aureæ magno põdere &c.) Solebãt antiqui in cõpotationibus coronas geſtare, ut eſt apud Ariſtophanem in Equitib. ubi poeta ὥσπερ (ait) κοννᾶς, στέφανον μὲν ἔχων, δίψῃ δ' ἀπολωλώς. inuehitur eñ in Cratinum tanq̃ ebrium & inſaniẽtẽ. meminit & Diogenianus, unde Plauti carmẽ in Pſeud. Quid ego ui deo: cũ corona ebriũ Pſeudolũ tuũ. mentio eſt etiã Athenæo, & alijs autoribus.

Dextræ

Et cupere renouari dextras.) Tacitus xviij. oſtendit dextras concordiæ ſigna ultro citroq; deſtinari ab exercitibus ſolitas.

Rampſes

Rampſen Aegyptiorum regem.) Fuiſſe hunc in ordine 18. Hieronymus & Euſebius autores ſunt. cæterum regum illius regionis inenarrabilem ferè opulẽtiam eo coniectari eſt, quod Suidas tradit, iccirco memoratu dignum, quoniam Chriſtianę ueritatis dogma ſummopere adiuuat. fuiſſe enim Aegypti regem Thulem (corrupte Thuris legitur apud Euſebium) qui uſq; ad Oceanum dominatus ſit nomenq; inſulæ Thyle dederit. hic cum Serapidis oraculũ adiuiſſet, inter cætera rogauit num quiſq̃ eſſet, uel futurus foret ſe potentior, cui reſpondit oraculum,

πρῶτα θεός, μετέπειτα λόγος καὶ πνεῦμα σὺν αὐτοῖς.
σύμφυτα δὲ τρία, πάντα καὶ εἰς ἓν ἰόντα,
Eſt deus in primis mox uerbum & ſpiritus ipſe:
Iuncta ſimul tria ſunt, ſed conuenientia in unum.

Dominus

Acerbe increpuit Tiberius eos qui ipſum dominum dixerant.) Tametſi appellatio hæc priſcis temporibus uti nimis ſuperba, principibus non adderetur, ſuadente tamen fœda adulatione tandem quoq; recepta, mox etiam in priuatos tranſijt. notum eſt illud Martialis: Edictum domini deiq; noſtri, & Plinij in epiſt. ad Traianum, uocem hanc identidem ingerentis. Sed & Seneca ad Lucil. quomodo

obuios

obuios ſi nomen non ſuccurrit, dominos ſalutamus. Mart. quoque rurſus.

Cum te non noſſem, dominum regemq; uocabam.

Sed nemo certe felicius, nemo elegantius Græco poeta Pallada, hoc tetraſticho,

ἢν ὁ φίλος τι λάβῃ, δόμινε φράτερ εὐθὺς ἔγραψεν.
  ἢν δ' ἂν μή τι λάβῃ, τὸ φράτερ εἶπε μόνον.
ὤνια γὰρ καὶ ταῦτα τὰ ῥήματα, αὐτὰρ ἔγωγε
  οὐκ ἐθέλω δόμινε, οὐ γὰρ ἔχω δόμεναι.

Negat poeta uelle ſe dominum ſalutari, quia non habet quod det aſſentatori hoc modo eum ſalutanti. Ludit autem ſimilitudine nominis δόμινε & δόμεναι.

Atq; illo prætendente ſexaginta dies ad cõſultandũ datos &c.) Crimen adulterij ex lege Iulia publici iudicij eſt. expectantur autẽ ſexaginta dies, quibus maritus in accuſatione præfertur. qui ſi interim neglexerit, adulteræ pater admittitur, hinc alij, iuriſconſultis auctoribus. maritus autẽ qui matrimonium ſuum ita contemnit, ut adulteram uxorem non accuſet, lege Iul. tenetur Vlpiano.

EX LIBRO TERTIO.

Poſt lex Papia Poppæa, quam ſenior Auguſt. incitandis cœlibum pœnis & augendo ærario ſanxerat.) Plura ſunt capita legis Papiæ. inter cætera uno cauebatur, ut qui coniuges, filios non haberẽt, quod alter alteri legaſſet decuma parte fiſco applicaretur. Hinc apud Iuuenalem. Iura parentis habes, propter me ſcriberis hæres, legatum omne capis. debere enim ſibi maritum adulter ait, quod filios ſuo beneficio de uxore gignat. quam ob rem totum legatum aſſequitur, quod alioquin ex lege Papia decima parte fiſcus accepiſſet: ut mira ſit in illud carmen *Lex Papia* ſex interpretum negligentia. Reſcriptum autem deinde eſt à diuis Caſſ. Arcadio & Honorio in hæc uerba, Inter uirum & uxorem rationem ceſſare ex lege Papia decimarum, & quamuis non interueniant liberi, ex ſuis quoq; eos ſolidũ capere teſtamentis (niſi fortaſſe lex alia minuerit derelicta) decernimus. tantum igitur poſt hæc maritus uel uxor ſibi inuicem derelinquant quantũ ſuperſtitis amor exegerit. eſt autem hæc lex, titulo de infirmandis pœnis cœlibatus. qui locus Diſpunctionum libro 3. à nobis planè diffuſiore tractatu explicatus eſt.

Vti Dianæ Leucophryene perfugium inuiolabile foret.) Fuiſſe huius deæ *Leucophryene* hoc cognomento aram Athenis quoq; auctor eſt Pauſanias, cui à Themiſtoclis filijs dedicata ſtatua fuerit. ſed fani quod in Magnetibus ſit pulchritudinem amplitudinemq; Strabo in xiiij. exequitur.

EX LIBRO QVARTO

Nam patritios confarreatis parẽtibus genitos.) Legitima matrimonia ab an- *Confarreati* tiquis ita celebrabantur, ut farreum libum communicarẽt, & deguſtarent. Feſtus & Boethius auctores. Apuleius quoq;, talis, inquit, mulieris publicitus matrimonium confarreaturus. meminit & Dionyſius Halicarnaſeus.

Celium appellitatum à Cele Vibenna &c.) Querquetulanam portã à querquetis dictam, etiam Feſtus ſcribit. cæterum hic locus ſic fortaſſe emendabitur. *Cælius* Cælium appellitatum à Cœle Vibenna, qui dux gentis Etruſcæ cum auxiliũ aduerſus Sabinos præbuiſſet, ſedem eam acceperat à Tarquinio. cum Sabinis enim tunc belligeratum Feſtus quoq; ſcribit, & Dionyſius.

Cæſar ſolennia incipientis anni Kal. Ianua. epiſtola precatus.) Caius de uerborum ſignificatione poſt diem, inquit, tertium Kal. Ianuariarum uota pro ſalute principis ſuſcipiuntur. meminit huius rei & Plin. Cæcil. ad Traianum.

EX LIBRO QVINTO

Sacrificantibus cũ hic more Romano ſuouetaurilia daret.) Corruptus locus eſt, ut reponendum ſuſpicer Solitaurilia. Sunt hæc ſacrificia quibus tres diuerſæ *Solitaurilia* hoſtiæ imolantur, taurus, aries, uerres. Sic dicta, quod integri corporis hæc anima

lia ſint. Solum Oſca lingua totum ſignificat. Feſtus, hinc ſolopychium Catullo. erunt fortaſſe quibus nihil immutandum uidebitur, ut uox ſit compoſita à ſue, oue & tauro. ſed certe nimis inſolens eſt compoſitio.

EX LIBRO XI.

Præuaricator Cognita præuaricatione.) Præuaricator dicitur qui cum reo colludit. Marcellus ad S.C. Turpil. Accuſatorum, inquit, temeritas tribus modis detegitur. aut enim calumniantur, aut præuaricãtur, aut tergiuerſantur. calumniari eſt falſa crimina intendere. præuaricari eſt uera crimina abſcõdere. tergiuerſatur qui in uniuerſum ab accuſatione deſiſtit. *Calumniari* *Præuaricari* *Tergiuerſari*

CCCC. nummorum millibus.) Hæc ſumma noſtro ære decem millibus ducatorum ualet, quandoquidem illud conſtat, mille nummis ſeſtertium argenti æſtimari, eſſe autem ſeſtertium libras duas & ſemiſſem, hoc eſt uncias argenti xxx. quæ plus minus XXV. noſtros coronatos æquant precio.

Lex Titia Legem Titiã flagitant.) Hac lege tenebãtur aduocati qui mercenariã clientibus operã prſtabant. inuehitur Auſonius in mollitiem iuriſconſulti, eumq; deridet, quod legẽ Titiam non metueret. quod enim indoctus erat nihil lucrabatur.

Vſq; ad dena ſeſtertia.) Iuriſcõſulti tradũt licere aduocato in ſingulas cauſas pro honorario centũ aureos accipere. hanc ſummã eandem cum H-S x. arbitror, cũ centeni nummi aureo penſentur, & decẽ ſeſtertia decẽ millibus nummorũ ſeſtertiorum ualeant. qua æſtimatione cõſequens eſt æſtimari aureũ antiquũ undecim libris, aſſibus quinq; noſtris, hoc eſt, duobus ducatis coronatis cum dimidio.

Præfecturæ Proximas præfecturas corripiat.) Varia huiuſce dictionis eſt ſignificatio. Agennius Vrbicus libro de controuerſijs agrorum, præfecturas eos agros dici auctor eſt, qui cũ alterius iuriſdictionis eſſent, principis placito alicui ciuitati aſcribuntur. Sunt & præfecturæ dictæ, munia præfectorum. Auſonius. Præfecturarum titulo tenuere ſecũdo. Sunt enim quatuor dignitatum in iure ciuili ordines, illuſtres, ſpectabiles, clariſſimi, perfectiſſimi. ex his prfecti ſunt ſpectabiles. ut merito dictum ſit, ſecundum his titulum dari. Sed & non abſimili ſignificatione in Aſſyrijs & Medis præfecturæ erãt. ſic em̃ uertit Plin. quas Græci νόμους, Herodotus etiã σατραπείας appellauit, ut Lau. Valla infeliciſsime portiones trãſtulerit. *Illuſtres* *Spectabiles* *Clariſsimi* *Perfectiſsimi*

Curt. Rufus De origine Curtij Rufi.) Sunt qui opinentur hiſtoriã rerũ ab Alex. geſtarum huius eſſe, qui uulgo Q. Curtius citet, defendũtq; indepreſo teſtimonio, obſeruaſſe ſcilicet in antiquis codicibus. ipſe Angleriæ apud Verbanũ, arã marmoreã pluribus ſignis illuſtrẽ uidi, cũ titulo Q. Curtij ſextumuiri, à quo fuiſſet dedicata.

EX LIBRO XII.

Nomen Rogata lex qua in familiam Claudiã & nomen Neronis tranſiret.) Eum adoptionis morẽ attingit, quæ per arrogationẽ fiebat. de qua etiã Gellius. Cæterũ & nomen hic pro gentili familia accipitur. Cintius, & Cic. in Topicis, gentiles, inquit, mihi ſunt qui eodẽ nomine uocãtur. Val. Max. auctor eſt à Q. Metello eiuſdem nominis uiros exhæredatos, hoc eſt, agnatos, gentilesq; ſuos: ut inde exiſtimem, in tribus Ro. nominibus, ut C. Iulius Cæſar, nomẽ Iulij familiã ſignificare. quo exemplo mihi nomen erit Alciatus, Andreas magis cognomini quadrabit, quàm prænomini, licet nemo non contrarium opinaretur. Sed aliâs latius.

Vectigales agri Prædationibus & uectigalibus auxerat.) Non hic accipienda arbitror tributa quæ ob res urbi inuectas, euectasue ſoluuntur, ſed potius agros uectigales intelligendum. Scribit Iulius Fronto in opuſculo de limitibus agrorum, ſolitos ueteres quos agros de hoſtibus capiebãt, alios ueteranis in præmia aſſignare: in alios colonias deducere: quoſdam mancipibus in longum tempus locare ut annuam aliquã mercedem principi darent: hos uectigales dici. Auxerat igitur his regnum Vannius, non tributis aut portorijs, quibus Germanos nunq; atteri potuiſſe, au-

ctorum

ctorum cōſenſu traditur. in hoc ſenſu uectigaliū mentio eſt etiam iuriſconſultis.

Sycambri
Geldrenſes

Sycambri traiecti in Gallias fuere,) In Menapijs conſediſſe, ex auctorum lectione deprendi, ut hi ſint qui nunc Geldrenſes quaſi Galli rhenenſes uocantur, Nimagum Venloemq; pagos habent, & Vahalem Rheni attingunt.

Cæſares
Imperatores
Augusti

Agrippinam imperatore genitā, ſororē & matrē & coniugē eius qui rerū potitus ſit &c.) Si imperatorē quales erant ante occupatā remp. accipiamus, nō ita magnū erit exemplū: ſi pro principe, falſum: quādoquidē Germanicus Agrippinæ pater dominationē nunq; aſſumpſerit. Igitur ſciendū inter Cæſares & imperatores & Auguſtos multū interfuiſſe. Cæſares dicti qui Auguſtæ maieſtatis hæredes deſignati eſſent, adminiſtratione rerū illis interdicta, niſi aliquā fortaſſe prouinciā Auguſti iuſſu adminiſtrādā haberēt. hinc nulla eis donatiui militibus dandi facultas erat. in comitatu eos ſolū habebāt, quos princeps tribuiſſet. Paulo maior imperatoris dignitas, qui licet infra Auguſti faſtigium poſitus, eiusq; arbitrio bella gereret, ſummā tamen poteſtatē in magiſtratus inq; milites habebat, iusq; illi indicēdi belli erat. ſolo itaq; imperatoris nomine decoratus fuit Germanicus. Sicut à Galba Piſo Cæſar ſolū nuncupatus eſt. Cæſarū imperatorumq; creandi poteſtas militibus conceſſa. primum Maximinū poſthabita ſenatus auctoritate milites Auguſtum fecere. Hæc ex Amiano, Lampridio, & conſtitutionibus.

Refertur de pœna fœminarū quę ſeruis cōiungerentur.) Senatuſconſultum hoc Claudianum in iure appellatur, cuius quoq; mentio in inſtitutionibus.

EX LIBRO XIII.

Regnum luſu ſortientium euenerat ea ſors Neroni.) Iulius Pollux onomaſticon nono, luſum quendā deſcribit, qui βασιλίνδα dicatur, cum ducta ſorte aliquis fit rex, & is quidpiā difficile miniſtro qui ſorte pariter obtigerit, imperat. de hoc intellexiſſe Tacitum dubioprocul exiſtimo. Sicut & Trogum in primo.

Quin & duas manumittendi ſpecies inſtitutas.) Tradit Tacitus eos qui uindicta manumiſſi ſint, ex ingratitudine in patronos in ſeruitutem non reuocari. quod ex Conſtantini magni conſtitutione falſum ferè conuincitur. Quod ſi is, inquit, qui noſtro concilio uindicta liberatus eſt, poſt cohertionem pœnitentia dignum ſe præſtiterit, ut ei ciuitas Romana reddatur, non prius fruatur beneficio libertatis quàm ſi hoc patronus eius oblatis precibus impetrauerit, L. Si manumiſſus C. de lib. & eorum lib.

Ingenuitatis iudiciū.) Quo pronunciabatur aliquē nunq̄ ſeruiuiſſe, ſed liberis parentibus natum: is enim proprie ingenuus dicitur iuriſconſultis, iuxta illud Theognidis, φύεται οὐδέ ποτ᾽ ἐκ δούλης τέκνον ἐλευθέριον.

Seſtertium quadringenties.) Subintelligēda ſunt centena millia. Liuius libro 4. Punici belli: cū deeſſent nautæ coſſ. ex S.C. edixerunt, ut qui L. Aemilio & C. Flaminio cenſoribus millibus ęris quinquaginta ipſe aut pater eius cenſus fuiſſet uſq; ad C. millia, aut cui poſtea tanta eſſent facta, nautā unū cum ſex menſiū ſtipendio daret. qui ſupra centū M. uſq; ad ccc. millia, treis nautas cū ſtipendio annuo: qui ſupra ccc. millia uſq; ad decies æris, quinq; nautas: qui ſupra decies, vij. quibus uerbis oſtenditur, decies æris, decies centena millia æris ſignificare: ut hic non parum mirer, quemadmodum oculatiſsimus uir Budæus præuaricatus ſit.

Factum S C. ultioni & ſecuritati.) Vocatur id in iure ciuili S C. Piſonianum. Cuius Paulus meminit dig. lib. xxix. titulo ad Syllanianum. L. S C. Piſon.

EX LIBRO XIIII.

Collegia quæ contra leges inſtituerant diſſoluta.) Legē Solonis intelligit cuius uerba Caius refert in tractatu de colleg. illicit. ἐὰν δὲ δῆμος, ἢ φράτορες, ἢ ἱερεῖς ὀργίων, ἢ ναῦται, ἢ συσίτιοι, ἢ ὁμοτάφιοι, ἢ θιασῶται, ἢ ἐπὶ λείαν ἰόμενοι, ἢ εἰς ἐμπορίαν ἢ τί ἂν τούτων διαθῶνται, πρὸς ἀλλήλους κύριον εἶναι, ἐὰν μὴ ἀπαγορεύσῃ δημόσια γράμματα. Pu-

teoli ius coloniæ & cognomentũ a Nerone adipiſcũtur. In fragmẽtis quibuſdam Iulij Frontini de agrorũ limitibus, & iuriſdict. ita legitur: Puteolis colonia Auguſta. Auguſtus Nero deduxit, ex uno latere iter P.R. debetur pedũ xxx. ager eius in iugeribus ueteranis, & tribunis legionarijs eſt adſignatus. cognomentũ igitur Auguſtæ acceperat puteolorũ colonia à Nerone.

Tabularij *Tabelliones* *Catoliciani* Fabianus tabularius obſignat.) Hi tabelliones uulgo dicunt, lege antiqua erãt pars decurionũ & Reip. rationes cõficiebant. recentiores Cæſares uidẽtur noua uoce hos catolicianos appellaſſe.

EX LIBRO XV.

Alpes Cæſar nationes alpium maritimarum in ius Latij tranſtulit.) Locus hic admonet, ut uaria alpium nomina attingam, quando eorum qui de his ſcripſere etiam ex recentioribus, diligentiam non ſatis probem. *Pœnæ* Igitur alpes Pœnas ipſe eas eſſe opinor, per quas ex Druentia flumine recta in Italiã tenditur Brigantionem uerſus & Ferietam. *Graiæ* quæ uia noſtro quoq; tempore eſt frequens. Graias uero eſſe quæ & maritimæ, quod per eas Hercules iuerit, ubi etiam Monœci portus, illi facer, ut auctor eſt Amianus libro 15. *Cottiæ* Coctias autem exiſtimauerim, quâ à Seguſio oppido per Centronas itur: tametſi recentiores, ut Paulus Diaconus & Georgius Merula Coctias eſſe exiſtiment, in quibus Bobium urbs eſt. quod antiquis auctoribus non eſt probabile. Sed & Coctias appellatas quandoq; etiam Iulias non falſo fortaſſe aliqui tradunt, quod in eas per Tricaſpinos eatur. Belloueſum autem per Tricaſpinos in Iulias alpes ueniſſe, Liuius eſt auctor. *Iuliæ* Sed & non male Iulias Tacitus appellat alpes, quæ uerſus Carnos ſunt, unde & Iulium Carnicum, & Forum Iulij, quâ ex Venetia in Noricum itur. cui ſententiæ ex recentioribus adſtipulatur Sabellicus in Aquileien. Hiſto. *Rhæticæ* Sunt & Rhæticæ alpes, quibus in Rhætos uadimus, quos uulgo Chriſones uocant, incipiunt ab Adya monte (Strabonis corrupte legitur nunc Adula, nunc Aduela) id eſt, inacceſſo, uernacula ſimplicitas mõtem Bralium nuncupat in Volturena, ſeu ut imperiti, in ualle Telina, *Adyla mons der Gothart* & in Venetiam protenduntur, donec Ocræ ſubeant. *Lepontiæ* Lepontiæ adhuc ſeruant nomen, ſunt in Suitentibus, quâ Claronam ex Bilitionis caſtro rectà tendimus. In *Summæ* alpibus quas Cæſar in commentarijs, Summas appellat cum cæteris conuenio. *Sant Bernharts berg* Sunt inter Sedunos & Veragros ubi & Octodorus eſt pagus, quem ſancti Mauritij uocant. Cæterum quamuis hæc noſtra ſententia uideatur pluribus auctoribus congruere, non arbitror omittendum, eſſe etiam qui refragentur, quãdo Ptolemæus inter Adulam & Ocram Pœnas alpes collocet, quo in loco eſſe Rhetica iuga ipſe prodidi. uerũ ex Plinio illius ſententia confutatur, qui de Graijs & Pœninis in Salaſſos deſcendi tradit: ut fortaſſe Pœninæ alpes illic incipiant & deſinant in maritimas, ſi Amianũ ſequimur. Eſt & adhuc Suitenſibus qui uulgo eorum ſermone alpes Grey dicatur mons, quá Friburgum tendimus. Ipſe inter ueteres non omnino cõſtitiſſe harum nomenclaturam exiſtimo. Nam & Plinius in Lepuntijs diſſidere ferè uiſus eſt, qui cum Coctiana iuga Centronibus uicina tradidiſſet, Graijs alpibus aut eaſdem aut certe contiguas Lepuntias mauult. quod non probo, cum longe grauior ſit auctor Cæſar, unde noſtra ſententia fulcitur, & Plinius non affirmet, ſed aliorum relatione ex etymo innuere uideatur.

EX LIBRO XVI.

Calpurnius Fabatus eques Ro.) Fuit hic patria Nouocomenſis, C. Cæcilij Plinij proſocer. eius antiqua memoria adhuc Comi uiſit Iouij Benedicti. V. Cl. *Iouius Benedictus* opera, eruto monumento in hæc uerba: C. CALPVRNIVS. L. F. O. V. F. FABATVS. VIVIR. IIIIVIR. I.D. PRAEF. M. PRAEF. PRAET. TRIB. LEG. XXI. RAPAC. PRAEF. COHORTIS. VII. LVSITAN. ET. NATION. GETVLIC. ARSEN. QVAE SVNT IN NVMIDIA FLAM. DIVI AVG. PATRIMONIO. T. F. I.

Cladem

Cladem Lugdunenſem quadragies Hs. ſolatus.) Aeſtimatur hæc ſumma centum milibus ducatorum noſtræ ætatis.

Ludis ceſticis ab Antenore inſtitutis.) agonas pugilum inſtitutos poſſet quis credere, quando ceſtus manibus inducti appenſo plumbo pugilum inſtrumenta ſint Maroni & Flacco. Cæterum quid ad rem faceret habitus Tragicus? niſi immutatam longo ſeculo ludorum formam quis crediderit, aut ceſticos dictos quod habitu mulierum uiri in his exercerentur. κεστὸν Veneris ueſtem proprie eſſe in ſcholijs Græcis traditur, ſed per abuſum cuiuſcunque mulieris indumentum dici, ut in epigram. ἡ κεστοῦ φωνδύζα μαγώτρα. erunt & quibus arridebit, ut xyſticos ludos legamus, quod non probo. *Ceſtus* *Ceſtici ludi*

EX LIBRO XVII.

Aegyptum regebat Tib. Alexander eiuſdem nationis.) Hunc lacerari ſatyrico carmine crediderim, Atque triumphales inter quos auſus habere Neſcio quis titulos Aegyptius, aut Arabarches. Euſebius enim libro. ij. ſacræ hiſtoriæ Arabarchen fuiſſe hunc Alexandrum ſcripſit, idem & Ioſippus in antiq. Iud. xx. lib. apud quem Rufinus inepte Arabarchen interpretatur ſalis præfectum quaſi ἁλοβάρχην legerit. Extat Imppp. Val. Grati. Theod. in hæc uerba cōſtitutio, Vſurpationem totius licētiæ ſubmouemus, circa uectigal Arabarchiæ per Aegyptum atque Auguſtaneam conſtitutum, nihilque ſuper tranſductione animalium uendicari permittimus. quæ uerba indicant Arabarchen præfectū fuiſſe & ſcripturarium exigundo uectigali de pecuarijs, quæ ex Arabia in Aegyptum deuehebantur: ut ſit illud nomen officij publicanorum. merito ergo Iuuenal. Alexandrum taxans, & officij uilitatem obijcit. ut non iniuria damnādi ſint qui ſimpliciter mollem accipiunt, idque editis annotationibus probant. quapropter & in epiſt. M. Tullius ad Atticum appellat Arabarchen, M. Antonium quaſi Aegyptium publicanū. extorquebat enim ab illis ingentia uectigalia, unde pecuniam conflaret, quam deinde prodigeret, ut eſt Plutarchum. *Tib. Alexād.* *Arabarches*

Annulis donatū libertū.) Paulus iuris áutor, Qui ius, inquit, aureorū annulorū impetrauerit, ut ingenuus habetur, idemque reſcripſiſſe diuū Adrianū Vlpianus ſcribit. concedebat aūt ſolus imperator etiam fœminis, ut natalibus reſtituerētur. *Ius annulorū aureorum*

Quotiēs Galba apud Othonē epularetur, cohorti excubias agenti uiritim centenos nūmos diuidebat. Tranq. aureum dare ſolitum tradit: ut inde fortiſſimū ſit argumentū, centum nūmis eſtimari aureū. Barbium Proculum Teſſeranū ſpiculatorem.) Fortaſſe Teſſerariū. Modeſtinus in re militari ſic appellari eos ſcribit, qui præcepta Impp. per cōtubernia ſignificant. In antiquis inſcriptionibus Comi, Teſſerarij dolabrarijs iunguntur pago cliuio. Amianus Marcellinus lib. xiiij. aurigariā, inquit, aut artem teſſerariā profitentur: ut coniectura ducar, eſſe qui quod uulgo uocant intarſiatum faciūt, quos recentiores Cæſſ. diatretarios uti ſuſpicor appellāt. Virginiū equeſtri familia. Cæc. Plin. uicina Como urbe genitū Virginiū tradidit, quapropter ſecū habuiſſe cōiunctas poſſeſſiones, tū ſuę uillæ nomen Alſiam, ut dubio procul Virginius Mediolanenſis fuerit. quod oſtendunt frequentia marmora quæ paſſim hic occurrunt Virginij nomine inſcripto. Sed & Alſia adhuc ſeruat nomen in Variſienſi præfectura. unde & familia eſt mea. *Teſſerarij* *Diatretarij* *Alſia*

Superior Germania.) & Paulo inferius. Belgica & Lugdunēſis Gallia.) Amianus ſcribit ita diuiſas Galliæ Germaniæque prouincias. Prima Germania Monguntiaco Argentoratoque nobilis. ſecunda Germania in qua Agrippina & Tungri. Prima Belgica Mediomatrices & Treuiros habens, tum ſecunda, Remos, Sequanos, Ambianos complexa. Hinc Lugdunenſis prima, Senones, Bituriges, Lugdunum, Auguſtodonum: Secunda Rotomagum, Mediolanum, Tricaſpinos alpes continebat. Eodem modo & Aquitaniæ fines diſtincti. *Germania prima* *Secunda*

Quotidianis

Quotidianis alpibus Italiam irrumpere. Nemo opinor uel ſemidoctus non cognoſcet Coctianis legendũ: ut inde eorũ ſententia cõfutetur, qui Genuam quoq; in Cottijs eſſe dixerunt. nec enim illac tranſiſſe Vitellianos quiſq; prodidit.

Heluetiorũ ſedes q tenuerit olim, & teneant hodie

Heluetij Gallica gens) Eutropius eorum ſedes à Quadis occupatas ſatis oſtendit. ut ſuſpicer omnes deletos cũ Quadi Marcomaniq; ſub Aureliano in Italiam prorupere. extat adhuc in eis uallis Marcomana nomine. Periere & illi. atque ab Alamanis (colluuies Germanorum erat) ſuperati, in eorum nomen conceſſere. à Theoderico deinde Gotho uicti, Frãcis ex fœdere dediti ſunt. aucti demum Saxonum acceſſione, quos ob uiolatam pluries fidẽ ſedibus eiectos Charolus Magnus in alpes coniecit, Suitenſes cœpere dici. paruere deinde regibus Germanorum. Centum ferè anni ſunt, cum ſe cæſis præfectis in libertatem aſſeruere, cum cæde repreſſis Cæſaribus. Hac ætate prima illis peditatus gloria. A Philippo Vic. quod deletis cohortibus dedecus ſubierant, frequẽtibus nunc uictorijs recuperauere, niſi quod & memorabili prælio ſua inter ſe perfidia in ſuburbanis Mediol. à Franciſco Frãcorum rege cæſi, ſuperbos titulos deponere rurſus coacti ſunt.

Iulius Cordus.) Exiſtimo caſtigatiorẽ lectionem eſſe Manilius Cordus. Extat Bononiæ poſt Petronij fanum tumulus in hæc uerba: Q. MANILIO C. F. CORDO. TR. LEG. XXI. RAPAC. PRAEF. EQVIT. EXACT. TRIBVIT. CIVITAT. GALL. FAC. CVR. CER. LIB. IN AGR. P. XLIX. IN FRO. P. XLIX.

EX LIBRO XVIII.

Neq; abhorrebat à Berenice iuuenilis animus.) Fuiſſe hanc forma cõſpicuam quodam diſticho Aſclepiades in eius imaginem ſcribit, ſi modo de eadem ſenſit. nam & aliæ hoc nomine celebrantur,

κύπριδος ἅδ᾽ εἰκών, φέρ᾽ ἰδώμεθα μὴ βερενίκης.
διστάζω ποτέραν φῆ τις ὁμοιοτέραν.

Ambigo an hæc Veneris ſit imago, uel Berenices.
Sit mage utri ſimilis hoſpes amice refer.

Conditorem templi regem Venerianum uetus memoria, quidã ipſius deæ nomen id perhibent.) Id regis deæq; nomen nõ facile quenq; offendas qui in promptu habeat. ipſe Vranium lego. unde Paphia Venus Vraniæ nomen ſumpſit. Pauſanias in Attica Vraniæ Veneris templum extitiſſe autor eſt, quam mortalium primi Aſſyrij coluerint, mox Paphij, deinde Phœnices qui Aſcalonem Paleſtinæ incolunt. à quibus edocti Cytherei hiſdem ſacris initiantur. ſanè huius Paphij templi fuſius meminit Lucianus dialogo qui inſcribitur, ἔρωτες.

Pagani

Pagani,) Vox hæc in iure magis frequẽs quàm in cæteris autoribus, accipitur eo ſignificatu ut omnes comprehẽdat qui milites non ſint, à pagis, id eſt, oppidis deducta. qua ratione Perſium credibile eſt ſemipaganũ ſe dixiſſe, quaſi ſemimilitem ſe fuiſſe denotaret, & iccirco non plene poeticam quæ ars umbratica eſt edoctum. alioquin me non latet, pagum prima origine à fonte dictum. πηγή.

Semipagan.

Ad xij. à Cremona locus Caſtrorum uocatur.) Paulus Horoſius Caſtoris uocari eum locum eſt autor.

Legionum nomina

Legio una & uigeſima, cui nomen Rapax, ex parte Othonis prima adiutrix.) Indebãtur hæc cognomina legionibus fortuito, & plerunq; arbitrio imperatoris, unde & primam legionem Mineruiæ nomen habuiſſe Spartianus ſcribit, ſed & in ueterũ marmorũ inſcriptionibus hæc earũ cognomina reperi, ut ſecunda legio Italica, Germanica Parthicaq; ſit dicta, iij. leg. Auguſta, Cyrenaica, prætoria, Gallica. iiij. Macedonica. v. etiã Martia. vi. Ferratẽſis & Gallicana. vij. Claudia Geminia Gamilenſis. ix. bis Auguſtalis. x. Fretenſis Geminia. xi. Apollinaris, ſicut & xvi. ſed & legio xx. uictrix. xxij. primigenia. xiij. & xiiij. Geminia quandoq;, & Ger

& Germanica. xxx. & xxxij. Virginia. cæterarum nomina adhuc non comperi.

Cauſa fingendi fuit, ut diplomata Othonis quæ negligebantur lætiore nuncio reuiuiſcerent.) Inſtitutũ erat ab imperatoribus, ut certis locis diſpoſiti haberẽtur equi, quorũ mutatione celerrime poſſent rerum geſtarum nuncij ad Cæſarem ex prouincijs uenire. non dabatur autẽ hic curſus publicus, niſi ei qui ſacrũ diploma haberet, ut uidelicet ante cæteros omnes, quicqd gereretur imperator ſciret. quapropter præſides prouinciarũ niſi ex magna cauſa priuatis diplomata non concedebant. quod oſtendit Plin. Cæcil. in epiſtolis ad Traianum. Venuleius iuriſconſultus, Non debet, inquit, felici diplomate uſus, omni tempeſtate contempta continuare iter diebus & noctibus. Ex his clariſsimus redditur Cor. Taciti hic locus. *Sacrum diploma*

EX LIBRO XIX.

Hoſtilia.) Vicus olim Veronenſiũ, nũc Ferrarienſis agri nomen ſeruat. Tacitus annuere uidetur paludibus Tartari fuiſſe proximã, cũ ferè per lx. miliaria diſtet, eam Padus alluit, nõ longe eſt à Vitelliana, quam uulgares Viadanam uocãt. *Hoſtilia* *Vitelliana*

Magnitudine eximia baliſta.) Formam baliſtæ explicat lib. ultimo Vitruuius, Vegetius quoq; quædã addit. hi omnes ſaxa tantũ baliſtis iaci autores ſunt cum Tacito, ſed dein mutata quoq; forma eſt. quapropter in commentarijs Theodoſij ſchema baliſtæ quadrirotis uidi cum interpretatione qua oſtẽditur, ſagittas ex ea cœptum fuiſſe iaculari. Clauarium donatiui nomen eſſe Tacitus autor eſt. ipſe clauem in conſtitutionibus Cæſarum legi, nomen cuiuſdam indictionis extraordinarijq; tributi eſſe. quapropter lib. xij. Cod. Iuſt. titulus eſt in hæc uerba: de prætoribus & collatione, & gleba, & claui, & Pholle, & vij. Solidorum functione. *Baliſta* *Clauarium*

EX LIBRO XX.

Tunc fatum & ira dei uocabatur.) Caius lib. x. ad edictũ prouinciale. Vis, inquit, maior quam Græci θεῦ μῆνιν uocant. uidentur enim autores quicquid graue, quicquid horriferũ mortalibus accidit, diuinæ iræ adſcribere. cuius rei ex Homero Apollonioq; aliquando plura. *Ira dei*

Iuſſu magiſtratuum.) Decuriones intelligit. hi enim proprie magiſtratus municipales ſunt iuriſconſultis. *Decuriones*

Seſtertium ſexcenties.) Quindecies cẽtena millia ducatorum quantitas huius pecuniæ æquat.

Pontem Nauæ fluminis abruperat.) Non celebratus hic fluuius ab autoribus eſt, ſolum Auſonium mentionem eius facere deprendi. *Naua*

Tranſieram celerem nebuloſo flumine Nauam.

Pleriq; ditem patrem inſignibus quæ in ipſo manifeſta.) Nõ explicat Tacitus huius dei formam, quam in ſacra hiſtoria Rufinus ex Euſebio ſic exequitur. colũ iſſe Chaldæos ignem & per Aſiam circuntuliſſe, ut cum cæterarũ gentiũ dijs con grederetur. cumq; cætera idola uel lignea, uel ex metallo eſſent, facile uictor ignis ea uel comburebat, uel liquabat. quapropter ſuo deo metuẽtes Aegyptij ſacerdotes, tale quippiã commẽti ſunt. Hydriæ in Aegypto fieri ſolent crebris minutisq; admodũ foraminibus, quibus aqua defluẽs defecatior lympidiorq; redditur. harũ unam eiecto priore ſimulacro columnæ impoſuerunt, caputq; addiderũt, & cera obtuſis foraminibus repleuerunt aqua. ſic aduenientibus Chaldæis cũ ignẽ ſtatuæ circũdediſſent, liquefacta cera demanãtibus aquis extinctus eſt, uictorq; hoc potiſsimũ modo Aegyptius fuit. hinc eius effigies perexiguis erat pedibus, attracto collo, uentre tumido, dorſo tereti hydriã palnè referens. addit Canopi fuiſſe ſimulacrum, ut merito quis credere poſsit diuerſam ab ea ſtatuã, quam Tacitus refert. *Canopus*

EX LIBRO XXI.

Vitis aurea templo reperta Liberũ patrem coli argumento eſt.) Bacchum à Iudæis cultũ Plutarchus in ſympoſijs tradidit, appellatumq; eorum lingua σάββον: unde

unde ſabbati nomen, quam ſentētiā Iudæi ipſi etiamnū deridiculo habēt. Mirum autem eſt qua impietate Tacitus Hebræorū hiſtorias peruertat, & quod dei opt. Max. ope factum eſt, à miraculi admiratione diducat, tum quæ dei ſunt, humanis uiribus adiudicet.

IN DIALOGO.

Hermagoras

Quicquid aridiſsimis Hermagoræ & Apollodori libris.) Hermagoras Aeolides Carion cognomine, ſcripſit rhetoricos libros vi. de accurata oratione, de elocutione, de decore, de figuris. docuit Romæ poſt Cæcilium ſub Auguſto. fuerunt & alij illi cognomines, quos referre nihil attinet. Apollodorus Pergameus Cæſaris Auguſti præceptor & familiaris, ſcripſit rhetorica, & nouæ hæreſeos fuit autor, ex Suida & Strabone.

Apollodorus

IN AGRICOLAE VITA.

Cetra

Et breuibus cæteris miſsilia noſtrorum uitare.) legēdum Cetris, eſt enim ſpecies ſcuti Verg. & Grammaticis.

IN LIBRO GERMANORVM.

Danubius præcipiti & excelſo montis Arbonæ iugo oritur.) Auſonius ignotum Danubij fontem eſſe ſcribit,

Danubius penitis caput occultatus in oris.

Apollonius ab Hyperboreis naſci eum cecinit manifeſto commento. ſed omnino Taciti uera eſt ſentētia, ſi non Arbonæ ſed Arnobi legatur. in eius enim radicibus oriri iam notiſsimū eſt prope Hercyniam ſyluam: uulgo ſyluæ nigræ nomen ſeruat, ex aduerſo Rauracum, quorum oppidum eſt Baſilea. Arnobi Plinius Ptolomæusq; meminit. De hoſtijs quoq; non eadem ſentiūt autores.

Boiemi

Boiemi.) Populos hos eſſe Germaniæ, non Tacitus tantū, ſed & Ptolemæus autor eſt. Hi ex Germanorū inſtituto ſedes mutauerūt, montanosq; locos occupauere iuxta Albis fluuij fontes. Seruatur adhuc nomen. ut Pium Pont. non parum admirer, de eorū origine fabuloſa quædā memoriæ prodētem, & id in hiſtoria.

Langobardi

Langobardi.) Ex Scādauia inſula ueniſſe Paulus diaconus ſcribit: à barbæ longitudine, quod eam promitterent, dictos exiſtimauit Georgius Merula. addit quiſquis fuit Theodatus, cum Vuinili diceretur, cumq; Erulis congredi pararent, deæ cuiuſdam Godæ impulſu mutaſſe nomen. quæ omnia fabuloſa ſunt, quandoquidem puri puti Germani fuere, barbara appellatione nuncupati, quæ de Latino idiomate minime ſit trahenda. Chriſtianos ætate ſua fuiſſe Procopius, non uno in loco eſt autor, cum recentiores omnes in Italia ſuſcepiſſe fidei rudimenta perq; incurioſe ſcripſerint.

Annotationum Andreæ Alciati Mediol. in
P. Cor. Tacitū equitem Ro. Finis.

ELENCHVS IN ANNALES RELIQVOSQVE LIBELLOS COR. TACITI, NON omiſſis imò recognitis hijs, quæ prius addiderat Beat. Rhenanus.

Adgandeſtrius princeps Cattorũ 53
Adrana fluuius 19
Adoptiones orborum fictæ 229
Adulterij pœna 437
Aegyptijs ſacris infecti pelluntur Italia 55
Aelius Seianus 90. 91
Aelius Seianus dominationis captator 77
Aequinoctij ſydere tumeſcit Oceanus 24
Aeſtyorum gentes 444
Agricola in Britanniam 481
Agricolæ ad milites oratio 486
Agricolæ mors 490
Agrippæ poſthumi cædes 3
Agrippa Colonia, Kœln, nomẽ accepit ab Agrippina Auguſta, qd'illuc ueteranos deduci iuſſerit, ubi & genita fuit 156
Agrippinen. Ciuili iungũtur 400
Agrippinenſis Colonia direptionis periculo proxima 399
Agrippinenſes Germanorum conſanguinei 340
Agrippinenſes, Germanos in domibus diſperſos, trucidant 406
Agrippina Auguſta impoſitũ Rheno pontem, ſolui prohibet 24
Agrippina Romam nauigat 50
Agrippina in Italiam rediens excipitur à populo 54
Agrippina accuſatur 180
Agrippinæ magnanimitas 24
Agrippinæ mors 115
Agrippinæ matris Neronis cædes 200
Albis fluuius 21 Item 445
Albucilla multorum amoribus famoſa 121
Aliſo caſtellum 19
Allobroges, die auß dem Delphinat 287
Alpes Iuliæ 343
Amiſia fluuius 21 Item 50
Amor belli 436
Amphitheatrum Placentinũ 309
Amphitheatrũ apud fidenam 98
Annales Cornelij Taciti 87
Annæus Seneca 174.175
Annæi Senecæ cædes 242
Anni principatus Cæſarum 456
Annonæ grauitas ſeditionis cauſa 109
Annus magnus 455
Angriuarij 30 & 33
Angriuarij Romanos redimũt 34
Anſibarij à Chaucis pulſi, tutum exilium orant 192
Anſibarij delentur 193
Anteius & Oſtorius accuſati 252
Antiſtius uetus 66
Antiſtius probroſa in Neronẽ carmina uulgauit 211
Antona fluuius Britanniæ 157
Antonius Primus 330.356
Antonij de Vitellianis uictoria 247
Antonij Primi apud Veſpaſianum iactantia 357
Aponiũ Saturninũ milites ad ſupplicium depoſcunt 345
Apud ripam Rheni arcus in memoriam Germanici Cæſaris 52
Apuleia Varilla 43
Ara ubiorum 14 Item 20
Archelaus Cappadociæ rex 40
Arduenna ſaltus, Leuticher VVald. 67
Arenacum, Arnheim. Infra Coloniam Agrippinenſem 418
Arij 444
Ariobarzanes 29
Ariouiſtus regno Galliarum potitus 404
Armeniæ ſtatus 29
Armeniorum gens 45
Arminius princeps Cheruſcorum 19
Arminius Germanus Varũ Quintilium cũ legionibus occidit 19
Arminij cum fratre colloquiũ 30
Arminius liberator Germaniæ dolo propinquorũ occiditur 54
Armorum ſpecies apud Germanos 435
Arpus princeps Cattorũ 50
Artabaus rex Parthorum 28
Artauaſdes ab Antonio interfectus 29
Artaxata 187
Artaxia rex Armeniorum 47
Aruſpicum collegium 158
Aſciburgium Doesburg. quaſi die Aſchbürg. 387
Aſinius Gallus 6
Aſinij Galli mors 112
Aſpaltites lacus 414
Aſyla ſtatuendi licentia 72
Auenticum Heluetiorum cap. 287
Id hodie Germanico uocabulo Vuiuelſpurgum uocamus, ueteres Heluetij qui Galli erant, Aueticum dicebant. Quid aũt Auentico cũ Vuiuelſpurgo cõuenit? eſt hoc nimirum euidens mutatorum cultorum argumentum. Auentici excidium Cæcinæ milites poſcunt. De Auẽtico plura leges apud Beatum Rhenanum rerum Germanicarum libro tertio.
Aufidienus Rufus 8
Augurium aquilarum 52
Auguſtales ludi 7.19
Auguſti teſtamentum 4
Auguſti funus 4.5
Auguſtodunum Heduorum caput 67
Auguſtus munia ſenatus in ſe traxit 1
Auguſtus ad dignitates ſuos prouexit 1
Auſpiciorũ ac ſortiũ obſeru. 434

B Aduheima lucus in Friſijs 101
Balſamum 414
Bardanes dolo occiditur 137
Baſtarnæ 48
Bataui pars Cattorum. Betouuer Holandi 440 Item 380
Batauorum deſcriptio ibidem
Bataui uiros tantum armaq; Romanis miniſtrabant Ibidem
Bataui delectum abnuunt, quanq iubente Vitellio Ibidem
Batauorum de Romanis querelæ Ibidem
Batauorum conſanguinei Germani 381
Bataui per Germanias Galliasq; libertatis autores celebrati Ibi.
Batauis offerunt auxilia Germani 328
Batauo equite protriti fuerũt Hedui Aruerniq; Ibidem
Batauorum acies, cantu uirorum, fœminarũ ululatu ſonat Ibidẽ
Bataui Romanos & Belgas uincunt 385
Batauorum pedites fuſi 388
Batauodurũ. VVyk by Durſteten Vbi ultraiectinus antiſtes arcẽ poßidet. quo loco Rheni pars Lecca dici incipit 418
Batauorũ à Ciuile alienatio 420
Batauorum cohortes ex Italia in Germaniam remiſſæ 324
Batauorum militum ſuperbia 512
Batauorum inſula 29
Belgæ 66
Belgæ Gallorum robur 405
Betaſij, die Peellender. Habitant nobis trans Moſam 396
Bellum in Africa motum 45
Bellum ſeruile in Ponto 356
Bellum inter Armenios & Hiberos 161.162
Bellum inter Parthos & Romanos de obtinenda Armenia 184 & ſequentibus
Bellum inter Othonem & Vitellium 308.314.316.317
Bellum in inferiori Germania geſtum 381.384.388
Bingium. Bingen 402
Byzantij magnitudinem onerum apud ſenatum deprecantur 167
Bleſus legionum Pannonicarum legatus 7.8
Bonnam Herennius Gallus legionis primæ legatus obtinebat 383
Bonnenſia caſtra Ibidem
Bonnenſe prelium Ibidem
Boudicea Britanna. In uita Agricolæ legitur Voadica generis regij fœmina. Sed familiare librarijs V pro B ponere, & uiciſsim B pro V 208
Brenno, ſiue Brinio uel Brinnio aut Brinno nobilis Caninefas, Batauorum dux 381
Brigantes populi Britanniæ 158
Brigantum ciuitas 481
Britannia 157
Britannia ad rebellionem commota 206
Britannici indoles 178
Britannici mors 179
Britanniæ deſcriptio 478
Britanni fœminarum ductu bellant 208
Britannorum querelæ de Romanis 480
Bructeri 18 Item 21 Item 441
Bructeri aliena pericula. hoc eſt Anſibariorum deſerunt 193
Bructerorum cuneus 418
Burrus uita concedit 212

C. Piſo 236
Cædes inter Nucerinos ac Pompeianos 202
C. Caßius in exilium actus 250
C. Petronius 253
C. Silius 83
Cæſia ſylua 17
Calbiacum oppidum in finibus Agrippinenſium 406
Caledonij 483
Caligula cur ita dictus 15
Calpurnius Piſo 84
Cameræ naues Ponticæ 556
Camulodunum 207
Camulodunum Colonia 158
Candidati præturæ XII. 7
Caninefates 101
Caninefates Batauorũ inſulæ partem coluerunt, origine, lingua, uirtute pares. Putantur eſſe quos Brabanticum uulgus hodie uocat die Kennemerlender 381
Catualda 41
Capitolij conflagratio 364
Cappadoces in formam prouinciæ redacti 45
Capreæ inſula 99
Caracates populi 402
Caractacus rex 158.159
Carioualda dux Batauorum 51
Cartimandua regina Brigantum 159. 555
Caßius Seuerus exul 84
Caſtra Vitellianorum capiuntur 350
Caſus amphitheatri apud fidenam 98
Catti 440
Cattorum latrocinia 156
Cattis è clade Variana captiui Romani in annum quadrageſimũ ſeruierunt ibidem
Catti ſuperiorem Germaniam uaſtant Ibidem
Catti cum Cheruſcis æternum diſcordant 157
Catumerus princeps Cattorum 138
Catuualda fines Marcomanorum ingreditur 47
Catuualda forumiuliũ Narbonenſis Galliæ mittitur Ibidem
Cauſa motus in Thracia 93
Cauſa abſceſſus Tiberij 96
Cauſæ luxus exoleſcentis 71
Cauſidicorum incommoda 454
Cæcina 283. 309

Cæcina

Cæcina uinctus à militibus 346
Cæcinæ contra Veſpaſianum ex/peditio 334
Cæcinæ cum Cheruſcis con/flictus 22.23
Celianæ orationes 458
Celtæ ius adipiſcendorum in urbe honorum expetunt 141
Centeſimam rerum uenalium de/precatur po.Ro. 27
Centuriones à militibus cæ/duntur 12
Centurionatum egit Germa/nicus 16
Ceremoniæ circa Capitolium re/ſtituendum 595
Cerialis ad Treuiros ac Lingonas oratio 405
Certamen de prætore ſubro/gando 45
Certamen de legatione mittenda inter Priſcum & Epriū 378
Ceſellius Baſſus Pœnus 248
Chamaui 192
Charicles medicus 121.122
Chauci Germaniam inferiorem in curſant 139
Chauci maiores ibidem
Cha corum auxilia Batauis ueni/unt 418
Cheruſci 441
Cheruſci regē petunt Italū Armi/nij ex Flauio fratre nepotē 158
Cheruſci in Italum mouent à Lon/gobardis adiutum 159
Cheruſcorum fuga 32
Cheruſcorum in Sueuos bellū 41
Chriſtianorum ſupplicia 236
Cillinius Mecœnas 109
Cimbri 404 Item 442
Cicero 458
Ciceronis eruditio abſolutiſ/ſima 465
Citarum natio 118
Ciuilis caſtra legionum op/pugnat 386
Ciuilis ad Cerialem oratio 420
Clarij Apollinis oraculum 44
Clades rei naualis apud Mi/ſenum 237
Claßis Germanici periclitatur in mari 54
Claßis Rauennatis à Vitel. de/fecit 345
Claudius pater ſenatus appel/latus 142
Claudius Cæſar ueneno pe/rit 168
Claudius Ciuilis 380
CL. Ciuilis Batauorum prin/ceps 380
CL. Ciuilis cohibendo Rheno mo/lem à Druſo Germanico fa/ctam, diruit 418
CL. Ciuilis auxilio Treuirorum, Lingonum Germanorumq́; Ro manos ſuperat 398
CL. Ciuilis patrata legionum cæ/de propexum crinem depo/ſuit Ibidem
Claudius Timarchus reus agitur iniuriarum 229
Clemens poſthumi Agrippæ ſeruus 59
Clutorius Priſcus eques Ro/manus 68.69
Codicilli Piſonis 58
Cogidunus rex 479
Cois immunitas tributa 166
Colloquium inter Corbulonem & Tyridatem 231
Cometes ſydus 204
Concilia Germanorū 435.438
Colonia Agrippinenſis 156 Item 396
Comitia conſularia 28
Comitia è campo ad patres translata 7
Comitia magiſtratuum in quin/quennium 58
Coniuratio in Neronem 237
Coniuratorum proditio 239
Coniuratorum ſupplicia 244 & ſequentibus
Conſilium de bello contra Vitel/lium gerendo 341 & ſequenti
Conſulum diſcordia 105
Contemptus auri & ar/genti 433
Contra luxum ciuitatis Rom. 37
Contra Libertorum fraudes de/cretum 182
Conuiuium Neronis in ſtagno Agrippæ 235
Corbulo 176.177.185
Corbulo foſſam inter Moſam Rhe numq́; trium & uiginti milium ſpacio produxit 140
Corbulonis ſeueritas 139
Cornelius Fuſcus 350
Cotta Meſſalinus 106
Cotys dolo captus & occiſus 48
Cremonæ oppugnatio 351
Cremutius Cordus poſtula/tur 88
Cruptoricis uilla 102
Cugerni ſiue Gugerni. Vocantur uulgo die Gulicker 417 Item 418
Cugernorum pagi. 585
Cultus Germanorum 436
Curt. Montani oratio 591
Curtij Rufi genus 140
Cuſus fluuius 47

DAcus 266
Damnati, publicatis bonis ſepultura prohibebantur 114
Decimatio militum 60
Decretum Pontificum de flaminis Dialis abſentia 75
Decumana porta 25
Deûm ædes dicantur 40.43
Dicendi formæ & genera 456.460
Didius in Britanniam miſ/ſus 160
Dierum ſpacia apud Britan/nos 479
Dij Germanorum 434
Diſcentium negligentia 462
Diſcordia inter Lugdunenſes Viennenſesq́; 286
Dißidium inter Neronem & ma/trem Agrippinam 178
Dißimulatio Tiberij 101
Diſtinctio pœnarum ex de/licto 435
Diuodurum Mediomatricorum oppidum. Putant eſſe Meten/ſem

ſem urbem, à Metio reſtitutore ſuo ſic hodie dictam 286
Diuodurenſium cædes 286
Dolabella interficitur 323
Domitia 167
Domitianus 360 Item 409 & 489 & 490
Domitianus ſolertia liberti ſeruatus 365
Domitium adoptat Claudius 156
Domitius Corbulo 63
Domitius Nero. 137
Domus Neronis 235
Druſus frater Neronis 97
Druſus ad legiones Pannonicas mittitur 9
Druſiana foſſa 50
Druſi funus 80
Druſi mors 112
Duo opera à Tiberio ſtructa 120
EDictum Neronis de ſpectaculis 184
Educatio praua 462
Eloquentia licentiæ alumna 468
Eloquentiæ utilitas 449
Eprius Marcellus 450 Item 451
Equeſtris fortuna apud Antium 75
Excidium Cremonæ 352
Exercitatio Oratorum qualis fuerit 465
Exhortatio ducum ad milites 417
Expeditio in Gallias defectionem molientes 401

FAbius Valens 286 287. 361
Fabij Valentis ſegnicia 354
Fabius Valens capitur 355
Fabius Valens Vrbini interficitur 361
Famoſi ſenatu depelluntur 142
Falanius eques Romanus 25
Falſus Druſus 104
Falſus Nero 505
Falſus Scribonianus 525
Fatóne an forte res mortalium uoluantur 112
Felix Iudææ præfectus 164
Fenni 446
Flamen Dialis ambit imperium Aſiæ proconſulare 72
Flauius Arminij frater 50
Flauiani in Capitolio obſeſſi 365
Flauius Sabinus Veſpaſiani frater 361.366
Flauius Sabinus Capitolium inſedit 363
Flauij Sabini cædes 365
Fleuum in Friſijs 101
Flumen gignendo ſale fœcundum 139
Fœdum ſenatus ſeruitium 102
Fœminæ Germanorum 434
Fœminæ ob lachrymas damnatæ 108
Fœminæ in gentes externas non trahendæ 64
Fœneratores poſtulantur 110
Forma & conſuetudo ueterum iudiciorum 467
Fortuna Auguſto domi improſpera 61
Forumiulium colonia Nabonenſis Galliæ 46
Friſij tranſrhenanus populus 101 Item 441
Friſium nomen inter Germanos clarum 102
Friſiorum natio 139
Friſiorum legati in Pompeij theatro Romæ, Nullos mortalium armis aut fide ante Germanos eſſe exclamant 192
Friſij uacuos agros inſident, qui quondam Chamauorum, mox Tubantum, & poſt Vſipiorum fuerant, ſed decedere iubentur à Nerone Ibidem
Friſij cæduntur 101
Friſij rebellant 101
Friſij Romanos milites patibulo adfigunt 101
Friſiorum uictoria 101
Fulcinius Trio 36
Furius Camillus Numidas profligauit 44
Funerandi modus 439
GAlba Neroni ſuccedit 268
Galbæ cædes 279
Galbæ Cæſaris ad Piſonem oratio 270
Galgaci Caledonij oratio 485
Gallia comata 141
Galli in Romanos 397
Galli in Germaniam tranſgreſſi 459
Galliarum ciuitates defectionem parant 66
Galuia Criſpinilla 289
Garamantum rex 85
Ganaſcus natione Caninefas, Chaucorum dux 139
Gelduba loci nomen, olim Rheno imminebat. Geldriæq; regioni nomẽ dediſſe exiſtim. 385.387
Germaniæ uocabulum 432
Germani 138

Digniſſimũ eſt obſeruatu, Germanos non dictos eſſe, quod tanquam fratres forent Gallorum, ceu docti multi hactenus crediderunt, ſed quod egregios uiros præſtiterint. Eſt enim mere Teutonica dictio ex particula gar ſeu ger, quod totum ſeu robuſtum (unde et Charoli nomen) & man quod uirum ſignificat conflata. Valde autem maioribus noſtris arriſerunt à mano deductæ appellationes. Sic enim Marcomani dicti ſunt, ſic Alemani, ſic Nortmani. Siquidem cum à ſe ipſis inuento nomine fuerint uocati, ceu ſcribit Tacitus, ueriſimile eſt id uocabuli patriam linguam referre. Niſi uero quis putat ueteres Teutonas tam elegantiæ fuiſſe ſtudioſos, ut legatos Romam miſerint nomen à Romano ſenatu quo ſe uocarent petituros, elegans ſcilicet & merè latinum. Non tam belle conueniebat inter Teutonas & Romanos. Quin ueriſimile eſt ſi quod uocabulum Romani indidiſſent, non accepturos

fuiſſe, ut τὰ ἐπιχώρια cuilibet gẽti pulchriora uidentur. Et galli id temporis ſuam linguam habebãt, quæ prorſus intercidiſſe putatur, Nam hodie Romanè loquuntur nõ Gallice, ne quis hic mihi ingerat à Gallis ſic appellatos Teutonas affinitatis uidelicet aut amicitiæ cauſa, nam id quidã ſomniant. Sed de his latius diſputatur in Rebus Germanicis Beati Rhenani.

Germaniæ inferioris legiones 269
Germaniæ ſuperioris legiones 269
Germanorum mos bellicus 310
Germani militum genus apud hoſtes atrociſſimum 313
Germani fluxis corporibus mutationem ſolis cœliq; haud tolerant 313
Germanorum Gallorumq; obnoxia morbis corpora 332
Germani cuſtodes imperatori aderant, de Tiberio loquitur.
Gardenknecht. 9
Germanicæ legiones 11
Germani cis Rhenum colentes 19
Germani cæduntur 24
Germania inferior 67
Germanicæ cladis fama 380
Germani læta bello gens 381
Germanorum cateruæ 384
Germani in Romanos 397
Germanis cauſa tranſcendendi in Gallias, mutandæ ſedis amor 404
Germani pecunijs ac donis corrumpuntur 405
Germani fluminibus ſueti 417
Germanorum origo 432
Germanorum ritus 433
Germani indigenæ 432
Germani accolæ Rheni 440
Germaniæ motus ortus in Batauis 355
Germanicus Cæſar 2.12
Germanicus Auguſti ſororis nepos 96
Germanici genus 41
Germanicus in Aegyptum 46
Germanicus ex Aegypto 49
Germanici nauigatio 44
Germanicus in Chattos 19
Germanici oratio ad milites 15
Germanici aſtus 17
Germanici triumphus 40
Germanici Cæſaris mors 50
Germanicus Alexandro comparatus 50
Germanici exercitus defectus 272
Germanicarum legionum ſeditio 11
Germanorum ueterum libertas 442
Germanorum armatura 32
Gn. Lentulus 10
Gn. Piſo 41
Gn. Piſo nauigat Romam 56
Gortarzes 156
Gothini 443
Gothones putantur eſſe Gothi 47
Gracchi prætoris de cohibẽdis fœneratoribus relatio 110
Granius Marcellus accuſatus 26
Grinnes loci nomen eſt inferioris Germaniæ, Putatur eſſe oppidum Rhin, quod illa gens Rhinnen appellat 418
Gugerni, uulgo die Gulicker 418

HAterius Agrippa 106
Haterius ſupplex propè interfectus 6
Hedui 67
Hedui quorum ſedes hodie Burgundiones tenent, ſenatorum in urbe ius adepti ſunt 142
Heluetij Gallorum bellicoſiſſimi 287
Heluetij Centurionẽ & quoſdam militum in cuſtodia retinebant 287
Heluetios Cæcina aggreditur ac fundit ibidem
Eadem pagina, quod caſtellum Heluetios olim militibus ac ſtipendijs tutatos ſcribit Tacitus, arcem Badenſem eſſe putamus, quæ tum forſan à Cæcinæ militibus deſtructa, poſtea nõ fuerit reparata. eam ſane ſic affecit uel hoſtilis iniuria, uel tẽporis diuturnitas, ut præter ſpeculã in monte ſitã parũ hodie ſuperſit. Manifeſta tamẽ illic aiũt etiamnum ædificij ueteris apparere ueſtigia ſtructurasq; ſubterraneas, quæ non uulgarem munitionis illius antiquæ firmitatem arguant. Siquidẽ autor eſt Felix Hemmerlinus Turegienſis in libello de Thermis ſua tempeſtate fragmenta Romanarum antiquitatum illic à fodientibus eruta. fuit autem neceſſarium præſidium aduerſus Germanorum & Rhætorum incurſiones, quod illic uelut aditus quidam pateat in Heluetiorum regionem. Eſtq; etiamnum Sueuis illac iter in Narbonenſem Galliam ſeu Celtas. Et notum eſt in confinio regionum caſtella firmari ſolita. Porro locus quem in municipij modum extructum id temporis direptum à militibus Cæcinæ tradit, oppidum eſt quod Baden appellamus, non minus hodie quàm ea tempeſtate peramœno ſalubrium aquarum uſu frequens. Agnoſcit hoc tempore uetuſtiorum octo pagorum communem Ariſtocratiam, quolibet biennio nouum præfectum per uices ſubſtituentium. Vide tertium librum Rerum Germanicarum Beati Rhenani.
Heluetij Claudium Seuerum ducem legunt 287
Heluetij à Germanis Rhetisq; trucidantur ibidem
Heluetij Cl. Coſſum, legatum mittunt ad Vitellium 288
Heluetij ſautij aut palãtes in montes Vocecium perfugiunt, uff den Bœczberg 287
Heluetij à Cæcina ceduntur 287
Heluidius Priſcus 377
Herculis columnæ 441
Herculi ſacra ſylua 51

Hercules Aegyptius antiquiſſimus 46
Hæreditates ſine teſtamento 438
Hermunduri 443
Hermundurorum aduerſus Cattos uictoria 193
Hiberi Albaniq; Theſſalis orti 116
Hieroſolyma 414. 415
Hiſpani delubrū Tiberio matriq; eius orant 89
Hiſtriones immunes uerberum 27
Honores in Germanicum 52
Honores Othoni decreti 280
Hortalus Hortenſij oratoris nepos 58
Hoſpitalitas Germanorum 438
Hybernia 485

ICeni populi Britanniæ 206
Icenorum rex Praſutagus 206
Idiſtauiſus cāpus medius inter Viſurgim & colles, nomen habet à prato, Vuiſ enim Germanis pratum ſignificat 52
Ignes terra æditi 193
Imperium Veſpaſiano portendentia 327
In Chattos irruptio 50
In Chaucis præſidium agitantiū, ſeditio 14
Incendium montis Cœlij 98
Incendium Romæ 120
Incendium ſub Nerone 234
Incurſio in Germaniam 17
Initia & cauſæ motus Vitelliani 282
Inguiomerus Arminij patruus 21 & 23
In Seiani liberos animaduerſum 104
Inſidiæ Othonianis à Cæcina diſpoſitæ 311
Inſidiæ Seiani aduerſus Germanici ſtirpem 97. 99
Iordanes fluuius 414
Ira militum in Appium Flauianum 344
Italus Cheruſcorum rex 158
Iubilius Hermundurorum rex 157
Iudææ ſitus 414
Iudæorum origo 412
Iudæorum ritus & inſtituta 413
Iugantum ciuitas 160
Iubionum ciuitas in Germania, Romanorum colonia 193
Iubionum uillæ,arua,uici, ignibus exuſti Ibidem
Iuliæ impudicitia 18
Iuliæ Auguſtæ mors 102
Iuliæ Agreſtis conſtantia 358
Iulius Agricola 476 & ſequentibus. Item 490
Iulius Florus 60. 67
Iulius Manſuetus à filio occiſus 349
Iulius Paulus Batauorum primas 380
Iulius Tutor Treuir 396
Iulius Sabinus 401
Iulius Sacrouir 66.67.68
Iulius Secundus 448
Iunia C. Caßij uxor 77
Iunij Blæſi mors 355
Iunij Sillani mors 174
Iunius Gallio 105
Iunius Ruſticus 105
Iuris principia 62

LAcedæmoniorum & Meſſeniorum legationes de iure templi Dianæ Limenetidis 91
Langobardi 41 Item 443
Latinius Latiaris 99. 100.106
Legationes ciuitatum Græcarum ob aſyla conſtituta 75
Legati Vologeſis regis Parthorū ad Veſpaſianum 394
Leges per uim latæ 62
Lentulus Getulicus 114
Lepida 60. 61
Leuci 286
Lex de flaminica Diali 83
Lex Papia 62
Libanus mons 414
Libelli uecordes 56
Libido fœminarum coercita 45
Libo Druſus 55
Licentia peßimorum 65
Licinius Mutianus 269
Ligij 157
Lingones 290
Literarum formæ à quibus repertæ 158
Literæ in Agrippinam & Neronem 105
Literæ Tiberij ad ſenatum 69
Liuia Druſi uxor 78
Liuia duos uirilis ſexus ſimul ædidit 53
Liuiæ ambitio 5
Lollia magicæ curioſitatis accuſatur 155
Londinium 207
Lucillius Longus 82
Lucillius centurio Cedò alteram dictus 9
L. Apronius inferioris Germaniæ proprætor 101
L. Piſo pontifex 108
L. Piſo Proconſul Africæ interficitur 395
L.Piſonis mors 92
L. Veteris mors 251
Luceius Albinus 321
Locuſta uenefica 168
Ludibria rerum mortalium 59
Ludi ſeculares 137
Lunæ defectus ſeditionem militum repreßit 10
Luppia fluuius 21
Luſtrale certamen 249
Luxus in immenſum prorumpens 69

MAcronis potentia 120
Maguntiaci Batauorū cohortes agunt 381
Magūtiaci tribuni occidūtur 398
Maieſtatis lex reducta 25
Maieſtatis poſtulati 110
Malorix Friſiorū princeps 192
Malouendus Marſorum dux 55
Mamercus Scaurus 114
Marcodurum uicus Vbiorum,hoc eſt Agrippinenſium 386

Marcomanni

Marcomanni 443
M. Aper 448
M. Lepidus 84
M. Terentij equitis Ro. oratio 107
Mare pigrum 444
Margarita Britannica 479
Maroboduus Marcomanorũ rex, aduerſus Cheruſcos à Tiberio petit auxilia 42
Maroboduus à Tiberio Romam uocatur 47
Maricus Boius 322
Marius Celſus 280.288
Marſorum uici. De Marſis lege Vandaliam Crantzij nõ longe à principio 17
Marus fluuius 47
Mathematici Italia pellendi 37
Maternus 448
Matrimonia Germanorum 437
Matrimoniũ Claudij & Agrippinæ 151
Mattium Cattorum caput 19
Mattiaci 389.440
Mattiaco in agro Curtius Rufus recluſit ſpecus quærendis uenis argenti 140
Mediomatrici 405
Mella Lucani pater 253
Meherdates 152.153
Memnonis effigies ſaxea 46
Menapij 386
Meſſalina nubit C. Silio 142
Meſſalina defertur apud Claudium 143
Meſſalinæ cum C. Silio adulterium 137
Meſſalinæ cedes 145
Milichus coniurationis proditor 239
Milites ocio corrupti 532
Militum Rom. conſtantia turpi fine maculata 398
Militum animi quomodo explorati 31
Militum cædes mutua 323.324
Miracula Veſpaſiano ædita 406
Miſenenſis claßis à Vitellio deficit 359
Mithridates Boſphoranus 153 154.155
Mithridates in regnum redit 136
Mithridates uinctus 163
Mona inſula Britanniæ proxima 206
Mona inſula capitur 481
Mons inter lacum fucinum & Lyrin amnem perruptus 165
Moſa fluuius 30. Item 386
Moſellam atq; Ararim facta inter utrunq; foſſa L. Vetus coniungere parat 191
Mos regum Armeniæ Hiberiæq; 162
Motus regnorum orientaliũ 28
Munatius Plancus legatus 14
Muſonius Rufus 367
Mutianus 305.379
Mutiani ad Veſpaſianum oratio 326
Mutiani iactantia 377
Mutiani contra Vitellium expeditio 329

Nabalia flumẽ, Bea. Rhenanus leg. Vahalis 420
Nabaruali 444
Natiuus ſpecus 97
Naua fluuius 402
Nauale prælium in lacu fucino à Claudio adornatum 165
Nauium uariæ formæ 29
Nemetes ſuperioris Germaniæ populi, die in Spirer biſtũb 156
Nero 160.168.175
Nero matri Agrippinæ necem ſtruit 197. & ſeq.
Neronis fœdum ſtudium 201.202
Neronis ſcenica ſtudia 252
Neronis libido 177 Item 182
Neroni filia nata, eademq; breui defuncta 230
Neruiorumq; Germanorumq; pagi, facit Germanorum pagos Neruijs uicinos 381
Neruiorum cohortes 387
Neruiorum multitudinem Caninefates fundunt 406
Noricum 288
Norici 420
Noueſium, Neuſſ. oppidum ubi Fridericus Auguſtus cum Carolo Burgundionum duce patrum memoria congreſſus eſt 385
Numerus legionum, & quas illæ prouincias tutarentur ſub Tiberio 79
Numerus obſeſſorum apud Hieroſolyma 416

Obſidium Hieroſolymorũ per Titum 415
Oceanus cætero mari uiolentior 34
Occia Veſtalis 55
Octauia à Nerone repudiata 215
Octauiæ exilium 215
Octauius Sagitta 189
Oenus ſiue Aenus fluuius Rhetos Noricosq; interfluit 345
Officia regum ac ſacerdotum Germanorum 434
Olennius Friſijs regendis imponitur 101
Olennius in caſtellum cui nomen Fleuum recipitur ibidem
Oppiæ leges 64
Oratio Tiberij 89
Oratio Germanici moribundi 49
Oratio pulchra qualis 458
Orationis forma conditione temporum mutatur 457
Orationes Calui 458
Orator qualis eſſe debeat 459.465
Oratorum uitia 461
Oratorum dignitas 466
Oratoris uis & facultas 465
Ordeonius Flaccus 283.385
Ordeonius à militibus interficitur 389
Ordouices 158
Orodes Artabani filius 116
Oſtorius Britannos profligat 157.158

Otho 270.273
Otho milites corrumpit 274
Otho rapitur à militibus in caſtra 275
Othonis ſimulatæ uirtutes 288
Othonis ad mil.ora. 277.292.318
Othonis contra Vitellium expeditio 294
Otho ſeipſum interficit 319

Pacarius à Corſis interficitur 308
Pætus à Vologeſe obſidetur. 226
Pætus fugit ex Armenia 228
Pannonicarum legionũ ſeditio 7
Pannonij alares robur equitatus 226
Paphiæ Veneris templum 304
Parthorum regis legati 46
Parthorum ſecreti legati Romam ueniunt 115
Parthorum legati regem Roma petunt 152
Parthorum legati ad Neronem 230
Patrum in Auguſtam adulatio 6
Pax inter Othonianos & Vitellianos 317
Pedanius Secundus à ſeruo interfectus 210
Percennij procacitas 7
Petilius Cerialis 402.419
Peucini 445
Pharaſmanes 115
Phrahates 115
Phœnix auis in Aegypto uiſa 113
Piſonis ſæua in Athenienſes oratio 44
Piſonis ſuperbia 45
Piſo ad dicẽdam cauſam Romam accerſitus 51
Piſo accuſatur 57
Piſonis mors 58
Piſo adoptatur à Galba 272
Piſonis ad cohortem Palatinam oratio 275
Piſo in foribus templi trucidatur 279
Placentia oppugnatur à Cecina 309
Plancina Gn.Piſonis uxor. 41.113
Plautij cædes 215
Plautius Siluanus, Aproniam coniugem in præceps iecit 84
Plebs Othonis cædem poſtulat 276
Plinius Germanicorum bellorum ſcriptor 23
Pœna fœminarum quæ ſeruis coniungerentur 164
Poeticæ laus 453
Poetarũ incõmoda 456.& ſeq.
Pomerium urbis auxit Claudius 156
Pompeij theatrum igne hauſtum 76
Pompeia Paulina uxor Senecæ 242
Pomponia Græcina 184
Pontes longi 22
Popeæ criminationes 197.216
Poppæa moritur 249
Populi luctus ob mortem Germanici 55
Poſterior pugna Vitellianorum cum flauianis 348
Præcipuum munus annalium 74
Præſagium Tiberij de Ser.Galba 111
Prelium apud uetera caſtra 417
Prelium Britannorum cum Romanis 487
Primores ſenatus delationes exercent 107
Principum Germanorum electio 435
Prior pugna flauianorum cum Vitellianis 247
Procuratorum poteſtas 166
Prodigia 161.167.201.237.294
Prodigia excidium Iudæis portendentia 416
Prouinciarum ſtatus ſub Othone 299
P.Atillius Pannoniæ præſes 157
Ptolemæus Lagi 407
P.Suillius 188
P.Vitellius 104
Puteolanorum legationes 190
Pyramides. 47

Qva pompa Vitellius Romam ingreſſus ſit 331
Querquetulanus mons Cælius 98
Quæſtores quando ſint inſtituti 140
Quinquennale ludicrum Romæ 205
Quintilij Vari caſtra 21
Qui reges Veſpaſiani partes iuuerint 328
Qu.Haterius 97
Quo tempore oratores floruerint 455.466

Reipub.ſtatus ſub Tiberio 79
Rhadamiſtus 162.164.176
Rhenus fluuius 29
Rheno obliquam molem addidit Cl.Ciuilis 416
Rheno cohercendo aggerem inchoatũ à Druſo Paulinus Pompeius abſoluit 191
Rheni mira ſiccitas 385
Rheſcuporis Thraciæ rex 47
Rhetia 169
Rheticæ copiæ 285
Rhetica iuga 288
Rhetiæ Sueui imminent 16
Rigodulum montibus & moſella amne, foßis obicibuſq; ſaxorũ ſeptum 405
Romanus Hiſpo. 26
Roma oppugnatur & capitur 368 & ſequen.
Roxolani Mœſiam irrumpunt 291
Rubrius fabatus 109
Rufrius Criſpinus 245
Rufus Heluius ciuica corona donatus 60
Ruminalis arbor 195

Sabina Poppæa 189
Sabrina fluuius Britanniæ 157
Saleius Baſſus 449
Salluſtius Criſpus 3.63
Salluſtij aſtu falſus Agrippa captus 40
Samij & Coi ius aſyli petunt 82
Sardiani 96
Sarmatæ Iazyges 157
Scientia multarum artium 464
Seditio militaris Romæ 291
Seditio militaris contra Valentem 312
Seditionum autores occiduntur 11.17
Segeſtes Germanus 19
Segeſtes obſidione liberatus 20
Segeſtis oratio 20
Segimerus frater Segeſtis 25
Segimundus filius Segeſtis 20
Seianus lentum uenenum Druſo parat 80
Seleucenſes 119
Semnones 41
Semnones uetuſtiſsimi Sueuorum 442
Sempronius Denſus 279
Senatorum ſeruilis in Tiberium adulatio 74
Senatus in delatores ſeueritas 590
Senatus erga Neronem adulatio 246
Seneca accuſatur 212
Seneca redit de exilio 152
Sequanorum pagi uaſtati 67
Sequani fidi Romanis 401
Serapidis origo 407
Series futuri in Agrippinam exitij 94.95
Serui Germanorum 439
Seruilia Sorani filia 257
Seruilis tumultus autore T. Curtiſio 86
Ser. Galba 281
Seſtius Pagonianus 106
Sex. Papinij exitus 121
Sex. Veſtilius 108
Sæuitia Neronis in Chriſtian. 256
Sibyllæ carmina 109
Silius ad ſupplicium traditus 145
Sillanus repetundarum poſtulatus 74
Sillanus in nepti Auguſti adulter 61
Sinnaces 115.117
Smyrnæi 96
Soranus accuſatur 256
Spectacula gladiatorum 140
Spurina 309
Status Iudææ ſub Romanis 415
Status prouinciarum ſub Galba 269
Status rerum Romanarum poſt mortem Neronis 266.& ſeq.
Succinum 444
Sueui 442
Sueui imminent Rhetiæ 16
Sueui auxilium aduerſus Cheruſcos orant 41
Sueuorum gentes 266.444
Sueuorum principes Sydo atque Italicus 348
Suillius calumniator ſub Claudio 135
Suillius quæſtor Germanici 87
Suiones 444
Sunici 400
Sycambri 35
Sycambri in Gallias traiecti 160
Sylures populi Britanniæ 158
Sylua Herculi ſacra ultra Viſurgim 51
Syllani cædes 250

Tabularum publicarum cura à queſtoribus ad præfectos 183
Tacfarinas Numida 45.85
Tacfarinas bellum in Africa renouat 60
Tacfarinas ſedem ſibi ſuiſq; poſtulat à Tiberio 76
Tacfarinatis Numidæ mors 85
Tacitus ſacerdotium quindecimuirale,& præturam ſub Domitiano geſsit 137
Tanfana celebre Marſorum templum 18
Taunus mons Cathis uicinus 157
Tempeſtates & morbi 251
Templum Auguſto 27
Tencteri 441
Tencteros Auitus cauſam ſuã ab Anſibarijs diſſociare cog. 195
Tencteri legatos ad concilium Agrippinenſium mittunt 399
Tencteri leniti 400
Tencterorum legati ad Agrippinenſes miſsi 399
Termeſtini 92
Terracina proditione ſerui capitur 366
Teutoni 417
Teutoburgienſis ſaltus,in quo Varus cum legionib. à Germanis fuit interfectus 21
Thebæ Aegyptiæ 46
Thraces à Sabino obſeſsi 93.94
Thraſea quibus de cauſis accuſatus 254 & ſeq.
Tiberis auctus imbribus 26
Tiberius Nero 2.3.16
Tiberij modeſtia 25
Tiberij liberalitas 26.42
Tiberius imperia præfectis continuare ſolitus 27
Tiberius Capreis otium agit 99
Tiberij libido indomita 105
Tiberij genus & mores 122
Tiberij Cæſaris mors 122
Tigillinus calumniator 214
Tigillinus Neronis corruptor ac proditor 289
Tigranocerta 205
Tigranes Armeniæ rex 29.205
Titia lex 135
Titius Sabinus 99.100
T. Iunius 281
Titus perdomandæ Iudeæ delectus à Veſpaſiano patre 412
Togonius Gallus 105
Tranſalpinæ gentes 396
Traſyllus Chaldæorum artis peritus 111

Trebellius Maximus 480
Tres duces Iudæorum 416
Treueri Romanis rebelles 389
Treueri cæſi 403
Triboci.die in Strasburger biſtumb 402
Trinouantes 206
Tubantes 18
Tungrorum primores Campanus ac Iuuenalis 308
Tyridates 117.119.184

VAcationes militares remiſſæ 280
Vada,loci nomē eſt inferioris Germaniæ in Batauis,germanice Vuagening oppidum 418
Valer. Aſiaticus 134
Vangiones ſuperioris Germaniæ populi, die in Vuurmſer biſtumb 402
Vangio,aliàs Vando,ac Sido Sueuorum reges 157
Vannius rex Quadorum 47
Vannius Sueuis à Druſo Cæſare impoſitus,pellitur regno 157
Vannius Sueuorum rex 157
Varijs de cauſis damnati 111.118
Vaſconum cohortes 388
Vatinius 233
Vbiorum ara 14
Vbiorum fines 12
Vbios Germanorū gentē,hodie Colonienſes uocamus,Rheno trāſgreſſam,in fidem accipit Agrippa auus Agrippinæ Auguſtæ, die in Cœlner biſtumb 156
Vbij Germanicæ originis, eiurata patria,Agrippin.ſe uocāt 386
Vbij contuſi ibidem ibidem
Vectigalia 191
Venedi 445
Velinus lacus 27
Velleda uirgo fatidica apud Bructeros 398
Veneficia 49
Verritus friſiorum princeps 192
Veſpaſianus 71.303.328
Veſpaſiani de imperio Ro.ſuſcipiendo deliberatio 326
Veterani 205
Vibius Criſpus 306
Vibius Serenus à filio accuſ. 86
Vibulenus miles 9
Vici Germanorum quales 456
Victus Germanorum 438
Vindoniſſa.399. oppidum fuit in Heluetijs ad ripam Ruzæ fluuij quod à Romanis auctum eſt, quod illic hiberna legionum eſſent. Hodie uetuſtate temporis omnia paulatim conſumentis ad modicum uicum redactum eſt, primo Germanorum ſæpius irruentiū uaſtatione,deinde & Hunnorum haud dubie ſæuitia. Indicant autē latentes ſub terra ruinæ et rudera priſcam oppidi magnificentiam. Et teſtatur Chronica Murenſis cœnobij, ſedem illic Epiſcopalē fuiſſe, quæ poſt fuerit Conſtantiam translata. Vindoniſſæ meminit Antonius in itinerario ſuo,mediā eam ponēs inter Vitudurū, hoc eſt Vuintertur, & Rauracos,hodie Vuindiſch appellatur. Habſpurgum Vindoniſſæ proximū eſt, unde familia ducum Auſtriæ ſumit originem. Habes & de Vindoniſſa apud Beat. Rhenanum rerū Germanicarū lib. ter.
Vipſanus Meſſala 391
Virgilius 454
Viſellius Varro inferioris Germaniæ legatus 66
Viſurgis fluuius 25.30
Vitellius imperator ſalutatus 284
Vitellius 282.285.330.331.359
Vitellij Cæſaris ignauia 352
Vitellij prodigalitas 335
Vitellius inundatione periclitatur 24
Vitellius poſiturus imperij inſignia 363
Vitellius aduerſam fortunam ſtulte diſsimulat 358
Vitellius ad Gemonias protactus occiditur 369
Vndecim urbes Aſiæ certant de templo Tiberio ſtatuendo 95
Vocecius mōs, in quem ex caſtello thermarum fugerunt Heluetij, dum à Cæcina cuncta diripiente inuaderentur,der Bœtzberg u litera in b mutata. In eius pede uiculus eſt, quem item Vocetium uocant uerſus Rauracos. Eſt autem ob lamas,ſalebras,lutoſaſq; uoragines,præſertim pluuio tēpore, uiatoribus perquàm incommodus. Porro uidetur priſci nominis retenti cauſa fuiſſe Germanorum uicinia 287
Vocontij 287
Vocula dux exercitus conſtituitur 385
Voculæ ad legionum deſertores oratio 397
Vologeſes Parthor.rex 223 & ſe.
Voluptas oratoriæ eloquent. 450
Vonones Phrahatis filius 28
Vonones fugam tentat 48
Votienus Montanus 91
Vrbes Aſiæ xij. terræmotu collapſæ 42
Vrbis captæ fortuna 376
Vrgulania in ius à Piſone uoc. 37
Vſipetes 18
Vſipij 193
Vſipiorum cohors 484


ZEnon Polemonis regis filius 45

FINIS.

BASILEAE IN OFFICINA FROBENIANA PER HIERONYMVM FROBENIVM ET NICOLAVM EPISCOPIVM, AN. M. D. XXXIII

INDEX TERNIONVM

aa bb cc dd ee ff. a b c d e f g h i k l m n o p q r ſ t u
x y z. A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V.
Omnes terniones.


FRO
BEN.

9790